








R. P. F. BENJAMIN ELBEL
THEOLOGIA MORALIS
DECALOGALIS,
ET SACRAMENTALIS.

THEOLOGIA MORALIS
DECALOGALIS,
ET SACRAMENTALIS
PER MODUM CONFERENTIARUM
CASIBUS PRACTICIS ILLUSTRATA,
ET APPLICATA

Ad usum tum Curatorum, tum præsertim pro Animarum Cura examinandorum.

AUTHORE
R. P. F. BENJAMIN ELBEL
Ordinis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ Argentinæ SS. Theologiæ Lectore Jubilato.

OPUS
TRIBUS TOMIS DISTRIBUTUM
Quorum Ordo versa pagella indicabit.

TOMUS PRIMUS.



AUGUSTÆ VINDELICORUM MDCCXLVII.
SUPERIORUM PERMISSU.

Prostant Venetiis
APUD JOANNEM BAPTISTAM RECURTI.

DISTRIBUTIO OPERIS.

IN TOMO PRIMO CONTINETUR

IN TOMO SECUNDO CONTINETUR

IN TOMO TERTIO CONTINETUR



BENEVOLE LECTOR.

PRÆSENS Tractatus PRÆLIMINARIS comprehendit 1. materiam de Actibus humanis. 2. De Conscientia. 3. De Legibus, & 4. denique de peccatis nedum in genere, verum etiam in specie. Etenim materiam de Actibus humanis cuivis fidelium, præsertim vero Confessariis scitu summopere necessariam esse, vel inde (ni fallor) facile colligi potest, quod omnes, ac singuli mediantibus actibus humanis, ceu quibusdam passibus teneamur tendere in DEUM velut ultimum finem nostrum: Actus vero humani duplici regula dirigi debent, primo scilicet Legibus, nedum naturali, verum etiam divinis, & humanis, quæ dicuntur *regula remota, & extrinseca*, eo quod intellectui humano ostendant, quidnam faciendum sit, vel omittendum. Secundo dirigi debent conscientia, id est, dictamine practico intellectus, quo voluntas nostra, ceu causa, & principium immediatum omnis moralitatis, & actus humani immediate dirigitur circa agibilia in particulari, propterea-que conscientia merito appellatur *regula proxima & intrinseca*, homini scilicet.

Porro materiam de peccatis tam in genere, quam etiam in specie huic tractatui inserendam existimavi, eo vel maxime, quod tum ad vitam recte, & debite instituendam, tum etiam ad pœnitentes salubriter in viam salutis, & ad ultimum finem dirigendos multum per omnem modum conducere noscatur notitia monstri illius tam abominabilis, tamque execrabilis. Ut autem meliori, quo potui, modo tuo Benevole Lector bono consulerem, totius Tractatus seriem sequenti Conferentiarum, & Casuum Elencho velut in compendio quodam repræsentandum duxi. Utere igitur hoc meo exiguo labore, eo, quem unice semper intendi, fine, scilicet ad majorem DEI Gloriam, nec non ad propriam, proximique salutem promovendam.

THEOLOGIA
MORALIS
SACRAMENTALIS
TRIPARTITA

NEC NON

TRACTATUS

DE RESTITUTIONE

TUM IN GENERE, TUM ETIAM IN SPECIE.

ELENCHUS

Conferentiarum & Casuum.

CONFERENTIA I.

CON-

CONFERENTIA VII.

CASUS

CONFERENTIA VIII.

CASUS

CONFERENTIA IX.

CASUS

CONFERENTIA X.

CASUS

CONFERENTIA XI.

CASUS

CONFERENTIA XII.

CASUS

CONFERENTIA XIII.

CASUS

CONFERENTIA XIV.

CASUS

CONFERENTIA XV.

CASUS

CONFERENTIA XVI.

CASUS

CONFERENTIA XVII.

CASUS

CONFERENTIA XVIII.

CASUS

CONFERENTIA XIX.

CASUS

CONFERENTIA XX.

CASUS

CONFERENTIA XXI.

CASUS

CONFERENTIA XXII.

CASUS

CONFERENTIA XXIII.

CASUS



R. P. F. BENIAMIN ELBEL THEOLOGIA MORALIS,

Per modum Conferentiarum casibus practicis applicata, & illustrata.

PARS PRIMA.

CONFERENTIA PRIMA.

De natura actus humani, ejusdemque requisitis.

SUMMARIUM.

1. *Actus humanus proprie dictus est* actus hominis qua talis.
2. *Improprie talis dici potest omnis actus, qui fit ab homine.*
3. *Actus humanus solet etiam appellari moralis, eo quod sit regulatus per dictamen rationis &c. Unde*
4. *Ad omnem actum humanum proprie talem duo necessario requiruntur, scilicet 1. ut fiat cum ratione, 2. ut fiat libere. Atque hinc*
5. *Sub ea ratione, sub qua actus non est cognitus, nequit appellari humanus.*
6. *Voluntarium proprie tale & perfectum dicitur id, quod a voluntate procedit ex prævia cognitione.*
7. *Et hoc varie divisum succincte explicatur.*
8. *Libertas triplex notatur, scilicet 1. a servitute 2. a coactione, & 3. a necessitate naturali.*
9. *Arbitrium humanum defacto est liberum libertate indifferentiæ nedum quoad specificationem actus, sed etiam quoad exercitium.*
10. *Quin immo ad omnem actum humanum proprie talem defacto necessaria est libertas indifferentiæ, nec sufficit libertas a coactione.*
11. *Resolvitur Casus I. cujusdam pœnitentis, peccata mortalia dubia adferentis.*
12. *& 13. An, quomodo, vel quando Confessarius teneatur talem examinare?*
14. *Resolvitur Casus II. cujusdam Chyrurgi, ratione officii sui, & curationum variis tentationibus subjecti.*
15. *Quid, quod sentiat majorem inclinationem, dum ad fœminam, quam dum ad virum curandum vocatur?*
16. *Quid de eo, qui ex familiari conversatione cum altero sexu sentit se commoveri ad libidinem?*
17. *Resolvitur Casus III. cujusdam hospitissæ,*

tissæ, in cujus taberna tum ab hospitibus confluentibus, tum ab ipsis etiam familiaribus peccata committi solent.

18. *Huic incumbit pro viribus impedire peccata suorum domesticorum.*

19. *An possit nonnulla permittere aut dissimulare eo fine, ne forte famulus renuntiet suo servitio?*

20. *Omnis, & solus actus deliberate factus dici potest humanus.*

21. *Non item actus intellectus, vel incidentiæ quantumvis turpes, prævenientes usum liberi arbitrii.*

22. *Non tamen semper est necessaria deliberatio formalis & explicita.*

23. *Ut actus velut indirecte voluntarius imputari valeat ad culpam, necessum est, ut homo 1. Præviderit talem effectum. 2. Ut potuerit, immo vero. 3. Etiam debuerit non ponere causam.*

24. *Qui voluntarie ponit causam peccati, tenetur etiam in confessione explicare effectum secutum.*

25. *Et quid, si ante effectum secutum doluit de causa posita?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de actu humano, & voluntario.

QUæres primo, quid sit actus humanus?

1. R. Est actus creaturæ rationalis, libere & cum ratione factus. Vel quod idem est: est actus hominis voluntarius, & liber. Ita in re *communis DD.* teste Sporer *tr. 1. proœm. c. 2. n. 1. & seqq.* Ratio est: quia nomine actus humani proprie talis intelligitur ille, qui fit ab homine quatenus homo est: at tunc is operatur modo homini proprio, quando operatur ex prævia deliberatione, ideoque etiam ex prævia cognitione: nihil enim potest esse volitum, quin præcognitum: ergo actus humanus proprie talis debet esse voluntarius, & liber, seu libere, & cum ratione factus.

2. Dixi: *actus humanus proprie talis*: nam latius, & minus proprie loquendo dici potest actus humanus omnis actio, quæ fit ab homine, veluti est v. g. comedere, bibere &c. qui sunt actus homini communes cum brutis; item omnis actio quæ fit a solo homine, uti est v. g. ridere, loqui &c. qui actus, si fiant sine deliberatione, vel advertentia, uti fieri amant v. g. ab amentibus, aut infantibus &c. potius merentur appellari *actus hominis*, quam actus humani.

3. Illud porro observandum hic venit quod actus humanus proprie talis alio nomine vocetur *actus moralis*, id est, regulabilis, vel potius regulatus per rectam rationem; in hac quippe regulatione consistit moralitas, & hoc ipso, quod operatio ab homine ex prævia apprehensione Judicii, & deliberatione voluntatis processerit, dicitur moralis, sive dein bona sit, sive non.

Quæres secundo, quænam requirantur ad actum humanum?

4. R. Duo necessario requiruntur, scilicet 1. ut fiat ex ratione, id est, ex prævia apprehensione honestatis, vel inhonestatis &c. 2. ut fiat libere, id est, ab homine prædito libertate ad agendum, vel non &c. Ceterum quod in homine etiamnum post lapsum Adami detur liberum arbitrium, seu libera voluntas agendi, vel non agendi, jubemur credere fide Catholica, juxta illud *Num. 30. In arbitrio viri erit, ut faciat, sive non faciat*; esto multi hæretici moderni temporis contradicant, contra quos, ait Sporer *cit. n. 5. in fine* efficacissime argumentaberis, si proterve negantem libertatem hominis tamdiu bene fustiges, donec fateatur, te habere liberum arbitrium, & pro libitu posse cædere, vel non cædere, adeoque a cædendo cessare.

Quæres tertio, qualis cognitio requiratur ad actum humanum?

5 R. Cognitio omnium ad actum humanum qua talem concurrentium, utputa obiecti, finis, & circumstantiarum. Ita *omnes*. Ratio facile eruitur ex jam dictis; quia actus humanus debet esse voluntarius, & liber; at, nequit esse voluntarius sub ea ratione, sub qua non est cognitus: ergo nec humanus. Ex quo liquet, quod, si v. g. contrectes, aut usurpes rem alienam, sed ignorans esse alienam, non committas furtum: vel si quidem agnoveris esse alienam, at invincibiliter ignorasti, esse sacram, non com-

commiseris furtum Sacrilegum formaliter tale; quia actus sub ea ratione, sub qua non est cognitus, nequit imputari homini ad laudem vel vituperium.

Quæres quarto, quid sit voluntarium?

6. R. Voluntarium improprie, & latius acceptum dicitur illud, quod procedit a potentia appetitiva ex prævia cognitione (saltem sensitiva, & phantastica) objecti, quo modo sumptum coincidit cum spontaneo, & de animalibus quoque dicitur; nam & bruta animantia sponte, & improprie loquendo voluntarie feruntur in pabulum &c.

At vero voluntarium perfectum, & proprie tale illud solum dici meretur, quod procedit a voluntate ex prævia cognitione intellectiva. Unde etiam advertendum, quod aliud sit *voluntarium*, & aliud *volitum* (etsi hæc duo nonnunquam soleant confundi) voluntarium quippe debet principiative, & effective procedere a voluntate, non item volitum: quorum differentia in exemplo hoc magis patefit; etenim si v. g. filius deponat votum solemne Religionis, & Parens in eodem sibi complaceat, approbetque &c. hoc votum dicitur filio, utpote de cujus arbitrio effective processit, voluntarium, Parenti autem dici non debet voluntarium, quia ipse non vovit, sed potius volitum, eo quod illud ceu emissum a filio voluerit, sibique in eodem complacuerit.

Quæres quinto, quotuplex sit voluntarium?

7. R. Voluntarium proprie tale varie dividi solet, scilicet 1. in perfectum, & imperfectum. 2. In necessarium, & liberum. 3. In formale, & habituale, ac virtuale. 4. In elicitum, & imperatum. 5. In physicum, & morale. 6. In expressum, & tacitum, sive interpretativum. 7. Denique in voluntarium in se, sive directum, & in alio, sive indirectum. Ita in re *communis DD.* nominatim Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 1. *a.* 1. *n.* 9. Explico brevissime singula membra.

I. Voluntarium *perfectum* appellatur, quod procedit a voluntate cum perfecta cognitione finis: *imperfectum* vero, quod ex imperfecta cognitione procedit, veluti procedere solent actus primo primi.

II. Voluntarium *necessarium* est, quod procedit quidem a voluntate cum & ex inclinatione appetitus, quia voluntas se ipsam complacenter determinat, at non cum indifferentia ad oppositum, quo modo amor divinus procedit a voluntate *D. liberum* vero appellatur, quod procedit a voluntate cum indifferentia ad oppositum, veluti amor creatus a nostra voluntate procedere solet.

III. Voluntarium *formale* est, quod procedit a voluntate actu, & exercite influente: *habituale* vero quod voluntas semel actu voluit, & hactenus non retractavit; ut si quis semel voluit suscipere Baptismum, nec hanc voluntatem retractavit, dicitur eum habitualiter volens, propereaque adhuc valide baptizaretur, esto hic & nunc nihil de eo cogitaret; utpute si baptizaretur in amentia, aut deliquio &c. *virtuale* voluntarium appellatur, quod fit dependenter ab actu voluntatis physice præterito, non retractato, sed etiamnum permanente in aliquo suo effectu, vel determinatione, ut si Sacerdos facta intentione celebrandi Missam, induat se sacris vestibus, procedat ad Altare, consecret &c. Tametsi actu consecrans sit distractus, nec se amplius reflectat ad priorem intentionem, nihilominus consecratio talis censetur virtualiter voluntaria, utpote facta vi & virtute prioris intentionis adhuc perseverantis in illa serie actionum, utputa induitione paramentorum, progressu ad Altare &c. quæ omnia fiunt vi intentionis prius factæ; unde etiam voluntarium habituale a virtuali differt in eo, quod hoc posterius adhuc active influat, non item illud prius, velut jam animadvertimus *part.* 1. *Theolog. Sacram. Confer.* 2. *n.* 27.

IV. Voluntarium *elicitum* nuncupari solet omnis ille actus, qui a voluntate procedit ex prævia cognitione finis, eique physice inhæret, uti sunt electio, intentio &c. *Imperatum* dicitur, quod fit ab aliis potentiis ex imperio voluntatis, uti sunt scribere, legere &c.

V. Voluntarium *physicum* est, quod physice; *morale* vero, quod moraliter, & imputative procedit a voluntate: & hoc subdividitur in voluntarium *propria*, & in voluntarium *aliena voluntate*: sic vota a nobis emissa dicuntur nobis adhuc moraliter voluntaria, & quidem volun-

tate propria, quippe quæ manet iisdem adstricta, quamdiu non relaxantur: peccatum vero Adæ dicitur nobis voluntarium voluntate aliena, sicut & dispositio Tutoris dicitur voluntaria pupillo, saltem in favorabilibus.

VI. Voluntarium *expressum dicitur*, quod verbis vel aliis signis ex instituto significatur, uti solet significari consensus in matrimonium: voluntarium autem *tacitum* reputatur, quod, esto non sit expressum verbis, aut aliis signis ad hoc institutis, nihilominus propter factum aliquod, vel facti omissionem, fictione juris, aut prudentum Judicio censetur a voluntate procedere; quo modo peccata subditorum censentur voluntaria Superiori, quando is non contradicit, nec se opponit, tametsi facile id posset, juxta illam 43. R. *J. in 6. qui tacet, consentire videtur:* de qua fusius agunt Sanchez *l.* 1. *de matr. disp.* 5. *&c.* 6. item Sporer *tr.* 1. *c.*2. *n.* 27. Laymann. *l.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 3.

VII. Voluntarium *directum* sive in se est, quidquid a voluntate ex proposito fit, intenditur, vel imperatur, sive dein ab operante procedat immediate, ut furtum a fure, sive etiam, mediate, ut mors a propinante venenum ex intentione occidendi. Voluntarium *indirectum* sive in alio (quod etiam voluntarium in causa nuncupari solet) est illud, quod quidem per se non intenditur, nec imperatur a voluntate, huic tamen merito imputatur ex eo, quod velit aliquid aliud, vel causam aliquam, ex qua prævidetur consecuturus talis effectus; ut si scias te assuetum rixis, & blasphemiis in ebrietate committendis, & nihilominus te inebrias, hujusmodi blasphemiæ tibi censentur indirecte & in causa voluntariæ: si scienter velis occidere mulierem gravidam, convinceris saltem indirecte voluisse occidere fætum quem prævidisti non posse vivere, nec pervenire ad lucem occisa Matre.

Quæres sexto, an, vel qualiter homo sit liber in suis operationibus?

8. Ante responsionem notandum, a Doctoribus triplicem distingui libertatem. Prima dicitur libertas a *servitute*, sive *civili*, qua gaudent ii, qui non sunt mancipia; sive *morali* qua gaudent justi, qui non sunt subjecti peccato, juxta illud Apost. *Rom.* 6. *liberati a peccato, servi facti estis justitiæ*. Secunda est libertas a *coactione*, qua quis operatur sine vi aut violentia ab extrinseco sibi illata: & hæc coincidit cum *spontaneo*. Tertia est libertas a *necessitate* naturali, qua agnes est ita indeterminatum, & indifferens, ut positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, vel non agere (in quo consistit libertas *exercitii* seu *contradictionis*) vel etiam agere hoc, aut ejus oppositum, utputa amare, vel odisse (in quo consistit libertas *contrarietatis*, seu etiam *specificationis*) Hoc supposito & notato

9. R. Homo defacto est liber libertate indifferentiæ, tam quo ad exercitium, quam quo ad specificationem. Ita hodie fides Catholica, & Catholici *omnes*.

Ratio hujus inde colligitur: tum quia alias homini frustra præscriberentur Leges aut præcepta, si huic non esset liberum, ea adimplere; & hoc ipso nihil amplius posset mereri, aut demereri. Tum etiam quia experientia palpabili constat, dari in nobis consultationem de rebus agendis, vel non, deque variis mediis, quam postea subsequitur mediorum electio: ergo datur in nobis hodiedum vera libertas in ordine ad operationes ab arbitrio nostro dependentes. Videatur de hoc Herincx *part.* 2. *tr.* 2. *disp.* 2. *a. n.* 6.

Quæres setimo, qualis libertas requiratur ad actum humanum?

10. R. Ad actum humanum requiritur libertas indifferentiæ, nec sufficit sola libertas a coactione. Ita *Catholici unanimiter*. Ratio hujus de facili potest colligi ex Bullis Pii V. *Ex omnibus*, & Gregorii VIII. *Provisionis nostræ* &c. in quibus damnantur sequentes propositiones: *quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit*. Item *sola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Tum etiam ex eo, quia teste Sporer *t.* 1. *procem. c.* 2. *n.* 19. omnium sensu & consensu actus humanus dicitur, eo quod sit ita proprius homini, ut dependeat ab ejusdem arbitrio, ut fiat, vel non fiat: atqui ad hoc necessum est, ut sit liber nedum a coactione, verum etiam

a neceſſitate, ita ſcilicet, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit fieri, vel non fieri: ergo &c.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici concernentes libertatem actuum humanorum.

CASUS PRIMUS.

Titia fatetur ſe ſemel maritum ſuum concitaſſe ad gravem iracundiam, eo quod certum quoddam vaſculum fregerit, 2. ſemel ab alio quodam oſculum accepiſſe, ſimulque inhoneſte contrectatam fuiſſe, & 3. denique de proximis ſuis nonnunquam male fuiſſe locutam. Quid judicii de tali pœnitente, & de peccatis mox enumeratis ferendum eſt?

11. R. Concludendum, rem eſſe dubiam, an Titia in his graviter deliquerit, necne; quia vero juxta alibi dicta, Confeſſario ceu Judici ſpirituali incumbit diſcernere inter lepram & lepram, de ſtatu ſcilicet pænitentis, præſertim an is venialiter duntaxat, an vero mortaliter peccaverit; hinc oportebit paulo accuratius examinare Titiam; an intenderit fractione vaſculi virum ſuum graviter exacerbare vel non (quod quidem rarius fieri aſſolet a mulieribus, proptereaque non illico præſumendum eſt) 2. An oſculum, & præſertim tactus impudicos voluntarie ac deliberate admiſerit? An de proximo ſuo fuerit male locuta in materia gravi? etſi hoc: quoties id contigerit? Ratio eſt: quia tametſi mox enumerata peccata, aut de ſe ſint, aut certe poſſint eſſe gravia; nihilominus certo compertum habemus, talia in praxi ſæpiſſime fieri abſque offenſa gravi, vel quia pænitens non habuit intentionem exacerbandi graviter &c. vel graviter damnificandi in fama &c. vel etiam quia oſcula aut tactus contigere præter, aut omnino contra intentionem mulieris præſertim conjugatæ. Unde liquet rem de gravitate peccati formalis ab hac pœnitente commiſſi eſſe incertam, & hoc ipſo, cum ſine difficultate fieri poſſit, paulo exactius indagandam.

Dices: Ergone Confeſſarius ſemper tenetur inquirere, an pœnitens graviter deliquerit, vel non?

12. R. Non utique ſemper, ſed tunc duntaxat, quando non licet præſumere, ſed potius prudenter dubitare, an hoc vel illud peccatum in his circumſtantiis, ab hac perſona commiſſum &c. aſcenderit ad gravitatem formalem peccati mortalis, vel non; veluti fit in hoc caſu noſtro, ubi merito dubitare licet, an Titia intenderit voluntarie maritum concitare ad gravem iracundiam, item an hæc perſona, utpote jam matrimonio juncta illud oſculum & tactus deliberate admiſerit &c. an vero ex improviſo duntaxat obiter, & præter intentionem hæc eidem acciderint, prout non raro accidere ſolent honeſtioribus matronis: ergo in his circumſtantiis incumbit Confeſſario paulo exactius indagare in gravitatem delictorum.

Secus dicendum foret, caſu quo is aliunde ſatis perſpectum haberet, hanc perſonam, utpote malitioſam ſatis & vitiis ſubjectam, ſimilia ſine rubore admittere, eſſe veneri deditam, aut detractionibus aſſuetam &c. vel ſi fateatur, ſe ſæpius admiſiſſe tactus laſcivos & oſcula &c. quia his ſuppoſitis nulla relinquitur cauſa dubitandi de gravitate peccatorum, & per conſequens etiam nulla obligatio exactius inquirendi.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Chyrurgus non raro vocatur ad medendum, vel quomodocunque demum ſuccurendum perſonis etiam alterius ſexus, & quia nonnunquam contingit, ut teneatur nedum aſpicere, verum etiam contrectare partes, a quibus caſtus oculus merito abhorret; hinc fit, ut cogatur ſatis frequenter ſentire rebellionem carnis, motus laſcivos, diſtillationem, immo vero etiam ipſam pollutionem ſui corporis: timet proin ſibi, ſuæque conſcientiæ, eo vel maxime, quod, dum audit ſe vocari ad curandam hujuſmodi fœminam, majorem promptitudinem, naturæ inclinationem &c. ſentire ſibi videatur, quam dum poſtulatur ad ſucurrendum viro. Quid judicabit Confeſſarius, aut quid conſulet tali pœnitenti?

14. R. Confeſſarius judicabit, Sempro-

pronium non peccasse, modo (quod valde notandum) hujusmodi motibus, & delectationibus nullum præbuerit consensum, nec iisdem voluntarie sibi complacuerit, morose delectando, motus, aut pollutionem ipsam positive promovendo &c. Ratio fundamentalis hujus resolutionis hæc est: quia nec motus venerei, neque etiam ipsa pollutio est formaliter peccaminosa, nisi sit voluntaria; ad omnem enim actum humanum, & ad omne peccatum formale necessario requiritur libertas, & quidem indifferentiæ: atqui hujusmodi actus non sunt Sempronio liberi: non enim in se, & directe, uti suppono, neque etiam indirecte, velut in sua causa; quia cum vi sui officii teneatur succurrere, & contrectare hujusmodi partes etiam alterius sexus, vi hujus dici non potest peccare: cumque motus illi ex aspectu, aut contrectatione similium partium naturaliter consequi soleant; hinc plane neque in se, neque in sua causa dici debent voluntarii moraliter, consequenter neque formaliter peccaminosi. Videatur de hoc Laymann *l.1.tr.* 2. *c.* 3. *n.* 5.

51. Nec refert, quod Sempronius sibi videatur sentire majorem naturæ inclinationem, dum intelligit, se postulari ad succurrendum fœminæ, quam ad succurrendum viro; non inquam refert: tum quia etiam fœminæ succurrere, ac mederi malum non est, sed potius bonum, & sin minus ex justitia, saltem ex charitate debitum: tum etiam quia hujusmodi pruritus naturæ non est moralis, & liber, sed naturalis potius seu in ipsa natura fundatus, præsertim post lapsum, & corruptionem hujus: ergo formaliter malus non est, etsi fatendum, quod possit esse satis molestus castæ menti, immo & periculosus, propterea que suadendum Sempronio, ut studeat illum per rationem reprimere pro possibili, & contrariis protestationibus animum obfirmare.

At vero, dicet fortassis nonnemo; sentio ego in carne mea tam ardentes stimulos repugnantes legi mentis meæ, ut non raro vel ex solo contuitu alicujus picturæ minus honestæ, aut alterius objecti obscæni, immo etiam ex solo subitaneo aspectu alterius sexus, & multo magis ex familiari, licet ceteroquin honesta, & inter honestiores usitata conversatione cum illo, aut compressione manus &c. lascivis motibus, carnisque titillationibus agitari me sentiam: an ergo graviter delinquam, si animadversa hujusmodi rebellione non illico coerceam visum, aut cessem a conversatione cum tali persona?

16. R. Non peccas propterea, certe non graviter. Ratio fundamentalis hæc est: quia (uti suppono, & supponi debet) in hujusmodi delectationem libidinosam non consentis, nec assoles consentire: ergo hæc tibi non est peccaminosa, utpote non voluntaria directe, & in se; neque etiam indirecte, & in sua causa; quia ad hoc ut effectus ceu indirecte, & in sua causa voluntarius alicui imputari valeat ad culpam, necessum est, ut is nedum potuerit, sed etiam debuerit non ponere causam: atqui nullo Jure aut Lege obligaris ad non aspiciendum alterum sexum in partibus honestis, ad non colloquendum, aut ad non comprimendum manum &c. quandoquidem hujusmodi actus sint de se indifferentes: ergo non peccas propterea graviter: secus dicendum foret, si aspiceres tale objectum obscænum, quod ex sua natura est vehementer allectivum, & attractivum ad venerem, veluti secundum Doctores sunt aspectus partium verendarum, præsertim inter personas diversi sexus, coitus &c. & similia tunc utique graviter peccares ulterius continuando aspectum, & oculos quasi pascendo deliberate in simili objecto, ex quo advertis tantum tibi imminere periculum: idque a fortiori dicendum, si aliunde scias ab experentia, te solitum consentire in similes turpissimas delectationes; tunc enim temetipsum exponis periculo gravis lapsus, immo indirecte convinceris voluisse has turpitudines, quippe quarum causam efficacem & potuisses, & debuisses non ponere. Videatur de hoc Sporer, *tr.*1. *c.* 2. *n.* 24. Reiffenstuel *tr.*9. *dist.*4. *q.* *n.* 71. Babenstub. ubi supra *art.* 2. *n.* 13. Vega *in summa part.* 2. *c.* 55. *cas.* 1.

CASUS TERTIUS.

AD certam quandam tabernam Cajæ viduæ solent frequenter confluere hospites, quibus ipsa liberaliter administrat tam de vino quam etiam de cerevisia, quantum iisdem lubet; unde fit ut alii sese inebrient, alii rixari incipiant, alii turpia loquantur, alii filiam Cajæ ad peccandum sollicitare, & seducere nitantur: & quod Caput rei est, in super jam sæpius deprehendit famulum suum cum ancilla commercio lascivo vacantem; quia tamen advertit ex dimissione famuli, utpote summopere necessarii rei domesticæ, & totam quasi domum gubernantis, sicut & ex eo, quod hospitibus negaret vini & cerevisiæ abundantiam, aliasve inconvenientias interdiceret, non modicum sibi imminere detrimentum, ideo non absque re anxia sciscitaur, an hæc & similia protinus tuta conscientia dissimulare possit. Quid respondebit Confessarius?

17. R. Confessarius recte respondebit, quod Caja possit quidem ob evitanda illa damna dissimulare & permittere peccata hospitum confluentium, non tamen inhonestum illud & lascivum commercium famuli cum ancilla. Ratio est: quia Cajæ velut superiorissæ & Matri familias incumbit gravissima obligatio justitiæ impediendi peccata suorum subditorum, juxta illud Apostoli 1. *Timoth.* 5. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*: at vero peccata extraneorum non tenetur impedire ex justitia, ut de se liquet; neque ex charitate; tum qua hujusmodi peccata, utputa ebrietatis, rixarum &c. mere per accidens, & præter intentionem Cajæ sequuntur ex administratione potus; tum etiam quia fine suo gravi detrimento negare non potest potum; tum denique, quia vix ulla reperietur taberna publica seu popina, in qua aliqui saltem hospitum non soleant sese ingurgitare usque ad ebrietatem, & postea in rixas, vel alias insolentias prolabi; unde tametsi Caja cum suo detrimento potum negaret, nihilominus hujusmodi bibuli facile invenirent alios, qui sibi potum administrarent usque ad nauseam: secus dicendum existimo, si Caja bello modo, & sine suo gravi incommodo vel detrimento posset impedire hujusmodi peccata, tunc enim nedum laudabiliter & sancte faceret, sed etiam ex virtute charitatis ad hoc teneretur. Vide Sporer *cit. n.* 24. vel Babenstuber *ubi supra n.* 13.

At, inquies, etiam peccata famuli, & ancillæ suæ Caja impedire nequit sine gravi suo detrimento; nam famulus ceteroquin fidelissimus, & rei domesticæ summopere necessarius a Caja correptus, fortassis cederet suo officio.

18. R. Vix esse credibile, quod Caja ex discessu famuli habeat timere tantum damnum, aut discrimen, quod præponderet obligationi gravissimæ impediendi peccata subditorum; enimvero si famulus iste supponatur esse tam perditæ vitæ, ut ab inhonesto suo consortio, quantumvis correctus, & admonitus desistere nolit, merito timendum, ne vivendo licentiose & scandalose plus maledictionis attrahat super domum Cajæ, quam commodi sua confert industria, præsertim si Caja omnia quasi dissimulando velit connivere quodammodo hujuscemodi damnabili commercio carnali.

15. Fatendum nihilominus est, quod si Caja (idem proportionaliter intelligendum venit de quocunque alio Patrefamilias, Domino, aut Superiore respectu sibi subjectorum) sua admonitione, & correctione nihil possit efficere, Confessarius eidem aliquid hinc inde dissimulanti (minime tamen conniventi, vel approbanti talè commercium) possit condescendere, idque hac ratione: quia Superiori, aut Superiorissæ cuicunque demum, peccata subditorum nullatenus imputari possunt aut debent, quando is pro viribus conatus fuit ea impedire, utpote contradicendo, minitando &c. & ideo duntaxat aliquid dissimulat, quia id fine graviori, aut certe satis gravi incommodo ac detrimento impediro nequit: ergo neque in nostro casu Cajæ imputari possent peccata famulorum. Cavendum tamen merito est, ne forte mentiatur iniquitas sibi, & vano timore perterrita, indulgeat plusquam oportet, præsertim cum hisce temporibus passim haberi possint famuli non mi-

minus utiles ac fideles, quam honesti, de quibus major benedictio speranda. Certe Tamburinus *in Decalog. l. 5. c. 1. §. 4. n. 22.* absolute negat, licitum esse Dominis, famulum cum amasia domi retinere, etsi alios servos vel servas de facili invenire non posset; nam hoc modo (inquit idem) non solum servus est malus, sed & securius peccans, & commodius: quid de scandalo? quid de periculo contagii totius familiæ? Apage a te ejusmodi lues.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

20. COlliges ex dictis primo omnem & solum actum deliberatum & libere a voluntate procedentem, sive dein sit actus elicitus, sive imperatus sive etiam imputatus, utpote directe, explicite, sive etiam indirecte, implicite, tacite, seu etiam interpretative voluntarius &c. esse actum humanum. Ratio facile eruitur ex hactenus dictis: quia omnis, & solus talis actus fit ab homine qua homo est, propteraeque eidem ad laudem, vel vituperium imputari valet, uti recte advertit Sporer *tr. 1. c. 2. n. 28.* Ex quo ulterius inferes, &

21. Colliges secundo, actus intellectus, cogitationes, seu, etiam incidentias, quantumvis malas, turpes, vel lascivas &c. quæ non raro ex simplici apprehensione concipiuntur ante omnem deliberationem, & consensum, non esse actus humanos, neque bonos, aut malos, nisi accedat voluntarium: immo vero etiam motus primus appetitus sensitivi, quem subinde patimur sine advertentia intellectus, (idem tenendum est de motu primo-primo intellectus, aut alterius potentiæ) non est actus humanus, veluti bene observat Laymann *l. 1. tr. 2. c. 2. n. 10. & alii DD.* Ratio est: quia cum tales actus non sint voluntarii, neque deliberate cum advertentia ad bonitatem, vel malitiam moralem ab homine fiant, eo ipso dici nequeunt regulati per rationem: ergo nec morales aut humani; id quod vel maxime notatum, & alte menti scrupulosorum impressum velim, qui quasvis incidentias turpes aut malas, & vel maxime omnem moram intellectus in iisdem, tametsi ad malitiam non adverterint, illico apprehendunt esse pecaminosas, propteraeque non sine permagnis conscientiæ suæ anxietatibus sese desuper accusare solent. Videantur de hoc dicenda inferius *Confer. octava a n. 218.*

22. Colliges tamen tertio, ad actum humanum non semper necessarium esse deliberationem formalem (quæ tunc fit, quando intellectus secum ipso discurrit, & consultat de re quapiam agenda, ponderando hinc inde rationes v. g. an hic & nunc sit furandum, vindicta sumenda ab hoste? &c.) sed sufficere etiam deliberationem virtualem (qualis tunc fit, quando quis ex sola apprehensione objecti, sive dein ob evidentiam rei, sive ob acumen intellectus illico concludit, hoc velut bonum esse agendum, v. g. Deum esse amandum, &c. aut illud velut malum esse fugiendum, v. g. Deum non esse blasphemandum, non esse adulterandum &c.) Ratio autem hujus est; quia stante hac deliberatione virtuali intellectus sufficienter ostendit voluntati bonitatem, vel etiam malitiam: ergo si voluntas de se indifferens postea amplectitur alterutrum, talis actus merito reputatur esse moralis, quandoquidem velut regulatus per rationem ab arbitrio humano libere processerit. Sporer *cit. 2. n. 12.*

23. Colliges quarto, ad hoc, ut effectus quiscunque demum velut indirecte, & in causa voluntarius tibi imputari valeat ad culpam, necessario hæc tria requiri. 1. Ut prævideris ex tali causa secuturum talem effectum, aut certe de hoc dubitaveris. 2. Ut potueris libere non ponere talem causam. 3. Ut etiam obligatorie debueris non posuisse illam. Unde defectu primi nequit tibi imputari ad culpam gravem; si te v. g. inebriasti ex eo, quod non adverteris, nec agnoveris generositatem vini; quia, ut jam supra dictum fuit, nihil volitum potest esse, quin sit præcognitum. Defectu secundi non peccas, si vi officii tui cogaris v. g. equitare, & inde sentias periculum pollutionis, vel ipsam pollutionem; quia cum hæc naturaliter sequatur, & quidem ex causa tibi non libera, hinc tibi imputari nequit ad peccatum. Defectu tertii non peccas; si v. g. intentus studio moralium circa mate-

materiam lubricam, te exinde commoveri sentias; vel si expiciendo Confessiones de simili materia, sentias te vehementer agitari motibus libidinis, nedum ad distillationem, sed etiam ad ipsam pollutionem, modo semper excludas consensum in delectationem libidinosam & quoad similes effectus merum permissive te habeas.

Ratio patet ex jam dictis: quia his suppositis hujusmodi effectus nequeunt tibi imputari velut in se, & directe voluntarii: neque etiam velut indirecte voluntarii in sua causa; tum quia legere moralia ex fine tam bono, vel etiam excipere Confessiones animo juvandi pœnitentes & promovendi animarum salutem, non est malum, sed potius sanctum quid & meritorium, fortassis etiam necessarium vi tui officii, vel obedientiæ tibi incumbens: tum etiam quia neutiquam tenebaris non ponere talem causam, id est, abstinere a simili lectione, aut Confessionum exceptione, tametsi fortassis licuisset abstinere a similibus. Videantur, si placet, Tambur. *in decalog. l.* 1. *cap.* 2. §. 2. *n.* 2. Sporer ubi supra *n.* 24. Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 1. *a.* 1. *n.* 12. *&c.* 13.

24. Colliges quinto, eum, qui voluntaposuit causam peccati, aut omissionis peccaminosæ (utputa pollutionis nocturnæ, abortus secuti, vel omissionis Sacri die Festo &c.,) non satisfacturum præcepto Confessionis, præcise sese accusando de causa posita, dicendo v. g. quod ante cubitum cogitationibus lascivis voluntarie inhæserit &c. vel quod die festivo se inebriaverit &c. sed tenetur insuper fateri ipsum effectum, tunc præsertim, si antequam effectus fuit subsecutus non retractavit, nec doluit de causa posita.

Ratio est: quia non supposita retractatione hujuscemodi effectus sive positivi sint sive negativi, manent voluntarii in causa, ac proinde velut tales merito imputantur ad culpam, esto etiam illo tempore, quo sequuntur, v. g. in somno, aut ebrietate, non amplius subsint potestati liberi arbitrii, uti recte docet Castropalao *p.* 1. *tr.* 2. *disp.* 1. *pu.* 3. *n.* 7. & Mezger *tr.* 6. *disp.* 18. *a.* 2. *n.* 10.

At quid, inquies, si talis sincere doleat de causa posita prius, quam effectus sequitur, tenebitur ne nihilominus in confessione dicere effectum esse subsecutum?

25. R. Per se loquendo non tenetur: idque hac ratione: quia per sinceram retractationem interrumpitur, & cessat moralis influxus voluntatis in hujusmodi effectum, & per consequens quemadmodum cessat esse voluntarius, ita pariter desinit esse peccaminosus. Nihilominus per accidens sæpius, immo juxta sententiam Laymanni, & aliorum regulariter adhuc tenetur talis pœnitens explicare effectum secutum; tum ut Confessarius intelligat gravitatem peccati commissi; tum etiam ut discernere possit, an non incurrerit aliquam censuram, irregularitatem, reservationem, restituendi obligationem &c. Videatur Laymann *l.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *num.* 5.

CONFERENTIA
SECUNDA

De impeditivis actuum humanorum, causantibus involuntarium.

SUMMARIUM.

26. *Impeditiva voluntarii sunt quatuor, scilicet violentia, metus, concupiscentia, & ignorantia.*
27. *Involuntarium dicitur id, quod fit contra inclinationem voluntatis.*
28. *Nomine violentiæ intelligitur vis ab extrinseco illata; unde*
29. *Violentia semper causat involuntarium simpliciter.*
30. *Metus est instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio; qui varie divisus breviter explicatur.*
31. *Metus qualiscumque demum, non causat involuntarium simpliciter, sed secundum quid duntaxat.*
32. *Concupiscentia est passio, seu motus appetitus sensitivi.*
33. *Alia dicitur consequens, & alia antecedens.*

34. *Et*

34. *Et hæc auget voluntarium, liberum tamen minuit.*
35. *Ignorantia est carentia, vel potius privatio notitiæ in subjecto capaci.*
36. *Explicantur succincte variæ species ignorantiæ ut sic.*
37. *Ignorantia vincibilis rursus subdividitur in affectatam, & non affectatam.*
38. *Ignorantia* antecedens *causat involuntarium simpliciter*: concomitans *causat non voluntarium*, consequens *vero causat voluntarium indirecte.*
39. *Resolvitur Casus I. de quadam famula ab Hero suo varie sollicitata, & tandem violenter oppressa.*
40. *Quæ non clamando, nec invocando aliorum opem, probabilissime peccavit mortaliter.*
41. *Et quid, si ex tali clamore rationabiliter timuisset mortem violentam a stupratore sibi inferendam?*
42. *Traditur regula specialis ad discernendum, quanta, vel qualis resistentia sit facienda in simili casu violentiæ.*
43. *Resolvitur Casus II. cujusdam famuli, cui Herus intentavit mortem, nisi suffocaret dominam suam.*
44. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*
45. *An talis famulus debuisset potius sufferre mortem, esto se scivisset constituum in statu disgratiæ?*
46. *Resolvitur Casus III. de quodam feripeta, qui præter feram contra intentionem, simul trajecit socium feripetam.*
47. *An vel qualiter propterea puniri, potuerit?*
48. *Per se loquendo nullus metus excusat a peccato, licet in nonnullis casibus possit excusare per accidens.*
49. *Nullus etiam metus excusat ab observantia præceptorum naturalium negativorum.*
50. *Potest tamen subinde excusare ab observantia præceptorum naturalium positivorum.*
51. *Similiter ab observantia præceptorum divinorum mere positivorum non raro excusat metus.*
52. *Regula specialis ad dignoscendum, quandonam ob metum gravem cesset, vel non cesset obligatio præcepti divini positivi.*
53. *Peccata ex impetu passionis facta, ceteris patibus leviora sunt iis quæ fiunt ex mera malitia.*
54. *Ignorantia invincibilis excusat ab omni pœna.*
55. *Non item vincibilis, præsertim si fuerit crassa aut supina.*
56. *Nisi pæna sit lata in* scienter, aut temerarie delinquentes &c.
57. *Ignorantia solius pœnæ, probabiliter non excusat* delinquentem.
58. *Nisi hæc sit exorbitans, vel censura Ecclesiastica.*

§. I.

Præmituntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de impeditivis actuum humanorum.

QUæres primo, quot sint impedimenta, seu impeditiva actus humani?

26. R. Generaliter loquendo communiter enumerantur quatuor, scilicet violentia, metus, concupiscentia, & ignorantia. Ita *omnes*. Ratio est: quia hæc quatuor causant involuntarium; vel enim efficiunt, ut objectum non sit satis cognitum, uti facit ignorantia, & concupiscentia; vel certe faciunt, ut non sit satis libere, & perfecte volitum, veluti fieri natum est per metum, & violentiam: ergo hæc quatuor suo modo impediunt actum humanum.

Quæres secundo, quid, & quotuplex sit involuntarium?

27. R. Involuntarium illud est, quod fit contra voluntatem, aut certe contra ejus inclinationem; unde involuntarium proprie dicitur de actibus, quibus per se loquendo posset quidem convenire ratio voluntarii, aliquid tamen ipsis hic & nunc deest, quod ad voluntarium requiritur, prout sapienter advertit Herincx noster *p. 2. tr. 2. disp. 1. n. 12.*

Porro involuntarium ut sic communiter dividitur in *simpliciter tale*, & involuntarium *secundum quid* tale. Simpliciter involuntarium tunc habetur, quando cogimur aliquid facere, vel pati, ita, ut voluntas simpliciter, & absolute repugnet, & nullatenus illud velit; ut si cuipiam violenter curvarentur genua coram Idolo &c. aut si fœmina violenter sup-

supprimatur &c. Involuntarium secundum quid tantum dicitur, quando voluntas illud quidem vult, at non sine displicentia & tergiversatione, quia scilicet libentius vellet oppositum; ut si mercator timore naufragii proiiciat merces suas in mare, vult utique illas proiicere, at non sine involuntario admixto, quia libentius vellet illas retinere, nec unquam proiiceret, nisi instante, & urgente periculo eo adigeretur; propereaque saltem secundum quid involuntarie censetur illas proiicere.

Quæres tertio, quid sit violentia?

28. R. Violentia est vis ab extrinseco illata, cogens ad aliquid agendum, aut patiendum contra naturalem, vel elicitam inclinationem seu appetitum. Ita in terminis Sporer *tr.* 1. *cap.* 2. *n.* 40. Et recte; nam juxta Philosophum 3. *Ethic.* 1. *c. violentum est id, cujus principium est extra, passo non conferente vim*, id est, contranitente passo, seu contra inclinationem passi, velut exponit Doctor subtilis 2. *disp.* 18. *q. un.*

Quæres quarto, quomodo violentia causet involuntarium, & impediat actum humanum?

29. R. Violentia causat involontarium simpliciter, & hoc ipso simpliciter impedit actum humanum. Ratio patet ex dictis in superiori Conferentia *n.* 6. Quia actus humanus debet procedere a principio intrinseco, scilicet a voluntate: atqui violentia efficit, ut non procedat a principio intrinseco, sed potius ab extrinseco, & quidem contranitente, & repugnante voluntate: ergo.

Et licet voluntas in actibus a se elicitis, vel imperatis, utpote sibi voluntariis, violentari nequeat, potest nihilominus violenter impediri ab actibus imperabilibus aliarum potentiarum: potest enim aliquis violenter detineri v. g. in carcere, sicque impediri ab auditione Sacri &c. possunt etiam alia membra, v. g. manus violenter applicari ad internecionem, aut ad thus immolandum idolo &c. quo supposito, sicut cessat voluntarium, ita pariter deficit in hujusmodi actibus violenter extortis omne meritum, atque demeritum, juxta *omnes*.

Quæres quinto, quid, & quotuplex sit metus?

30. R. Metus est instantis, vel futuri mali causa mentis trepidatio. Ita Ulpianus *l.* 1. *ff. de eo, quod metus causa*. Solet autem metus ut sic communiter dividi 1. in eum, qui ab *intrinseco* proficiscitur, & in eum, qui ab *extrinseco* incutitur. 2. In *levem* & *gravem*. 3. In *reverentialem*. Explico breviter singula membra.

I. Metus ab intrinseco profectus appellatur, qui intrinsece ab ipsomet metuente concipitur propter aliquod malum sibi imminens a causis naturalibus, vel fortuitis, utputa ab incendio, a naufragio, a morbo &c. Metus vero ab extrinseco incussus appellatur ille, qui ingeritur ab aliqua causa libera, & extrinseca, v. g. ab homine, inimico, a latrone mortem minitante &c. Unde hic metus potest incuti vel juste, vel injuste: Juste incutitur, quando incutiens habet jus, vel obligationem intentandi hujusmodi malum v. g. carcerem, mortem, excommunicationem &c. e contra injuste incussus merito censetur, quando incutiens non habuit jus intentandi hujusmodi malum, prout fit, si v. g. latro ad extorquendam pecuniam mortem tibi intentet.

II. Levis metus appellatur, quo quis timet leve malum, aut grave quidem, sed inaniter, & sine causa: gravis e contra dicitur, quo quis timet grave malum, v. g. mortem, mutilationem, verbera enormia, exilium, servitutem, carcerem, damnationem ad triremes, emissionem omnium, aut certe notabilis partis bonorum, infamiam gravem moraliter indelebilem, excommunicationem injustam &c. Et talis metus dicitur a Juristis *cadere in constantem virum*, non quod solus vir ejusdem capax sit, sed quia tantus est, ut etiam virum fortem, & alias satis constantem, terrere, conturbare, & perplexum reddere valeat; Ut tamen talis metus vere gravis dici possit, Doctores satis communiter requirunt sequentes quinque conditiones, scilicet 1. ut hujuscemodi malum vere & rationabiliter timeatur. 2. Ut is, qui malum intentat, sit potens illud exequi; secus enim sine causa timeretur vana sine viribus ira. 3. Ut alias etiam assueverit inferre, & exequi simile malum.

4. Ut illud malum a metuente de facili nequeat evitari. 5. Denique ut illud malum sit grave saltem respective; id est, respectu personae, cui hoc intentatur: quo fit, ut respectu pueri, aut puellae aut foeminae imbellis subinde reputetur metus gravis, qui respectu viri cordati neutiquam gravis diceretur, sed potius levis.

III. Metus reverentialis nuncupatur, quo filius metuit offensionem Parentum; pupillus Tutoris; subditus Superioris; uxor Mariti &c. Et hic metus, praecise secundum se sumptus, id est, quatenus praecise importat illum pudorem, verecundiam, aut confusionem, quam pati solet filius, vel subditus quando corripitur a suo Superiore &c. dicitur levis, quia hujusmodi pudor vel confusio, utpote subito transiens, non est malum tanti momenti, ut ab homine cordato debeat timeri: at vero si hujusmodi pudori aut confusioni simul accedant alia mala, utputa, si filius, aut filia praevideat se male tractatum iri a Parente, exclusum iri ab haereditate sin minus toto, saltem in tanto &c. tunc etiam timor reverentialis evadit gravis; quia revera hujusmodi austeritas, mala tractatio, continua indignatio, vel perpetua aversio Parentis &c. virum etiam cordatum rationabiliter concutere, ac perterrere potest, uti sapienter advertit Castropalao *p.* 1. *tr.* 2. *Disp.* 1. *pu.* 7. *n.* 6. Tambur. *l.* 1. *Decalog. c.* 2. *§.* 5. *n.* 8. La Croix & alii plures.

Quaeres sexto, an, vel quomodo metus causet involontarium?

31. R. Metus non causat involuntarium simpliciter sed secundum quid duntaxat; unde quod fit ex metu, fit adhuc simpliciter voluntarie, licet plerumque saltem fiat aliquo modo, & secundum quid involuntarie. Ita *communis DD.* cum S. Thoma 1. 2. *q.* 6. *a.* 6. Ratio est: quia quod fit ex metu, procedit ex deliberata ratione cum cognitione finis &c. ergo fit simpliciter voluntarie, esto fiat, plerumque contra voluntatis inclinationem, ut dum mercator timore naufragii merces projicit in mare, dum viator timore mortis latroni pecunias exsolvit, & in aliis pluribus casibus. Quin immo potest contingere, ut id quod fit ex metu, fiat etiam sine involuntario admixto, idque contingere natum est, quando metus non est totum motivum operis, ut si quis metu poenarum infernalium moveatur ad detestanda sua peccata; talis detestatio potest, immo debet esse ita voluntaria, ut excludat vere omnem affectum voluntarium ad peccandum, secus enim talis dolor non esset efficax, neque sufficiens ad obtinendam peccatorum veniam. Videatur Herinex *Disp.* 1. *n.* 22.

Quaeres septimo; quid, & quotuplex sit concupiscentia?

32. R. 1. Concupiscentia est passio, seu motus appetitus sensitivi vel prosequentis bonum delectabile, uti sunt amor, desiderium, gaudium, quae propterea dicuntur pertinere ad appetitum concupiscibilem; vel e contra fugientis malum oppositum, uti sunt odium, fuga, ira, tristitia &c. quae pertinent ad appetitum irascibilem.

33. R. Secundo Concupiscentia communiter dividitur in *antecedentem*, & *consequentem*. Antecedens dicitur illa, quae ex sola apprehensione objecti delectabilis, vel contrarii, seu afflictivi absque ulla deliberatione rationis, aut consensu voluntatis consurgit, vel etiam durat in parte sensitiva, & hoc ipso nec meriti capax est, neque demeriti.

Consequens concupiscentia appellatur, quam voluntas ex proposito, & deliberate excitat, vel imperat, vel praevie excitatam admittit, & acceptat. Ita *communiter DD.*

Quaeres octavo, an, vel quomodo concupiscentia causet involuntarium?

34. Concupiscentia (sive antecedens sit, sive consequens) non minuit, sed potius auget voluntarium imperfectum. 2. Perfectum tamen, id est, liberum, concupiscentia antecedens imminuit, & quandoque omnino tollit. Ita cum S. Thoma 1. 2. *q.* 6. *a.* 7. & Scoto 4. *dist.* 29. Sporer *ubi supra c.* 2. *a. n.* 62. Herinex *cit. disp.* 1. *a. n.* 24. Reiffenstuel. Babenstuber & alii. Ratio prioris est: quia quod fit ex concupiscentia, non fit contra, sed potius juxta inclinationem voluntatis prout experientia constat in illis praesertim, qui ex passionibus iracundiae, vel libidinis aliquid attentant: ergo

go concupiscentia non minuit, sed potius auget voluntarium saltem imperfectum. Et licet in rigore loquendo concupiscentia consequens, eo ipso, quod actum voluntatis primum consequatur, non causet illum actum in esse voluntarii, est tamen signum majoris voluntarii, uti sapienter advertit Herincx cum aliis.

Ratio autem posterioris est: quia concupiscentia antecedens vel tollit, vel certe imminuit deliberationem rationis, nec sinit intellectum sufficienter considerare circumstantias, & motiva in utramlibet partem, sed potius inclinat & trahit quodammodo in eam duntaxat partem, in quam ipsa fertur. Et hanc ob causam communi proverbio dicitur, *unumquemque judicare de rebus, sicut affectus est*. Jacobus quoque Apostolus in sua Epistola Catholica ait; *unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus*: ergo concupiscentia antecedens minuit voluntarium perfectum, vel potius liberum. Quin immo experientia teste tanta nonnunquam (etsi raro) noscitur esse vehementia concupiscentiæ & passionum inordinatarum v. g. iræ, libidinis &c. ut omnino obnubilet lumen rationis, & ea duntaxat motiva intellectum ponderare sinat, quæ suadent idemmet, ad quod inordinata passio inclinat, scilicet vindictam &c. In quo quidem casu, quemadmodum voluntas non agit ex deliberatione rationis, & cum indifferentia, sed potius necessario, & cum determinatione ad unum, ita pariter cessat omne meritum, atque demeritum, secundum *omnes*.

Quæres nono, quid, & quotuplex sit ignorantia?

35. R. 1. Ignorantia proprie dicta est privatio notitiæ in subjecto capaci, id est, tali, quod posset habere hujusmodi notitiam; etenim ubi subjectum capax non est, non habetur ignorantia, sed potius negatio scientiæ. Hanc ob causam v. g. lapis non dicitur habere ignorantiam Dei: similiter infantes, & amentes, quamdiu in hoc statu morantur, non recte dicerentur habere ignorantiam v. g. Dei, utpute incapaces ad hunc agnoscendum; sed potius dici debent habere negationem scientiæ: esto non desint Doctores, qui hanc infantium, & amentium negationem scientiæ, intitulent, *ignorantiam negativam*.

36. R. jam 2. Ignorantia proprie dicta recte dividitur 1. in ignorantiam *meræ privationis*, & *pravæ dispositionis*. 2. In Ignorantiam *juris*, & *facti*. 3. In *antecedentem*, *concomitantem*, & *consequentem*. 4. Denique in vincibilem, & invincibilem. Ita *DD. communiter*. Explico breviter singula membra.

I. Ignorantia meræ privationis est carentia notitiæ in subjecto apto; ut si homo jam adultus & ratione utens nesciat v. g. Deum esse Trinum. Ignorantia vero pravæ dispositionis appellatur, quando quis non solum caret notitia alicujus veritatis, sed positive est imbutus errore contrario; ut si v. g. non solum nesciat, Deum esse Trinum, verum insuper positive credat, eum esse unum duntaxat; propterea que ab aliis hæc ignorantia appellatur *positiva*, scilicet ob errorem positivum.

II. Ignorantia juris appellatur, dum quis caret notitia Legis sive prohibentis, sive etiam præcipientis, v. g. hodie esse jejunandum, tempore paschali esse communicandum &c.

Facti vero ignorantia dicitur, dum quis ignorat factum aliquod seu actionem particularem v. g. quod explodendo loco feræ occiderit hominem, quod loco Laici percusserit Clericum &c. item si non se reflectat, nec recordetur esum carnium esse prohibitum tali die &c. etenim nomine ignorantiæ hoc loco etiam comprehenditur oblivio, inconsideratio, & inadvertentia, uti recte monent Reiffenstuel, Sporer, aliique.

III. Ignorantia antecedens est illa, quæ prævenit omnem voluntatem tam explicitam, quam implicitam, ac proinde nullo modo, nec directe, neque indirecte voluntaria est: & hæc alio nomine dicitur *causa operis* saltem in tantum, quia si abfuisset hæc ignorantia, tale opus vel effectus nunquam fuisset secutus, v. g. nunquam explosisses, si scivisses te hominem trajecturum &c. Concomitans ignorantia est ea, quæ mere concomitanter se habet ad actum voluntatis nostræ, id est, quando id, quod agimus, ignoramus quidem, nihilominus animo ita sumus comparati, ut idem-

met faceremus, tametsi sciremus: v. g. mulier sumit medicinam, ignorans eam esse procurativam abortus, at nihilominus eandem sumpsisset, tametsi scivisset esse expulsivam foetus. Ignorantia consequens appellatur illa, quæ consequitur aliquo modo voluntatem nostram, sive dein explicitam, sive implicitam, directam, vel indirectam, proptereaque hæc ignorantia censetur esse voluntaria, & culpabilis, quando versatur circa rem scitu necessariam, veluti constat de eo, qui v. g. dubius, an non sit dies Vigiliæ, ideoque jejunii, nihilominus prætermissa omni inquisitione manducat carnes.

IV. Ignorantia invincibilis nuncupatur ea, quæ morali studio & diligentia non potuit vinci, aut deponi: tunc autem merito censetur non potuisse deponi, quando de opposito nihil incidit, nec unquam in mentem venit aliquod dubium v. g. an non sit dies jejunii? &c. vel siquidem dubium incidit, non tamen erat, qui potuisset interrogari, aut dicere veritatem: unde etiam hæc ignorantia invincibilis reipsa est ignorantia antecedens, de qua mox dictum fuit. Porro ignorantia vincibilis, seu etiam culpabilis non immerito nominatur illa, quæ morali diligentia potuisset superari, ac tolli, & acquiri notitia veritatis: & hæc ignorantia coincidit cum ignorantia consequente; quo circa adhuc

37. Notandum est, hanc ignorantiam vincibilem a Doctoribus subdistingui in *affectatam* & *non affectatam*. Affectata (alio nomine directe voluntaria nuncupata) dicitur, dum quis studio, & data opera vult ignorare, & non inquirere veritatem, sive dein ex tædio aut pigritia, sive etiam ex mera malitia id faciat, eo scilicet fine, ut stante tali ignorantia Legis possit liberius peccare. Non affectata dicitur, dum quis carentiam notitiæ in se, & directe quidem non vult, attamen non vult adhibere sufficientem, ac debitam, reique gravitati commensuratam diligentiam, ad cognoscendam veritatem; & hoc ipso hæc ignorantia convincitur saltem indirecte voluntaria. Porro si talis nullam prorsus adhibuit diligentiam veniendi in notitiam earum rerum, quæ communiter ab aliis ejusdem status & conditionis hominibus sciuntur, immo sciri debent, dicetur laborare ignorantia *supina*, aut certe *crassa*, *aut lata*: si vero aliquam quidem adhibuit diligentiam agnoscendi veritatem, non tamen sufficientem, seu commensuratam rei exigentiæ, dicetur laborare ignorantia *levi*, vel omnino *levissima* juxta majorem vel minorem diligentiam, qua usus fuit in indaganda veritate. Ita in re *communissime DD.*

Quæres 10. Quomodo ignorantia causet involuntarium?

38. R. Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter; 2. Concomitans verò non causat involuntarium positive, benè tamen *non voluntarium*. 3. Ignorantia autem consequens causat voluntarium indirecte. Ita cum *communi DD.* Reiffenstuel *tr.* 1. *dist.* 1. *n.* 42. *&* *seqq.* Ratio primi est: quia quod fit ex ignorantia antecedente supponitur nullo modo esse cognitum, immo contra inclinationem voluntatis factum: ergo fit simpliciter involuntarie. Ratio autem secundi est: quia quod fit cum ignorantia concomitante, pariter non supponitur esse cognitum: ergo nec potest supponi volitum aut voluntarium; quia tamen hoc nec fit contra, sed potius juxta inclinationem voluntatis, veluti patet in exemplo mox *num.* 36. allato, hinc etiam dici nequit involuntarium, sed potius dici debet non volitum seu non voluntarium. Ratio tertii est hæc: quia ipsamet ignorantia vincibilis seu consequens est simpliciter voluntaria, sive directe, si sit affectata, sive indirecte saltem, si est crassa, lata, aut supina &c. veluti rursus constat in exemplo mox supra allato: ergo etiam id, quod vi talis ignorantiæ fit, dici potest, ac debet simpliciter voluntarium sive directe, sive etiam indirecte, esto fateri cogamur, quod in rigore loquendo ipsa ignorantia utpote consistens in aliqua privatione, dici nequeat causa positiva illius, quod vi ignorantiæ voluntas eligit, vel imperat.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de involuntario.

CASUS PRIMUS.

Titia famula ab Hero suo frequentissime sollicitatur ad carnalia, & quia ab eodem hæc obsequia sibi liberalissime compensantur, hinc admittit quidem oscula, & tactus in partibus inhonestis, ipsam tamen copulam hactenus semper recusavit. At vero nuperrime contra suam voluntatem se ab eodem violenter oppressam conqueritur, simulque sciscitatur 1. An in hoc servitio, & occasione sibi liceat protinus perseverare? 2. An peccaverit, quod in oppressione nuper sibi illata non clamaverit, & clamando aliorum imploraverit opem, an vero licite potuerit se habere merum negative, & passive, ne herum apud suam Dominam, & alios domesticos diffamaret? Quid respondendum Titiæ?

39. R. ad primum. Per se loquendo tenetur Titia hanc occasionem deserere. Ratio est: quia revera in hoc servitio est exposita periculo proximo peccandi, veluti patebit bene ponderanti speciem facti. Enimvero minime dubitandum est, quin ab homine tam lascivo admittendo oscula, & tactus impudicos, & quidem frequenter, ut dicit, peccaverit mortaliter cooperando illius lasciviæ, esto copulam ipsam semper recusaverit (sine dubio non tam amore virtutis, quam timore infamiæ incurrendæ) at, occasionem proximam peccandi quivis tenetur deserere quamprimum moraliter potest; secus enim peccaret mortaliter, juxta dicta *in Theolog. Sacram. part. 2. c. 4. n. 102. & seqq.* ergo Titia tenetur hoc servitium deserere.

Secus dicendum foret, si moraliter loquendo hic & nunc non posset illico deserere suum Dominum; vel quia alium non potest aquirere, sicque cogeretur miserrime, & in summa egestate vivere; vel quia rationabiliter timet infamiam ex tali discessu quasi instantaneo &c. his enim stantibus Confessarius potest eam ad tempus saltem, usque dum scilicet cessaverit hæc moralis impossibilitas, relinquere in hoc loco, modo promittat, quod in posterum velit resistere pro viribus, & repudiare omne inhonestum consortium, & ex occasione hac proxima facere remotam.

R. ad secundum, Titiam probabilissime, immo moraliter certo peccasse graviter non clamando, nec implorando aliorum opem: tum quia, utpote aliunde valde lubrica veneris amica, admittendo copulam sese exposuit evidenti periculo consentiendi in hanc delectationem libidinosam; tum etiam quia fœmina stupratori tenetur resistere quantum utiliter potest, & rationabiliter debet; secus enim præsumitur saltem interpretative consensisse, & cooperari voluisse peccato: atqui Titia nostra potuisse utiliter clamare, & clamando impedire violentam oppressionem: ergo non clamando probabilissime peccavit mortaliter. Unde etiam in veteri testamento, uti habetur *Deuter. c. 22.* stuprata in domo debuit obrui lapidibus in vindictam hujus criminis, non item stuprata in agro, eo quod hæc, utpote in agro constituta, non potuisset clamando resistere, & impedire peccatum, bene tamen illa in domo constituta. Frivola proin & prorsus frigida est illa excusatio Titiæ (utinam non plurium) qua scelus suum palliare nititur, quod scilicet ideo clamare noluerit, ne herum suum diffamaret &c. frivola, inquam, est: tum quia cum tanto animæ suæ periculo non tenebatur, immo nullatenus debuit præcavere periculum diffamandi violentum aggressorem, præsertim cum is propria sua malitia sese conjecerit in tale periculum: tum etiam quia tantum abest, ut ex tali clamore fœmina se diffamet, quin potius ab omnibus summam mereatur laudem, & ob defensionem pudicitiæ revera toti Christiano orbi se summopere commendet. Videatur Sporer *cit. n. 44.*

Dices. At quid, si stuprator tali puellæ stricto pugione mortem minitaretur, casu quo clamando se diffamaret, prout tempore belli Bavarici ab aliquo libidinoso milite factum novimus, teneretur̃ne nihilominus talis puella clamare non obstante evidenti periculo mortis subeundæ?

41. R.

41. R. Cum distinctione. Vel enim talis puella prævidet moraliter, se consensuram turpi delectationi (sive dein in principio statim, sive in medio aut fine operis) vel prævidet, se non consensuram? Si secundum, tunc tametsi adhuc pro viribus exteriori corporis renisu teneatur aggressorem repellere, quantum moraliter potest, non tamen tenetur eidem repugnare cum jactura vitæ corporalis; quia hoc supposito obligaretur duntaxat præcepto affirmativo, *custodiendi scilicet suam integritatem*; quod in tanto periculo cessat obligare: Si vero primum, tunc tenetur etiam cum periculo vitæ, aut famæ clamare, & clamando repellere injustum aggressorem. Ratio est, quia hoc supposito obligaretur præcepto negativo, scilicet *non fornicandi*; quod semper, & pro semper obligat, ita, ut nullius boni spe, aut timore mali unquam liceat fornicari: fornicaretur autem, si usum corporis concederet cum consensu in ipsam delectationem: ergo &c. Ita in re P. Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 1. *a.* 3. *num.* 28. Ubi cum Reding, Mezger, & aliis pluribus ad discernendum, quanta in similibus casibus intentatæ violentiæ facienda sit resistentia, tradit sequentem regulam: 42. *Attenderit oportet* (inquit) *an quis actum ejusmodi tenetur impedire vi præcepti affirmativi tantum, vel negativi? si vi affirmativi, non statim peccat, qui non adhibet omnem resistentiam possibilem, sed sufficit adhibere convenientem habita ratione damni, periculi, & materiæ &c. si vero vi præcepti negativi, tunc vim patiens debet omnibus modis moraliter possibilibus repugnare; secus enim actus malus eidem velut indirecte saltem, & in causa voluntarius, imputabitur ad culpam. Ita Doctor cit.* Quia ergo bonum solius pudicitiæ est minoris momenti, quam sit bonum vitæ; hinc puella non tenetur pudicitiam suam tueri cum amissione vitæ, eo præsertim, quod ad servandam pudicitiam teneatur vi præcepti affirmativi duntaxat, ut jam dictum fuit: e contra quia fornicari, & consentire in illam libidinosam delectationem est malum intrinsece tale, præcepto negativo interdictum, vi cujus amittitur gratia sanctificans, & bonum animæ, quod utique longe superioris ordinis est, quam bonum corporalis vitæ; hinc tenetur etiam cum periculo vitæ stupratori resistere, si videat, se aliter bonum animæ tueri non posse. Et quia raro invenietur mulier tam fortis, quæ, licet ab initio reluctetur, postea tamen non consentiat in delectationem; hinc credo in praxi rarissime contingere, ut mulier violenter oppressa evadat sine peccato mortali.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius uxoris suæ pertæsus, fecit sponsalia clandestina cum alia; quare ut a præsenti sua uxore se liberaret, eam in itinere constitutam in quodam loco solitario globo trajecit, cumque adhuc spirantem, & cum morte quasi luctantem cerneret, famulo suo, quem velut comitem itineris secum assumpserat, sub pœna mortis illico eidem pariter inferendæ demandavit, ut spirantem dominam gladio trucidaret, trucidatam vero sine mora terræ mandaret. Quæritur an famulus in hoc casu potuerit licite obsequi suo Domino, & an metus mortis ipsum excusaverit a peccato?

43. R. Non potuisset famulus Domino suo obsequi gladio trucidando Dominam, potuit tamen licite obsequi eam post mortem terræ mandando. Ratio disparitatis est: quia defunctam terræ mandare, non est malum, sed bonum potius, aut certe de se indifferens: at, quod bonum est, vel saltem indifferens, licite facimus ex fine tam gravi, scilicet evadendi mortem, vel aliud grave malum nobis intentatum: ergo. Econtra trucidare Dominam innocentem erat malum intrinsece tale, jure naturæ atque Divino interdictum: atqui malum intrinsece tale nunquam licet committere, quantumvis gravis metus nobis intentetur, & hoc ideo, quia malum peccati incomparabiliter majus est, & damnabilius quocunque alio malo temporali nobis intentando; quemadmodum jactura vitæ spiritualis incomparabiliter major est jactura vitæ corporalis: ergo quoad hoc famulus illicite fuisset obsecutus hero suo.

Dices. Famulus in hoc casu videtur solum accelerasse mortem suæ Dominæ, utpote jam prius lethaliter vulneratæ, & certo certius morituræ ex hoc vul-

nere : atqui ex gravi causa (uti erat metus mortis) licet accelerare mortem : ergo famulus non peccavit &c.

44. R. distinguendo min. Ex gravi causa licet accelerare mortem, per actionem de se bonam, uti est v. g. baptizatio seu ablutio infantis &c. vel certe per actionem de se indifferentem, trans; per actionem de se & intrinsece malam, uti erat hæc trucidatio Dominæ a famulo facta cum & ex intentione occidendi, negatur; nam malum intrinsece tale scienter nunquam licet facere, uti jam dictum fuit.

Dices adhuc: At quid, si famulus se scivisset actu obnoxium peccato mortali, nunquid licite fuisset executus mandatum sui heri, trucidando Dominam, ne forsitan ipsusmet ab eo trucidatus incontinenti incurreret pœnam æternæ damnationis?

45. R. Non licuisset exequi hoc mandatum. Ratio semper manet eadem: quia nimirum in nullo casu licet facere id, quod intrinsece malum est: occidere autem innocentem privata auctoritate, est intrinsece malum: ergo &c. Quare si supponatur hic famulus non potuisse se aliter defendere contra suum herum, velut injustum aggressorem, v. g. eundem præveniendo, & prius occidendo, debuisset potius subire mortem, quam innocentem Dominam suam trucidare. Nec habuit, cur propterea æternam damnationem metueret; nam qui mortem libentius vult subire, quam Deum offendere, hoc ipso exercet actum charitatis præstantissimum, & ipso facto monstrat, se Deum diligere super omnia, quippe cujus amorem omnibus aliis, etiam vitæ propriæ præfert: ergo salvabitur certo, non minus, quam v. g. Cathecumenus, qui pro fidei, alteriusve virtutis defensione mortis supplicium perfert.

Fatendum nihilominus est, quod, si famulus fuisset recordatus sui status & peccatorum mortalium, debuisset omnimodis conari ad contritionem perfectam, aut saltem imperfectam, quippe quæ cum Martyrio probabiliter sufficit ad obtinendam justificationis gratiam, veluti cum Cardinale de Lauræa, Mastrio, & aliis pluribus diximus *part. 1. Theolog. Sacram. ubi de Baptis. Confer. 4. num. 6.*

CASUS TERTIUS.

Cajus Sempronio familiarissimo persuasit, ut secum pergeret venatum, asserens se certo scire miræ magnitudinis cervum haud procul inde in quodam dumeto latitare. Cumque ad præfatum locum pervenissent, Cajus jubet Sempronium cum bombarda foras subsistere, ipse vero ingreditur dumetum illud, cervum expulsurus. Dictum, factum. Vixdum enim Cajus erat ingressus, & ecce fera fugitiva inde erupit, quam Sempronius globo petiit, sed ita infauste, ut præter cervum simul trajecerit Cajum. Quæritur jam 1. An Sempronius in hoc facto deliquerit? 2. An ut feripeta simul, & homicida puniri possit?

46. R. Ad primum. Sempronius ut feripeta quidem peccavit; quia scienter (ut suppono) egit contra justam prohibitionem Principis, vel Domini territorialis: non tamen deliquit formaliter ut homicida. Ratio est: quia hoc fuit homicidium merum casualiter, utpote præter, immo contra voluntatem & consensum Sempronii factum, prout vel ex eo colligere licet, quod, quamprimum advertit se Cajum simul cum cervo trajecisse, summopere doluerit, & ingemuerit. Ceterum, an Sempronius ut feripeta graviter deliquerit, non est adeo certum; nam Lessius, Tannerus, & Lugo *de jure & justit. disp. 6. sect. 7.* relati a Reiffenstuel *Theolog. Mor. tr. 7. disp. 5. n. 17.* existimant, non esse peccatum mortale, unam, alteramve feram petere, vel capere, nisi forsitan quis ex officio, & ob datum salarium esset obligatus ad restituendas Domino suo hujuscemodi feras captas: mihi tamen probabilissimum videtur, quod feripetæ saltem plerumque, & regulariter graviter delinquant; tum quia in materia gravi agunt contra justam prohibitionem Principis, aut Domini territorialis, tum etiam, quia semper subest periculum saltem habituale, ne vel Dominum, vel se suamque familiam graviter damnificent. Quam ob rem feripetas a Confessario semper dehortandos, & suo modo reprehendendos, jam

jam semel monuimus alibi. Ex his.

47. R. Jam ad secundum. Sempronius nequit puniri pœna ordinaria pro homicidis decreta, scilicet ultimo supplicio: immo in foro interno, saltem ante sententiam Judicis, nullius pœnæ reus est. Ratio primi est: quia pœna ordinaria (ultimi scilicet supplicii) iis duntaxat decernitur, qui homicidium *ex proposito, & dolo* perpetrant; *l. qua actione 7. ad leg. Aquil. de Sicar.* item *l. in lege 7. ff. ad leg. Cornel. eod. tit.* Atqui certum est hoc homicidium a Sempronio non fuisse factum ex proposito, aut dolo: ergo &c. Ratio autem secundi est, quia eo ipso, quod hoc homicidium in foro conscientiæ nullatenus fuerit culpabile, nec indirecte quidem voluntarium, utpote nullatenus prævisum, vacat omni culpa; consequenter & omni pœna.

Nec dici potest Sempronium in foro interno esse culpabilem eo, quod hoc homicidium non satis præcaverit, neque adhibuerit diligentiam possibilem ad illud vitandum; quia cum nullatenus advertit periculum homicidii, non potuit, conseqnenter nec debuit hic & nunc illud præcavere: unde in foro conscientiæ neque irregularitatem incurrit, neque ullam excommunicationem, suspensionem, vel reservationem &c. quidquid demum sit de foro externo, in quo fortassis adhuc puniretur a Judice pœna arbitraria; tum quod vacaverit operi illicito; tum etiam quia præsumeretur aliquam culpam, seu etiam negligentiam saltem politicam admisisse. Videatur de hoc Reiffenstuel *l. 5. Decret. tr. 12. §. 5. a num.* 176. Herincx *part. 2. tr. 2. disp. 1. n. 32.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

48. COlliges primo, quod, quemadmodum secundum dicta nullus metus, quantumvis gravis, tollit voluntarium simpliciter; ita pariter nullus per se loquendo excuset a peccato, esto illud minuat, in quantum actum humanum suo modo, saltem secundum quid, reddit involuntarium. Nihilominus subinde per accidens potest metus excusare a peccato; vel quia tantus est, ut turbet usum rationis, & deliberationem necessariam ad actum humanum, vel etiam quia gravitas mali imminentis tanta est, ut hic & nunc cesset obligare lex. Quare si v. g. propter auditionem sacri, vel observantiam jejunii rationabiliter timeas grave damnum, sive corporis, sive animæ, non peccas omittendo propterea Sacrum, vel non jejunando, uti dicitur *cap. consilium de observat. jejun.* Ratio est, quia Ecclesia velut pia Mater cum tanto damno, aut damni periculo non vult constringere filios suos. Et idem contingit in aliis Legibus tum Ecclesiasticis, tum etiam Civilibus, uti contra Durandum, Cajetanum, & nonnullos alios recte advertit Babenstuber *cit. a. 3. num.* 43.

49. Colliges secundo, nullum metum excusare ab observantia præceptorum naturalium negativorum. Ita communis & certa DD. sententia, conformis *cap. sacris de his, quæ vi, metusve causa fiunt.* Ratio est: quia per hæc præcepta naturalia prohibentur actus intrinsece mali: atqui actus intrinsece malus scienter nunquam licite fit. Unde non obstante quocunque metu mortis illicite adoraretur idolum, illicite quoque committeretur adulterium, fornicatio &c.

50. Dictum tamen fuit: ab observantia præceptorum *naturalium negativorum &c.* Nam instante metu gravi subinde licite aliquid intermittitur, quod præcepto *naturali positivo* duntaxat esset faciendum, veluti constare debet ex dictis *n.* 41. de puella non defendente suam pudicitiam ob periculum mortis subeundæ &c. & ratio fundamentalis est: quia licet vi præceptorum naturalium affirmativorum præcipiantur actus intrinsece boni & honesti, ea tamen noscitur esse natura horum præceptorum, quod, esto semper, non tamen pro semper obligent. Videatur P. Mezger *tr. 4. disp. 7. a. 2. n. 15.*

Colliges tertio, a fortiori neque præcepta divina *positiva* obligare pro semper; immo vero neque præcepta mere *divina negativa* pro semper obligant. Ratio est: quia per præcepta mere positiva non præcipitur materia intrinsece bona, nec semper vi negativorum prohibetur materia intrinsece mala vel inhonesta: ergo potest

test Deus in his dispensare; immo actu nonnunquam jam dispensasse constat ex sacris paginis 1. *Reg.* 15. ubi David cum pueris suis legitur manducasse panes propositionis, quibus alias vesci prohibitum erat Laicis; & tamen in hoc facto non peccasse innuit æterna veritas *Matth.* 12. similiter discipuli die Sabbati spicas collegisse leguntur, & Machabæos pugnasse; quæ omnia ex necessitate urgente honestabantur, ut tradit D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *a.* 8. & 3. *p.q.*40. *art.* 4. *ad tertium.* Suarez *l.* 3. *de Leg. c.* 30. *n.* 6. Vasquez, Bonacina, & alii plures.

At, inquies, undenam colligendum, quod in casu particulari ob gravem metum cesset, vel non cesset obligatio præcepti divini?

52. R. Ad hoc discernendum attendi debet, an ejusmodi præceptum respiciat particularem ac propriam utilitatem operantis, an vero respiciat bonum commune? Si primum, tunc non obligat cum vitæ, vel alterius gravis jacturæ, aut damni periculo; veluti patet de præcepto materialiter integre confitendi, item in præcepto de præmittenda Confessione Sacræ communioni, quæ in hujuscemodi casu cessant obligare. Si secundum, tunc servandum est præceptum, tametsi propterea subeunda esset mors ipsa; veluti rursus constat de præcepto servandi, & nunquam violandi Sigillum Confessionis Sacramentalis, item de Consecratione facienda sub utraque specie &c. quæ non cessant obligare, eo, quod bonum commune Religionis præferendum sit cujusvis incommodo, aut damno particulari, uti etiam in aliis pluribus Legibus mere humanis specificari posset. Videatur Castropalao *tr.* 2. *disp.* 1. *punct.* 13. *n.* 7.

53. Colliges quarto, peccata quæ ex aliqua passione fiunt, ceteris paribus esse leviora iis, quæ fiunt sine passione prædominante, & ex mera malitia. Ratio est: quia quo vehementior est passio hominem agitans, eo minor est libertas, uti dictum *n.* 34. at ubi minuitur libertas, ibi etiam minuitur malitia: ergo. Hac de causa facilius ignoscendum putamus illi, qui v. g. vehementi passione iracundiæ, aut libidinis agitatus aliquid tentavit, quam qui ex mera malitia deliquit: & ob eandem rationem facilius relaxantur vota & juramenta ex impulsu passionis, quam sine tali impulsu facta, uti recte advertit Castropalao mox *cit. punct.* 5. *n.* 2. referens pro eadem opinione D. Thomam, Medinam, & Vasquez.

54. Colliges quinto, ignorantiam invincibilem, sive facti sit, sive juris statuentis pœnam, excusare a pœna. Ita omnes. Ratio est facilis: quia talis ignorantia excusat ob omni culpa, consequenter etiam ab omni pœna, quippe quæ non nisi propter culpam decernitur, aut infligitur. Ob eandem rationem Sanchez *lib.* 9. *de Matr. disp.* 32. *n.* 29. cum Corduba, Cajetano & aliis pluribus recte docet, ignorantiam quæ excusat ut transgressio Canonis non sit mortalis, sed venialis duntaxat, pariter excusare ab excommunicatione, & aliis pœnis ob delictum impositis, utputa ab irregularitate ex delicto, suspensione, & interdicto &c. & idem dicendum est pro foro conscientiæ de aliis pœnis, a quocunque demum statutis: quia pœna dedet esse commensurata culpæ: ergo ubi hæc non fuit gravis, sed levis duntaxat, pariter pæna gravis locum habere non potest.

55. Dictum tamen fuit: *Ignorantia invincibilis*; nam vincibilis ignorantia, si est crassa, aut supina, non excusat a pœna etiam gravi (nisi hæc sit lata in scienter, ac temerarie delinquentes.) Ita *communis* DD. Ratio desumitur *ex cap.* 2. *de constitut. in* 6. ubi Pontifex Bonifacius VIII. delinquentes ex ignorantia eximit a pœnis quorumcunque Ordinatiorum, cum hac tamen conditione, & clausula: *Dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Et merito; nam ignorantia crassa vel supina non excusat a culpa gravi: ergo talis potest puniri graviter.

56. Dictum fuit rursus per parenthesin: *Nisi pœna sit lata in scienter, ac temerarie delinquentes*; etenim quando pœna statuitur sub his aut similibus terminis: *qui scienter, temerarie, ausu temerario contra fecerit*; vel *contra facere ausus fuerit*, vel *præsumpserit &c.* tunc etiam ignorantia crassa & supina excusat, non tamen excusat affectata, saltem si hæc sit conjuncta cum ingenti temeritate & contemptu. Ita ex *communi* DD.

Castropalao ubi supra *pu.* 18. *n.* 1. Laymann *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 20. *n.* 2. Bonacina *de censur. disp.* 1. *q.* 2. *pu.* 1. *n.* 11. Kazenberger *in supplem.* 1. *P. Sargar Confer.* 43. *n.* 43. Ratio est: quia quisquis operatur ex ignorantia dici non debet deliquisse *scienter*, nisi tunc, quando ignorantia fuit omnino affectata, & cum ingenti temeritate conjuncta; hæc enim æquiparatur scientiæ: ergo pœnam in *scienter* delinquentes latam nemo incurrit, nisi peccaverit ex ignorantia affectata &c. &c. non item qui peccavit duntaxat ex ignorantia crassa, lata, aut supina &c.

Dices adhuc. At quid tenendum de eo, qui ignoravit solam pœnam, non item Legem prohibentem, aut factum Lege prohibitum?

57. R. Talis probabilissime adhuc incurrit pœnam. Ita Molina *tr.* 5. *de just. disp.* 71. Sanchez, Laymann & alii contra Castropalaum, Illsung & nonnullos, quorum sententiam Babenstuber vocat etiam probabilem. Ratio nostræ responsionis est: quia ex communi sensu & persuasione hominum justæ Legis transgressorem juste puniri putamus aliqua pœna saltem moderata, & proportionata gravitati culpæ: ergo qui Legem aliquam scienter transgreditur, eo ipso censetur saltem implicite consentire in pœnam aliquam subeundam.

58. Excipiunt rursus Doctores: *Nisi talis pœna sit censura* Ecclesiastica, aut, *nisi sit omnino exorbitans delicto*. Ita Sporer *tr.* 1. *c.* 2. *n.* 39. eumque secutus Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 1. *a.* 3. *n.* 20. & 21. Rationem prioris dant hanc: quia ad incurrendam censuram Ecclesiasticam debet in delinquente supponi contumacia: hæc autem non recte supponitur in eo, qui pœnam ignorat (ignorantia non crassa vel affectata, ait Babenstuber *l. cit.*) esto Legem cum comminatione pœnæ non ignoret: ergo. Rationem vero posterioris afferunt hanc: quia si pœna est valde gravis & omnino exorbitans respectu delicti, tunc ignorans nequit prudenter præsumi, quod voluerit vi suæ transgressionis eidem se subjicere. Ita *DD. cit.*

CONFERENTIA TERTIA

De bonitate, & malitia actuum humanorum.

SUMMARIUM.

bere familiariorem, ac licentiosiorem quodammodo: insuper

76. Filiæ suæ consuluit, ut sponso suo blandiatur, oscula, & alia lenimenta admittat &c.

77. An sponsis de futuro liceant oscula, vel tractus &c.?

8. Resolvitur Casus III. De quodam juvene, veneri apprime dedito, & sæpius confitente eo animo, ut suo Moderatori placeret.

79. Quid de valore similium Confessionum tenendum?

80. Et quale Judicium ferendum de peccatis carnalibus ab eodem commissis?

81. In eodem actu non raro concurrunt plures malitiæ specie distinctæ.

82. Idem tamen actus nequit simul esse bonus moraliter, & malus.

83. Et quid, si fiat ex duplici fine, quorum unus bonus, alter vero malus est?

84: Nihil obstat, quo minus idem actus de bono evadat moraliter malus.

85. Bonitas solius finis non sufficiat ad reddendum actum moraliter bonum.

86. Probabilissime est possibilis actus humanus in individuo indifferens.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de bonitate & malitia actuum humanorum.

Quæres primo in quo consistat bonitas moralis actus humani?

59. R. Bonitas moralis consistit in convenientia, seu conformitate actus cum natura rationali qua tali, id est, operante ex ratione: hæc vero convenientia importat integritatem omnium eorum, quæ actui secundum regulas morum sunt debita. Ita in re Scotus 2. *dist.* 40. *q. un.* quem sequuntur Herincx *p.* 2. *tr.* 2. *disp.* 3. *n.* 3. & *seqq.* Sporer *tr.* 1. *c.* 3. *n.* 1. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 1. *disp.* 2. *n.* 7. & *alii* satis *communiter*. Ratio est: quia actus moralis ideo dicitur bonus, quia decet naturam rationalem, eidemque specialiter convenit, velut laude, ac præmio dignus: atqui ideo actus humanus naturam rationalem decet, eidemque specialiter convenit velut laude dignus, quia eidem qua tali, id est, qua ratione utenti convenit, & ideo reputatur huic conformis, & conveniens, quia habet integritatem omnium, quæ eidem secundum rectam rationem, & regulas morum debentur, utputa objectum, & finem honestum, debitisque circumstantiis temporis, loci &c. vestitus est: ergo in hac convenientia, & integritate bene statuitur bonitas moralis; quemadmodum bonitas naturalis v. g. corporis humani recte statuitur in integritate, seu aggregatione omnium eorum, quæ corpus humanum ad suam constitutionem naturaliter exigit.

Quæres secundo, in quo consistat malitia moralis actus humani?

60. R. Hæc consistit in disconvenientia actus ad creaturam rationalem qua talem: hæc autem disconvenientia importat privationem, seu etiam defectum omnium, vel saltem unius eorum, quæ actui humano secundum dictamen rectæ rationis inesse debent. Ita rursus Doctores *citt.*, nominatim Herincx *l. cit. n.* 6. Ratio desumitur a contrario: actus enim humanus ideo recte appellatur inhonestus, & moraliter malus, quia dedecet naturam rationalem, proptereaque vituperio, vel castigatione est dignus: atqui ideo hanc dedecet, & est dignus vituperio, quia caret saltem aliquo ad ejus integritatem requisito, utputa objecto, aut fine bono, vel quia alia circumstantia vitiosa est vestitus, & factus (vel etiam omissus) contra dictamen rectæ rationis: ergo malitia moralis recte constituitur in hac disconvenientia, difformitate vel potius privatione conformitatis ad rectam rationem. Scio equidem, Doctores multum desudare in assignando formali constitutivo malitiæ moralis, sed quia practica sectari statuimus, ideo hanc controversiam, utpote nihil facientem ad praxin, operosius discutiendam relinquimus Scholasticis.

Quæres tertio, quibus ex capitibus actus humanus suam bonitatem vel malitiam moralem desumat?

61. R. Actus humanus illam desumit ex triplici capite vel fonte, scilicet 1 ex objecto. 2. ex fine extrinseco, & 3 ex circumstantiis. Ita rursus Doctor sub-

ſubtilis 2. *diſp.* 40. & cum eo *communiſſime* Theologi. Ratio facile deducitur ex proxime dictis; nam ideo actus humanus dicitur moraliter bonus, quia eſt factus conformiter ad dictamen rectæ rationis: atqui tunc appellatur & cenſetur factus conformiter rectæ rationi; quando tendit in objectum honeſtum, id eſt, decens creaturam rationalem, ſimulque factus eſt ex bono fine, & nulla alia circumſtantia; utpote loci aut temporis indebiti veſtitus: e contra ſi vel uno ex his careat, jam non amplius honeſtus, bonus & laudabilis, ſed potius vituperabilis habetur in prudenti æſtimatione hominum, juxta illud effatum D. Dionyſii *lib. de Divin. Num. cap.* 4. a Doctoribus communiter receptum: *Bonum eſt ex integra cauſa, malum vero ex quolibet defectu*: ergo ex his tribus capitibus recte deſumitur bonitas, & malitia moralis.

62. Illud tamen animadvertendum hic occurrit, quod actus in genere moris non ſpecificetur ab objecto ſuo prout hoc eſt a parte rei, ſed prout ſubſtat cognitioni, & dictamini practico intellectus; cujus ratio eſt: quia dictamen practicum prudens conſcientiæ noſtræ eſt regula proxima, per quam Deus circa agenda, vel non agenda nos dirigit, & illuminat, juxta *illud Pſalmi quarti*; *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*: ergo ſi ratio practica prudenter dictet, aliquod objectum eſſe bonum & honeſtum, ſeu conveniens rectæ rationi, illudque voluntas qua tale amplectitur, bene operatur, quantum eſt ex hoc capite: tametſi objectum a parte rei non eſſet honeſtum, ſed omnino inhoneſtum. Hac de cauſa bene operatur, qui adorat hoſtiam, quam prudenter credit fuiſſe conſecratam, etſi reipſa conſecrata non eſſet &c. & ſic loquendo de innumeris aliis.

Quæres quarto qualem bonitatem, vel malitiam actus humanus ab objecto deſumat?

63. R. Actus humanus ab objecto deſumit malitiam, vel bonitatem primariam, ſpecificam, & ſuo modo eſſentialem. Ita *communis DD.* Ratio eſt: quia quemadmodum forma naturalis ſe habet in ordine ad compoſitum intrinſece ſpecificandum; ita ſe habet objectum in ordine ad actum humanum extrinſece ſpecificandum: ergo ſicut forma naturalis v. g. ignis, tribuit compoſito ſpeciem primam & eſſentialem in eſſe naturæ, ita objectum tribuit actui morali bonitatem vel malitiam in genere moris. Inde eſt, quod *Oſeæ* 9. *c.* dicatur de peccatoribus: *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt*: Cui conſonat D. Auguſt. *tr.* 2. *in Joan.* dicens: *Si terram diligis, terra es: ſi Deum diligis, quid dicam? Deus eris*.

64. Quæres quinto, qualem bonitatem, vel malitiam actus humanus deſumat, tum a fine extrinſeco, tum etiam a circumſtantiis?

Ante reſponſionem notandum, nomine finis hic intelligi id, cujus gratia aliquid fit. Porro alius dicitur finis intrinſecus: & alius extrinſecus. Intrinſecus appellatur ille, ad quem opus ex ſua natura ordinatur: Sic finis intrinſecus v. g. medicinæ, eſt ſanitas; & finis intrinſecus Eleemoſynæ eſt ſublevatio alienæ indigentiæ, utpote ad quam Eleemoſyna ex ſua natura ordinatur, proptereaque etiam alio nomine iſte ſolet dici *finis operis*. E contra finis extrinſecus dicitur ille, quem operans ſibi præfigit, tametſi opus ex ſe ad talem finem minime ſit inſtitutum; ut ſi quis Eleemoſynam det ad obtinendam peccatorum ſuorum remiſſionem, vel pro impetrando carnali commercio ab inope puella &c. quo Eleemoſyna ex ſua natura minime ordinatur; unde etiam hujuſcemodi finis merito appellatur mere *extrinceſe & finis operantis*. Hoc jam ſuppoſito, ad quæſitum

65. R. Actus humanus tum a fine extrinſeco, tum etiam a circumſtantiis qua talibus deſumit bonitatem, vel malitiam accidentalem duntaxat, & ſecundariam. Ita rurſus *communiter DD.* Ratio eſt: quia hæc bonitas, vel malitia jam ſupponit aliam ex objecto derivatam in actum, poſſetque adeſſe, vel abeſſe, ſalva bonitate illa, vel malitia ex objecto petita: ergo recte appellatur accidentalis & ſecundaria, ut de ſe liquet. Quod vero abeſſe poſſit, patet in caſu, quo quis furatur v. g. Calicem ex Eccleſia, eo fine ut libe-

rius possit indulgere genio, aut Baccho; hoc enim furtum participat suam primariam & essentialem malitiam ex suo objecto, id est, ex contrectatione rei alienæ, quæ furto in genere moris dicitur essentialis, quatenus essentialiter repugnat dari, aut fieri furtum, sine contrectatione rei alienæ: quia tamen potuisset fieri sine contrectatione rei Sacræ, & ex alio fine; hinc profecto liquet, malitiam ex hoc fine, vel hac circumstantia rei Sacræ desumptam non esse, nisi merum accidentalem & secundariam. Videatur Reiffenstuel *tr.* 1. *disp.* 2. *n.* 10.

66. Dictum tamen fuit: *a fine extrinseco, & circumstantiis qua talibus &c.* ad innuendum, quod ex his etiam subinde derivari possit in actum quædam primaria bonitas, aut malitia, ut si in casu mox dato fur intendisset auferre calicem, quia est res Sacra &c. item quando objectum, in quod actus tendit, est de se omnimo indifferens; uti sunt v. g. ambulare, edere, bibere &c. nam hoc ipso, quod hujusmodi actus ex se nullam habeant bonitatem, aut malitiam, necessum est ut hanc sortiantur ex circumstantiis vel fine extrinseco: sicut revera evadunt boni, si ex bono, & mali, si ex malo fine fiant. Verum in tali casu finis, aut circumstantiæ utpote per se intentæ suo modo desinunt esse circumstantiæ in genere moris, & induunt rationem objecti, veluti recte advertit Scotus *q.* 4. *prologi*.

Id, quod vel maxime verum est respectu actus interni, qui a fine suam bonitatem aut malitiam primariam desumere solet, propterea, quod omnis actus specificetur, non tam ab objecto materiali in quod tendit, quam a formali, secundum quod tendit in illud: atqui finis intentus est verissime objectum, & motivum formale, propter quod voluntas actu interno vult mediante actu externo tendere in tale objectum: ergo actus internus merito censetur suam primariam & specificam bonitatem aut malitiam desumere a fine, in quem tendit. Hanc ob causam Aristoteles 5. *Ethic. c.* 2. dixit eum, qui furatur adulterandi gratia, magis adulterum esse, quam furem. Videatur P. Sporer *tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 11.

Quæres sexto quo modo bonitas, vel malitia debeat esse volita seu intenta ad hoc, ut in actum humanum refundatur?

67. R. Ad hoc ut malitia refundatur in actum, minime necessum est, ut hæc per se, & directe sit volita, sed sufficit, eam esse volitam indirecte: e contra tamen 2. ad hoc, ut bonitas in actum derivetur, non sufficit, hanc esse interpretative, & indirecte duntaxat intentam, sed debet esse directe volita. Ita Scotus *quodl.* 18. Mastrius *in sentent. disp.* 5. *n.* 194. Herincx *ubi supra disp.* 3. *n.* 54. & *seqq.* aliique DD. passim. Ratio prioris est: quia malum qua tale non est appetibile; nam *nemo intendens ad malum* (id est, intuitu mali qua talis) *operatur*, juxta axioma communiter receptum: ergo ad hoc, ut actus evadat moraliter malus, sufficit quod malitia objecti, finis, vel circumstantiarum sit cognita, & nihilominus voluntas consenserit in talem actum: hoc ipso enim convincitur voluisse operari malum, veluti patet de eo, qui v. g. scienter accedit ad non suam. Et licet talis protestaretur, se nolle habere rem cum aliena. quatenus aliena &c. talis tamen protestatio convincitur prorsus frivola, & inefficax, utpote contraria facto, quod voluntas amplectitur, non obstante quod agnoverit malitiam necessario connexam. Ratio autem posterioris desumitur partim ex auctoritate D. Thomæ *q.* 19. *art.* 7. *ad* 3. dicentis: *ut voluntas sit bona requiritur quod sit sub ratione boni*, & Philosophus 2. *Ethic.* 4. docet *actum virtutis debere esse a sciente & eligente propter ipsam virtutem*; tum ex eo etiam: quia objectum potest appeti propter varias rationes, ut de se liquet: ergo objectum nequit actui tribuere aliquam bonitatem moralem, nisi propter bonitatem fiat.

68. Idque præcipue verum est, quando actus ex se & suo objecto est indifferens, veluti sunt *ambulare*, *discurrere*, *comedere &c.* cum enim hujuscemodi actus ex se nullam præseferant bonitatem moralem, necessum omnino est, ut hanc sortiantur aliunde, utputa ex fine extrinseco bono & honesto, uti dictum *n.* 66. atqui finis extrinsecus, eo ipso, quod

extrinsecus sit, non tribuit actui bonitatem, nisi sit per se, & directe intentus: Unde v. g. comestio, vel deambulatio semper manebit indifferens, neque evadet unquam bona aut honesta in genere moris, nisi fiat ex honesto, & positive bono fine, uti recte tenet Scotus *quodl.* 18. §. *de primo*. Mastrius *ubi supr. disp.* 1. *n.* 199.

At (inquies) necessumne est, ut honestas & bonitas illa semper explicite, & reflexe intendatur?

69. R. Hoc non esse necessarium, sed sufficit, eam aliquo modo implicito saltem, & æquivalenti appeti; id est: sufficit, actum fuisse apprehensum, & agnitum velut laudabilem Deo placitum, vel præmio dignum, sicque illum fieri de bona voluntate. Inde sequitur, quod Religiosus exequendo voluntatem sui Superioris, eo quod sciat, hujuscemodi executionem esse honestam, ac debitam, adhuc exerceat actum obedientiæ, tametsi reflexe non dicat, aut cogitet, quod ideo velit hoc, vel illud exequi, quia honestum, vel præceptum est. Et hoc Christus Dominus satis perspicue nobis innuit apud *Matth. c.* 10. dicendo: *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam*. Videatur Herincx *cit. disp.* 3. *n.* 56. Reiffenstuel *tr.* 1. *dist.* 2. *num.* 24.

Quæres septimo, utrum actus externus superaddat distinctam bonitatem, aut malitiam actui interno, v. g. furtum opere consummatum voluntati furandi?

70. R. Probabilissime superaddit. Ita tenet Scotus 2. *dist.* 42. *q.* 4. & rursus *quodl.* 18. §. *de tertio principali*, quem sequuntur Scotistæ communiter, paucis exceptis contra TT. ac RR. Ratio fundamentalis hæc est: quia bonitas moralis consistit in conformitate actus ad rectam rationem, vel Legem, juxta dicta *n.* 59. atqui actus externus habet specialem conformitatem ab ea, quam habet actus internus, velut inde patet, quia non sola voluntas v. g. fornicandi, aut furandi prohibita est, sed vel maxime etiam fornicatio aut furtum opere externo consummatum. Rursus certum esse debet, quod actus externus sæpe sæpius importet speciale obsequium, & gloriam Dei, veluti rursus liquet in professione externa fidei, & in perpessione Martyrii; melius enim facit, qui actu exteriori fidem profitetur, aut pro hujus defensione Martyrium suffert, quam qui solum habet propositum internum profitendi fidem, vel sufferendi Martyrium: propter eaque talis Martyr speciale præmium accidentale, Laureolam scilicet Martyrum promeretur: atqui nullum præmium speciale datur nisi propter meritum speciale, nec ullum datur speciale meritum sine bonitate speciali: ergo concludendum videtur, quod, licet bonitas vel malitia moralis primario sit in actu voluntatis interno, nihilominus dependenter ab hoc actu interno possit etjam in externo reperiri aliqua specialis bonitas, vel malitia. Hac de causa S. Augustinus *lib.* 13. *de Trinit c.* 5. ait: *mala voluntate vel sola quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur*. Et Glossa in illud *Exod. c.* 20. *v.* 14. *non Mœchaberis*. ita habet: *Qui opus adjicit voluntati, iniquitatem addit iniquitati*. Liquet proin, hanc opinionem esse satis probabilem, utpote nixam & ratione, & auctoritate. Verum cum sit magis speculativa, quam practica, hinc fusiorem hujus discussionem Scholasticis relinquimus; illud quippe certum & omnibus exploratum habetur, quod in praxi, seu in confessione actus etiam externus sit explicandus, saltem tunc, quando is in suo fieri adhuc fuit liber, velut satis clare colligitur ex Decreto Alexandri VII. edito 1665. in quo sequentem *num.* 25. propositionem damnavit. *Qui habet copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam*.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici concernentes bonitatem, & malitiam actuum humanorum ex objecto, & fine desumptam.

CASUS PRIMUS.

Titia ab aliquo seducta & quasi violenter inducta ad peccandum, ingenue fatetur 1. quod ab illo tempore nullam prorsus devotionem internam senserit, protereaque horribiliter nedum contra seductorem illum, verum insuper contra Deum ipsum iracundia exarserit, eo quod is permiserit hujuscemodi tentationen, & lapsum; quam ob rem, 2. efficaciter proposuit, quod deinceps nullam amplius occasionem peccandi velit vitare, neque ullum præceptum servare nisi ad summum pro foro externo, in quantum opus foret ad conservandam existimationem & bonam famam apud homines: quodque caput rei est, fatetur ingenue, se hoc suum propositum hactenus per plures jam annos inviolabiter servasse. Quid Confessarius judicabit? & quid aget cum tali pænitente?

71. R. ad primum. Generaliter loquendo de tali pœnitente judicandum, quod sit in pessimo statu, & ut ad hunc casum particularem propius accedamus, concludendum in primis est, Titiam, non obstante illa tentationis vehementia probabilius graviter deliquisse, & consensisse delectationi, gratiaque divina excidisse; hujus quippe rei haud obscurum argumentum est, quod ab eo tempore nullam amplius senserit devotionem internam, immo vero exinde illico in alia gravissima peccata, & desperata quasi proposita prolapsa fuerit; etsi fatendum, quod subtractio illa devotionis internæ, utpote non tam ex voluntate nostra, quam a gratia divina excitante dependentis, peccatum non sit, sed potius peccati commissi index in talibus circumstantiis. Ceterum si contra seductorem illum excanduit ob violentiam sibi intentatam, utique non peccavit; nam vitia sive nostra sint, sive aliena, nunquam non sancte detestamur & abominamur. Nihilominus gravissime deliquit irascendo contra Deum ipsum, qui hujuscemodi tentationem, utique justissime permisit. Porro gravius deliquisse censenda est ex eo, quod efficaciter proposuerit deinceps nullam occasionem peccandi recusare, neque ullum amplius præceptum servare; nam quemadmodum propositum *omnia præcepta servandi, & Deo per omnia placendi &c.* est actus honestissimus, ita sane propositum *nullum amplius præceptum observandi*, malitiosissimum sit, necessum est: etsi tale propositum non sit dicendum peccatum alicujus certæ speciei, sed potius speciei innominatæ, veluti recte docet P. Herincx *p. 2. tr. 2. disp. 3. n.* 51. Illud vero, quod Titia asserit, scilicet se hactenus hoc suum peopositum sancte observasse altiori certe indagine dignum est. Unde

72. R. ad secundum quæsitum, quod Confessarius nequeat esse contentus hac accusatione, utpote facta in terminis nimis generalibus; sed debet necessario inquirere 1. quoties, & quibus Titia corporis sui potestatem fecerit, an scilicet solutis, vel maritatis; 2. An non ipsa saltem subinde præbuerit occasionem peccandi: id enim de peccatrice tam habituata & inveterata prudenter suspicari licet. 3. An non subinde impediverit generationem. 4. Insuper, quantum moraliter loquendo fieri potest, debet illam examinare per reliqua præcepta decalogi, & Ecclesiæ, quomodo, & quoties circiter ea fuerit prævaricata. Ratio est: quia juxta communissimam Theologorum Doctrinam Confessarius tenetur indagare 1. numerum 2. Speciem peccatorum, & 3. insuper circumstantias saltem speciem mutantes, nisi pœnitens se ipsum satis exprimat, veluti diximus *Theolog. Sacram. p. 2. Confer. 17. n.* 432. atqui Titia non satis expressit numerum, neque species vel circumstantias peccatorum suorum, veluti consideranti facile patebit, ergo quoad hæc exactius fuit examinanda.

Dices fortassis. Non videtur possibile, ut Confessarius ad hoc omnia tam exacte se illico reflectat, & pœnitentem desuper examinet; nunquid ergo consultius faceret talem pœnitentem saltem dimittendo sine absolutione, tum ut, ipse accuratius in sua delicta indaget tum etiam ut Confessarius interea ma-

maturius eliberare possit, quidnam circa hunc pœnitentem in individuo observandum, specialiter inquirendum, aut magis expediens pro salute animæ eidem consulendum sit?

73. R. Hæc difficilia quidem esse, non tamen impossibilia cum ordinaria DEI gratia; quod enim oporteat nedum peccatorum species, verum insuper numerum, & circumstantias speciem mutantes indagare; nullus credo, vel mediocriter tinctus in moralibus ignorabit. Si vero subinde contingat nos in his, aut similibus explorandis ex inadvertentia, oblivione, aliave fragilitate humana deficere, noverit utique clementissimus DEUS labilitati nostræ misericorditer condescendere. Ceterum non diffiteor, per se loquendo hujuscemodi pœnitentes esse dimittendos ad aliquot tempus ad melius sese examinandos, modo appareat certa spes, quod sint denuo redituri ad Confessionale: at vero quia tales sive ex tentatione diabolica, sive ex tædio laboris, aut timore confusionis subeundæ tam facile non solent reverti, prout certa experientia compertum habemus, nedum in hoc ipso, sed & in aliis pluribus casibus, hinc consultius videtur, ut Confessarius (nisi aliunde certa spes reditus appareat) illico conetur pœnitentem modo præfato examinare, & disponere ad absolutionem, præsertim si urgeat præceptum communionis paschalis, vel indulgentiæ lucrandæ v. g. Jubilæi &c. præcipue tamen conetur illum disponere ad veram contritionem, & ad propositum efficax, moneatque, ut postea sese denuo examinet, & siquidem fuerit recordatus alicujus peccati gravis nunquam adhuc confessi, illud in proxima confessione clavibus subjiciat. Cudendum enim est ferrum, dum calet, inquit sapienter noster P. Sporer in suo *Tyrocin. Sacr. part.* 3. *n.* 516. Vide etiam quæ diximus *Theolog. Sacrament. p.* 2. *Confer.* 10. *n.* 269.

CASUS SECUNDUS.

S*Empronia ad impediendas rixas, & juramenta, ad quæ Maritum suum nimis proclivem novit, subinde solet dicere levia mendacia (vulgo* kleine Hauß-Lügen *) eo quod hæc omnino videantur necessaria ad conservandam pacem domus.* 2. *Aliquoties in factis, verbis ac gestibus se liberiorem ac familiariorem exhibere solet hospitibus ad suam tabernam confluentibus, idque eo fine, ut sæpius redeant, sicque capiat lucrum honestum.* 3. *Filiæ suæ ad nuptias valde favorabiles aspiranti jam sæpius consuluit, ut erga sponsum cordialem se exhibeat, eidem blandiatur, oscula, aliave lenimenta sponsis familiaria nullatenus recuset, sed potius admittat, eo fine ut ipsius benevolentiam, amoremque captet? Quæritur an in his Sempronia deliquerit?*

74. R. Ad primum. Sempronia per se loquendo peccavit, sed venialiter duntaxat, idque toties, quoties mentita fuit. Ratio est: quia mendacium utpote intrinsece malum nullo fine extrinseco, quantumvis bono, cohonestari potest, nisi forte fiat ex conscientia invincibiliter erronea, uti inter plebeos ac rudiores sæpe contingere natum est: neque enim facienda sunt mala, ut eveniant bona, dicente Apostolo *ad Rom.* 3. *v.* 8. *eorum damnatio justa est, qui dicunt: faciamus mala, ut eveniant bona.* Fatendum nihilominus est, eum, qui eligit medium malum in ordine ad finem bonum (prout fecit Sempronia nostra) minus delinquere, quam qui medio malo utitur ad finem malum, propatereaque *DD. communissime* asserunt, malitiam medii pravi multum imminui per intentionem finis boni extrinseci. Videatur de hoc Reiffenstuel *tr.* 1. *dist.* 2. *a n.* 12.

75. R. Ad secundum, Semproniam non peccasse per hoc, quod se se liberiorem, ac familiariorem exhibuerit erga hospites confluentes, modo terminos honestatis non excesserit, nec scandalum dederit, vel malum exemplum. Ratio est: quia familiarem, immo & familiariorem aliis sese exhibere (intra terminos tamen honestatis) non est malum, sed ex se indifferens: atqui medium de se indifferens licite amplectimur in ordine ad finem bonum vel honestum, uti erat ille a Sempronia intentus, scilicet ut hospitibus placeret, eos manuteneret, indeque honestum lucrum caperet: ergo &c.

76. R. Jam ad tertium, Semproniam pro-

probabilius peccasse graviter tum contra pietatem; tum etiam contra castitatem. Ratio est: quia suadendo filiæ suæ ut sponso blandiatur, oscula, & alia lenimenta sponsis familiaria admittat, &c. rem utique pessimam, & inter id genus homines periculo plenam consuluit, eo præsertim, quod indifferenter hæc suaserit sine discrimine inter oscula honesta, & inhonesta &c. Ex quo facile concludere licet, Semproniam magis fuisse sollicitam de bono corporis, quam de bono animæ: quis enim ignoret hujuscemodi lenocinia, & blandimenta sponsis cæco amore captis familiaria plerumque saltem fieri cum excessu contra virtutem temperantiæ, seu castitatis, cum tactibus venereis, vel certe, cum delectationibus lascivis? &c. Quare minime dubitandum arbitror, quin filia, ex consilio Matris fuerit scandalizata, & suo modo reddita audacior, impudentior, & magis licentiosa in ordine ad ea, quæ castitati sunt inimica: atqui hoc repugnat nedum virtuti castitatis, verum etiam pietatis, quam Parentes debent prolibus suis: ergo &c.

Dices. Juxta sententiam, inter Doctores probatos & classicos hodiedum satis receptam, sponsis licent oscula, amplexus, immo & tactus ex objecto non nimis impudici, nec notabiliter moventes ad libidinem, modo fiant ad bonum finem, utputa ad conciliandum, vel contestandum amorem &c. ita profecto tenent Sanchez *l. 9. de matr. disp. 46. n. 47.* Gobat *Theolog. experim. tr. 10. n. 670.* Sporer *Theolog. mor. tr. 1. c. 6. n. 41.* atqui Sempronia consulendo non intendit alium finem: ergo minime peccavit.

77. R. Hanc opinionem esse quidem receptam velut probabilem, at, non nisi cum hac limitatione (videnda apud DD. citt.) *ut scilicet absit omne periculum consensus in delectationem veneream, aut in pollutionem &c.* atqui tale periculum in praxi quasi semper occurrit, præsertim inter sponsos natura sua proclives ad venerem: & ob hanc causam Suarez *de peccat. disp. 5. sect. 7. n. 12.* Lessius Henriquez, mendo & La Croix *lib. 6. part. 3. n. 151.* Multo probabilius putant, hujuscemodi tactus, utpote ex sua natura valde provocantes ad venerem & alias impudicitias, sponsis de futuro æque esse illicitos, quam aliis mere solutis, quemadmodum copula ipsa aut pollutio his æque ac illis semper est prohibita. Accedit, quod Sempronia simpliciter & indistincte (uti jam notavimus) filiæ suæ suaserit oscula, aliaque lenimenta sponsis familiaria: hæc autem regulariter loquendo nunquam a talibus practicantur sine consensu, vel certe sine evidenti periculo consensus in turpem delectationem: ergo reprobandum est, & non approbandum hoc consilium: serioque inculcandum Semproniæ, ut illud revocet, potiusque conetur filiæ suæ persuadere, quatenus aliis mediis honestis, ac licitis studeat lucrari animum sponsi; eo præsertim, quod matrimonia turpi quæstu, aliisve mediis illicitis obtenta, plerumque infaustum sortiantur exitum, Deo juste sic disponente in vindictam præteritorum criminum, ut ii, qui ex turpi, insano, atque illicito amore statum hunc amplectuntur, postea in perpetuis odiis ac rixis vivant, tandemque miserrimo fine eundem concludant, juxta illud *Tobiæ 6. v. 17. qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut mulus, & equus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.*

CASUS TERTIUS.

Cajus ingenuus juvenis sæpius quidem confitetur, quia id suis Moderatoribus peracceptum novit: sed sine ullo fructu emendationis; nam veneri apprime addictus, pascere consuevit oculos lascivis aspectibus, animum morosis delectationibus, tactibusque lascivis, nedum proprii, sed aliorum etiam corporum, sub quibus majoris voluptatis gratia sibi diversa, & nescio quæ inhonesta, atque obscœna objecta repræsentare solet; Dubitare jam licet, quid de hujuscemodi Confessionibus; & 2. Quid de peccatis carnalibus a Cajo commissis tenendum, vel observandum in ordine ad Confessionem?

78. R. Ad primum cum distinctione. Si enim supponatur fuisse confessus; & sacram Synaxin sumpsisse eo fine, ut obtineret gratiam efficacius deinceps resistendi

stendi tentationibus, & peccatorum suorum veniam impetraret, esto etiam sæpius fuerit relapsus, esto insuper id fecerit, eo, quod id suis Moderatoribus gratum noverit, & forte non sine impulsu vanæ gloriæ inde captandæ &c. nihilominus dicendum, quod Confessiones hactenus factæ fuerint validæ; quia his suppositis adhuc potuit, immo debuit habere verum dolorem supernaturalem cum proposito efficaci: ergo nihil ad valorem Sacramenti necessarium ex parte ipsius defuit. Econtra tamen si supponatur fuisse confessus eo præcise animo, ut placeat suis Moderatoribus, & Superioribus, ita ut hunc finem principaliter sibi præfixerit vel intenderit (de quo proin in dubio specialiter examinari debet) & præsertim si fuit confessus sine vero dolore, aut proposito efficaci sese emendandi, concludendum est, hujusmodi Confessiones nullius prorsus fuisse valoris, immo vero fuisse Sacrilegas, ideoque necessario repetendas. Ratio desumenda est a contrario, quia ad essentiam, & valorem Confessionis necessario requiritur verus, honestus, & supernaturalis, ac universalis dolor, saltem respectu mortalium, cum firmo, & efficaci proposito se emendandi; ergo si hoc defuit, Confessio fuit nulla, & Sacrilega. Et hoc quidem posterius existimo præsumendum in his circumstantiis de Cajo, quippe qui fatetur se toties fuisse Confessum, & Sacra Communione refectum, idque sine ullo prorsus fructu emendationis; impossibile enim videtur, ut remedia, tam efficacia ad salutem, infructuosa remanent, si debita cum dispositione iisdem utamur. Cautum igitur, & maxime sollicitum oportet esse Confessarium circa hujusmodi pœnitentem.

Dices contra primum membrum hujus resolutionis. Ad valorem absolutionis necessum omnino est, ut pœnitens adferat dolorem supernaturalem, moraliter bonum & honestum: at, qui motivo vanæ gloriæ, utputa placendi suis Moderatoribus &c. impulsus confitetur, non facit actum honestum, utpote destitutum debita integritate: ergo absolutio fuit nulla respectu Caii.

79. R. Neg. min. Nam resolutio nostra fuit mere hypothetica, valuisse scilicet Confessiones, *si Cajus supponatur fuisse confessus eo fine, ut obtineret gratiam remissivam suorum peccatorum, & si habuit verum dolorem cum proposito efficaci &c.* Quo supposito nihil refert, quod fortassis instinctu vanæ gloriæ fuerit quodammodo impulsus; quia talis impulsus proprie non efficit Confessionem, sed ad hanc mere concomitanter, & per accidens se habet. Esto proin talis impulsus aut intentio vanæ gloriæ fuerit venialiter mala, Confessio tamen, utpote ex bono fine facta potuit manere moraliter bona, & sufficiens ad valorem: quemadmodum manet sufficiens, si in Confessione leviter mentiaris, aut proximum tuum sine causa leviter diffames: tametsi enim talis diffamatio, aut mendacium maneat moraliter malum, quia tamen in ordine ad Confessionem mere per accidens se habet, & aliunde constat, peccata venialia non obstare reconciliationi Divinæ, hinc est, quod Confessionem in se adhuc relinquat moraliter bonam, & sufficientem, ad valorem. Videatur de hoc P. Sporer *tr. 1. c. 3 n. 16.*

80. R. Jam ad secundum quæsitum hujus Casus, Cajum utique gravissime peccasse, & toties quidem, quoties vel oculos pavit aspectibus lascivis, vel animum, aliosve sensus delectationibus morosis. Ratio facile erui potest ex jam dictis supra *n. 63.* Etenim omnis actus humanus sumit bonitatem, vel malitiam suam per se primo ab objecto in quod tendit, ita, ut si objectum repugnet justitiæ, vel castitati &c. pariter talis actus eidem virtuti repugnet: atqui delectatio morosa est verus actus humanus: ergo ab objecto, in quod tendit, desumit suam malitiam, vel bonitatem specificam. Liquet inde, Cajum procul dubio commisisse plurima, eaque nedum numero, verum etiam specie distincta peccata, necessario exprimenda in Confessione. Videatur S. Thomas 1. 2. *q.* 47. *art.* 8. Laymann *l.* 1. *tr.* 3. *c.* 6. *n.* 6. Marchantius noster *tribun. tr.* 3. *tit.* 2. *q.* 6. *concl.* 4. *Regul.* 2. Ceterum, an talis morosus delectator teneatur in Confessione nedum objectum (de quo nemo dubitat) sed etiam objecti circumstantias exprimere, utputa an de persona soluta,

luta, vel conjugata, vel consanguinea &c. fuerit delectatus &c. diximus jam *part.* 3. *Theolog. Sacram Confer.* 17. *n.* 432. In hoc vero casu nostro minime dubitandum, quin Cajus teneatur exprimere circumstantias ob jectorum quæ, sive alios, sive se ipsum tangendo &c. sibi repræsentavit, modo supponatur jam fuisse præditus tanta Judicii maturitate, ut agnoverit, esse majus peccatum, habere rem cum consanguinea, quam cum alia, cum ligata, quam cum soluta &c. Vide etiam La Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1023. *&* *seqq.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

81. Colliges ex hactenus dictis primo, in eodem actu physice spectato non raro posse concurrere plures malitias specie distinctas, & per consequens necessario exprimendas in Confessione. Ratio patet ex proxime dictis: quia unus idemque actus physice spectatus potest tendere in objecta morali specie distincta, veluti liquet ex eo, si quis in Ecclesia furetur rem Sacram simul, & profanam; si peccet cum aliena, quæ simul est ligata, aut consanguinea &c. & sic loquendo de innumeris aliis: actus autem humanus specificatur a suo objecto nedum in ratione boni, sed etiam in ratione mali, secundum *omnes*: ergo &c.

82. Colliges secundo, eundem actum humanum in individuo, (sive dein internus sit, sive externus) non posse simul esse moraliter bonum, simulque malum. Ratio est: quia repugnat, eundem actum habere integritatem, & conformitatem debitam ad Legem, rectamque rationem &c. simulque esse destitutum, ac privatum hac integritate: atqui juxta dicta superius *n.* 59. bonitas moralis consistit in conformitate & integritate &c. malitia vero in defectu seu privatione hujuscemodi conformitatis: ergo &c. Et licet multi Doctores existiment, posse eundem actum externum v. g. Eleemosynæ, in quantum a diversis subjectis procedit, utputa ab hero, & a famulo jussu heri sui eam erogante &c. esse simul bonum, & malum, sicut & passio Christi (inquiunt) in quantum a Judæis processit mala, immo malitiosissima fuit, in quantum autem a Christo, sanctissima &c. Verum si rem bene perpendamus, inveniemus in his, ac similibus revera non esse unum actum, qui simul est bonus, & malus, sed esse actus omnino distinctos; ut enim in eodem exemplo maneamus, liquet profecto, Christi passionem, id est, sufferentiam Martyrii, fuisse sanctissimam, Judæorum vero crudelitatem, vi cujus Salvatorem nostrum crucifixerunt, subsannarunt &c. nequissimam fuisse: at, quis non videat, aliud esse illationem activam Martyrii, quæ a solis Judæis processit, & aliud sufferentiam passivam, quæ sola Christo Salvatori nostro est adscribenda?

Dices tamen: nihil prorsus obstat quo minus unus idemque Dominus faciat unum eundemque actum externum, v. g. elargiendo Eleemosynam &c. ex duplici fine ac motivo, quorum unum honestum est, ut si det Eleemosynam illam partim ut sublevet inopiam puellæ pauperis, partim vero ut eandem inducat ad illicita, vel ut ab eadem passim laudetur coram aliis hominibus, sicque adipiscatur bonum nomen &c. ergo nihil prorsus obstat, quo minus idemmet actus sit simul bonus, simulque moraliter malus.

83. R. Negando hanc consequentiam. Enim vero in hoc casu elargitio Eleemosynæ non est honesta, & moraliter bona, utpote destituta debita integritate omnium eorum, quæ secundum rectam rationem debuissent concurrere; nam recta ratio dictat, Eleemosynam esse dandam in ordine ad sublevandam pauperis inopiam, minime vero ad obtinendum inhonestum commercium, aut vanæ gloriæ umbram. Quare minime ambigendum, quin in die Judicii Christus Dominus talibus sit improperaturus illud *Math.* 6. *c.* *Amen dico vobis: recepistis mercedem vestram &c.*

84. Colliges tamen tertio, posse eundem numero actum successive transire de bono in malum, & vice versa, de malo in bonum. Ita Scotus *quodl.* 18. quem sequitur Herincx *cit. disp.* 3. *n.* 20. *&* 21.

Reif-

Reiffenftuel, aliique SS. contra TT. Ratio hujus refolutionis eft, quia poteft quis v. g. Comeftionem inchoare ex optimo fine, utputa ad reficiendas vires &c. deinde eandem continuare ex alio malo fine. Rurfus poteft quis v. g. die Jovis licitiffime inchoare comeftionem carnium, eandemque continuare ufque poft medium noctis, in diem Veneris, quo evadit illicita, ac peccaminofa: atqui talis comeftio, vel cœna moraliter loquendo reputatur una, feu unus actus: ergo poteft idem actus de bono tranfire &c.

85. Colliges quarto, quod, licet finis bonus fe folo præcife non fit fufficiens ad reddendum actum moraliter bonum; nam bonitas, utpote defumpta *ex integra caufa*, infuper dependet ab objecto, aliifque circumftantiis; nihilominus folus finis malus fufficit ad reddendum actum fimpliciter malum in genere moris, prout facile conftabit perpendenti exempla hactenus adducta. Ratio: quia *malum* oritur *ex quolibet defectu*, eorum fcilicet, quæ actui tribuunt moralitatem: ergo ubi folus etiam finis bonus deficit, pariter deficiat moralis bonitas, neceffum eft. Hanc ob caufam jam communiter recepta eft inter Theologos notiffima illa parœmia: *Cujus finis malus eft, ipfum quoque malum eft.* Videatur de hoc P. Sporer *tr.* 1. *proem. c.* 3. *n.* 13.

Dices adhuc. Sed quid tenendum de actu in individuo indifferente, eftne talis poffibilis, vel non?

86. R. Probabiliffime eft poffibilis, efto in praxi fortaffis de raro fiat. Ita tenet D. Bonavent. 3. *dift.* 41. *a.* 1. *q.* 3. Scotus *eadem dift.* & rurfus *quodl.* 18. & tota Schola Scotift. multique ex RR. nominatim Arriaga, Vafquez, & Oviedo, contra TT. Ratio hujus opinionis eft: quia inprimis certum eft, dari actus ex objecto indifferentes, id eft, tales, qui de fe nec boni funt, nec mali, uti eft v. g. abigere mufcam, levare feftucam, decerpere rofam &c.; ergo pariter poffibile eft hujufcemodi actum fieri abfque pofitivo bono, vel malo fine, aliave circumftantia vitiofa: atqui hoc fuppofito actus erit in individuo indifferens: ergo talis eft poffibilis. Major inde fuadetur: ideo enim fieri non poffet actus humanus indifferens, quia quotiefcunque homo deliberate agit, teneretur agere ex fine pofitive bono: at, de hac obligatione non fatis conftat, neque poteft ab AA. monftrari certa lex, five pofitiva, five naturalis; tum quia hæc effet valde difficilis, & fupra vires humanas; tum etiam quia viri nedum pietatis, verum etiam Doctrinæ, & eruditionis laude clariffimi (quos inter merito numerandi veniunt S. Bonaventura & Scotus) talem Legem procul dubio agnoviffent: ergo dicendum, quod fit poffibilis actus humanus in individuo indifferens. Et certe hanc Scotiftarum opinionem ipfimet AA. velut vere, & practice probabilem agnofcunt, efto oppofitam ut probabiliorem afferant: ergo qui hanc noftram opinionem in praxi fequitur non præfigendo hujufcemodi actionibus pofitive bonam intentionem, eo quod credat, fe ad hoc non obligatum, non peccat: at, nec propterea pofitive bene operatur: ergo. Denique probabilitas hujus opinionis vel ex eo clariffime & efficaciffime fuaderi poteft: quia fi in die feriali, quo non obligor, voluntarie nolim audire facrum &c. talis nolitio eft actus humanus: atqui non malus, utpote nulli Legi contrarius; neque etiam bonus pofitive, quia non conformis Legi, nifi permittenti: ergo non eft bonus præfertim fi non intendam bonitatem pofitivam, ficuti licite poffum non intendere, ergo eft, & manet in individuo indifferens. Verum hæc, utpote fpeculationi potius, quam praxi accommoda, breviter infinuaffe fufficiat. Qui latiorem hujus quæftionis notitiam defiderat, confulat P. Maftrium 2. *dift.* 5. *n.* 310. Fabrum *de pœnit. difp.* 4. Poncium *difp.* 3. 22. *q.* 2. Herinc. *difp.* 53. *n.* 24.

CONFERENTIA QUARTA

De circumstantiis actuum humanorum.

SUMMARIUM.

87. *Quid sit circumstantia actus humani?*
88. *Communiter enumerantur septem circumstantiæ actuum humanorum, scilicet:* quis, quid, ubi &c.
89. *Quæ etiam communiter dividuntur in* merum aggravantes, *&* in speciem bonitatis, vel malitiæ mutantes.
90. *Per circumstantiam* quis *intelligitur conditio personæ.*
91. *Per circumstantiam vero* quid *conditio, vel quantitas materiæ.*
92. *Per ly* ubi *intelligitur qualitas loci.*
93. *Circumstantia* quibus auxiliis *innuit conditionem mediorum, & circumstantia* Cur, *finem intentum.*
94. *Per circumstantiam* quomodo *signatur modus agendi, utputa, an magis, vel minus deliberate contigerit actus humanus.*
95. *Circumstantia* quando *tandem vult attendendam esse qualitatem temporis, quo actus humanus fuit factus.*
96. *Resolvitur Casus I. De quodam Minorista, qui putavit se æquo majori pœnitentia fuisse oneratum a Confessario.*
97. *Pastor, qui oviculam suæ curæ concreditam induxit ad peccandum, tenetur hanc circumstantiam exprimere in Confessione.*
98. *Idque a fortiori tenendum, si in Confessione, vel occasione hujus sumpsit occasionem sollicitandi &c.*
99. *Resolvitur Casus II. De quodam adolescente, qui furtivas subtractiones a Parentibus suis correptus, eosdem durius increpavit, mortem & alia mala simul imprecando.*
100. *Hanc circumstantiam, quod scilicet Parentibus aliquid subtraxerit, per se loquendo non tenetur exprimere.*
101. *Nisi propterea eosdem graviter afflixisse, vel ad paupertatem redegisse supponatur.*
102. *Resolvitur Casus III. Cujusdam pœnitentis, adferentis peccata varie circumstantionata; de quibus tamen Confessarius, præter numerum, nihil aliud interrogavit.*
103. *An ille, qui ter fornicatus fuit, teneatur dicere, utrum cum una, eademque persona ter, an vero cum tribus diversis rem habuerit?*
104. *An portans scapulare e collo, vel alias Reliquias, simulque operi lascivo vacans, teneatur hanc circumstantiam singulariter exprimere in Confessione?*
105. *In Confessione necessario debent exprimi circumstantiæ speciem mutantes: & quid de aggravantibus duntaxat?*
106. *Circumstantia personæ, quandonam sit exprimenda in Confessione?*
107. *An fur teneatur specialiter in Confessione exprimere, utrum res furto ablata fuerit Clerici, vel Laici?*
108. *Utrum detractor teneatur dicere, se proximum diffamasse de furto, vel de adulterio &c.*
109. *Circumstantia loci, quandonam debeat exprimi a pœnitente?*
110. *Tangens impudice alium, vel aliam, an teneatur dicere, in qua parte corporis tetigerit &c?*
111. *Circumstantia quomodo, id est, modus peccandi, quandonam sit explicandus in Confessione?*
112. *Circumstantia temporis quandoque, ceteris tamen rarius exprimenda venit.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de circumstantiis actuum humanorum.

Quæres primo, quid intelligatur, vel quid sit circumstantia actus humani?

87. R. Nomine circumstantiarum hic intelliguntur quædam particulares conditiones quæ actum humanum in suo esse morali jam constitutum quodammodo afficiunt in genere moris, quatenus eundem reddunt accidentaliter quasi magis laudabilem, vel etiam vituperabilem: v. g. citcumstantia personæ conjugatæ habentis rem cum alio &c. hunc actum

actum reddit specialiter vituperabilem, eo quod eundem faciat specialiter repugnare virtuti justitiæ, proptereaque appellatur circumstantia, speciem mutans, tribuitque quandam malitiam secundariam, distinctam a primaria, quam hic actus habet ex objecto, quod scilicet repugnet virtuti temperantiæ seu castitatis.

Quocirca insuper breviter illud advertas velim, scilicet circumstantias qua tales a fine differre per hoc, quod finis petat esse directe intentus, circumstantiæ econtra indirecte tantum, ita, ut si aliqua circumstantia per se, & directe intenderetur, v. g. si fur vellet auferre rem alienam non quia aliena præcise, sed quia sacra est, hæc circumstantia rei sacræ jam non amplius maneret mera circumstantia, sed potius respectu actus interni induceret rationem objecti principalis, saltem partialis, utpote principaliter intenti, prout recte animadvertit P. Sporer *tr.* 1. *c.* 3. *n.* 12.

Quæres secundo, quot dentur circumstantiæ actus humani, & quotuplicis generis?

88. R. 1. Communiter enumerantur septem circumstantiæ actus humani, sequenti versu comprehensæ.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, qnomodo, quando?

Non ignoro-a nonnullis plures recenseri, scilicet 1. quamdiu actus duraverit? 2. circa quid? & 3. quoties contigerit? quia tamen *duratio* actus ad *quando*; circumstantia vero *circa quid*, facile reduci potest ad *quid*: quia insuper ly *quoties* numerum potius, quam circumstantiam actus denotat, (nam circumstantia proprie talis est illa, quæ actum humanum in suo esse substantiali jam constitutum accidentaliter modificat; quod non facit ly *quoties*, seu numerus) hinc puto quoad hoc sapiendum cum pluribus, dicendumque, septem esse circumstantias actuum humanorum, versu proxime allegato recensitas.

89. R. ad secundum. Circumstantiæ actuum humanorum sunt duplicis generis; aliæ namque dicuntur aggravantes duntaxat, id est, augentes malitiam intra eandem speciem peccati, uti facit major quantitas materiæ in furto (auferens enim v. g. unum ducatum, per se loquendo graviter peccat; & si duos simul auferat, peccat gravius, licet intra eandem speciem) circumstantiæ vero speciem mutantes recte appellantur illæ, quæ faciunt, ut actus Legi, seu etiam virtuti formaliter diversæ repugnet, aut conveniat, & hoc ipso eundem reddit specialiter laudabilem, vel vitnperabilem, veluti mox supra specificatum est de furto rei sacræ, & de peccato carnali commisso a persona sacra. Ratio hujus est; quia species, & facies rei sunt in moralibus quasi idem, teste La Croix, consequenter illæ circumstantiæ, quæ actui humano tribuunt quasi alienam faciem, ita, ut ad earum intuitum Confessarius prudens debeat formare longe aliud, ac diversum Judicium, recte appellantur circumstantiæ speciem mutantes: atqui prudens ratio dictat, longe aliud ferendum esse Judicium de furto, vel peccato carnali, quod simul est sacrilegum &c. quam de alio mere simplici: ergo hujusmodi circumstantiæ recte appellanur speciem mutantes. Ceterum omnes, ac singulæ circumstantiæ mox supra dicto versu comprehensæ nedum possunt peccati malitiam aggravare, sed subinde, & frequenter quidem, speciem mutare veluti constabit amplius ex mox dicendis. Unde

Quæres tertio, quid intelligatur per circumstantiam *quis?*

90. R. Hæc circumstantia non denotat ipsam substantiam personæ operantis, quippe quæ ad substantiam actus humani est necessaria, eo ipso quod talis fieri nequeat sine operante: sed denotat qualitatem, seu conditionem personæ; utputa an fuerit consanguinea, conjugata, sacra &c. vel non? Enimvero ex hujuscedomi conditione, & qualitate personæ actus humani bonitas, aut malitia nedum notabiliter augmentari, sed etiam specie mutari potest; nam, qui sacris initiatus aut voto castitatis obstrictus &c. vel concupiscit, vel rem habet carnalem cum persona &c. nedum contra virtutem castitatis, sed etiam Religionis graviter peccat. Idipsum intelligendum venit de actibus bonis; conditio enim personæ

non

non raro tribuit actui bonitatem specie distinctam, ut si v. g. Parochus subditis suis proponat verbum DEI, nedum exercet actum Religionis, sed etiam justitiæ laude ac præmio dignum: similiter si vir magnæ dignitatis aut excellentiæ amore humilitatis alteri se postponat, vel si unus puper alteri det Eleemosynam, notabiliter sane bonitas operis ex conditione hujuscemodi personæ aggravatur, juxta *communem DD*.

Quæres quarto quidnam intelligatur per circumstantiam *quis?*

91. R. Per hanc pariter non intelligitur ipsum objectum, v. g. in furto *res aliena*: quippe cujus ablatio est de essentia, & substantia furti: sed intelligitur quantitas materiæ, vel etiam conditio objecti. Unde hæc circumstantia pariter nata est, superaddere actui novam specie malitiam, v. g. operi carnali cum ligata speciem injustitiæ, seu adulterii, percussioni personæ sacræ malitiam Sacrilegii. Potest insuper hæc circumstantia peccatum transferre a veniali in mortale, tunc scilicet, quando tanta materiæ quantitas aufertur, quanta sufficit ad inferendum grave damnum, seu etiam graviter lædendum jus proximi: aliquando tamen hæc circumstantia tantum aggravat malitiam, vel etiam bonitatem actus intra eandem speciem, ut si quis pauperi loco denarii donet dimidium florenum &c.

Quæres quinto, quid intelligendum veniat nomine *ubi?*

92. R. Per hanc circumstantiam intelligenda venit qualitas loci, an scilicet actus humanus fuerit exercitus in loco sacro, vel profano; item, an in loco publico, aut privato &c. Hæc circumstantia pariter actui humano non raro tribuit novam, & specie distinctam malitiam; utputa, casu quo quis in loco sacro occidit hominem, humanum sanguinem injuriose, vel etiam semen humanum malitiose, voluntarie scilicet se, vel alterum polluendo, effundit, præsertim notorie. Similiter peccata in loco publico, & coram aliis perpetrata, utputa turpiloquia, detractiones, murmurationes, oscula item, & tactus lascivi &c. ratione publicitatis ordinarie saltem notabiliter solent aggravari ratio-ne scandali scilicet audientibus, vel intuentibus dati, contra virtutem charitatis. Propterea que hæc circumstantia nedum tunc, quando mutavit speciem, est exprimenda, sed etiam scandalizatorum numerus, quoad fieri potest, declarandus est, uti bene advertit P. Babenstuber *tr. 2. disp. 2. a. 2. n. 6.* Vide, si placet, quæ diximus *in Theolog. Sacram. p. 2. Conf. 7. a.* n. 182.

Quæres sexto, quid sibi velit circumstantia *quibus auxiliis*, & quid circumstantia *cur?*

93. R. Prior circumstantia *quibus auxiliis* scilicet innuit, quod subinde actus humani bonitas, seu etiam malitia possit augeri, vel diminui propter instrumenta, vel media, quibus aliquis usus fuit ad obtinendum suum intentum, veluti patet, si quis ope dæmonis utatur ad consequendas divitias, honores, vel ad eruendum thesaurum; vel siquis utatur mediis superstitiosis ad recuperandam sanitatem sibi, aut animalibus suis; vel denique, quod adhuc pejus est, & detestabilius, si quis utatur mediis sacris ad finem malum, utputa SS. Missæ Sacrificio ad obtinendum amorem impurum &c. vel vero SS. Eucharistiæ Sacramento ad se reddendum invulnerabilem, seu ut Germanice dicimus: sich gefrohren zu machen: quo casu hæc circumstantia superaddit horribilem, ac detestabilem speciem Sacrilegii.

Huc insuper referendum est, si quis ad obtinendum malum finem usus fuit auxilio, seu etiam adjutorio aliorum hominum inde scandalizatorum; quia circumstantia scandali dati necessario est exprimenda in confessione, juxta mox dicta *numero præcedente*.

Ad alteram hujus quæsiti partem breviter respondetur per ly *cur?* denotari finem propter quem actus humanus fuit factus: de quo, quia jam egimus inconferentia priore *a. n. 64.* ideo hoc loco nihil speciale superaddendum, vel differendum existimo.

Quæres septimo, quid intelligitur per ly *quomodo?*

94. R. Per hanc circumstantiam intelligitur modus agendi utpote, an actus humanus magis, vel minus deliberate, an

an cum majori, vel minori intensione, cum vel sine violentia &c. contigerit &c. Et hæc circumstantia a priori auget duntaxat bonitatem, vel malitiam intra eandem speciem; quo enim major est intensio, vel deliberatio actus, eo est melior, si sit bonus, aut pejor, si de se sit malus. Huc pariter reduci debent modi nimis lascivi, & rectæ rationis dictamini dissonantes, quo subinde conjugati, vel etiam alii soluti veneri indulgentes uti solent, qui si ita huic operi vacent, ut fiat cum voluntaria pollutione &c. committunt peccatum contra naturam, necessario exprimendum in confessione.

Insuper huc reduci debet circumstantia *contemptus formalis*, qualis tunc censetur intervenire, quando quis legem, vel præceptum Superioris transgreditur ideo, quia auctoritatem, vel potestatem præcipientis vilipendit, & spernit, propterea que movetur quodammodo ad Legis prævaricationem: & in hoc casu contemptus formalis superaddit actui malitiam specie distinctam ab ea, quam habet de se, & ex objecto, veluti omnes tenent cum Doctore Angelico 3. *part. q.* 88. *a.* 8.

Quæres denique octavo, quidnam denotet circumstantia *quando*?

95. R. Hæc circumstantia intendit qualitatem temporis, quo actus humanus contigit, ut puta an fuerit factus tempore sacro, vel non sacro. Quocirca tamen Laymann, Navarra, aliique plures recte observant, per se loquendo, & secluso omni contemptu hanc circumstantiam non multum conferre ad augmentum malitiæ, nisi actus fuerit specialiter præceptus, vel prohibitus intuitu temporis sacri: parum quippe refert, sive ante, sive post prandium detrahas proximo aut eundem scandalizes, Deum blasphemes &c. nec opus est in similibus exprimere hanc circumstantiam, utpote merum impertinenter & per accidens se habentem in ordine ad similia peccata.

Secus dicendum foret, si absque necessitate, aut dispensatione in die festivo serviliter labores, vel si in quadragesima, die veneris, vel Sabbathi &c. carnes comedas, quia hæc, & similia intuitu temporis ab Ecclesia specialiter sunt interdicta. Videatur Sporer *tr.* 1. *Theolog. decalog. c.* 3. *n.* 29.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de circumstantiis actuum humanorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos excepit confessionem alicujus pænitentis sibi alias incogniti: quia tamen advertit eundem habitu, & tonsura clericali insignitum, & his non obstantibus incidisse in nonnulla peccata carnalia, hinc intuitu hujus circumstantiæ eidem solito graviorem pænitentiam injunxit, idque sine ulteriore indagine, an scilicet jam esset constitutus in sacris, nec ne? Haud multo post Titius noster audire cogebatur, se ab eodem Clerico apud alios fuisse traductum, velut Confessarium inurbanum, indiscretum, & nimis rigidum, quippe qui homini nondum constituto in sacris, sed minoribus duntaxat Ordinibus initiato, nimis gravem injunxisset pœnitentiam. Quæritur jam, an Titius bene fecerit non inquirendo hanc circumstantiam, sed potius eam supponendo, proptereaque solito graviorem pœnitentiam injungendo?

96. R. Si Titius aliunde non habuit causam dubitandi, (utputa ratione juventutis, vel alterius circumstantiæ) an pœnitens sit constitutus in sacris, vel non? non video, cur ex hoc capite argui posset, aut traduci velut Confessarius imprudens, atque indiscretus: licet enim hæc circumstantia Ordinis sacri, utpote habentis sibi annexum votum castitatis, actus carnalis speciem mutet, propterea que in confessione necessario sit exprimenda, aut in dubio rationabili interroganda a Confessario; quia tamen cum habitu, & tonsura clericali incedentes communiter, & regulariter loquendo solent esse constituti in sacris, & aliunde notum est, *ex communiter contingentibus prudentem fieri præsumptionem*, hinc non video, cur Confessarius ex eo, quod præsumpserit pœnitentem in sacris constitutum, & intuitu hujus circumstan-

tiæ graviorem pænitentiam injunxerit, sit culpandus, vel etiam traducendus velut homo indiscretus.

Immo vero pænitens videtur potius reprehensione dignus tum quod Confessarium sine sufficiente causa traduxerit; tum etiam, quod ipsusmet non expresserit hanc circumstantiam, quod scilicet nondum sit initiatus majoribus Ordinibus, nec voto castitatis obstrictus: si enim fuit tam doctus & sapiens, ut sciverit hanc circumstantiam, non modice demere malitiam actus carnalis, propterea que se non fuisse gravandum tanta pœnitentia, procul dubio etiam noverit, eandem circumstantiam esse exprimendam in confessione: liquet proin, quod sine causa sufficiente traduxerit Confessarium. Ceterum an pœnitentia injuncta fuerit nimis onerosa & indiscreta, decidere nec volo, nec valeo, utpote ignorans nedum quantitatem pœnitentiæ, verum etiam qualitatem, aut numerum peccatorum. Videatur La Croix *l. 6. p. 2. n. 958.*

Dices. At quid, si Pastor, vel curam animarum gerens (quisquis demum ille sit) peccet cum aliquo, vel aliqua suæ curæ concredita, tenebiturne in confessione hanc circumstantiam exprimere?

97. R. Tenetur sine dubio, nisi Confessarius aliunde id jam sciat. Ratio est, quia hæc circumstantia mutat speciem peccati, facitque illud specialiter repugnare virtuti justitiæ: quemadmodum enim secundum dicta *n. 90.* Pastor erudiendo ovem sibi concreditam in via salutis &c. nedum exercet actum religionis, & charitatis, sed etiam justitiæ, vi cujus oviculas sibi concreditas tenetur dirigere ad salutaria animæ pascua; ita profecto e contrario dicendum, quod dum Pastor ipse in lupum degenerans oviculam jam non pascere, sed devorare nititur, utputa scandalizando, vel in peccatum eam inducendo &c. procul dubio gravissime impingit, nedum in eam virtutem cui peccatum v. g. luxuriæ ex sua natura opponitur, verum insuper contra justitiam. Vide de hoc P. Wigant *tribunal. Confessar. tr. 2. exam. 2. p. 28.*

98. Idipsum a fortiori tenendum est, si (quod Deus avertat) Confessarius in confessione, vel occasione hujus Sacramenti sollicitasset pœnitentem; hoc enim est Sacrilegium prorsus damnabilissimum, necessario exprimendum in confessione. Verum cum de hoc jam differuerimus *in Theolog. Sacrament. par. 2. Confer. 20. n. 105. seqq.* ideo ad alia pergimus, remittentes Lectorem ad dicta *l. cit.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius juvenis Parentibus suis varias merces subtrahere, easdemque mox pretio infimo distrahere consueverat, eo fine, ut suo postea genio indulgere, popinas frequentare, promissamque amasiæ suæ mercedem solvere posset; cumque a Parentibus suis propterea aliquoties graviter fuisset correptus, gravius inde exacerbatus, cœpit eisdem maledicere in faciem, mortemque, diabolum & alia, nescio quæ, malorum genera eisdem imprecari: quin etiam firmissime sibi proposuit, quod data occasione proxima eis vellet machinari mortem, tum ad se liberandum a molestissimis increpationibus, tum etiam ad adipiscendam quantocyus integram hereditatem. Jam vero pœnitentia ductus, in amaritudine animæ suæ recogitat hæc peccata, quæ bene agnoscit esse gravissima; dubitat tamen, an, vel quales circumstantias ex memoratis in Confessione teneatur exprimere. Quid ad hoc dubium resolvendum?

99. R. Sempronius præter numerum & speciem suorum peccatorum tenetur etiam exprimere sequentes circumstantias, scilicet; circumstantiam finis, ex quo Parentibus suis subtrahere consuevit; nam finis extrinsecus malus, uti erat intentio indulgendi genio &c. &c. mutat speciem peccati, secundum dicta in Conferentia proxime præcedente. 2. Tenetur item exprimere circumstantiam læsæ pietatis ex eo, quod tam graviter afflixerit suos parentes, eisdem maledicendo in faciem, mortem imprecando, immo & machinationem hujus firmiter proponendo. Unde neutiquam satisfaceret præcepto confessionis, præcise dicendo, se graviter injuriasse proximos suos, proposuisse insuper mortem iisdem machinari &c. non inquam satisfaceret, hoc præcise modo sese accusando; quia Confessarius inde non posset colligere hujuscemodi injurias fuisse illatas Paren-

tibus cum gravi læsione pietatis eisdem debitæ; quæ, cum speciem mutet, necessario exprimi debet in confessione, uti jam fuit dictum.

At, inquies, nunquid etiam tenetur exprimere illam circumstantiam, quod Parentibus suis, & non aliis extraneis merces subtraxerit?

100. R. Per se loquendo non tenetur hanc circumstantiam exprimere; eo quod qualitatem peccati potius minuat, quam aggravet; Enimvero rationabiliter præsumere licet, Parentes non esse tam graviter invitos respectu suorum liberorum aliquid sibi clepantium, quam respectu extraneorum, veluti animadvertimus *de Restitut. Confer.* 10. *n.* 280. Atque hinc La Croix *lib. 6. part.* 2. *n.* 1006. recte ait, quod, si actio contra Parentes facta non adversetur pietati (uti furtum per se non pietati, sed justitiæ repugnat) eo ipso non sit diversæ speciei, & per consequens minime opus esse, ut in confessione exprimatur hæc circumstantia, scilicet esse factam contra Parentes &c.

101. Dixi tamen: *per se loquendo non tenetur &c.* Secus enim dicendum foret, si Sempronius noster per hujuscemodi subtractiones Parentes suos graviter afflixisset, vel si eosdem periculo paupertatis, alteriusve gravis damni incurrendi exposuisset, utputa periculo excidendi suo servitio &c. prout fieri posset, si Parens haberet administrare merces, vel etiam redditus alienos. Videatur la Croix *loc. cit.*

CASUS TERTIUS.

C*Ajo pro sacro tribunali exposito nuper occurrit homo se accusans* 1. *quod aliquoties graviter detraxerit aliis.* 2. *Quod ter opere ipso carnaliter peccaverit.* 3. *Insuper attentaverit alios somno oppressos lascive contrectare. Cujus hæc inaudiens aliud nihil interrogavit, præterquam numerum, quoties scilicet detraxerit, & quoties attentaverit alios contrectare? Jam dubitatur, an per hoc satisfecerit suæ obligationi? & præsertim an non debuerit interrogare, utrum cum eadem, vel cum diversis personis peccaverit carnaliter. Quid respondebit Confessarius.*

102. R. 1. Confessarius non satisfecit suæ obligationi interrogando præcise numerum, & nihil aliud: sed debuisset ulterius inquirere 1. quot personis, vel coram quibus detraxerit? item an ex hujuscemodi detractionibus illis nullum aliud damnum intulerit. Rursus 2. an illi, quos somno oppressos attentavit contrectare, non fuerint consanguinei, vel affines &c. Ratio prioris est: quia si pluribus detrahatur graviter, peccatum quodammodo, saltem virtualiter, multiplicatur, eo quod plurium jura distincta lædantur, & tanto quidem gravius, quanto plures fuerunt, qui detrahentem sunt auscultati: ergo saltem per se loquendo Confessarius debuisset interrogare (quantum moraliter fieri potest) quot personis, & coram quibus detraxerit, & an inde nullum aliud damnum emerserit? Ratio autem secundi est: quia non solum actus, & affectus tangendi lascive consanguineum, vel consanguineam, aut affinem, singulariter repugnat reverentiæ sanguini debitæ, proptereaque merito reputatur circumstantia speciem mutans: at certum est, quod Confessarius teneatur indagare in circumstantias speciem mutantes: ergo & in hoc casu debuisset, nisi aliunde fuisset certus, quod pœnitens non attentaverit tangere consanguineum, vel affinem, sed mere extraneum de sua linea.

103. R. jam secundo. Pœnitens probabiliter satisfecit suæ obligationi dicendo, se ter peccasse carnaliter ipso opere fornicando, esto non expresserit, an cum una duntaxat persona ter, an vero cum qualibet ex tribus diversis semel. Ratio est: quia in morali hominum existimatione idem censetur, sive quis cum tribus diversis semel, sive cum una tribus vicibus rem habeat: ergo si talis dicat se ter fuisse fornicatum, satisfacit suæ obligationi. Ita tenet La Croix *cit. n.* 1040. Existimo tamen ego, subesse majus periculum scandali in eo, quod quis tres diversas personas sollicitet, aut cum tribus rem habeat, quam si quis cum una eademque persona tribus distinctis vicibus peccet: & hoc indubitabile censeo, casu quo personæ seductæ antehac fuerunt innocentes, seu non informatæ, aut assuetæ similibus: nunquid enim inde sument occasionem deinceps sæpius captan-

captandi hujusmodi voluptates semel expertas? Neque dubitandum, quin a tribus personis seductis plura committantur peccata, quam ab una. Censeo proin, Confessarium omnino prudenter facturum, si ex tali pœnitente interroget, an cum una tantum, an vero cum pluribus rem habuerit? item an non dederit scandalum seducendo personam innocentem? &c.

At quid tenendum de illo (inquies) qui sive solutus sit, sive conjugatus, dum actu lascivis vacat, e collo portat Scapulare, vel alias Reliquias; tenebiturne in confessione hanc circumstantiam exprimere?

104. R. Non tenetur. Ratio est hæc: quia esto in hoc videatur intervenire aliqualis irreverentia, ea tamen morali prudentum existimatione non reputatur gravis, sed venialis duntaxat, prout expresse tenent Lugo, Bonæ spei, Filliuccius *tr.* 30. *n.* 129. atqui peccata venialia, vel circumstantias venialiter duntaxat malas non tenetur confiteri: ergo &c. Quin etiam respectu conjugatorum hæc circumstantia videtur omni culpa vacare; quia cum opus conjugii sit omnino honestum, eisdemque licitum, plane non apparet, cur reverentiæ S. Scapulari, aliisve sacris Reliquiis debitæ repugnet: aliud foret, si hoc absque necessitate exerceretur in loco sacro, id est, ad cultum divinum duntaxat specialiter consecrato, veluti jam alibi notavimus. Videatur La Croix *cit. n.* 1067.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

105. Colliges ex hactenus dictis primo, in confessione necessario exprimendas esse circumstantias, quæ speciem peccati mutant; hoc enim expresse declarat Concilium Trident. *Sess.* 14. *c.* 5. *de Sacram. Pœnit.* ubi ait: *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, eo scilicet, quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant &c. &c.* An vero circumstantiæ merum (etsi notabiliter) aggravantes sint necessario exprimendæ, non ita certo constat, licet speculative loquendo sententia affirmativa videatur probabilior: tutius insuper esse, si exprimantur, nemini prudentum potest esse dubium; quam ob rem Confessarius indagando in similes circumstantias haud imprudenter facit: nihilominus pœnitenti docto, & erudito, volenti sequi oppositam sententiam, utpote hodiedum satis communem, & toleratam ab Ecclesia, tenetur se accommodare, nisi talis pœnitens esset suspectus de occasione proxima, vel de consuetudine peccandi jamjam contracta, aliave obligatione v. g. restitutionis &c. inde resultante: quo casu pœnitens tenetur Confessario interroganti respondere, prout facile deduci potest, ex illa propositione *n.* 58. inter damnatas ab Innocentio IX. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem &c.* Ratio autem fundamentalis hæc est: quia Confessario incumbit obligatio judicandi de statu, & de delictis pœnitentis, quatenus hujus saluti meliori modo consulere valeat: ergo similiter pœnitenti incumbit reciproca obligatio respondendi Confessario rationabiliter interroganti. Videantur de hoc dicta *in Theolog. Sacram. part.* 2. *Conf.* 7. *n.* 169. *& seqq.*

106. Colliges secundo, circumstantiam personæ tunc solum esse exprimendam, quando conditio personæ facit, ut actus humanus repugnet cuidam alteri virtuti ab ea, cui ex sua natura opponitur, veluti fit, dum voto castitatis, vel Ordine sacro obstrictus peccat carnaliter; hujusmodi enim circumstantiæ faciunt actum carnalem specialiter repugnare virtuti Religionis: Idipsum dicendum est suo modo, casu quo consanguineus cum consanguineo, vel consanguinea, aut affine, Maritus cum consanguinea Uxoris, sponsus cum consanguinea sponsæ intra secundum gradum carnaliter peccat; item, si filius Parentem, Uxor Maritum, frater sororem &c. graviter lædat, vel injuriet. Ratio facile patebit cuivis rem ponderanti; quia similes circumstantiæ superaddunt actui malitiam distinctam ab illa, quam habet ex suo objecto præcise. Et licet Lugo, & Dicastil-

lo *disp.* 9. *n.* 584. apud La Croix *cit. n.* 1008. *fin.* putent, non quamlibet injuriam contra fratrem, aut sororem, Parentes, vel Superiores factam repugnare pietati, sed illam duntaxat, quæ vere gravis est, puto nihilominus etiam in his dari posse injuriam levem pietati specialiter repugnantem, utputa si quis suo Parenti aut Superiori detrahat, illumve diffamet, esto non in materia tam gravi.

107. Colliges tertio, non esse necessario exprimendam circumstantiam furti illati Clerico, tametsi is rem furto ablatam obtinuisset ex suo beneficio Ecclesiastico, vel ob Administrationem Sacramentotum &c. Ratio est: *Quia pecuniæ, & aliæ res occasione Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore provenientes, post quam ad manus Beneficiariorum pervenerunt, non ulterius in Ecclesiasticis, sed potius in ipsorum Beneficiatorum propriis, & ab iis aquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro sæcularibus, & profanis haberi debent*, veluti in terminis declaravit Julius III. 3. *Junii* 1550. constitut. *Cum sicut* &c. Unde hujusmodi bona habentur veluti res profana, quandoquidem neque in se sunt sacra, neque propterea, quod Clerico auferantur, violatur aliquis locus sacer, neque persona sacra, neque etiam immunitas Ecclesiastica: ergo per hoc non committitur sacrilegium. Tamburinus *de Confessione*. *l.* 2. *c.* 8. §. 2. *n.* 2. La Croix *cit. n.* 1092.

At quid inquies, si v. g. Titius detrahendo dixit de uno, quod sit adulter, de altero, quod sit Sodomita, de tertio denique quod sit fur, vel impostor &c. teneturne singulas istas circumstantias in individuo, seu etiam in specie infima exponere in confessionali.

108. R. Quod non: & ita tenet Lessius *in Auct. Vers. confessio casu* 9. & Lugo *de pœnitent. disp.* 16. *n.* 265. Ratio est: quia omnes detractiones sumunt suam malitiam ex eo, quod sint contra unum bonum famæ, quemadmodum furta ex eo, quod sint contra bonum fortunæ: ergo sicut non tenetur determinate exprimere, an aurum, vel argentum, vel vestem &c. abstulerit, sed satisfacit dicendo se rem gravem abstulisse &c. ita pariter hujusmodi detractor satisfacit, dicendo se graviter detraxisse proximo &c. nisi præter damnum famæ simul scienter intulisset aliud damnum fortunæ ex hujusmodi injusta diffamatione, prout nonnunquam fieri posset: non enim quævis vitia hominem æqualiter reddunt inhabilem ad quodcunque officium v. g. militare; unde procul dubio majus damnum infert v. g. militi, qui illum infamat de furto, aut proditione &c. &c. quam qui infamat de fornicatione.

109. Colliges quarto, circumstantiam loci similiter tunc solum esse exprimendam in confessione, quando peccatum intuitu loci specialem malitiam contrahit, veluti fit, si quis in loco patente, & coram aliis turpia loquatur, vel quod adhuc pejus est, ipso opere exerceat, utique non sine scandalo contra virtutem charitatis; item si quis in loco sacro, utputa in ipsa Ecclesia, vel Capella ad cultum divinum specialiter consecrata actu externo peccaret, v. g. vel se ipsum, vel alium turpiter tangendo, polluendo &c. quia in hoc casu committitur insuper sacrilegium. Secus dicendum, si hujusmodi impudicitiæ committerentur solum in Campanili, vel in Monasterio, aut domo beneficiarii; quia hujuscemodi loca non consentur specialiter consecrata ad cultum divinum, prout jam alibi diximus. Videatur de hoc Corduba *in summa q.* 113. Sylvester *vers. loca Religiosa*. Vega *in summa p.* 1. *c.* 52. *vers. circumstantiæ casu* 29.

Dices adhuc. Quid si autem pœnitens alium, vel aliam personam tangat impudice, teneturne dicere, an in parte superiori corporis, vel vero in inferiori tactus fuerit factus?

110. R. Regulariter loquendo præsumi potest, ac debet, hujusmodi tactum fuisse graviter peccaminosum; qui enim fatetur se impudice tetigisse personam, videtur velle exprimere locum, seu objectum impudicum sui tactus: & certe de tactibus honestis, & non impudicis nemo fortassis, nisi scrupulosus sese accusare solet. Eapropter si Confessarius aliunde, scilicet ex reliqua materia confessionis animadvertat, pœnitentem esse valde deditum veneri, minime dubitandum est, quin tangendo graviter deliquerit,

quærit; hoc enim in his circumstantiis prudenter omnino præsumere licet. Arbitror tamen rursus, Confessarium in simili casu sapienter facturum interrogando ulterius 1. An hujusmodi tactus deliberate, & malo, seu lascivo animo contigerit, & si hoc? 2. An in parte superiore, vel inferiore corporis: supra vestes duntaxat, vel vero ad nudum corpus fuerit factus? *Gravius enim est, respicere, vel tangere animo impudico corpus hominis sub pannis, quam manum, vel pedem; quia magis libidinosa delectatio est ibi*, inquit S. Thomas *opuscul.* 64. Certum insuper & exploratum esse debet, tactus, qui in partibus verendis immediate fiunt, præsertim inter personas diversi sexus, efficacius influere ad pollutionem, quam si fiant in aliis partibus, præsertim supra vestes duntaxat.

111. Colliges quinto, circumstantiam *quomodo* tunc solum esse exprimendam, quando modus agendi actum humanum vel transfert a veniali ad speciem mortalis, aut vice versa; prout fieri amat ratione majoris, vel minoris adverteniæ, seu deliberationis; vel quando modus peccandi superaddit specialem malitiam; veluti fit in furto facto cum violenta aggressione Domini, item in peccato luxuriæ, cum violenta suppressione mulieris commisso &c. Ratio semper manet eadem, quæ mox superius fuit data: quia scilicet in hujuscemodi casibus intervenit malitia specie morali distincta: violentia enim ex furto simplici facit rapinam, ex fornicatione vero stuprum efficit. Ita cum communi DD. Wigant. *cit. tr.* 3. *Exam.* 2. *n.* 35. La Croix *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 1087.

112. Colliges denique sexto, circumstantiam *quando*, id est, temporis, ceteris rarius esse exprimendam. Ratio est: quia raro contingit, ut hæc superaddat actui humano specialem malitiam; parum quippe refert, an v. g. furtum, homicidium, vel detractio &c. ante, vel post prandium, an in die feriali, vel festivo fiat. Posset nihilominus hæc circumstantia saltem subinde specialem malitiam conferre, utputa, si quis in die Jovis sancto, vel parasceves, aut paschæ &c. vellet instituere ludos, choreas publicas, sicut in bachanalibus, inquit Wigan. *cit. n.* 36.

Notabiliter insuper peccatum aggravari videtur, si v. g. consuetudinarius, aliive in occasione proxima constituti, eadem die, qua confessi, & sacra Communione refecti sunt, denuo relabantur; præterquam enim, quod hæc videatur palmaris ingratitudo erga DEUM, insuper videtur haud obscurum indicium, quod pœnitentes non habuerint efficax propositum sese emendandi, ideoque merito timendum, ne indigne, & sacrilege perceperint Sacramenta: nec proin mirum, quod, ipsimet plerumque in hoc apprehendant singularem malitiam, propterea que desuper singulariter sese accusare soleant, prout ego non semel, sed pluries audivi. Vide de hoc, si placet, ea, quæ diximus *Theolog. Sacram. part.* 2. *Confer.* 7. *n.* 178.

CONFERENTIA

QUINTA.

De Conscientia recta & erronea.

SUMMARIUM.

113. *Conscientia ut sic est dictamen practicum intellectus.*
114. *Communiter dividitur in quinque membra, scilicet* 1. *Rectam.* 2. *Erroneam.* 3. *Dubiam.* 4. *Probabilem, &* 5. *in scrupulosam.*
115. *Rursus alia dicitur* obligans, *alia* consulens, *& alia* permittens.
116. *Conscientia recta est illa, quæ ex principiis veris aliquid dictat in particulari.*
117. *Unde etiam hanc tenemur sequi, casu quo aliquid dictat velut præceptum, aut prohibitum.*
118. *Conscientia erronea dicitur ea, quæ ex principiis falsis aliquid dictat.*
119. *Hæc duplex est, scilicet* 1. *vel invincibiliter, vel* 2. *vincibiliter erronea.*
120. *Dictamen conscientiæ invincibiliter erroneæ,*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos tum de conscientia recta, tum etiam de erronea.

QUæres primo, quid sit conscientia?

113. R. Conscientia est Judicium, seu dictamen practicum intellectus, quo is ex principiis communibus judicat, & in particulari deducit aliquid hic, & nunc agendum velut honestum, aut velut inhonestum omittendum esse, fuisse, vel fore. Ita Scotus 2. *dist.* 39. *q.* 2. Sporer *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 5. Laymann *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 2. *n.* 1. & *communiter DD.* Dicitur autem Judicium, & quidem practicum; nam conscientia ethimologice sumpta idem sonat, ac *cordis scientia*, vel juxta D. Thomam, & Scotum quasi *concludens scientia*: quod utique ad intellectum pertinet: & quia hæc est regula proxima actionis humanæ, ideo debet dictare, seu concludere de aliqua actione in particulari. Dicitur ulterius: judicans aliquid *velut honestum agendum &c.* Enimvero quando intellectus noster dictat aliquid agendum non secundum rationem superiorem (quæ attendit honestatem operis) sed tantum secundum rationem inferiorem (quæ præcise attendit utilitatem, aut delectabilitatem actionis, parum, vel nihil omnino curando de honestate operis &c.) hujusmodi dictamen non meretur dici conscientia, sed potius anticonscientia, inquit recte Sporer. Ratio est: quia conscientia debet esse *regula*, & quidem proxima actuum humanorum, uti jam dictum est: atqui hoc dictamen quod fit præcise secundum rationem inferiorem v. g. hic, & nunc esse furandum, adulterandum &c plane non est regula, sed potius corruptela actionis humanæ: ergo &c.

Quæres secundo, quotuplex sit conscientia ut sic?

114. R. 1. Est quintuplex, scilicet 1. *recta.* 2. *erronea, seu falsa.* 3. *dubia* 4. *Probabilis, seu opinativa*, & 5. *scrupulosa*; ita rursus *communissime DD.* Ratio desumi debet ex mox dictis: conscientia

enim

enim ut sic est dictamen practicum intellectus; atqui intellectus noster sic judicando quandoque procedit per præmissas certas, & dicitur *conscientia recta*, quandoque deducit aliquid ex principiis falsis, & erroneis, indeque enascitur *conscientia erronea*; non raro ex principiis probabilibus remote saltem concurrentibus, aliquid concludit, diciturque *conscientia probabilis*.

Rursus aliquando non invenit talia principia, ex quibus certi aliquid posset concludere, unde vel manet intellectus suspensus de honestate, vel inhonestate actionis, aut certe judicat esse dubium, an hic, & nunc liceat operari, vel non: & hæc communiter appellatur *conscientia dubia*. Denique contingere natum est, ut subinde levibus de caussis, & sine sufficiente motivo aliquid apprehendat velut illicitum, & peccaminosum, quod tamen tale non est: & hæc tandem appellatur conscientia scrupulosa. Res tota fiet clarior per decursum, & alia exempla in sequentibus Conferentiis de singulis adferenda.

115. R. jam secundo. Conscientia ut sic rursus subdividitur in *obligantem*, *consulentem* & *permittentem* Nomine obligantis intelligitur illa, quæ dictat aliquid velut præceptum, aut prohibitum, propterea que ut faciendum, aut omittendum. Nomine consulentis intelligitur ea, quæ aliquid suadet, vel etiam dissuadet solum pro meliori esse, v. g. esse abstinendum ab hac, vel illa recreatione; esse exercendum hoc, vel illud opus charitatis. Denique nomine permittentis intelligitur illa, quæ dictat, aliquid hic, & nunc esse permissum, ita, ut non sit præceptum, neque prohibitum, v. g. esum carnium in quadragesima, casu quo Ecclesia dispensat &c. Ratio hujus subdivisionis liquet ex dictis: conscientia enim est regula proxima, dictans in particulari de re agenda, vel non agenda: atqui inter agibilia alia sunt præcepta, alia prohibita, alia rursus permissa duntaxat, vel certe ad melius esse facienda, vel omittenda: ergo &c.

Quæres tertio. Quid sit conscientia recta?

116. R. Conscientia recta est illa, quæ ex principiis veris, & certis cognitis, & recte applicatis, judicat in particulari: aliquid esse faciendum, vel omittendum &c. Ita rursus *communissime DD.* Recte autem dicitur: *cognitis, & recte applicatis*; Enimvero si principia certa, vel non cognoscantur ut talia, vel certe non bene, sed erronee applicentur, jam inde non amplius sequetur dictamen conscientiæ rectæ, sed erroneæ.

Quæres quarto, an teneamur sequi dictamen conscientiæ rectæ?

117. R. Tenemur sine dubio, quando dictat aliquid ut faciendum ex præcepto, aut omittendum ob factam prohibitionem. *Communis*. Ratio est: quia voluntas humana tenetur se conformare regulæ proximæ actionum humanarum, dum hæc aliquid dictat velut agendum de præcepto, aut omittendum ob justam prohibitionem, ita, ut secus faciendo delinquat graviter, aut leviter juxta proportionem materiæ: atqui conscientia, præsertim recta, est regula proxima: ergo &c. Unde Mastrius *Theol. moral. disp.* 1. *n.* 15. recte docet, hanc obligationem, sequendi scilicet dictamen conscientiæ rectæ, tam esse stringentem, & arctam, ut ne quidem per Deum valeat dispensari; quia nec Deus facere potest, ut quis sine peccato agat id, quod putat, & recte quidem, esse illicitum, ac peccaminosum: at quicunque agit contra dictamen conscientiæ rectæ, eo ipso putat esse illicitum, & peccaminosum id, quod facit: ergo &c.

Quæres quinto, quid sit conscientia erronea?

118. R. Conscientia erronea est illa, quæ ex principiis falsis dictat esse illicitum, quod re ipsa licitum est, aut vicissim, esse licitum, quod re ipsa est prohibitum, atque illicitum: v. g. in quadragesima esse licitum esum carnium, quia Ecclesia dispensavit, cum tamen non dispensaverit; vel esse indictum jejunium, ubi revera nullum fuit indictum ab Ecclesia. Idque tunc præcipue verificatur, quando tale aliquid dictat absque fundamento probabili; nam si ex rationabili fundamento formetur hujuscemodi Judicium, potius reduci deberet ad conscientiam probabilem, quæ pariter non raro errare potest saltem materialiter, & speculative, uti patebit ex dicendis

dis infra a *n.* 188. Videatur Reiffenstuel *tr.* 1. *dist.* 3. *n.* 9.

Quæres sexto, quotuplex sit conscientia erronea?

119. R. Est duplex, alia scilicet vincibilis, alia vero invicibilis. Prior habetur tunc, quando error facile potuisset deponi, utputa alios consulendo, aut interrogando &c. posterior autem censetur intervenire, casu quo error non potuit deponi, nec veritas indagari, vel quia erranti nulla venit in mentem suspicio de errore, vel si quidem venit, nihil tamen incidit, quod deberet indagare in veritatem, aut certe non habuit, quem consuleret, vel interrogaret. Ratio hujus divisionis facile constabit; nam conscientia ideo appellatur erronea, quia ortum ducit ex aliquo errore: ergo quemadmodum error potest esse, vel vincibilis, & culpabilis, quia scilicet facile potuisset inquiri veritas, alius autem invincibilis, & inculpabilis, eo quod moraliter loquendo veritas non potuerit indagari, aut agnosci: ita pariter conscientia erronea recte dividitur in eam, quæ est vincibiliter, & in illam, quæ est invincibiliter, & inculpabiliter errans.

Quæres septimo, an teneamur sequi conscientam invincibiliter erroneam v. g. dum dictat esse mentiendum ad impedienda mala majora?

120. R. Quod teneamur sequi conscientiam invincibiliter errantem. Ita *DD. communissime*. Ratio est: quia voluntas tenetur sequi suam regulam: atqui conscientia invincibiliter errans regulat voluntatem, & quidem prudenter; quia dictat hoc, vel illud esse faciendum ob justam Legem; nam invincibiliter errans hoc, vel simili modo secum ratiocinatur: teneor sequi, & exequi id, quod Deus, vel justa lex a me exigit: hæc autem exigit a me, ut v. g. mentiar ad impedienda majora mala; ergo teneor mentiri &c. Ex quo liquet, hoc dictamen esse a parte rei erroneum; nulla enim lege jubemur mentiri; quia tamen creditur prudenter verum, hinc sequitur, quod adhuc possit esse regula voluntatis, non quidem qua erroneum, & falsum, sed quatenus prudenter creditur verum, & obligatorium. Videatur Henno *tr. de conscient dis.* 1. *q.* 2. vel Babenstuber *tr.* 1. *dis.* 2. *a.* 2. *n.* 23.

Dices. Mendacium semper manet intrinsece malum: ergo in omni casu illicitum. Et certe siquis in quocunque demum casu teneretur ad mentiendum, vi hujus mendacii posset a DEO prætendere præmium: hoc autem omnino falsum, & absurdum est: ergo &c.

121. R. distinguendo consequens: ergo in omni casu, quo cognoscitur esse malum, est illicitum, *conced.* in casu quo non cognoscitur esse malum, sed invincibiliter existimatur esse bonum, & a DEO præceptum, *neg. cons.* Verum quidem est, quod etiam in tali casu mendacium maneat malum materialiter saltem, quia tamen ab eo, qui invincibiliter errat, malitia non agnoscitur, hinc etiam formaliter non peccat; quamobrem poterit aliquando a Deo prætendere præmium, non tam propter mendacium secundum se, sed potius ex eo, quod mentiendo voluerit exequi divinam voluntatem; quæ executio utique non est mala, sed bona: & in tali casu Deus præcipit mendacium non quidem per se, & directe, aut quatenus malum est, sed indirecte, in quantum jubet, ut nunquam agamus contra conscientiam, faciendo scilicet id, quod putamus illicitum, & offensivum Dei, sed potius id, quod prudenter credimus a Deo, aut a Lege justa præceptum, uti recte observat La Croix *l.* 1. *n.* 30.

Quæres octavo, an etiam teneamur sequi conscientiam vincibiliter erroneam v. g. dum dictat esse mentiendum?

122. R. Vincibiliter erroneam non tenemur positive sequi, sed deponere potius, licet teneamur eam sequi negative, id est, non agere contra illam, quamdiu durat, & non fuit deposita. Ita Pater Sporer *tr.* 1. *in decalog. c.* 1. *n.* 21. & re ipsa *communis DD.* licet in modo loquendi differre videantur. Ratio hujus est: quia nullus potest obligari ad faciendum aliquod malum formaliter tale, seu ad peccandum: atqui ex conscientia erronea vincibiliter mentitur, peccat formaliter; jam enim debuit saltem dubitasse, an liceat mentiri in his circumstantiis, & hoc ipso animadvertere, quod

men-

mentiendo sese exponat periculo peccandi: e contra si contra conscientiam suam ageret, rursus delinqueret, quia juxta Apostolum *Rom.* 14. *omne, quod non est ex fide* (id est, ex credulitate, ac persuasione, quod sit licitum) *peccatum est*: ergo quisquis agit contra suam conscientiam propriam, peccat; quia hoc ipso consentit in malum, quod ut tale apprehendit, esto a parte rei malum non esset. Quod autem conscientiam vincibiliter erroneam teneamur deponere, inde facile suadetur: quisquis enim tenetur sese expedire a laqueo peccandi: at, nisi deponamus conscientiam erroneam vincibilem, perseveramus in periculo, & quidem proximo, ideoque in laqueo peccandi: nam si eam sequamur, peccamus, si non sequamur, rursus peccamus, quamdiu non deponimus eam, indagando veritatem: ergo ad hoc obligamur. Videatur Reiffenstuel *tr.* 1. *dist.* 3. *n.* 12.

Dices. Qui non mentitur, dum conscientia etiam vincibiliter erronea dictat esse mentiendum, ille peccat: ergo fuit obligatus sequi hoc dictamen; nemo enim peccat, nisi agat contra Legem obligantem.

123. R. disting. antecedens. Peccat contra dictamen conscientiæ vincibiliter erroneæ, neg. contra dictamen conscientiæ rectæ, conced. ant. & neg. conf. Qui enim ex errore vincibili putat v. g. esse mentiendum, duo habet Judicia, seu dictamina intellectus, saltem virtualiter distincta; unum quo judicat, *se teneri ad mendacium dicendum, & hoc est erroneum*: alterum vero, quo judicat, *non mentiri in his circumstantiis esse idem, ac peccare*, quod utique verissimum est, & non erroneum, hinc fit, quod, qui stante hujuscemodi dictamine non mentitur, peccet, non quidem contra dictamen prius, sed contra posterius, quod erat verum; quia hoc modo consentit malo peccati saltem apprehensi, & existimati. Videatur Laymann *lib.* 1. *tr.* 1. *c.* 4. *n.* 3.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de conscientia recta & erronea.

CASUS PRIMUS.

Titius studiosus nimium quantum lubricus perbene agnovit hinc suam fragilitatem, illinc vero innumerabilia quasi animæ pericula, quibus exponeretur in sæculo: quam ob rem animo induxit, quod relicto mundo, vellet amplecti sanctius institutum, id, quod, & fecit. Verum, cum paulo post susceptum sacræ Religionis habitum a Novitiorum Magistro se solito rigidius tractatum existimasset, excusso suavissimo Christi jugo ad sæculum denuo reversus fuit, sibique conjugem junxit, quacum defacto vivit in perpetuis rixis, atque discordiis: Unde non raro conqueri solet de miserrimo suo statu, asserens, se tenere firmiter sibi persuasum, quod a Deo puniatur ob neglectum vocationis suæ. Quæritur jam 1. *an Titius peccasset non obtemperando divinis inspirationibus ad ingressum Religionis impellentibus?* & 2. *an peccaverit denuo revertendo ad sæculum?*

124. R. ad primum. Titius per se loquendo non peccasset, tametsi inspirationibus divinis statum Religiosum suadentibus non obtemperasset. Ratio est: quia status Religiosus non cadit sub præcepto, sed sub consilio duntaxat: atqui ex eo, quod quis negligat amplecti consilium Evangelicum, etsi ad hoc amplectendum videatur interiori stimulo excitatus, per se loquendo non peccat, uti bene docet Stoz *in suo tribunal. l.* 2. *p.* 5. *n.* 60. ergo &c. Nec refert, quod Titius bene agnoverit suam fragilitatem, simulque innumera animæ pericula in sæculo sibi imminentia; quia his non obstantibus potuit habere animum firmissimum resistendi tentationibus cum adjutorio divinæ gratiæ, occasionesque peccandi pro viribus evitandi, vel aliis mediis licitis (utpute statum matrimonialem amplectendo) fragilitatem suam sufflciendi. Esto etiam agnoverit, se in Religione tutius, & securius suam operari posse salutem, certum tamen est, quod

quod non teneamur semper amplecti id, quod est tutius; secus enim quivis homo lubricus teneretur fugere sæculum, & cucullum induere; quod tamen certo falsum est: ergo Titius negligendo, & non sequendo hujusmodi inspirationes divinas ad statum Religiosum impellentes, non peccasset. Dixi tamen, *per se loquendo non peccasset &c.*

125. R. jam ad secundum quæsitum hujus Casus, potuit Titius excutiendo suavissimum Christi jugum, & revertendo ad sæculum peccasse, non quidem eo præcise ex capite, quod Monasterio valedixerit (cuilibet enim Novitio semper manet liberum, se mediante professione solemni obstringere S. Religioni; vel non) sed ideo, quia fortassis saltem ex conscientia erronea putavit, se revertendo ad sæculum, suamque vocationem negligendo graviter delinquere, vel quia credidit, se in sæculo, utpote tam periculoso non nisi difficillime salvatum iri. Unde P. Caspensis *de peccat. disp.* 3. *n.* 9. sapienter monet, esse attendendum affectum, ex quo Consilium Evangelicum respuitur, indeque deducendum, an, vel quantum quis respuendo deliquerit. Neque abs re videtur id, quod Titius suspicatur, scilicet se a Deo hac miseranda discordia puniri ob neglectum vocationis suæ; quod enim plures ob hanc causam non minus graviter, quam palpabiliter fuerint puniti, dura nobis, & quidem satis tragica exstant exempla, ita, non immerito credere liceat, in similibus fuisse verificatum illud *Prov.* 1. *c. quia vocavit & renuistis . . ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo &c. &c.*

At, inquies, quid tenendum de Parentibus, qui filios, & filias suas nituntur avertere a statu Religioso?

126. R. Si id faciant ex motivis mere futilibus, & humanis sine sufficienti causa, procul dubio graviter peccant. Ita *communissime DD.* Ratio est: quia in eligendo, & amplectendo vitæ statu, sive Religioso, sive sæculari &c. quisque est liber, & sui juris: ergo si Parentes liberos suos in hoc fine vere gravi causa impediant, vel impedire nitantur, revera gravem iisdem inferunt injuriam, & hoc ipso graviter peccant. Nec dubito, quin graviter delinquant illi Parentes, qui a Religione averter conantur v. g. filium ex eo præcise quod sit unicus; vel quod amplam habeat hæreditatem &c. Secus procul dubio dicendum, resolvendum est, casu quo Parentes ducuntur motivis vere ponderantibus, cujusmodi esse possunt 1. si defectu successionis vere nobilis, vel antiquissima familia deperiret, vel 2. si hujus defectu quædam Dynastia, aut integra aliqua Provincia deberet devolvi in aliam lineam Acatholicam; vel 3. si Parentes sint constituti in vere gravi necessitate, quæ aliter sublevari non posset, nisi ope, subsidio filii in sæculo remanentis: hoc enim supposito filius nedum jure positivo, verum etiam jure naturali teneretur Parentibus suis succurrere, post posito sanctiore instituto. Videatur Reiffenstuel *Theolog. Moral. tr.* 9. *dist.* 2. *n.* 9. & 10.

CASUS SECUNDUS.

S*Empronius sæpissime animo volvit immo, & fovit cogitationes, & desideria mala, utputa se vindicandi de suo inimico, eidem graviter nocendi, furandi, fornicandi, seu etiam adulterandi &c. de quibus tamen nunquam se accusavit in confessionali, eo quod putaverit, ejusmodi cogitationes, & desideria mere interna non esse mala, nisi opere externo compleantur. Quid jam judicii de hac ignorantia Sempronii, & quid de confessionibus hoc modo factis?*

127. R. In praxi a Confessario attendendum, & indagandum esse, an Sempronius ex conscientia culpabiliter, vel vero inculpabiliter erronea hoc crediderit: quod enim multi saltem e rudioribus, & minus eruditis inculpabiliter possint sibi persuadere hujuscemodi desideria non esse mala, nisi opere compleantur, videtur satis certum, quod, & Sanchez *in. Decal. l.* 1. *c.* 16. *n.* 16. Stoz *tribun. l.* 1. *p.* 5. *n.* 64. La Croix *lib.* 1. *n.* 35. expresse docent.

Consequenter dicendum, quod, si Sempronius fuerit ductus errore, & conscientia inculpabiliter errante, confessiones hactenus factæ fuerint validæ, saltem ex hoc capite: at vero si Sem-

pronius laboraſſet errore, aut ignorantia notabiliter culpabili (quod tamen caſus iſte non videtur ſupponere) confeſſioneſque mala fide feciſſe, ita ut agnoverit ſe graviter delinquere non confitendo hujuſmodi deſideria &c. dicendum foret, confeſſiones peractas fuiſſe nullas, immo ſacrilegas. Ratio eſt: quia peccatum mortale obſtat gratiæ juſtificanti, & reconciliationi divinæ; cum talis non poſſit habere verum, ſupernaturalem, & univerſalem dolorem, vi cujus vere doleat de omnibus, ac ſingulis peccatis mortalibus, cum propoſito efficaci nullum amplius committendi; quod tamen eſt neceſſarium ad valorem abſolutionis: quo ſuppoſito Sempronius adigendus foret ad repetendas confeſſiones factas, veluti diximus *in Theol. Sacr. part.* 2. *Confer.* 10. *n.* 257. *& ſeqq.*

At quid, ſi Sempronius dicat, ſe in ſua iuventute ſat longo tempore ſe ipſum tetigiſſe, pollutiones procuraſſe &c. nunquam tamen de iisdem ſeſe accuſaſſe, eo quod putaverit hoc non eſſe illicitum?

128. R. Si Sempronius ſupponatur non eſſe de claſſe rudiorum, ſed illorum e numero, qui perſpicacioris ſunt ingenii, & honeſtioris educationis (veluti regulariter eſſe ſolent civitatenſes) exiſtimarem, eum non laboraſſe errore inculpabili, aut certe non ad longum tempus. Ratio eſt: tum quia lumen naturale videtur dictare, in hujuſmodi actibus latere quandam inhoneſtatem, & malitiam; tum etiam quia homo perſpicacioris ingenii, & melioris educationis citius incipit dubitare ſaltem de honeſtate ſimilium actionum, cumque talibus nunquam deficiat copia Confeſſarii interrogandi, hinc pariter cenſeo, ſaltem ad longiuſculum tempus non dari invincibilem, & inculpabilem ignorantiam quoad ſimiles actus. Certum nihilominus videtur, in hominibus rudioribus, iis præſertim, qui ruri, in ſylvis, & propemodum inter pecora, & cum pecoribus educantur, dari poſſe invincibilem ignorantiam de malitia v. g. pollutionis; aſpectuum & tactuum laſcivorum &c. Ratio eſt: quia de illis, quæ non illico innoteſcunt ex primis morum, & totius honeſtatis principiis, & indigent diſcurſu ad deprehendendam honeſtatem, vel inhoneſtatem, poteſt dari ignorantia inculpabilis, præſertim in rudioribus, veluti tenent S. Thomas 1. 2.*q.*10.*a* 1. D. Bonavent. 2. *diſt.* 39. *a.* 1. *q.* 2. La Croix. *l.* 1. *n.* 7. 20. Henno *de actib. hum. diſp.* 2.*q.*8.*art.* 4. *&* 5. At quod aſpectus, vel tactus impudicus, aut captatio voluptatis ex pollutione procurata, vel etiam naturaliter exorta &c.ſint mortaliter mala,& illicita, non ita evidenter innoteſcit ex comprehenſione primorum principiorum, ſed indigent diſcurſu ad deprehendendam eorum malitiam: ergo malitia eorum poteſt ſaltem ad aliquod tempus inculpabiliter ignorari. Ex quo facile concludet prudens Confeſſarius, in tali contingentia facti eſſe vel maxime attendendum ad circumſtantias, conditionem, & qualitatem pœnitentis, cauteque indagandum an fuerit ductus ignorantia culpabili, ſeu vincibili, an vero invincibili.

Dices: Sed unde hoc colliget Confeſſarius?

129. R. Hoc eſſe concludendum ex propria confeſſione pœnitentis: quem in finem oportebit eundem interrogare ſequentia. 1. An ergo numquam dubitaverit, vel certe ſuſpicatus fuerit de aliqua malitia latente, ſeu, an exiſtimaverit ſe peccare committendo ſimiles impudicitias; ſi dicat, quod non, credendum erit, eum laboraſſe ignorantia invincibili: ſi vero aſſerat, ſe dubitaſſe, an non peccet &c. aut certe ſuſpicatum fuiſſe de malitia: rurſus 2. Confeſſarius inſtet interrogando, an nunquam eidem inciderit, quod deberet hac ſuper re conſulere Confeſſarium, vel alium prudentem; &c. Si reſpondeat, ſibi hoc quidem incidiſſe, ex verecundia tamen, vel alio malo fine neglexiſſe inquiſitionem, concludendum erit, ignorantiam fuiſſe culpabilem: e contra, ſi pœnitens aſſerat, ſibi nihil incidiſſe de obligatione inquirendi ulterius, credendum, & concludendum erit, errorem fuiſſe inculpabilem; univerſaliter enim ad hoc, ut error, vel ignorantia dici valeat culpabilis, neceſſum eſt 1. ut taliter errans dubitaverit de veritate, & 2. ut apprehenderit obligationem inquirendi, & 3. ut potuerit inquirendo ſibi comparare notitiam: ergo ſi de aliqua veritate nunquam dubitavit, aut certe obligationem inquirendi

di nunquam apprehendit, dicendum; quod hoc ipso laboraverit ignorantia inculpabili. Videatur Stoz *lib. 1. tribun. part. 5. n. 20.* Vega *in summa part. 2. c. 55. casu 1.*

CASUS TERTIUS.

C*Aja imperfecte fuit cognita a Cajo, post aliquot vero annos a quodam consanguineo Caji in secundo gradu postulata in conjugem, propterea que in conjugium, utpote valde sibi favorabile visum, consensit, licet mala fide: firmiter enim sibi persuaserat, se propter peccatum olim cum Cajo commissum, non amplius posse nubere ejusdem consanguineo. Hanc ob causam post matrimonium solenniter contractum Marito suo permisit quidem tactus lascivos, quippe quos credidit etiam in hoc statu sibi licitos; usum tamen corporis, quam apprehendit illicitum ob peccatum cum Cajo commissum, per aliquot tempus recusavit, tandem vero partim blanditiis, partim etiam timore gravius offendendi suum Maritum, etiam hunc permisit, licet non sine gravissimo remorsu conscientiæ.*

Tandem de salute animæ suæ timens, & multum anxia, totam rei seriem aperit cuidam Confessario, & quærit 1. quid de valore hujus matrimonii judicet? 2. An, vel quomodo peccaverit admittendo tactus, immo, & usum corporis? Quid Confessarius Cajæ scifcitanti respondebit?

130. R. Confessarius pro resolutione primi quæsiti debet interrogare, an Caja contrahendo matrimonium non habuerit animum contrahendi, & sese obligandi, quantum tunc potuit; Si respondeat quod sic (prout revera semper habere solent) intrepide dicat, standum, & præsumendum esse pro valore matrimonii; consequenter ab ea debitum nedum reddi, sed etiam tuta conscientia exigi posse. Ratio est: quia re ipsa, potuit valide contrahere, cum nullo fuerit irretita impedimento, simulque supponitur voluisse se obligare, quantum pro tunc potuit: ergo cum potuerit se valide obligare standum est pro valore, eo præsertim, quod ex post facto semper præsumatur pro valore actus, ubi de invaliditate certo non constat. Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 18.* La Croix *l. 6. p. 3. n. 417.*

Neque obstat, quod Caja crediderit, se esse irretitam impedimento; quia impedimenta matrimonii non dependent ex sinistra persuasione contrahentium; sed ex intentione Ecclesiæ, vel ex natura rei: atqui Caja ex natura rei, neque ex constitutione Ecclesiæ fuit impedita; quandoquidem Ecclesia sancta copulæ imperfectæ, utpote ex qua sola vir, & mulier non fiunt una caro &c. nunquam voluerit annexum impedimentum dirimens: ergo dicendum, quod hoc matrimonium valeat. Videatur de hoc La Croix *lib. 6. part. 3. n. 531.*

Dices. Respectu illius, quod apprehenditur impossibile, nequit dari voluntas efficax: atqui Caja apprehendit hoc matrimonium velut impossibile; supponitur enim firmiter credidisse, quod non amplius huic possit nubere propter peccatum cum Caio, ceu consanguineo perpetratum: ergo non potuit efficaciter consentire in hoc matrimonium.

131. R. distinguendo majorem respectu illius, quod apprehenditur ut impossibile absolute, conced. ut impossibile secundum quid duntaxat, id est, ideo, quia est prohibitum, nequit dari voluntas efficax absoluta, transf. efficax conditionata, neg. maj. cum conf. Esto igitur Caja firmiter crediderit, se non posse nubere huic, eo quod putaverit, id esse ab Ecclesia vetitum, quia tamen aliunde constat, quod homines sæpe sæpius nitantur, aut certe conentur niti in vetitum, hinc procul dubio potuit etiam Caja habere voluntatem efficacem saltem conditionatam, sese obligandi, *si & in quantum* tunc potuit. Et certe multiplici experientia constat, sponsos contra fidem sponsalium priorum contrahere cum alia, esto non ignorent se propterea peccare, eo quod hoc sic graviter illicitum &c. quo casu nemo dubitat de valore matrimonii: quidni ergo & Caja nostra potuisset habere voluntatem satis efficacem sese obligandi?

132. R. jam ad secundum, minime dubitandum esse, quin Caja graviter deliquerit, & multipliciter quidem, tum 1. quia tentavit contrahere matrimonium, non obstante, quod illud puta-

verit

verit graviter sibi illicitum, & forte omnino nullum, ideoque 2. convincitur voluisse hoc Sacramentum exponere periculo nullitatis, utique non sine Sacrilegio, tum denique 3. quia usum corporis, quem putavit graviter sibi illicitum, nihilominus concessit. Ratio horum est: qnia secundum dicta superius *n.* 62. actus humanus sumit suam bonitatem, vel malitiam ab objecto non ut est in se, sed ut proponitur per rationem practicam, seu per dictamen intellectus: atqui Cajæ hæc omnia proponebantur velut illicita, & graviter prohibita: ergo graviter deliquisse censenda est, propterea que examinanda de numero, præsertim quoties usum corporis stante hac persuasione concesserit suo Marito.

133. Ceterum, si Caja candide fateatur, sibi persuasum fuisse, quod etiam in hoc statu posset permittere tactus impudicos, & quidem sine reatu conscientiæ, eidem fides est adhibenda a Confessario, quippe qui juxta *communissimam DD.* tenetur pœnitenti tam pro se, quam contra se loquenti credere, præsertim cum aliunde constet circa similia in multis hominibus præsertim simplicioribus dari posse ignorantiam invincibilem, uti latius probat noster Henno *proxime cit. loco*. Utrum vero Confessarius teneatur illico admonere pœnitentem, quando advertit eum laborare quadam ignorantia, jam alibi satis diximus nempe *Theol. Sacram. part.* 2. *Confer.* 18. *n.* 471. *&* 472. item *part.* 3. *Confer.* 14. *n.* 338. *& seqq.* potestque de hoc videri La Croix *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 1759. vel Kresslinger *in. addit. post n.* 55. *ad tr.* 14. *dist.* 8. *Theolog. mor.* R. P. Reiffenstuel.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

134. Colliges ex dictis primo, conscientiam differre tum a Synteresi, tum etiam a scientia morali. Ratio est: quia Syntheresis est habitus cognoscitivus primorum principiorum moralium, cujusmodi sunt: *Bonum esse faciendum, malum fugiendum*, item *non esse faciendum alteri, quod nobis fieri nolumus &c. &c.* Scientia vero moralis occupatur in deducendis conclusionibus universalibus, seu generalibus morum; cujusmodi sunt: *Ergo Deus utpote infinite bonus, est amandus*, ergo *Superiores, vel Parentes &c. sunt venerandi &c.* e contra conscientia dictat agibilia in particulari, id est, hic & nunc facienda, v. g. hanc rem alienam esse restituendam, hac hora esse audiendam Missam &c. &c.

135. Colliges ex his secundo conscientiæ dictamen formari hoc, vel simili modo; dictat Syntheresis, v. g. bonum esse faciendum, a malo declinandum &c. 2. Subsumit ratio, vel scientia moralis: atqui bonum, immo debitum est hoc tempore v. g. paschali confiteri, & sumere sacram Synaxin: ergo (concludit tandem dictamen conscientiæ) hoc tempore teneor confiteri &c. Ecce hic dictamen conscientiæ rectæ! similiter ad formandam conscientiam erroneam intellectus hoc, vel simili modo procedit: licite colo Deum sub speciebus consecratis contentum: atqui (subsumit ratio) sub his speciebus (quas erronee putat consecratas) continetur Deus: ergo sub his speciebus contentum licite, vel sancte colo. Ecce hic denuo dictamen de aliqua actione in individuo exercenda, formatum ex principiis generalibus, & communibus: sed quia ortum habet ex una saltem præmissa falsa, seu erronea, hinc juxta dicta *n.* 118. hoc dictamen recte appellatur conscientia erronea: id quod DD. *communiter* asserunt, esto P. Stoz contradicat.

136. Illud tamen adhuc observandum est, quod ad formandam conscientiam non semper sit necessarius discursus formalis quemadmodum secundum dicta superius *Conf.* 1. *n.* 22. ad actum humanum non semper requiritur deliberatio formalis; secus enim rustici, & alii simpliciores utpote ignorantes formare discursum formalem, pariter essent incapaces actus humani, vel conscientiæ &c. quod tamen liquet esse falsum: sufficit igitur discursus etiam virtualis cum Judicio practico de honestate, vel inhonestate, actionis. Ratio inde desumitur: quia sæpe sæpius contingere natum est, ut, vel ex sola apprehensione actionis humanæ hujus honestas, vel inhonestas moralis il-

lico

lico innotescat v. g. blasphemiam esse malam, amorem Dei esse bonum, & hoc ipso illico sine ulteriore deliberatione, vel discursu formali intellectus dictet, unum esse faciendum, & alterum fugiendum, veluti sapienter notat P. Sporer *tr.* 1. *c.* 2. *n.* 12. & La Croix *lib.* 1. *n.* 301.

137. Colliges tertio, in nullo casu licite agi contra conscientiam, sive dein hæc supponatur vincibiliter, sive etiam invincibiliter errans. Ratio est: quia in nullo casu licet voluntarie agere id, quod a ratione apprehenditur, & voluntati proponitur velut malum; nam juxta effatum Apostoli *Rom.* 14. jam superius allatum: *omne, quod non est ex fide, peccatum est*: at, quidquid contra conscientiam fit, a ratione proponitur velut moraliter malum: ergo voluntarie nunquam licet contra eam agere. Unde S. Thomas 1. 2. *q.* 19. *art.* 9. *fin.* ait: *dicendum, quod simpliciter omnis voluntas, discordans a ratione, sive recta*, sive *erronea, semper est mala*; quia scilicet hoc ipso consentit in malum.

Dices: Si non licet agere contra dictamen conscientiæ vincibiliter errantis, sequitur, quod quis teneatur mentiri, dum conscientia ex errore vincibili dictat, esse mentiendum; at, hoc est contra dicta mox superius *num.* 22. ergo &c. sequela majoris inde probatur: si enim non licet agere contra conscientiam, tunc non licet omittere mendacium; at, si hoc non licet intermittere, necessario fatendum est, quod talis homo teneatur mentiri: ergo &c.

138. R. Negando maj. ad hujus probationem disting. maj. non licet omittere mendacium, quamdiu error non deponitur, con. supposito, quod error fuerit depositus, prout vincibiliter errans potest (uti supponitur) & tenetur deponere neg. Ceterum si stante errore mentiatur; utique peccabit mentiendo, at non tam contra conscientiam erroneam vincibilem, quam contra rectam, uti jam dictum est supra *n.* 123. Neque ex hoc inferas, quod talis homo hoc modo redderetur perplexus, immo necessitaretur ad peccandum, quia non necessitatur absolute, sed ex suppositione duntaxat, quod nolit veritatem inquirere, & errorem deponere; hoc vero non obstante peccatum merito eidem imputatur; vere quemadmodum is qui v. g. tempore paschali voluntarie, & culpabiliter negligit confiteri aliquod peccatum mortale; peccat, sive præsumpserit accedere ad S. communionem in hoc statu, sive non; quia tale peccatum adhuc est liberum sin minus in se, & directe, saltem indirecte, & in causa.

139. Colliges quarto, eum qui contra conscientiam suam agit, peccare contra illam virtutem, contra quam se agere erronee credit, v. g. si putavit se ex charitate teneri ad mentiendum, & non mentiatur, peccabit contra charitatem: si mala fide credidit, se consumere alienum &c. peccat saltem in affectu contra justitiam, tametsi reapse non alienum, sed proprium consumpsisset: similiter qui credit se v. g. hodie teneri ad jejunium, & abstinentiam a carnibus: comedendo carnes peccat contra præceptum Ecclesiæ saltem in affectu. Ratio est: quia actus sumit suam specificationem, id est, bonitatem, & malitiam ab objecto non ut in se est, sed ut proposito per dictamen practicum rationis: ergo si proponatur velut prohibitum virtute charitatis, & nihilominus voluntas illud amplectitur, profecto convincitur voluisse peccare contra charitatem &c. Videatur Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 11. *n.* 17.

Sed quid, si pænitens advertit quidem se male agere, at, non se reflexit, an graviter, vel leviter duntaxat peccet: v. g. homo plebejus die festivo laborando advertit, se male agere: Civis verba minus honesta proferendo, apprehendit se peccare: Confessarius dum actu absolvit, recordatur, se non satis indagasse in unam vel alteram speciem, seu etiam circumstantiam peccati, & nihilominus, etsi non sine remorsu conscientiæ pergit absolvere, quia in his circumstantiis tempus non videtur permittere maturiorem reflexionem, an scilicet in his, & similibus casibus committatur peccatum veniale duntaxat, aut omnino mortale? quid Judicii formandum de similibus, an gravis, an vero venialis duntaxat noxæ condemnabimus eos?

140. R. Quantum ad præsens quæsitum non unam esse omnium DD. sententiam: aliqui enim putant, quod taliter

liter operantes peccent mortaliter, eo quod sese saltem exponant periculo graviter peccandi, & hoc ipso saltem implicite dicere videantur, se hoc, vel illud facturos, sive sit peccatum grave, sive non, alii tamen existimant, tales non nisi venialiter delinquere; esto enim advertant, se male agere, quia tamen ratio malitiæ etiam invenitur in omni peccato veniali; hinc non videtur recte inferri, quod is, qui advertit se male agere, ipso facto consentiat in malum grave, seu peccatum mortale. Ex quo liquet, utramque opinionem suo non destitui fundamento. Credo nihilominus posse utramque reconciliari ex circumstantiis pœnitentis; nam si is supponatur esse homo malitiosus, qui a mortalibus æque parum, quam a venialibus abhorrere, vel abstinere solet, & præsertim si practice dubitando, an non graviter peccet, nihilominus non abstinuit, censeo eum esse condemnandum gravis noxæ, ob rationem adductam pro prima opinione; at vero, si pœnitens sit homo timoratæ conscientiæ, qui tam facile non solet consentire in peccatum mortale, minime puto, esse præsumendum, quod graviter deliquerit, ob rationem pro secunda parte allatam. Esto se non ita resolverit prius: & hoc inde facile potest colligi, quod hujuscemodi homines timoratæ conscientiæ a Confessario examinati, & interrogati an hoc fecissent, etsi putassent se graviter DEUM offendere? regulariter respondere soleant, quod nunquam id fecissent, si putassent se graviter peccare: Videatur Castropalao *part.* 1. *de consc. erron. punct.* 3. *numer.* 3. *& seqq.* Tambur. *l.* 1. *Decalog. cap.* 1. *§.* 3. *num.* 32. *fin.* Sporer *tr.* 1. *in Decalog. c.* 1. *num.* 17.

141. Colliges denique quinto, non peccare illum, qui unum e duobus cogitur facere v. g. manere apud infirmum, negligendo sacrum, aut vicissim accedendo sacrum, negligere infirmum, & sic loquendo de aliis pluribus casibus, tametsi erronee existimet se peccare, quidquid demum e duobus faciat. Ratio est: quia malitia peccati non dependet ex sola apprehensione Judicii, sed vel maxime a libero voluntatis consensu: atqui, eo ipso, quod quis cogatur ad aliquid omittendum, aut faciendum non amplius est liber: ergo hoc ipso non amplius peccat. Unde tametsi infirmus lecto affixus putet se peccare non accedendo Ecclesiam, tamen non peccat, quia non supponitur liber ad accedendum &c. Id tamen advertendum necessario est, quod etiam ille, qui unum e duobus, quorum utrumque apprehendit esse malum, cogitur necessario facere, utputa, vel negligere infirmum, vel negligere sacrum &c. teneatur eligere id, quod sibi minus malum videtur: v. g. si putet, esse minus malum negligere infirmum, quam negligere sacrum &c. tenetur neglecto infirmo accedere sacrum. Ratio est, quia cum ipsi sit liberum amplecti id, quod minus malum videtur, si id non faceret, profecto convinceretur voluntarie voluisse amplecti majus malum, proindeque excessus hujus malitiæ, utpote voluntarius eidem merito imputaretur ad culpam. Laymann *l.* 1. *tr.* 1. *cap.* 4. *num.* 4.

CONFERENTIA SEXTA.

De Conscientia dubia.

SUMMARIUM.

142. *Conscientia dubia est suspensio Judicii de re agenda &c.*
143. *Dubium aliud dicitur positivum, aliud negativum.*
144. *Aliud vero est dubium juris, aliud facti.*
145. *Dubium juris rursus subdividitur in speculativum, & practicum.*
146. *Ex dubio facti non raro oritur dubium juris, & vice versa.*
147. *Aliud etiam est dubium de valore, & aliud de honestate actionis.* Unde
148. *Conscientia dubia ut sic dividi potest,*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Conscientia dubia.

QUæres primo, quid sit conscientia dubia?

142. R. Conscientia dubia est illa, quæ neutri parti ex contradictoriis determinatum præbet assensum, sed manet anceps, & hæsitans, an hoc sit licitum, vel non? Ita *cum communissima DD.* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 1. *dist.* 3. *num.* 25. Ratio hujus descriptionis desumi debet ex eo: quia nomine dubii proprie talis communiter intelligitur quædam suspensio Judicii, seu intellectus, quæ tunc proprie intervenit, quando is inter duas propositiones contradictorias v. g. an stellæ sint numero pares, vel impares? suspendit omne Judicium: ergo etiam conscientia

tia dubia recte appellatur illa, quando intellectus de aliqua actione in particulari manet dubius, seu suspensus, sitne hic, & nunc licita, vel non. Quia tamen secundum dicta *num.* 113. nomine conscientiæ ut sic intelligitur dictamen practicum intellectus, conscientia vero dubia, ut patet ex descriptione mox data, non importat dictamen, sed potius suspensionem dictaminis; hinc Doctores communissime advertunt, conscientiam dubiam non mereri nomen conscientiæ proprie talis: solet nihilominus communiter recenseri inter quinque membra dividentia conscientiam ut sic, idque propterea fortassis, quia intellectus dubitando saltem virtualiter dictat, esse dubium, an hæc actio sit licita, vel non, prout recte advertit Caspensis *tr.* 11. *disp.* 1. *num.* 22. Verum pro hujus majori dilucidatione

Quæres secundo, quotuplex sit dubium, vel conscientia dubia?

143. R. 1. Dubium, ut sic communiter dividi solet 1. in positivum, & negativum *ex parte motivi*: positivum est, quando intellectui pro utraque parte contradictionis v. g. quod peccaverit &c. occurrunt rationes, sed ita infirmæ, ac debiles, ut non possit se propterea in alterutram partem resolvere, sed maneat quasi in æquilibrio suspensus. Negativum vero appellatur, quando nec pro una, neque pro altera parte occurrunt rationes, seu motiva, propertereaque manet suspensus, nec potest discernere v. g. an consenserit delectationi morosæ, vel non. Unde etiam hoc dubium a Stoz & aliis vocatur mera ignorantia.

Rursus aliud est dubium positivum *ex parte actus*, & habetur tunc, quando intellectus actu positivo judicat, rem esse dubiam: aliud dicitur negativum ex parte actus, quando scilicet intellectus ita manet suspensus, ut nullum prorsus ferat Judicium positivum, ne quidem dictando, rem esse dubiam, veluti sapienter advertit P. Sporer *tr.* 1. *proœm. c.* 1. *n.* 65. & alii plures.

144. R. Secundo. Rursus aliud dici **dubium juris**, & aliud **dubium facti**. Dubium facti est, quando dubitans de aliquo facto v. g. an horas Canonicas recitaveris, an peccato consenseris? an commissum peccatum fueris confessus? an infans sit baptizatus? &c. Dubium vero juris est, quando dubitatur de aliquo Jure, aut Lege, vel obligatione, seu etiam de facultate legitima aliquid faciendi, aut de valore actus, & similibus ad jus spectantibus; utputa an lex sit lata? an hic, & nunc obliget? an votum, aut professio Religiosa fuerit valide emissa? an baptismus fuerit valide, id est, cum omnibus de jure ad illius essentiam requisitis collatus? Ita DD. *communiter* apud Stoz *l.* 1. *part.* 5. *num.* 122.

145. R. Jam tertio. Hoc dubium juris rursus subdividitur in mere speculativum, & practicum. Mere speculativum appellatur, quando non dubitatur de praxi, id est, de aliqua operatione humana, sed potius de aliqua veritate, præscindendo ab omni operatione v. g. an Deus sit Trinus? an stellæ sint numero pares? an baptismus sine aqua naturali collatus valeat? an essentia consecrationis consistat in his præcise verbis: *Hoc est corpus* meum, &c. Practicum vero dubium est, quando dubitatur de aliqua operatione humana, seu praxi. Porro, si dubitetur solum de aliqua operatione generatim, præscindendo a circumstantiis particularibus, utputa an liceat exigere censum germanicum? an licitum sit die festivo laborare, aut Sacrum omittere? an liceat baptizare in aqua rosacea, aut in vino acetoso consecrare &c. dicitur dubium speculativo practicum. Quando autem dubitatur de aliqua actione humana hic, & nunc in his, vel illis circumstantiis exercenda v. g. an liceat ab hoc homine exigere censum, & quidem 6. vel 7. pro 100? an hac die festiva huic personæ liceat laborare serviliter, aut Sacrum v. g. propter infirmitatem omittere &c. an relicta aqua naturali hunc infantem liceat baptizare in aqua rosacea? an sine necessitate relicto vino justo, seu puro, licitum sit consecrare in vino acetoso? vocatur dubium practico practicum.

146. Illud insuper notandum hic venit, quod ex dubio facti sæpe sæpius oriri soleat dubium juris. E. g. dubitans, an Clericum percusserit, incipit dubitare, an non incurrerit pœnam Canonis? dubitans, an commiserit homicidium, postea dubitat, an non incurrerit irregularitatem de jure latam in homicidas? Dubitans de peccato commisso, postea dubitare incipit, an teneatur illud confiteri? Econtrario ex dubio juris non raro oriri natum est dubium facti v. g. dubitans an lex municipalis etiam peregrinos obliget, hoc ipso incipit dubitare, an in hoc loco, hac die teneatur audire Sacrum, vel servare jejunium? similiter dubitans, an res hactenus a se possessa non sit aliena, postea incipit dubitare, an hic & nunc sibi liceat eam alienare?

147. Ex quibus facile liquet 1. aliud esse dubitare de valore, & aliud dubitare de honestate, seu licentia alicujus actus: si enim dubites v. g. an ad valorem pœnitentiæ sufficiant hæc præcise verba: *Absolvo te?* dubitas speculative, id est, de aliqua veritate speculabili versante circa valorem Sacramenti: e contra si dubites, an absolvendo licite utaris his præcise verbis: *Absolvo te?* dubitas practice, quia de aliqua operatione humana seu praxi licite exercenda.

148. Liquet insuper secundo, conscientiam dubiam ut sic haud incongrue posse dividi 1. in positive, & negative dubiam. 2. In dubiam de jure, & de facto. 3. In speculative & practice dubiam, etsi fatendum sit, quod speculative dubia non mereatur dici conscientia, eo quod non dubitetur de aliqua operatione in particulari. Ratio autem hujus divisionis petenda est ex hactenus dictis; nam conscientia dubia, utpote derivata a dubitando, debet dividi juxta diversitatem dubiorum: ergo quemadmodum aliud est dubium positivum, aliud negativum; aliud de jure, aliud de facto &c. ita etiam conscientia &c. Videatur Wigant *tr. 2. Exam. 1. ad quæsit. 5. respons. 1.*

Quæres tertio, sitne aliquando licitum operari cum conscientia dubia?

149. R. Cum conscientia practice dubia nunquam licet, bene tamen 2. cum conscientia speculative dubia, & practice resoluta. Scot. 4. *dist.* 30. *q.* 1. Mastrius *Theolog. mor. disp.* 1. *num.* 47. & 48. Stoz *l.* 1. *p.* 5. *num.* 132. Oviedo, Caspensis, & alii *communissime*. Ratio prioris est: quia operans cum conscientia practice dubia, eo ipso, quod dubitet, an non peccet hoc, vel illud faciendo v. g. comedendo carnes? &c. exponit se evidenti periculo peccandi; nam si stante dubio practico comedat carnes, ipso opere videtur dicere: comedo carnes, sive id vetitum sit, sive non: quod est contemnere Legem, & Legislatoris potestatem: at hoc semper est illicitum: ergo &c. Ratio autem posterioris hæc est: quia non obstante dubio speculativo v. g. an res, quam hactenus bona fide possedisti, tua sit, vel non? potest concipi resolutio practica prudens, quod hic, & nunc stante etiam dubio speculativo, non pecces eam consumendo, vel alienando; eo quod stante dubio melior sit conditio possidentis, prout amplius patebit ex dicendis in *Confer. prox. a num.* 185. at, qui operando prudenter existimat, se non peccare operando, immo credit se honeste operari, non peccat; quia secundum dicta *num.* 62. dictamen practicum prudentiale est regula proxima honestatis moralis: ergo cum conscientia speculative dubia, & practice resoluta licite operamur.

150. Quocirca rursus animadvertendum est, quod talis resolutio debeat fieri non ex mero libitu, & sine omni ratione, sed potius ex rationabili fundamento, utpute ex jure, vel æquitate naturali, aut ex consilio viri prudentis &c. Hac de causa simpliciores, vel quicunque demum sibimet sufficientes non sunt ad concipiendam resolutionem practicam prudentem, tenentur consulere alios Doctiores se v. g. Confessarium, Parochum vel alium virum prudentem, modo id possint; secus enim non agent prudenter, sed temere, & hoc ipso, quod sese exponant peri-

periculo peccandi, peccant graviter, vel leviter juxta proportionem materiæ, aut periculi, cui se exposuere, uti habet *communissima DD.* apud Sporer, Reiffenstul. *cit. dist.* 3. *n.* 21. & Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 3. *a.* 1. *n.* 13.

Quæres quarto: an dentur, & quænam sint illa principia, ex quibus in dubio practico concipi possit resolutio practica?

151. R. Dantur, & quidem plura; e quibus nos vitandæ confusionis causa principaliora duntaxat, ceu quasdam regulas universaliores recensebimus. Sit igitur.

Regula I. *In dubio melior est conditio possidentis.* Id est: si rem quampiam bona fide possideas, postea vero incipias dubitare, sitne tua, vel vero aliena, & post factam debitam, scilicet gravitati rei proportionatam, inquisitionem, non possis deprehendere veritatem, site tua, vel aliena, vi hujus principii, & regulæ tuto te resolves, quod stante hujusmodi dubio speculativo possis eam consumere, vel alienare pro libitu. Et hæc regula procedit nedum in materia justitiæ, sed etiam aliarum virtutum v. g. religionis, temperantiæ, obedientiæ &c. veluti bene probant Sanchez *l.* 1. *de Matr. disp.* 9. *n.* 11. Stoz *ubi supra n.* 125. Herincx *p.* 2. *disp.* 4. *n.* 36. Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 3. *a.* 2. *n.* 13. Castropalao *tr.* 1. *disp.* 3. *pu.* 6. *n.* 1. contra Consalez, Henno & multos alios. Ratio fundamentalis ac principalis hujus opinionis hæc est: quia in omni genere dubiorum ac virtutum illius conditio debet esse melior, qui simpliciter habet jus majus; atqui possessor habet jus majus; quia præter jus dubium dominii, vel proprietatis (quod habet æquale cum non possidente) insuper habet titulum, & jus certum possessionis, & quidem bonæ fidei, uti supponitur; quo jure neutiquam privari potest, aut debet propter jus dubium competitoris: ergo &c. Hac de causa etiam jura statuere sapienter, ut *in pari delicto, & causa melior, sit conditio possidentis*, uti videre licet Reg. 65. *in sexto*.

152. Regula II. *In Dubio: an obligatio aliquando fuerit contracta manet subditus in possessione suæ libertatis*, ita, ut non teneatur subire hujuscemodi onus: e contra tamen *in dubio, an obligatio semel certo contracta exspiraverit, manet lex vel præceptum Superioris in possessione obligationis*. E. g. dubitas, an emiseris votum recitandi rosarium, an vero feceris duntaxat propositum; item: dubitas, an jam compleveris annum 21. ætatis, & per consequens, an contraxeris obligationem servandi jejunium Ecclesiasticum? &c. stante hujusmodi dubio tibi incumbit quidem obligatio inquirendi veritatem; at, si hanc deprehendere non valeas, post factam inquisitionem non teneris jejunare, neque recitare rosarium. Ratio est: quia dubitas de obligatione contracta, de qua hactenus semper, & certo fuisti exemptus ac liber: ergo cum tua libertas fuerit certa, manes in ejusdem possessione, nec teneris ea te privare propter obligationem dubiam, seu de qua dubitas. Econtra tamen, si sis certus, quod voto te ostrinxeris ad recitandum rosarium, & dubites solum, an huic obligationi jamjam satisfeceris, illud recitando; item dubitas, an compleveris annum 21. ætatis tuæ, & consequenter dubitas, an tuta conscientia possis suscipere Subdiaconatum; stante hoc dubio teneris abstinere a susceptione; quia certum est, quod hactenus vi sacrorum Canonum fueris prohibitus accedere, & dubitas, an hæc obligatio jamjam exspiraverit. Similiter teneris recitare rosarium, quia obligatio hæc supponitur certa, satisfactio vero dubia: ergo obligatio utpote certo semel contracta manet in possessione, nec extinguitur per satisfactionem dubiam. Videatur de hoc Sporer *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 80. *& seqq.* vel Stoz *l.* 1. *part.* 5. *n.* 127.

153. Regula III. *E duobus malis minus est eligendum.* Hæc regula est intelligenda de malis pœnæ, & damni, non tamen de malis culpæ, id est, de peccato; quia de hoc procedit illa altera regula: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, uti recte advertit Wigant, *tr.* 2. *exam.* 1. *q.* 6. *Reg. sexta*. Potest tamen contingere casus, in quo quis tenetur eligere id, quod videtur minus malum culpæ, seu minus peccaminosum, tunc scilicet, quando quis alterutrum cogitur necessario facere, & putat, utrumque esse peccatum v. g. negligere infirmum, vel negligere Sacrum propter assistentiam infirmi; quo casu illud quod minus peccaminosum videtur esse

esse eligendum, jam diximus supra *n.* 141.

154. Regula IV. *In dubio tutior pars est eligenda*. Quo circa tamen advertendum, hanc regulam observandam esse in sequentibus 4. casibus, seu circumstantiis I. In dubio proprie tali, id est, practice practico, quandiu hoc durat, debet eligi pars tutior. II. Item in dubio speculativo, quamdiu ad illud vincendum non fuit adhibita sufficiens diligentia. Item III. quando nulla occurrit alia ratio sufficiens ad dubium prudenter, & practice deponendum. IV. denique, quando jura id expresse præcipiunt; veluti statuitur pro casu homicidii, ubi constat certe de corpore delicti, & dubitatur solum, an non alterius influxu, vel opera illud acciderit; quo casu taliter dubitans debet se habere velut irregularem, & abstinere a susceptione, vel Ministerio sacrorum Ordinum per *c. ad audientiam de homicid*. Ratio horum est: quia qui in his casibus non amplecteretur partem tutiorem, sed se exponeret manifesto periculo peccandi; quod secundum dicta *n.* 149. semper est illicitum. Nihilominus in dubio speculativo invincibili, seu tali, quod post adhibitam sufficientem diligentiam vincere non valemus, neutiquam tenemur eligere partem tutiorem; tum quia hoc esset nimis difficile, tum etiam quia dubium invincibile æquivalet ignorantiæ invincibili: ergo quemadmodum invincibiliter ignorans Legem, non obligatur Lege; ita etiam invincibiliter dubitans de illa, non stringitur; in tali enim casu debet esse melior conditio possidentis suam libertatem. Tum denique, quia pars, id est, opinio vere tuta, eo ipso quod talis sit, operantem removet a peccato: at, qui amplectitur opinionem se removentem a peccato, non peccat, ut de se liquet: ergo sufficit, ut in praxi amplectamur partem seu opinionem vere tutam, neque opus est, ut sequamur partem comparative tutiorem. Videatur Stoz *cit. n.* 129. Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 3. *a.* 2. *n.* 25. *& seqq.*

155. Scio equidem, ab aliis adhuc regulas in ordine ad dirigendam conscientiam dubiam enumerari, prout videre licet apud Sporer, Stoz, Wigant, & alios plures DD. hactenus citatos; verum a pluribus recensendis abstinendum duxi, tum ad vitandam confusionem intellectus, quæ inde oriri posset; tum etiam quia facile reduci valent ad eas, quas proxime statuimus; nam illa regula: *In dubiis reo potius favendum est, quam actori*, reduci potest ad hanc: *In dubio melior est conditio possidentis*. Illud vero principium: *In obscuris minimum est sequendum* pertinet ad hanc regulam: *e duobus malis minus est eligendum*. Denique illa regula: *In obscuris respicimus id, quod verosimilius est vel plerumque fieri consuevit*, affinis est huic principio: *In dubio tutior pars est eligenda*, veluti sapienter advertit P. Mezger, *tom.* 2. *tr.* 5. *disp.* 12. *a.* 4. §. 1. *n.* 8.

§. II.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de conscientia dubia.

CASUS PRIMUS.

Titius recordatur, se jam pridem ad vitandos frequentissimos relapsus carnis firmissime induxisse in animum, quod deinceps vellet abstinere ab omni commercio carnali, & hoc quidem non semel duntaxat, sed sæpius etiam Confessario promisisse; nihilominus jam dubitat, an unquam fecerit verum votum, an vero merum propositum abstinendi deinceps a carnalibus; unde non sine permolesto conscientiæ suæ remorsu venit ad Confessarium cum sua conjuge nuper solemniter sibi desponsata, quæ similiter fatetur, se ante aliquot annos suam virginitatem voto simplici Deo consecrasse, modo autem a Marito suo adigi ad reddendum debitum conjugale: quærit proin 1. an matrimonium valeat? 2. An suo Marito tuta conscientia possit obedire quoad usum corporis. Quid jam Confessarius utrique conjugi respondebit.

156. R. Ad primum quæsitum Titii, eum neutiquam teneri ad abstinendum a commercio conjugali. Ratio hujus petenda est ex Regula II. n. 152. tradita: quia cum votum sit dubium, hoc ipso prudenter dubitatur, an unquam contraxerit obligationem abstinendi a commercio carnali honesto (quale est illud

con-

conjugum) atqui in dubio de obligatione unquam contracta melior est conditio possidentis suam libertatem : ergo Titius debet relinqui in hujus possessione. Nec refert, quod certo sciat, se Confessario sæpius promisisse, quod deinceps vellet abstinere a commercio carnali &c. quia promissio soli Confessario, & non Deo facta, non est votum; secus enim quivis pœnitens, qui semel Confessario promisit emendationem vitæ &c. ex voto teneretur abstinere ab omni peccato saltem mortali, quod tamen certo falsum est, & contra communen persuasum omnium Theologorum.

157. R. Jam ad secundum quæsitum hujus casus, matrimonium esse validum. Ratio est: quia votum virginitatis, immo, & votum simplex castitatis non est impedimentum dirimens, sed impediens duntaxat: ergo minime obstat valori matrimonii. An vero Titii sponsa etiam licite contraxerit? est alia quæstio; ad quam breviter respondendum, quod, si ante contractum matrimonium jam fuisset devirginata, non peccasset contrahendo; quia cum virginitatem jamjam perdiderit (ut supponitur) hoc ipso non amplius potuit servare, & per consequens non amplius fuit obligata ad servandum votum virginitatis. At vero, si adhuc fuit Virgo, illicite contraxit matrimonium, quia vi hujus sese obligavit (uti regulariter sese obligare solent conjuges) ad reddendum debitum, & ad usum matrimonii, utique incompatibilem cum virginitate servanda. Et certe, si Titia (esto etiam supponatur non amplius fuisse Virgo) matrimonium contraxit mala fide, utputa cum dubio practico de valore, & honestate hujus contractus, minime dubitandum est, quin mortaliter deliquerit; quia se voluit exponere periculo sacrilege tractandi, & indigne recipiendi hoc Sacramentum; quod utique sine gravi peccato Sacrilegii fieri nequit, veluti patet ex dictis *n.* 149.

158. R. jam ad tertium. Titia usu corporis semel concesso, nedum reddere, sed etiam licite petere potest debitum. Ratio est: quia si aliquid obstaret, illud esset solum, & unicum votum virginitatis conservandæ: at concesso semel usu corporis perfecto, jam impossibile est conservare virginitatem, utpote irrecuperabiliter amissam: ergo hoc votum non amplius obstat. Si tamen Titia adhuc fuisset Virgo, tunc petendo debitum intra primum bimestre, certo peccasset graviter ob rationem jam datam. Immo vero etiam reddendo intra primum bimestre probabilissime graviter peccat, non item si post elapsum primum bimestre illud reddat; quia hoc elapso ex iustitia tenetur illud reddere. Videantur de hoc dicta *in Theolog. Sacram. p. 3. Confer. 3. n. 69. & seqq.* vel Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 14. dist. 14. a n. 15.*

Dices: Si Titia fecisset votum castitatis, tunc etiam post elapsum primum bimestre teneretur abstinere a petendo debito: ergo etiam eo elapso tenetur a petitione saltem abstinere propter votum virginitatis emissum, præsertim cum tales personæ non sciant distinguere inter votum Virginitatis, & castitatis, & hoc ipso dum vovent Virginitatem, censeri debeant vovisse castitatem.

259. R. negando conseq. Nam castitas a persona maritata etiamnum servari potest, saltem in tantum, ut ipsa non petat debitum conjugale castitati oppositum; quippe ad quod petendum non tenetur, esto teneatur ad reddendum. E contra Virginitatem non amplius potest servare; neque per commercium carnale eam amplius potest amittere, utpote jam prius irrecuperabiliter amissam: ergo non amplius peccat contra votum Virginitatis, tametsi petat debitum. Et falsum omnino est, quod mulieres non sciant discernere inter Castitatem, & Virginitatem: nam Virginitatem majori habent in pretio, quam castitatem, unde etiam virginitate semel amissa facilius solent admittere ea, quæ virginitatis conservandæ causa sæpius fortassis recusarunt. Accedit insuper, quod juxta regulam mox supra *n.* 155. recensitam, stante dubio *in obscuris minimum sit sequendum*, & *odiosa stricte interpretanda* juxta *Reg.* 49. *J. in* 6. atqui abstinere a commercio carnali procul dubio odiosissimum foret hujuscemodi coniugibus præsertim neo-nuptis: ergo cum aliunde certum sit votum Virginitatis esse diversissi-

fimum a voto caſtitatis, non debet hæc obligatio (ſervandi ſcilicet Virginitatem) extendi ad ſervandam integram caſtitatem, ſed potius reſtringi quantum rigor, & proprietas verborum patitur. Videatur Stoz *l.* 1. *p.* 5. *n.* 131.

At, quid de eo, inquies, qui certus eſt, ſe voviſſe caſtitatem, dubitat tamen, an voluerit vovere perpetuam, an vero temporariam duntaxat, ſcilicet uſque dum matrimonium inierit?

160. R. In hoc gnaviter eſſe attendendum ad verba, ſeu formulam voti, quo vovens uſus fuit; etenim ſi verba ſecundum ſe ſonent, ſeu exprimant caſtitatem *ſimpliciter* ſine ulla reſtrictione ad certum, vel limitatum tempus, tunc juxta communem, & uſitatum ſenſum apud DD debent intelligi de caſtitate perpetua, ita, ut ſtante tali dubio ſenſus verborum, vel potius obligatio inde reſultans maneat in poſſeſſione. Secus eſſet dicendum, ſi vovens eſſet certus, quod non habuerit animum per hujuſmodi verba ſeſe perpetuo obligandi, vel etiam ſi omnino eſſet immemor verborum, quibus fuit uſus vovendo; quia his ſtantibus non teneretur ad perpetuam, ſed ad temporaneam duntaxat caſtitatem ſervandam, idque ob regulas juris mox allegatas, uti bene probat Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 16. & 17. eumque ſecutus Babenſtuber *tr.* 1. *diſp.* 3. *a.* 3. *n.* 29.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius aliquoties habuit rem cum quadam perſona, quæ modo portans uterum, aſſerit, Sempronium hujus exſtitiſſe cauſam: verum cum de eadem perſona ſatis conſtet, quod concedendo uſu ſui corporis ſit valde liberalis, ſimulque circa idem tempus, quo concepit, fuerit ab alio conventa; hinc Sempronius dubitat, an non fortaſſis huic alteri tunc fecerit poteſtatem ſui corporis, propterea que ab eodem fuerit impragnata. Quærit proin e Confeſſario, an ipſe, Sempronius ſcilicet, teneatur ad præſtanda alimenta proli conceptæ, vel genitæ? Quid reſpondendum ad hoc dubium?

161. R. In hoc caſu Sempronius tenetur ad alimentandam prolem. Ratio eſt: quia ſupponitur certum, quod ipſe cum matre habuerit copulam, & quidem perfectam, ſeu talem, ex qua ſolet fœmina concipere: ubi autem conſtat de facto aliquo principali, ibi etjam præſumitur id, quod eſt acceſſorium, & ſolitum fieri, veluti bene docet Maſcardus *de probat. t.* 2. *concl.* 732. *n.* 10. Neque dubitandum, quin etiam in foro externo re delata a Judice condemnaretur ad præſtanda alimenta proli genitæ. E contra de altero minime conſtat, quod cum illa perſona habuerit copulam, eſto fortaſſis de hoc poſſit concipi nonnulla ſuſpicio fundata: ergo cum in dubio facta, (maxime delicta) non ſint præſumenda *l. in bello* §. *facti* 2. *ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* hinc propter illam ſuſpicionem nullatenus poteſt, aut debet alter condemnari ad prolem alimentandam. Secus dicendum foret, ſi Sempronio certo conſtaret, quod talis perſona circa idem tempus quo concepit, habuerit rem cum illo altero, quia tunc merito dubitare liceret, an non ille alter ſit Parens, & per conſequens an non alter teneatur ad præſtanda alimenta: quo ſuppoſito juxta probabiliſſimam opinionem P. Illſung. *tr.* 4. *diſp.* 3. *n.* 96. & aliorum, pro foro conſcientiæ, & ante ſententiam Judicis non tenetur facere expenſas de ſuis bonis, quippe quorum habet certam poſſeſſionem, nec tenetur iisdem ſeſe privare propter debitum, vel damnum dubie a ſe illatum, veluti etiam diximus *in Theolog. Sacram. part.* 3. *Confer.* 18. *n.* 443. & rurſus de *reſtitut. Confer.* 11. poteſtque de hoc videri La Croix *l.* 2. *p.* 3. *n.* 335.

At quid: inquies, ſi mulier re vera habuit rem cum duobus circa idem tempus, propterea que invincibiliter dubitet, a quonam illorum conceperit, poteritne hoc ſuppoſito ab uno ſolo, vel ab utroque pro rata dubii prætendere alimenta?

162. R. Talis mulier nequit tuta conſcientia ab uno ſolo prætendere alimenta proli neceſſaria, niſi aliunde ex circumſtantiis ſit moraliter certa, quod ab hoc, & non ab altero conceperit. Ita poſt Molinam *tom.* 3. *diſp.* 691. & Leſſium *de jure &c. l.* 2. *c.* 12. *dubit.* 10. *n.* 58. tenet Lugo *tom.* 1. *de juſtit. diſp.* 13. *Sect.* 2. *n.* 22. & alii plures. Ratio eſt: quia ſi omnibus penſatis maneat dubium, uter

uter e duobus sit parens, eo ipso de quovis seorsim prudenter dubitare licet, an teneatur alimentare prolem genitam: quemadmodum ergo non licet uti occulta compensatione, ubi debitum non est certum, eo quia nefas est propter debitum mere dubium possessorem bonæ fidei spoliare certa possessione suorum bonorum; ita pariter in hoc casu mulieri non licebit ab uno eorum, de quo dubitat, an sit Parens, prætendere alimenta necessaria. Ob eandem rationem probabilissimum censeo, quod nequidem ab utroque, ante Judicis sententiam, possit prætendere alimenta, quandoquidem uterque rationabiliter dubitet, an ipse potius, vel vero alter sit Parens: ergo uterque debet relinqui in certa, & quieta possessione suorum bonorum. Certe etiam filius dubitans, an v. g. a Titio, vel vero ab alio sit genitus, nequit propterea a Titio tacite subtrahere alimenta sibi necessaria, uti bene probat Lugo *l. cit.* ergo nec mater dubitans, an a Titio conceperit, id potest juste facere, sed debet potius sibimet imputare; quod circa idem tempus plures admiserit cum tanta incertitudine cognoscendi certum, ac determinatum genitorem.

163. Dixi tamen, quod nec ab utroque *ante sententiam Judicis* talis mulier possit prætendere alimenta prolis &c. Secus enim dicendum foret, si Judex utrumque pro rata dubii (sicuti potest justissime, tum in pœnam delicti; tum etiam ob bonum prolis honeste educandæ &c.) ad contribuendum jamjam condemnasset; cum enim justæ sententiæ quivis etiam pro foro conscientiæ teneatur sese accommodare, necessario fateri cogimur, quod in hoc casu uterque condemnatus teneatur in conscientia contribuere, hanc ob causam pariter existimo, quod mulier utrumque posset accusare apud Judicem & ab hoc postulare, ut condemnentur, & cogantur ad faciendas expensas necessarias; fere, quemadmodum v. g. Parens juste potest accusare stupratorem suæ filiæ, ut a Judice cogatur eandem ducere, aut dotare, esto ipsusmet Parens propria auctoritate nequeat illum ad hoc cogere.

Dices adhuc; at quid, si talis mulier ita dubitans jam actu coram Parocho, vel Judice sæculari unum e duobus dictavit Parentem suæ prolis, Judex autem postulet a muliere, ut juret, quod ab hoc, & non ab alio conceperit, licebitne mulieri tuta conscientia jurare?

164. R. Non licet. Ratio est; quia juramentum est invocatio divini Nominis *in testimonium veritatis:* ergo sine gravissima injuria Dei nullus jurare potest nisi sit moraliter certus de veritate, quam jurando asserit: atqui hæc mulier utpote dubitans e quonam conceperit, non est moraliter certa, quod non conceperit ab alio: ergo &c. Neque eidem liceret jurare amphibologice, subintelligendo scilicet, quod ab hoc *conceperit semen*; nam Judex prætendit juramentum assertorium in his terminis, an scilicet *ab eo quem dictavit Parentem, & non ab alio conceperit*, prolem scilicet: at, hoc affirmare nequit, neque jurare, quod ab altero *non conceperit semen*: ergo &c. Accedit, quod juxta receptissimam sententiam Doctorum, præsertim post propositiones ab innocentio XI. confixas, non liceat uti amphibologia: quando juramentum legitima auctoritate prætenditur saltem in casu, ubi interrogatus non timet periculum vitæ, vel alterius gravissimi mali. Prout videri potest apud Cardenam, Sbogar, & Viva *ad proposit. n.* 28. ab eodem Innocent. damnatam: atqui in nostro casu Judex supponitur legitime prætendere juramentum: ergo non licet uti amphibologia. Quænam autem conditiones requirantur ad hoc, ut Judex a tali muliere possit juste prætendere juramentum, non est hujus loci tractare. Potest tamen de hoc utiliter videri sapientissimus Gobat *in appendice* 1. *ad tr.* 2. *Theolog. experim. folio mihi* 10. 14.

CASUS TERTIUS.

CAjus Sacerdos dubitat, annon cuidam tentationi carnali nimium inhæserit, & eadem delectando morose, moraliter deliquerit, quam ob rem non parum anxius, & sollicitus incipit dubitare ulterius, an in hoc casu teneatur præmittere confessionem prius, quam celebret, an vero sufficiat conatus ad meram contritionem perfectam? Quid

Quid stante tali dubio Cajo faciendum incumbit?

165. R. Stante dubio practico tenetur Cajus abstinere a sacrificando, aut certe eligere id quod est tutius, scilicet præmittere confessionem. Ratio petenda est ex dictis *n.* 154. quia non amplectendo partem tutiorem sese exponeret evidenti periculo peccandi, & hoc ipso graviter peccaret contra reverentiam huic Sacramento augustissimo debitam.

166. Dixi tamen, Cajum teneri ad abstinendum &c. *stante dubio practico*, ad innuendum, quod etiam in tali dubio speculativo de statu gratiæ, Sacerdos possit se practice resolvere, quod non teneatur ad præmittendam confessionem; tum quia multi Doctores, nominatim Sa, Henriquez, Tannerus, Caramuel, & Gobat *tr.* 4. *Theol. exper.* *n.* 223. hanc opinionem censet probabilem ac tutam; tum etiam quia Concilium Tridentinum *ss.* 13. *de Eucharist. c.* 1. declarando obligationem præmittendi confessionem sacræ communioni, solum ait, quod nullus *sibi conscius peccati mortalis accedere debeat sacram Synaxin*, at, qui solum dubitat, annon consenserit peccato, non est sibi *conscius, quod peccaverit*: ergo dubitantem non concernit hæc obligatio. Tum denique, quia ex opposita sententia sequeretur, quod etiam positive dubitans de statu gratiæ, id est, habens peccatum mortale positive dubium, teneretur præmittere confessionem sacræ Synaxi; quod tamen Patroni adversæ sententiæ a potiori negant. Fatendum nihilominus est, oppositam sententiam esse longe tutiorem, & sin minus a ratione, saltem ab auctoritate probabiliorem, quam proin ob reverentiam huic augustissimo, & divinissimo Sacramento debitam omnimodis sectandam, & a Confessario urgendam existimo, nisi forte scrupulositas pœnitentis, vel aliæ circumstantiæ contrarium suadeant, veluti iam monui *in Theolog. Sacram. part.* 1 *Co.fer.* 14. *n.* 97.

At quid, si talis Sacerdos, vel quicumque demum, etiam sæcularis, dubitet, an v. g. os eluendo non deglutierit aliquot guttulas aquæ; vel certus omnino, quod aliquid comederit, aut biberit, dubitet, utrum ante, vel post duodecimam noctis? tenebiturne propterea abstinere a Sacrificio Missæ, vel a sacra Communione?

167. R. Probabilissime non tenetur, modo se resolvat practice. Ita contra Castropalao, Thom. Sanchez. Salas & alios (quorum sententia procul dubio tutior est) tenent satis communiter DD. nominatim Laymann, Herincx *p.* 4. *tr.* 3. *disp.* 6. *n.* 59. Cardenas *in* 1. *crisi. disp.* 26. *n.* 87. Gobat *Theolog. exper. tr.* 4. *n.* 280. & alii plures apud La Croix *lib.* 6. *p.* 1. *n.* 577. Ratio est: quia etiam in hoc casu dubitanti favet privilegium possessionis: quilibet enim possidet jus communicandi, donec probetur esse hic, & nunc incapax, aut indignus: ergo cum aliunde constet, quod facta non præsumantur, sed probari debeant, *l.* 1. *c. de probat.* hinc nemo tenetur probare, se esse jejunum, seu nihil comedisse, aut bibisse, sed talis probatio potius incumbit illi, qui vult impedire communicantem, uti bene advertit Gobat *l. prox.cit.* Et certe nullibi constat, quod Ecclesia velut pia Mater cum tanto rigore velit urgere, ut etiam dubitantes, an sint naturaliter jejuni, velit exclusos a mensa Domini: ergo nihil obstat, quo minus taliter dubitans tuta conscientia possit accedere sacram Synaxin, vel Aram conscendere. Idque a fortiori dicendum, casu quo Sacerdos vi suæ obedientiæ, aut officii, aut ratione scandali vitandi &c. urgetur ad celebrandum, uti bene docet Sporer *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 87. ubi tamen sapienter monet in dubio antecedenti, quando scilicet quis dubitat, an hora duodecima noctis jam sonuerit, vel non, Sacerdotem, qui altera die intendit celebrare, & Laicum, qui vult communicare, debere abstinere ab ulteriori cibo, aut potu sumendo; hoc enim reverentia hujus augustissimi Sacramenti omnino videtur exigere.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

168. EX hactenus dictis colliges primo, gnaviter esse distinguendum inter conscientiam *dubiam*, & *probabilem*; qui enim mere dubitat, suspen-

di:

dit suum Judicium, vel quia non invenit rationes judicandi, vel certe quia rationes ita sunt debiles, ut non videantur intellectui præbere fundamentum sufficiens aliquid judicandi, seu determinandi sitne hic, & nunc licitum operari, vel non. Econtra ille, qui ducitur opinione probabili, habet judicium determinatum de altera parte, v. g. *Quod census Germanicus sit licitus*; *quod ad veram orationem non sit necessaria attentio interna &c.* Inde fit, quod operans cum conscientia practice dubia semper peccet; & quidem peccato ejusdem speciei, qualitatis, & gravitatis &c. cujus committendi periculo practice, & formaliter sese exponit, velut jam supra n. 149. dictum fuit. Econtra qui cum conscientia probabili operatur, non peccat formaliter, prout videbitur ex dicendis in Conferentia proxima; quia saltem ex principiis reflexis sese resolvit practice, quod hic, & nunc licite operetur, v. g. exigendo censum, vel sumendo secundam refectionem. Videatur Felix Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *p.* 1. *c.* 1. *num.* 21.

169. Colliges secundo, eum, qui post factam diligentem inquisitionem veritatis adhuc dubitat, an lex sit lata, vel præceptum impositum: &c non teneri ad huius observantiam. Ratio est: quia in tali dubio manet in possessione suæ libertatis: e contra tamen qui est certus, quod Lege v. g. jejunii, aut præcepto Confessarii, alteriusve Superioris fuerit semel obstrictus, & solum dubitat, an huic obligationi satisfecerit, stante tali dubio tenetur adhuc satisfacere. Ratio est: quia in hoc casu possessio stat pro Lege, vel præcepto Superioris, uti jam dictum fuit *n.* 152. Idipsum tenendum est, quando quis dubitat, an hic, & nunc a Lege non sit exemptus, aut dispensatus &c. Videatur Sanchez l. 1. *Decalog. c.* 10. *n.* 32. *&* 35. Tambur. *in Decalog. l.* 1. *c.* 3. *§.* 7. *v. Leges & præcepta n.* 1. 2. *& seqq.* Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 3. *a.* 3. *a n.* 16.

170. Colliges tertio, eum qui dubitat, an lex obliget sub mortali, vel sub veniali duntaxat, mortaliter quidem peccare, si stante dubio practico contra Legem agat; nihilominus facile inveniturum rationes sese resolvendi, quod sub gravi obligatione non teneatur ad illius observantiam; idque hac potissimum ratione: quia supponitur non constare certo de obligatione gravi: ergo cum aliunde notum sit, *odiosa*, quantum rationabiliter fieri potest, *esse restringenda*, & *in obscuris minimum esse sequendum*, nihil prorsus obstare videtur, quo minus homo prudens, vel etiam Confessarius a pœnitente desuper consultus de facili possit concludere, quod dubitans non peccet mortaliter prævaricando huiusmodi Legem, modo prius practice sese resolvat. Vid. Tamburinus *l. cit. n.* 3. Babenstuber *ubi supra art.* 3. *n.* 11. *&* 25. Sanchez *l.* 6. *in Decalog. c.* 4. *n.* 66.

At, inquies, quid respondendum est illi, qui post votum, vel juramentum jam pridem emissum dubitat, an revera satis deliberate vel; cum sufficienti apprehensione obligationis illud emiserit?

171. R. Cum *communi DD.* esse distinguendum inter statum, & conditionem personarum, enimvero si vovens nondum habuit septem annos ætatis completos, præsumendum omnino est, eum non habuisse sufficientem usum rationis, & per consequens votum non esse validum: contra tamen si supponatur emisisse votum post usum rationis iam plene adeptum, regulariter præsumendum erit, votum fuisse satis deliberate emissum, nisi aliunde de contrario constet. Puto tamen ego hisce temporibus de Juvenibus, aut Puellis etiam decem, vel plurium annorum merito dubitari posse, an tali tempore satis intelligant, quid sit obligatio voti, præsertim in materia tam gravi, uti est v. g. ingressus S. Religionis, vel observantia perpetuæ castitatis. Profecto etiam Ecclesia sancta Mater nostra, videtur de hoc satis dubitasse, dum ob hanc ipsam causam Religiosam professionem ante annum decimum sextum emissam cassam & irritam voluit *in Concil. Trid. §.* 25. *de Regular. c.* 15. In simili casu tamen Confessario caute est procedendum, ne pœnitentem nimis liberaliter a voto absolvat, neque etiam rigorose nimis voto obligatum declaret. Videatur de hoc Castropalao *part.* 2. *tr.* 1. *disp.* 3. *punct.* 11. *n.* 3. *&* 4.

172. Col-

172. Colliges quarto, subditum rationabiliter dubitantem, an res a Superiore sibi præcepta sit licita, vel non, teneri ad obsequendum suo Superiori. Ratio est: quia Superior contra subditum est, & manet in certa possessione suæ potestatis, & auctoritatis; tum etiam quia Superiori competit certa potestas præcipiendi non solum ea, quæ sunt reipsa licita, verum etiam illa, quæ prudenter creduntur, & apparent esse licita; & hoc supposito subditus potest esse moraliter certus, quod non peccet obediendo, & exequendo id, quod præceptum fuit: ergo pariter certum esse debet, quod teneatur obedire; quandoquidem obedientiam ex nullo capite recusare valeat, quam ob periculum peccandi, & offendendi Deum. Ita contra Vasquez, & paucos alios tenet Castropalao *part.* 1. *disp.* 3. *pu.* 13. *n.* 3. Sanchez *lib.* 6. *n Decal. c.* 3. *n.* 3.

Sed quid, inquies, si Superior aliquid præcipiat, quod sine gravi damno proprio, vel alieno in honore, fama, divitiis, vel sine periculo vitæ præstare non possum: ut si Superior me interroget de delicto gravi, sive proprio, sive alieno, & ego prudenter dubitem, an juridice interroget, teneorne in hoc casu obedire?

173. R. Etiam in hoc casu ad obediendum te condemnat Joannes Sanchez *disp.* 23. *n.* 28. quia etiam in hoc casu videtur præsumendum, quod Superior juste præcipiat; nihilominus Thomas Sanchez *l.* 6. *in Decalog. c.* 3. *n.* 24. Lessius *l.* 2. *de just. c.* 31. *dub.* 3. *n.* 76. *&* *cap.* 41. *dubit.* 9. *n.* 76. aliique plures, quos refert, & sequitur Castropalao *cit. n.* 16. probabilius putant, te in hoc casu non teneri ad obediendum. Ratio est: quia subjectio & obedientia debita Superiori non tollit jus, & possessionem tuam, vel illius circa bonum honoris, famæ, corporis, aut fortunæ: ergo non teneris te hac certa possessione privare in re tam magni momenti, sed potius æquitati consonum videtur, ut habeatur major ratio tuæ possessionis certæ, & hæc præferatur juri, vel possessioni aliquo modo dubiæ Superioris.

174. Colliges denique quinto inepte eos agere, qui post actum jamjam commissum, vel omissum, primum inquirunt, vel etiam legendo percurrunt Auctores, ut inveniant aliquam sibi faventem, qui scilicet approbet factum, vel omissionem. Similiter inepte agunt illi, qui e Confessario quærunt, an hoc, vel illud agendo v. g. non jejunando, non audiendo sacrum &c. peccaverint, vel non? Nam peccatum præteritum non dependet a Judicio Auctoris, vel Confessarii, sed a Judicio, seu dictamine practico, quod operans habuit, dum actu aliquid fecit, vel omisit &c. Unde a Confessario id unum inquirendum est, an scilicet pœnitens eo tempore fuerit in bona, an vero in mala fide, seu an putaverit se hoc, vel illud agendo peccare, aut non? Si bona fide processit, non peccavit: si autem mala, utpote putans se peccare, aut certe practice dubitans &c. absolute concludendum, quod peccaverit, prout ex hactenus dictis liquet. Si tamen hujuscemodi pœnitens alio ex fine non interroget, quam ut veritatem agnoscat, quidnam scilicet in futurum habeat agere in simili contingentia, omnino prudenter facit, propterea que Confessario vi sui officii incumbet ignorantem instruere. Videatur Sporer *tr.* 1. *c.* 1. *num.* 33. La Croix *lib.* 1. *num.* 44.

CONFERENTIA
SEPTIMA.
De Conscientia probabili.
SUMMARIUM.

175. *Quid sit*, opinio probabilis, *&* *quid* probabilior?
176. 177. *&* 178. *Breviter declaratur quotuplex sit opinio probabilis.*
179. *Quid sit* opinio tuta; Et
180. *Quid* opinio moraliter certa, *vel etiam* communis?
181. *Utrum auctoritas unius duntaxat Doctoris possit opinionem reddere probabilem?*

182.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de conscientia probabili.

Quæres primo, quid sit opinio probabilis; & quid probabilior?

175. R. Opinio probabilis idem est, ac Judicium fallibile quidem, sed rationabili, & tam *absolute*, quam *respective gravi* motivo innixum. Ita Laymann, Sanchez, La Croix *l.* 1. *n.* 108. & Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 4. *a.* 1. *num.* 8. Ratio hujus descriptionis inde desumenda est: quia probabilitas ut sic nihil aliud importat, quam apparentiam veri fallibilis, ob gravitatem motivi, seu rationis nata fundare assensum prudentem: ergo Judicium illud, quo ex gravi, licet fallibili motivo, aliquid judicamus verum, aut verosimile, recte appellatur opinio probabilis. Necessum tamen est ad veram probabilitatem, ut

moti-

motiva tam *absolute*, id est, secundum se, quam etiam *respective* ad alia huic opinioni contraria, gravia sint, id est, talia quæ prudenter videantur verosimilia, & sufficientia ad movendum virum prudentem; nam si motiva contrariæ opinionis essent certa, tunc talis opinio non amplius maneret probabilis: sic v. g. ex eo, quod nobis certo constet Deum esse unum, & trinum, opinio, vel sententia negans Trinitatem nequit nobis amplius esse probabilis, nec meretur assensum prudentem. Ex quo liquet, illam opinionem dicendam esse probabiliorem, quæ gravioribus nititur motivis, licet non certis.

Quæres secundo, quotuplex sit opinio probabilis?

176. R. Est multiplex: ad nostrum tamen propositum haud incongrue dividitur 1. in ex & intrinsece. 2. In speculative & practice, & 3. in directe, & reflexe probabilem. Explico breviter singula membra.

I. *Extrinsece* probabilis dicitur, quæ suam probabilitatem præcise sortitur ab auctoritate Doctorum, utpote quæ extrinseca opinioni, vel objecto opinionis: quemadmodum autem hæc auctoritas sola parum confert ad veritatem, ita etiam parum confert ad probabilitatem, esto minime spernenda sit, eo quod merito præsumere liceat, auctores non docuisse sine rationum pondere, præsertim si constet, eos fuisse, & Doctrina, & pietate excellentes. *Intrinsece* probabilis dicitur ea, quæ nititur gravibus motivis, & rationibus desumptis ex ipsa natura objecti.

177. II. *Speculative probabilis* dicitur illa, quæ quidem nititur motivis rationabilibus, & prudentibus, a praxi tamen præscindit, vel certe asserit duntaxat generice, aliquam operationem esse licitam, præscindendo a circumstantiis in particulari, v. g. *Baptismum collatum in lixivio esse validum*, vel: *osculum datum personæ alterius sexus, non esse peccaminosum*. *Practice probabilis* appellatur, quæ ex motivis rationabilibus, & gravibus adstruit, aliquam actionem in individuo, seu in his, vel illis circumstantiis, haud esse illicitam v. g. non esse illicitum pingere die festivo; reticere in confessione circumstantias etiam notabiliter aggravantes &c. censum Germanicum ab hoc vel illo exigere &c.

178. III. *Opinio directe probabilis* dicitur illa, cujus probabilitas desumitur ex ipsa natura objecti: sic v. g. inspecta natura artificii pictorii probabilissimum, & verosimillimum videtur, pingere non esse opus servile. *Reflexe autem probabilis* nuncupatur illa, cujus probabilitas non attenditur præcise penes naturam ipsius objecti, sed ex eo, quod præsupposita probabilitate directa alicujus opinionis, nos reflectamus ad alia principia, seu argumenta, objecto illius opinionis extrinseca (cujusmodi sunt hæc: *In dubio melior est conditio possidentis*: item: *quod perpensis omnibus, plurimi viri docti, probi, atque prudentes asserunt esse licitum, illud facimus absque peccato &c.* & alia plura superius *n.* 152. *& seqq.* recensita) & ex illis probabilissime, immo moraliter certo concludamus, hanc, vel illam actionem esse licitam. Exempli gratia supposito, quod ex argumentis, seu principiis directis probabile sit, agrum, quem hactenus bona fide, utpote titulo emptionis, donationis &c. possedi, esse meum, esto non sim omnimode certus, sed potius dubitans speculative ob rationes alias, an non sit alterius, postea me reflecto ad alia principia extrinseca, in hunc fere modum argumentando: *Stante dubio speculativo de Domino proprietatis, melior debet esse conditio possessoris bonæ fidei, &c. huic relinqui Dominium, seu dispositio. atqui ego sum talis possessor; ergo &c.* Item possum me resolvere in hunc modum: *quod plurimi viri, prudentia, Doctrina, & probitate præditi asserunt, licite a me fieri, illud facio sine peccato; quia prudenter ago: at, quod suppositâ probabilitate directa, & stante possessione bonæ fidei, licite retineam Dominium agri, illud asserunt plurimi viri prudentia, pietate, & Doctrina famosi: ergo &c.* Ex quo liquet ad oculum, opinioni speculative probabili, ex hujuscemodi principiis reflexis conciliari posse nedum novam, & majorem probabilitatem reflexam, sed insuper posse inferri Judicium practicum, seu dictamen conscientiæ moraliter certum, vi cujus tuto me resol-

vo,

vo, quod in his circumſtantiis non peccem retinendo v. g. agrum &c. Videatur de hoc Babenſtuber *tr.* 1. *diſp.* 4. *a.* 1. *n.* 9. Vel La Croix *a. n.* 113.

Quæres tertio, quid ſit opinio tuta, vel tutior, & quid opinio moraliter certa?

179. R. 1. Opinio tuta illa merito dicitur, in cujus ſequela, vel praxi nullum eſt periculum peccati: illa proin dicitur tutior, in cujus praxi minus periculi apparet: ſic in exemplo proxime allato opinio, quæ dicit, quod velut poſſeſſor bonæ fidei ſtante dubio ſpeculativo poſſim retinere Dominium agri, eſt tuta, quia ex tali retentione non pecco ſaltem peccato formali: ſi tamen ejuſdem agri dominium relinquam actori, qui illud ob rationes probabiles, vel etiam probabiliores a me prætendit; tutius ago; quia in hoc nullum prorſus eſt periculum peccati, nec formalis, neque materialis.

Similiter circa valorem Sacramenti illa opinio dicitur vere tuta, ex cujus ſequela nullum prorſus periculum invaliditatis Sacramento imminet, cujuſmodi eſt hæc, quod ad valorem Sacramenti pœnitentiæ ſufficiat attritio ſupernaturalis etiam cognita. Ex quo rurſus liquet, non eſſe idem *opinio tutior* & *opinio probabilior*, nam ly *tutius* attenditur penes hoc, quod in paxi talis opinionis appareat minus periculum peccandi; econtra ly probabilius deſumitur ex rationibus ſolidioribus, vel ex auctoritate graviori; propertereaque opinio minus probabilis poteſt eſſe tutior, & e contra opinio probabilior eſſe minus tuta. Sic opinio aſſerens poſt commiſſum peccatum illico pœnitendum, ſeu confitendum eſſe; eſt quidem tutior; quia hoc faciens nullo modo peccat; eſt tamen minus probabilis, quia nititur debilioribus fundamentis, quam contraria: poteſt tamen fieri ut eadem opinio ſit ſimul probabilior, & tutior, prout recte advertunt Doctores *communiſſime*, nominatim La Croix, Henno *tr. de conſcient. diſp.* 3. *q.* 1. *concluſ.* 3.

180. R. jam ſecundo. Opinio moraliter certa eſt illa, quæ juxta communem hominum exiſtimationem reputatur vera, licet abſolute loquendo poſſet eſſe falſa, ſic opinio illa, qua judico hunc hominem ab Epiſcopo ordinatum, eſſe Sacerdotem, hanc hoſtiam a Sacerdote conſecratam &c. continere Chriſtum &c. eſt moraliter certa; quo circa tamen advertendum eſt, poſſe unam opinionem eſſe certiorem altera, quales ſunt illæ, quæ nituntur principiis fidei, aut definitionibus Eccleſiæ, de quibus ſuperius jam notavimus, quod excludant probabilitatem opinionis contradictoriæ.

Quæres quarto, utrum auctoritas unius duntaxat Doctoris poſſit opinionem aliquam reddere probabilem?

181. R. Sola quidem auctoritas unius Doctoris opinionem probabilem reddere nequit, prout ſatis liquet tum ex dictis *n.* 176. tum etiam ex damnatione ſequentis propoſitionis *n.* 27. inter proſcriptas ad Alexandro VII. *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dummodo non conſtet rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*; nihilominus ſi talis Doctor noſcatur vere excellens in ſua arte, probus, & timoratus, remque ex profeſſo tractet, & pro ea ſolidam rationen afferat, nec appareat aliquid oppoſitum convincens, tametſi doceat contra communem aliorum, reddet opinionem ſatis probabilem, ita ut hanc vir minus doctus, illiteratus, vel ſimplex licite ſequatur. Ratio eſt: quia talis homo prudenter poteſt ſupponere, quod vir utpote doctus ſimul, & probus, ſine vere gravi, ac prudenti, & ſolido fundamento non fuiſſet auſus aſſerere illud licitum. Unde etiam diſcipulus licite, & tuto ſequitur opinionem a ſuo Magiſtro in Scholis traditam, quem peritum, & timoratum judicat, ait Sporer *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 41. De quo etiam videri poſſunt La Croix *l.* 1. *n.* 153. & 154. Babenſtuber *tr.* 1 *diſp.* 4. *a.* 1. *n.* 20.

Quæres quinto, quid ſit conſcientia probabilis?

182. R. Conſcientia probabilis eſt illa, quæ ex principiis vere probabilibus, ſeu veroſimilibus practice certo dictat, hanc vel illam actionem in particulari eſſe licitam, vel eſſe illicitam. Ita rurſus Sporer *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 31. & re ipſa *Doctores communiter*. Et ratio hæc eſt: quemadmodum enim in caſu, quo ratio ſub principio Synthereſis ſubſumit aliud prin-

principium certum, vel pro certo creditum, enascitur conscientia recta, vel erronea, ita pariter in casu, quo eadem ratio subsumit aliquod principium verosimile, & probabile, esto non certum, enascitur conscientia probabilis. Quod autem etiam hæc conscientia debeat practice certo dictare, causa hæc est: quia etiam conscientia probabilis debet esse regula actionis humanæ honestæ, & operantem practice reddere securum de honestate, quod scilicet hoc faciendo non peccet: at, nisi practice certo dictaret, actionem esse licitam, & honestam, sed potius relinqueret intellectum in formidine practica, & in dubio de honestate, non esset regula honestatis, nec operantem reddere posset securum de honestate actionis, sed potius relinqueret expositum periculo formali, & proximo peccandi: ergo etiam conscientia probabilis debet practice certo dictare &c.

Dices tamen contra hoc: ex principiis probabilibus nequit inferri conclusio certa, sed probabilis duntaxat; nam conclusio sequitur partem debiliorem, proptereaque nequit in sua certitudine superare præmissas; ergo prorsus inepte dicimus, quod conscientia probabilis possit *practice certo dictare &c.*

183. R. Distinguendo antecedens; ex præmissis probabilibus nequit inferri conclusio certa, ita, ut præmissa probabilis sit causa immediata, & proxima ad talem conclusionem, conced. ita, ut sit tantum causa remota, & mediata, neg. anteced. cum conseq. Judicium practice certum ex præmissis moraliter, & practice certis immediate infertur, ex probabilibus vero non infertur nisi mediate, & remote se habentibus; qui enim opinionem probabilem sequitur, v. g. hanc, quod die festo licitum sit pingere, in hunc fere modum (sive dein explicite, formaliter, sive implicite saltem, & virtualiter secum discurrit) omne opus, quod non est servile, licite perago die festo (nisi scilicet aliunde sit prohibitum) atqui pingere non est opus servile: ergo licite pingo &c. In hoc discursu major propositio est quidem certa, minor autem, & conclusio est probabilis duntaxat, & habet adjunctam formidinem, an scilicet pingere sit licitum, & an non sit opus servile. Jam vero eo ipso, quod cernat, opus pingendi probabiliter non esse opus servile, ulterius subsumit, ideoque *mediate* subinfert hoc modo: eo ipso, quod pingere probabiliter non sit opus servile, prudenter judico, illud mihi esse licitum, quia in tali dubio debet esse melior conditio subditi possidentis suam libertatem, atqui opus, quod prudenter judico licitum, licite, & sine peccato facio; *Ergo licite pingo etiam in die festivo*. Similiter is, qui prudenter existimat v. g. hostiam A. esse legitime consecratam: prudentissime sese resolvet in hunc modum: omnem hostiam, quam prudenter existimo consecratam, licite adoro; hanc autem prudenter existimo consecratam: *Ergo hanc hostiam licite adoro*. Ecce hic! duo dictamina conscientiæ, immediate illata ex præmissis certis; e quibus ad oculum patet, quomodo ex probabilibus præmissis remote concurrentibus tandem possit inferri conclusio, seu dictamen moraliter, & practice certum de honestate operationis. Et quemadmodum non obstante tali dubio, vel potius formidine speculativa, ne forte hostia quacunque demum ex causa non sit consecrata, nihilominus practice nos certo resolvimus, hujus hostiæ adorationem non esse illicitam; sed certo honestam; ita pariter non obstante formidine illata speculativa, ne forte pingere sit opus servile, practice certo possumus concludere, quod die festivo pingere non sit peccaminosum. Videatur Babenstuber *tr. 1. disp. 4. art. 2. n. 2.*

Dices iterum: Si conscientia probabilis practice certo dictat, eo ipso non amplius debet dici dictamen conscientiæ *probabilis*, sed conscientiæ *certæ*: at, hoc est contra suppositum: ergo &c.

184. R. Negando illatum: quemadmodum enim conscientia erronea dicitur talis ex eo, quod ad hujus formationem concurrat aliquod principium erroneum, licet dictamen hujus conscientiæ practice sit rectum, & certum; ita pariter recte dicimus, illam conscientiam esse probabilem, ad cujus formationem saltem remote concurrit aliquod principium probabile duntaxat, tametsi ultimum dictamen practicum nullam contineat in se formidinem, sed potius practicam certitu-

titudinem de honestate operationis, uti bene observat Herincx *part. 2. tr.2.disp. n.* 24.

Quæres sexto sitne licitum sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam, relicta etiam probabiliore, & tutiore?

185. R. primo. Per se loquendo non est illicitum sequi minus probabilem in quæstionibus Juris, id est, quando agitur de sola honestate, seu liceitate alicujus actionis. Ita hodie *satis communiter Doctores*, Terillus *tr. de conscient. probab. q.* 22. *a n.* 9. referens pro eadem sententia plures quam 150. Auctores Eandem tenent Mastrius *Theolog. moral. disp.* 1. *q.* 4. *n.* 64. Herincx *part.* 2. *tr.* 2. *disp.* 4. *n.* 22. Sporer *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 42. *& seqq.* Reiffenstuel *tr.* 1. *dist.* 3. *n.* 50. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 1. *n.* 59. Illsung. *disp.* 1. *art.* 6. §. 6. *a n.* 56. Castropalaus *part.* 1. *disp.* 2. *pu.* 2. La Croix *l.* 1. *n.* 268. Stoz *lib.* 1. *part.* 5. *n.* 107. *& seqq.* Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 4. *art.* 2. *n.* 14. & innumeri alii, ita, ut Stephanus Spinola merito scripserit, hanc opinionem esse Recentiorum omnium calculo, & universali pene populorum usu confirmatam; etsi Gonzales, & alii multi oppositum mordicus teneant, quibus ex nostris novissime subscripsit Henno, valde liberalis, ne dicam excessivus, in censuranda hac nostra sententia. Ratio autem præcipua, & fundamentalis hujus nostræ benignæ opinionis hæc reddi potest: quia, ut proxime visum est, sequens opinionem probabilem potest se practice certo resolvere, quod hic, & nunc non peccet: atqui dictamen practicum est regula proxima actionum humanarum: ergo moraliter certus est de honestate suæ actionis; id quod amplius confirmatur ex eo: quia quisquis prudenter operatur, non peccat; implicat enim operationem prudenter exercitam esse peccatum: at, qui etiam relicta opinione tutiore, & probabiliore, amplectitur minus quidem, vere tamen probabilem, uti supponitur, operatur prudenter; qui sequitur sententiam gravi fundamento nixam, & omnino dignam assensu viri prudentis, uti satis liquet ex hactenus dictis: ergo non peccat &c. Accedit, quod sine certa Lege non debeat hominibus imponi obligatio gravis, qualis est hæc de sequenda semper opinione tutiore &c. atqui ab AA. nequit ostendi certa lex: ergo &c. Qui plures rationes pro hac opinione desiderat, adeat P. La Croix *l. prox. cit.* ubi etiam fundamenta contraria inveniet soluta.

186. Dixi tamen: *Per se loquendo non esse illicitum &c.* Nam per accidens subinde non licet sequi hujusmodi sententiam minus probabilem, idque in sequentibus casibus, 1. Si quis advertat, se ex hujusmodi expositum iri periculo peccandi. Ex. gr. esto probabile sit, te posse juxta morem patriæ osculo excipere fœminam, præsertim cognatam; item: posse Confessarium cum altero sexu spiritualis instructionis gratia familiarius conversari; item, posse mulierem animo placendi suo marito incedere cum profano illo ornatu, & liberiori denudatione colli &c. si tamen prævideatur ex hujusmodi praxi imminere periculum animæ, seu gravis ruinæ spiritualis, cessat omnino probabilitas practica talium opinionum. Rursus 2. qui ignorat probabilitatem alicujus opinionis, vel omnino credit, eam esse improbabilem, sine dubio peccaret, eandem practicando 3. Similiter qui ex pacto, vel vi sui officii sese obligarunt ad sequendas opiniones tutiores, illicite agerent practicando minus tutam; at, hoc per accidens duntaxat, id est, non virtute præcepti divini, quo teneremur in omni casu, etiam ubi agitur de sola honestate actus, sequi tutiora, sed quia, vel ex præcepto charitatis, vel justitiæ adstringimur abstinere ab hujusmodi praxi. Videatur Sporer *l.* 1. *c.* 1. *n.* 49.

187. R. jam secundo ad idem quæsitum n. 185. propositum: in quæstionibus facti, id est, quando agitur de facto, vel valore rei v. g. Sacramenti, vel de efficacia actionis cum probabili damno temporali, vel spirituali proximi, vel nullitate Sacramenti, tenemur sequi sententiam tutiorem. Ita in re *communissime DD.* nominatim Herincx *p.* 2. *tr.* 2. *disp.* 4. *n.* 26. Sporer *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 51. Babenstuber *tr* 1. *disp.* 4. *a.* 2. *n.* 22. Reiffenstuel *tr.* 1. *dist.* 3. *n.* 56. Ratio est: quia extra casum necessitatis nunquam licet sese exponere periculo irrogan-

gandi injuriam Christo, vel damnificandi graviter proximum &c. constat enim, hoc repugnare virtuti Religionis, vel charitatis, vel etiam justitiæ: at, sequens opinionem minus tutam, vel minus probabilem, ubi agitur de valore alicujus Sacramenti, vel actione conjuncta cum periculo damnificandi proximum &c. sese exponit tali periculo; ergo &c. *minor* facile probari potest exemplis; nam sacerdos v. g. baptizando in materia minus tuta, utputa in lixivio, aut cerevisia, exponit se periculo irreverentiæ erga Sacramentum, utique non sine gravi injuria erga Christum Sacramentorum Auctorem: insuper etiam exponit infantem baptizatum periculo salutis spiritualis. Similiter medicus adhibens pharmaca minus tuta, relictis tutioribus, & probabilioribus, exponit infirmum periculo vitæ, vel aliorum damnorum. Denique Judex ferendo sententiam pro parte habente jus minus probabile, exponit se periculo graviter damnificandi partem contrariam: ergo peccant graviter.

Dices: Peregrinus tenetur incedere viam securiorem e duabus: ita enim suadet prudentia, & charitas. Similiter secundum mox dicta, medicus, & ægrotus tenentur amplecti salubriora medicamina; Rursus miles tenetur uti armis aptioribus ad obtinendam victoriam, artifex instrumentis magis idoneis ad suum finem: ergo a fortiori quivis Christianus in negotio suæ salutis (quod utique omnium maximum est) tenetur sequi sententias tutiores, tametsi non agatur de valore, sed de sola honestate actionis.

188. R. negando conseq. & paritatem. Nam honestas actionis proxime, & quidem totaliter dependet a prudenti Judicio practico operantis, cui, si actus est conformis, eo ipso bonus censetur, etsi in se bonus non esset, veluti constat de adoratione hostiæ non consecratæ, quæ tamen prudenter creditur consecrata: e contra valor Sacramenti, efficacia medicinæ, aptitudo armorum, vel instrumentorum &c. minime dependet a nostro Judicio practico: nam si millies, & optima quidem fide tibi persuadas, te baptizare in aqua naturali, vel putes baptismum in vino collatum esse validum, talis baptismus in vino collatus erit nullus, neque ob tuam persuasionem infans baptizatus emundabitur a labe Originaria, sed manebit expositus periculo salutis æternæ. Ex quo cuivis perpendenti patebit palmaris disparitas inter utrumque casum, seu inter quæstiones juris, ubi agitur de sola honestate, seu licentia alicujus actionis, & inter quæstiones facti, ubi agitur de validitate actionis &c.

Dices adhuc. Qui sequitur sententiam minus probabilem, practice judicare & credere debet, hanc suam actionem esse probabilius peccaminosam: at, qui stante tali Judicio operatur, eo ipso peccat, & incurrit gravissimum damnum animæ: ergo nunquam prorsus licet sequi opinionem minus probabilem.

189. R. Negando majorem; qui enim amplectitur sententiam minus probabilem, non judicat practice hanc suam operationem probabilius esse peccaminosam, multo minus ideo eam amplectitur; quia judicat minus tutam, minus probabilem, vel minus probabiliter licitam (prout Adversarii nostri sinistre sibi persuadent) sed potius judicat practice se hic, & nunc operando non peccare, propterea que eam sequitur, quia moraliter certus est, se Deum non offendere. Et licet is, qui v. g. sequendo opinionem minus tutam, die festivo pingit, maneat speculative dubius de hac veritate: *An pingere fortassis non sit opus servile*. hoc ipso tamen, quod non constet, esse opus servile, vel ut tale esse prohibitum, practice certo concludit, *se pingendo non peccare*, patrocinante sibi certo titulo, scilicet possessionis suæ libertatis: fere, quemadmodum secundum dicta superius *n.* 156. dubitans, an emiserit votum castitatis, non obstante hoc dubio speculativo, practice certo potest se resolvere, quod non teneatur ad observantiam voti, & quod tuta conscientia amplecti valeat statum matrimonialem.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa conscientiam probabilem.

CASUS PRIMUS.

Titius nuper a quodam insigni suo benefactore, & fautore institutus fuit hæres universalis, & licet testamentum ab uno, alterove competitore fuerit efficacissime impugnatum, nihilominus tum ob singularem advocati sui dexteritatem, & peritiam, nec non ob peculiarem favorem unius alteriusve Judicis in hac causa triumphavit felicissime ita, jamjam adierit hæreditatem. Quia tamen in eodem testamento reperit multa legata pia, sibi valde invisa; hinc sciscitatur, an non possit tuta conscientia eorum executionem intermittere, pecunia sibi reservata; tum quia hanc actu jam possidet bona fide; tum etiam quia saltem probabile videtur, dispositionem testatoris fuisse invalidam, & hoc ipso dubitare licet, an teneatur eam exequi. Quid Confessarius respondebit interroganti?

190. R. Titium esse obligandum ad præstanda, & exequenda pia legata. Ratio est: quia adeundo hæreditatem ipso facto censetur sese obligasse ad portanda onera sibi, ceu hæredi universali incumbentia; enimvero juxta notissimam illam Regulam 55. *juris in sexto*, æquitati vel maxime consentaneum est, ut is, *qui sentit onus, sentire debeat commodum: & e contra*. Accedit, quod Judex declarando testamentum validum, eo ipso saltem implicite declaraverit Titium de voluntate pii testatoris esse obligatum ad præstanda pia legata, ceu contra quædam annexa huic testamento; esto proin speculative fuerit probabile, testamentum esse nullum, practice tamen probabile non est, quod Titius, ceu hæres universalis institutus, post sententiam Judicis tuta conscientia possit adire hæreditatem, & simul negligere excusationem piorum Legatorum: certum quippe est, quod sententiæ justæ, & piæ testatoris intentioni teneatur se accommodare. Et licet pecuniam a testatore relictam actu possideat bona fide, eam tamen non aliter obtinuit, quam cum onere præstandi pia legata: unde hæc possessio in hunc finem nihil suffragatur Titio.

Dices. Saltem hoc videtur certum, quod insistendo principiis nostræ sententiæ benigne, & præscindendo a sententia Judicis, Titius possèt tuta conscientia adire hæreditatem, eo quod testamentum probabiliter fuerit validum; postea negligere legata ex eo capite, quia idem testamentum probabiliter fuerit nullum.

191. R. Neque hoc permittendum esse Titio, tametsi præscindamus a sententia Judicis. Ratio est: quia non licet mutare opinionem semel electam, si talis mutatio necessario cedat in præjudicium certæ Legis, vel alicujus tertii; quævis enim lex possidet jus certum, ne fraudulenter eludatur: ergo pariter obligat, ne semel electa opinio mutetur in manifestum sui præjudicium: atqui talis mutatio in nostro casu necessario cedet in præjudicium testatoris, cujus dispositio se habet ad instar Legis, juxta *c. ultima voluntas* 4. *c.* 13. *q.* 2. ubi dicitur: *ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet*: tametsi ergo supponatur probabile, quod testamentum fuerit nullum, posito tamen, quod Titius hæreditatem jamjam adierit, minime videtur probabile, eum posse tuta conscientia negligere pia legata, quin potius moraliter certum est, quod teneatur ea præstare, quippe ad quorum solutionem sese implicite saltem obligavit adeundo hæreditatem, & ratificando voluntatem defuncti. Videatur de hoc Stoz *l.* 1. *p.* 5. *n.* 114. Spor. *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 35. Esparsa *de Act. hum. q.* 23. Lugo *de Eucharist. disp* 15. *a n.* 46. La Croix *l.* 1. *n.* 372. & 373.

Dices: ergo jam cogimur fateri, non semper esse licitum amplecti opinionem etiam vere probabilem.

192. R. Distinguendo illatum. Non semper licet sequi opinionem, quæ est speculative duntaxat probabilis, con. quæ est practice probabilis, id est, talis, supra quam possumus formare Judicium practicum, quod eam amplectendo hic, & nunc non peccemus, neg. illatum. Gratis ergo fatemur, non omnem propositionem de se, & speculative duntaxat probabilem illico tuta conscientia deduci posse in praxin, idque vel maxi-

me, tunc, quando nobis aliunde constat de certa Lege, hujusmodi praxin prohibente. Pro hujus pleniori captu recolendum est ex dictis supra *n.* 177. duplex illud genus propositionum, speculativarum scilicet, & practicarum. Ex gr. hæc propositio: *Paulus mihi debet* 100. *florenos*, est speculativa, & potest esse vere probabilis; hæc vero: *ergo possum eidem centum auferre*, est practica, utpote loquens de praxi: prior supponitur vera speculative; posterior tamen falsa est, quia huic praxi obstat certa lex, qua cavetur, ne possessor bonæ fidei privetur re possessa ob debitum probabile duntaxat, immo ne quidem ob debitum probabilius; nam juxta *Reg.* 136. *de. R. J. bona fides tantundem possidendi præstat, quantum veritas; quoties lex impedimento non est*. Similiter in materia facti hæc propositio: *Baptismus collatus in lixivio valet*, est speculativa, & probabilis, seu probabiliter vera; hæc vero: *Ergo in lixivio licite baptizo sine necessitate*, *est practica*, *& certo falsa*; quia hæc praxis certo vergeret nedum in irreverentiam huic Sacramento debitam, sed etiam in detrimentum, vel saltem in periculum animarum, contra virtutem charitatis, & Religionis. Vide Sporer *tr. proœm. c.* 1. *n.* 52.

CASUS SECUNDUS.

Sempronio quidam ad mortem decumbens fassus fuit, se sedecim annis in continuo concubinatu vixisse cum sua famula, & tempore hujus infirmitatis sæpius erga eandem exarsisse amore venereo, neque etiamnum ab omni tentatione, aut sinistro erga eandem affectu immunem esse; quo intellecto Sempronius satagebat infirmum disponere ad verum dolorem, & efficax propositum, tandemque absolvit. Tertia quarta & quinta die eundem infirmum denuo invisit sollicitus pastor, verum, quoties ad illum venit, toties invenit relapsum, sin minus opere, saltem mente, & affectu; quam ob rem vehementer cœpit dubitare de efficacia propositi, & de sufficientia dispositionis; partim ob labilitatem infirmi hactenus satis exploratam, partim etiam propter periculum ex occasione proxima imminens: eadem enim famula spe obtinendi quoddam legatum &c. quam officiosissime servivit, & quasi continuo astitit lecto decumbentis. Quare Sempronius dubitat 1. *an in his circumstantiis possit absolvere infirmum? &* 2. *quid agendum;*

193. R. Sempronius Confessarius nedum potest, sed etiam tenetur absolvere talem infirmum, modo serio promittat 1. quod cum divina gratia pro viribus velit resistere tentationibus, & insultibus inimici, & 2. quod quamprimum moraliter (absque periculo scilicet infamiæ, vel scandali &c.) fieri potuerit, velit hanc famulam, vel omnino a se amandare, vel certe serio eidem mandare, ne tam frequenter, & quasi continuo subeat conspectum. Ratio hujus resolutionis est, quia cum hoc Sacramentum sit summopere necessarium, præsertim hominibus tam fragilibus, simulque sit institutum ad animarum salutem; hinc debet administrari toties, quoties ex hujus denegatione immineret periculum animæ, ex administratione vero saltem probabilis spes valoris, & fructus inde percipiendi: at si infirmus serio promittat servare duas conditiones mox recensitas, apparet probabilis spes salutis, econtra ex denegatione absolutionis imminet evidens periculum animæ: ergo in hoc casu debet illum absolvere. Accedit insuper, quod in dubio practico, præsertim ubi ex utraque parte videtur imminere periculum peccandi, teneamur eligere id, quod tutius est, juxta dicta superius *de conscientia dubia a. n.* 149.; at in hoc casu Sempronio ex utraque parte imminet periculum peccandi saltem materialiter, scilicet contra reverentiam Sacramenti, si absolvat, vel contra charitatem proximi, si denegat absolutionem, & quidem cum periculo animæ: ergo cum ex hoc posteriori capite immineat majus periculum peccandi, tutius est absolvere, quam non; consequenter Confessarius tenetur absolvere pœnitentem. Videantur de hoc dicta *in Theol. Sacram. p.* 2. *Confer.* 8. *a. n.* 211. vel La Croix *lib.* 1. *n.* 474.

194. R. jam ad secundum dubium hujus casus, Sempronio ceu Confessario singulariter esse observanda sequentia. 1. Ut hujuscemodi infirmo serio, & frequenter inculcet obligationem gravissi-

simam, quam primum, & quantum moraliter fieri potest, amandandi a se personam illam complicem, ceu lapidem offensionis, & petram scandali. 2. Ut eidem infirmo suggerat nonnulla remedia tempore tentationis instantis usurpanda, v. g. ut semper penes se retineat imaginem crucifixi, eandemque præsertim instante tentatione devote exosculetur, & sese in sacratissima Jesu Christi vulnera quodammodo abscondere nitatur; quod quidem remedium in talibus circumstantiis arbitror efficacissimum. 3. Caveat vel maxime Confessarius, ne per se ipsum, seu propria auctoritate famulam, seu complicem amandet, & exesse jubeat aut alio quocunque demum signo, vel actione, sive dein direta, sive indirecte eidem det intelligere notitiam concubinatus, utpote ex sola confessione Sacramentali (ut supponitur) haustam; quia hoc modo violaret sigillum confessionis, ut de se liquet. 4. Denique suadebit charitas, præsertim Pastori proprio animæ periclitantis, ut eidem invigilet, atque ultimo certamini, seu agoni interesse studeat, quatenus oviculam suam contra lupum infernalem defendat, eamque Sacramentali absolutione eo tempore, quo potissimum indiguerit, muniat; quod, esto videri possit difficile, & laboriosum, certissime tamen non minus consolatorium experietur, quotiescunque meminerit, se pro sua parte præstitisse omnia, quæ ad lucranda Deo animam videbantur necessaria.

Dices: at quid agendum, si talis pœnitens supponatur non constitutus in articulo vel periculo mortis, nunquid Confessarius eidem velut suspecto de sufficientia dispositionis tenetur negare absolutionem, cum talis negatio in his circumstantiis videatur tutior, & magis expediens pro reverentia Sacramenti?

195. R. Ne quidem extra mortis articulum, vel periculum negandam esse absolutionem, modo saltem hac vice pœnitens det speciale aliquod signum doloris, & propositi efficacis, spondeatque exequi consilium Confessarii. Ratio est: quia Confessarius sine injuria non potest negare absolutionem pœnitenti, quem rationabiliter, & probabiliter credit hic, & nunc esse dispositum; nam pœnitens vi confessionis acquirit jus ad absolutionem, quo privari nec potest, nec debet, quamdiu certo non constat, eum esse absolutionis incapacem: at, de hoc non constat, quamdiu apparet probabile, eum esse dispositum: ergo Confessarius tenetur eundem absolvere. Quandonam autem propter dubiam dispositionem pœnitentis absolutio prudenter differri, vel negari possit, diximus *in Theol. Sacram. p. 2. Confer. 4. a. n. 95.* item *Confer. 18 n. 467. & seqq.*

Dices iterum. Minister Sacramenti tenetur (saltem extra casum necessitatis) sequi id, quod est tutius: atqui negare absolutionem est tutius: ergo ubi talis pœnitens non supponitur constitutus in necessitate aliqua, debet ei negari absolutio.

196. R. Negando min. Nam pœnitenti saltem probabiliter disposito, & confesso certo debetur absolutio: ergo hanc negare non est tutius, sed potius magis periculosum, utpote repugnans, & voluntati Christi, & juri ipsius pœnitentis, veluti proxime dictum est *n.* 191. Ex quo liquet, Ministrum in tali casu non posse amplecti sententiam tutiorem; quia negando absolutionem peccaret, violando jus acquisitum a pœnitente, prout bene advertit Babenstuber *tr. 1. disp. 4. a. 3. n. 16.*

CASUS TERTIUS.

Cajus Prætor certi cujusdam pagi, ab aliquo suorum subditorum (quem Sempronium baptizamus) falso, & inique apud Principem fuit accusatus de multis criminibus; quam ob rem erga Sempronium aversionem, & indelibilem quasi rancorem concepit. Haud multo post quidam maritatus apud Prætorem accusavit Sempronium, quod hic cum Uxore sua (delatoris scilicet) commiserit adulterium; quo audito Cajus summopere gavisus fuit, ratus, se jam nactum esse occasionem injuriam a Sempronio sibi nuper illatam de condigno vindicandi. Jussit proin Sempronium sine mora comprehendi, & quia ex relatione actoris saltem probabiliter visus fuit reus; hinc esto neque confessum, neque etiam convictum de crimine, jussit catenis constringi, & equo impositum a satellitibus per pa-

pagum circumduci, ac velut adulterum proclamari. 2. Insuper eundem condemnavit ad summam 200. florenorum Marito solvendam, tum in compensationem injuriæ, tum etiam pro meliori educatione prolis, quam pariter declaravit spuriam, velut ex adulterio natam. Jam vero conscientiæ stimulis agitatus idem Prætor, quærit è Confessario, an vel quomodo in hoc facto deliquerit. Quid respondendum interroganti?

197. R. Cajus in hoc casu probabilissime peccavit graviter, ideoque obligandus est ad compensanda damna illata Sempronio. Ratio prioris inde desumitur: quia nullus potest, aut debet criminaliter condemnari ad pœnas adulterii Jure Civili taxatas, nisi pro adulterio afferantur tales probationes, aut indicia, quæ contra reum faciant præsumptionem violentam (cujusmodi videri possunt apud Reiffenstuel mox citandum) immo indicia debent esse talia, quæ non solum pariant quandam probabilitatem, sed potius certitudinem moralem de delicto commisso. *L. fin. C. de probat. c.* 12. *de præsumpt.* uti fusius probat Reiffenstuel. *l.* 5. *decret. tit.* 16. *n.* 31. & *seqq.* At, juxta relatam facti speciem Sempronius nec confessus fuit, nec convictus de adulterio, sed probabiliter duntaxat visus est reus: ergo non sine gravi injuria, & peccato fuit condemnatus ad pænam tam gravem; eo præsertim, quod *cum sunt partium jura obscura* (uti hic erant) *reo potius favendum sit, quam actori*, ut habetur *Reg.* 11. J. *in sexto* Videatur Laymann *l.* 1 *tr.* 1 *c.* 5. §. 3. *n.* 16. Ratio autem posterioris liquet ex eo: quia quisquis alterum scienter injuste lædit, tenetur pro possibili ad reparationem damni, veluti ex communi Theologorum diximus *in tract. de Restit. Confer.* 2. & *tertia*: atqui Cajus injuste, & quidem scienter, vel certe cum ignorantia crassa læsit Sempronium condemnando eum ad pœnas tam graves: læsit insuper infantem, declarando eum velut illegitimum in tali dubio, ubi præsumendus erat legitimus *arg. c. ex tenore* 14. *qui filii sint legit.* & *L. Nuper C. de natural. lib.* Accedit insuper, quod Sempronius fuerit in actuali possessione suæ innocentiæ, aliorumque bonorum, quibus absque gravissima injuria privari non potuit nec debuit, quamdiu de delicto commisso moraliter certo non constitit: at, non supponitur in hoc casu, delictum fuisse ab actore moraliter certo probatum, esto is adduxerit rationes vel conjecturas probabiles: ergo his stantibus Cajus fecit gravem injuriam, condemnando Sempronium ad tam gravem mulctam &c. &c.

Dices: Sed quid si talis Prætor, vel quicunque demum Judex in causa Civili ferat sententiam in favorem sui amici, esto pars adversa pro se attulerit rationes æque probabiles, aut omnino probabiliores?

198. R. Etiam in hoc casu graviter delinqueret, nisi amicus ille supponatur hactenus fuisse in possessione bona fide cœpta (tunc enim præponderaret, ita, ut jam non amplius manerent rationes ex utraque parte æque probabiles, sed melior evaderet conditio possidentis) Ratio autem hujus resolutionis est: quia in Judiciis non est habenda acceptio personarum: at, ubi Judex in gratiam amici ex eo præcise, quod amicus sit, fert sententiam, de se liquet, intervenire acceptionem personarum: ergo &c. Hac de causa Alexander VII. merito damnavit sequentem propositionem *n.* 29. *Quando litigantes pro se habent opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio*. Videantur de hoc Matthæucci *in Cautela Confess. l.* 1. *c.* 19. Herincx *disp.* 4. *n.* 27. Sporer *tr.* 1 *c.* 1. *n.* 61. Gobat *tr.* 1. *Clyp. Clement. Jud. sect.* 14.

Dices fortassis contra hoc: juxta communissimam DD. Advocato licet suscipere defensionem causæ etiam minus probabilis: ergo similiter concedendum est Judici, ut in tali casu possit ferre sententiam juxta opinionem minus probabilem in gratiam sui amici: secus enim Advocatus inaniter susciperet hujusmodi causam minus probabilem &c.

199. R. negando conseq. & parit. Advocatus enim non fert sententiam, sed solum proponit Judici rationes probabiles pro suo cliente, relinquendo illum cæteroquin in plena libertate decidendi causam secundum æquitatem, ergo per hoc nulli prorsus facit injuriam; qualem tamen Judex certo committeret, ferendo sen-

sententiam pro ea parte, cui jura videntur minus favere. Neque propterea Advocatus dici potest decipere suum Clientem, aut circumvenire Judicem; nam non raro contingere solet, ut rationes, vel allegationes, quæ a principio Advocato videbantur minus efficaces, a Judice rem melius ponderante, existimentur validiores, sicque inter litigandum (ut dici solet) jus quodammodo crescat pro tali cliente. Videantur Sporer *cit. n.* 64. vel Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 4. *a.* 3. *n.* 34.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

200. Colliges ex dictis primo, illam opinionem, quæ vel 1. Scripturæ sacræ vel 2. traditionibus, vel 3. communi sanctorum Patrum opinioni, vel 4. Ecclesiæ ejusdemque definitionibus, vel denique 5. rationi repugnat, non esse practice probabilem. Ratio est: quia opinio vere probabilis debet esse nixa motivo gravi, id est, tali quod per se loquendo sit natum determinare virum prudentem ad assensum; seu (ut loquitur La Croix *lib.* 1. *n.* 108.) *cui, si quis assentiatur, Judicio prudentum non mereatur reprehensionem*: atqui opinio, quæ vel S. Scripturæ; vel Patribus, vel definitioni Ecclesiæ, aut rationi repugnat, non est digna assensu viri prudentis, quin immo quisquis talem practice sequitur extra necessitatis articulum, meretur reprehendi a prudentibus: ergo &c.

Dices. Undenam igitur dignoscendum, aut colligendum est, an aliqua sententia sit vere probabilis, nec ne?

201. R. Id dignosci posse ex sequentibus tribus Regulis, quas ex Terillo refert Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 4. *a.* 2. *num.* 26.

I. Quotiescunque omnes, vel plurimi asserunt, sententiam esse probabilem, vel paucorum contradicentium rationes non sunt convincentes, talis sententia est certo probabilis.

II. Sententia communis, quæ frequenter docetur in Scholis, & invenitur in Auctoribus, tamdiu censeri debet certo probabilis, quamdiu nemo negat esse probabilem, vel affert argumenta convincentia. Ratio hujus, & prioris regulæ est: quia certitudo probabilitatis tamdiu manet in possessione, quamdiu per rationes oppositas non evertitur.

III. Homini illiterato, & indocto illa opinio potest esse certo probabilis, quam ei ut veram, vel certo probabilem, suadet vir doctus, & probus, nec aliud quidquam occurrit in contrarium. Ratio est: quia eadem Auctoritas, quæ sufficit homini rudi ad prudentem fidem, etiam sufficit ad formandum prudens Judicium de certitudine probabilitatis: atqui auctoritas viri docti, & probi sufficit homini rudi ad prudentem fidem: ergo &c.

202. Colliges secundo, extra casum necessitatis minime licere amplecti in praxi talem opinionem: quæ solum tenuiter, aut dubie probabilis est: Ratio est, quia opinio tenuiter probabilis innititur motivo levi: dubie autem probabilis motivo, de cujus gravitate dubitant sapientes; unde oritur dubium practicum de probabilitate, & honestate talis actionis: atqui in dubio practico est tutior pars amplectenda, veluti superius jam visum est: ergo in praxi abstinendum omnino est a sequela hujuscemodi opinionis. Ex quo pariter liquet, justissime ab Innocentio XI. damnatam fuisse sequentem *n. tertiam* propositionem: *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Videatur de hoc Cardenas *crif. differt.* 4. *c.* 5. *n.* 34. Reiffenstuel *tr.* 1. *dist.* 3. *n.* 49. La Croix *lib.* 1. *a. n.* 126.

203. Dictum tamen fuit *extra casum necessitatis*; nam ubi urget necessitas v. g. administrandi Sacramentum pœnitentiæ, vel baptismi, simulque sententia tutior practicari nequit, oportet sequi minus tutam, vel etiam tenuiter, aut dubie duntaxat probabilem, v. g. baptizando in lixivio, vel cerevisia &c. aut absolvendo moribundum saltem sub conditione, de cujus dispositione dubitatur. Ratio jam superius *n.* 191 fuit insinuata: quia nimirum præstat administrare Sacramentum dubium cum periculo nulli-

litatis, quam cum certo, & irreparabili damno salutis infantem, aut moribundum fraudare Sacramento. Neque in hoc casu Minister dicitur relinquere sententiam tutiorem; cum non sit in illius potestate tutiorem sequi: nullus quippe dicitur relinquere id, quod in sua potestate nunquam habet. Videatur de hoc dicta *in Theol. Sacram. part.* 2. *Conf.*8.*a n.*200.

204. Porro etiam extra casum necessitatis quandoque licitum esse amplecti sententiam minus tutam circa valorem Sacramenti, nonnulli Doctores existimant, modo sententia habeatur vere probabilis, ita ut probabiliter credatur valiturum Sacramentum, idque præsertim tunc, quando valor Sacramenti dependet ab aliqua conditione ab Ecclesia supplebili; quippe quæ, velut pia Mater in bonum fidelium merito creditur velle supplere hujusmodi defectum. Hac de causa 1. cum jurisdictione vere probabili, etsi non omnino certa, Sacerdos licite absolvit, tametsi non sit necessitas. Item 2. sponsi licite contrahunt matrimonium præsente proprio Parocho nondum Sacerdote, vel extra propriam Parochiam assistente. 3. Similiter qui dubitat, an sit potens ad usum matrimonii, licite contrahit, tametsi non esset necessitas &c. Rationem horum dat P. Illsung *tr.* 1. *disp.* 1. *n.* 78. quia tunc solum tenemur ex mente Ecclesiæ sequi tutiores, & probabiliores opiniones, administrationem, vel valorem Sacramenti concernentes, quando ex sequela opinionis minus tutæ non involveremur gravibus scrupulis, vel difficultatibus, quibus reverentia Sacramenti, & bonum animarum impediretur potius, quam promoveretur, eo quod talis administratio, vel susceptio redderetur nimis odiosa. Sic etiam, inquit idem Doctor *l. cit.* quia multis esset difficillimum, vel omnino carere matrimonio, vel carere cum persona singulariter amata, ideo licet illud contrahere, etiamsi dispensatio, vel absentia impedimenti dirimentis, non semper sit moraliter certa, sed solum probabilior, quam ejus oppositum. Videatur Illsung *loc. cit.* vel Viva *n.* 13.

At quid, inquies, si opinio sit probabiliter duntaxat probabilis, liceebitne eam practice sequi?

205. R. Etsi de hoc diffideant inter se Doctores, quibusdam negantibus, aliis vero affirmantibus, prout videre licet apud Viva *n.* 10. *ad proposit. tertiam e damnatis ab Innocent. XI.* Existimo tamen, quod si nomine opinionis probabiliter probabilis intelligatur illa, quæ putatur *prudenter probabilis* (nam *probabiliter* & *prudenter* in practicis sunt Synonyma, ait Cardenas *cit. c.* 3. *n.* 18.) existimo, inquam cum eodem Cardena, Illsung, Tamburino *in Decalog. lib.* 1. *c.* 3. §. 3. & 8. & aliis pluribus, hujusmodi opinionem absque peccato deduci posse in praxin; nam eo ipso quod prudenter probabilis supponatur, potest ex principiis reflexis concipi resolutio practica, quod liceat eam practicare. Et hanc opinionem utpote gravium Doctorum, sua probabilitate non carere, fatetur Viva *cit. n.* 12. *in fin.*

206. Colliges tertio, ad sectandas opiniones probabiliores teneri sequente 1. Tenetur Minister Sacramentorum saltem per se loquendo, extra casum scilicet necessitatis, vel alterius damni &c. 2. Tenentur item Medici, & Chyrurgi in præscribendis, vel etiam applicandis medicamentis, quæ probabilius profutura, & tutiora judicant. 3. Denique tenentur etiam Judices ferre sententiam pro ea parte, cui jura magis favent, velut ex hactenus dictis satis liquet. Ratio generalis horum est: quia in his casibus agitur, vel de valore actus, vel certe de efficacia alicuius actionis in ordine ad effectum dubium, cum periculo damni spiritualis, vel temporalis conjunctum; at, ubi simile periculum timetur, charitas suadet amplecti tutiora: quin etiam ex tacito saltem pacto, ideoque ex justitia tales censentur se obligare, dum hujusmodi officia, Judicis scilicet, vel Medici in se suscipiunt: ergo contrarium agendo peccant pro ratione materiæ, vel periculi &c. ita *communissime DD.*

207. Insuper etiam Consiliarios Principum in dandis consiliis publicis, ubi scilicet agitur de necessitatibus Principis, & Reipublicæ, utputa de justitia, aut necessitate tributi de novo imponendi &c. teneri ad sectandas sententias probabiliores, & tutiores, satis communiter tenent Doctores, nominatim Sporer

tr. 1. c. 1. n. 62. citans pro hac opinione Bardi *discep. 4. c. 22.* & Vasquez *de restit. c. 6. §. 3.* Ratio est: quia Consiliarii se habent ad instar Judicis, Principem inter, & Rempublicam, velut inter duas partes litigantes: ergo quemadmodum Judex tenetur causam decidere pro ea parte, cui jura magis favent, ita & Consiliarii Principum, eo præsertim, quod subditi supponantur constituti in actuali possessione suorum bonorum, & ex opposito nedum una, vel altera persona, sed potius tota communitas, aut Respublica gravissime lædi posset.

208. Colliges quarto, quod, licet secundum hactenus dicta per se loquendo fas sit, sequi opinionem minus probabilem in quæstionibus juris, ubi scilicet agitur de sola honestate actionis, id tamen non semper esse consultum, vel expediens; non enim omnia quæ licent, hoc ipso semper expediunt, juxta illud Apostoli *1. Cor. 6. omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Adde, quod subinde saltem ex sequela opinionum minus tutarum natum sit oriri scandalum, vel periculum animæ ob nimiam laxitatem, præsertim si quis vellet passim sequi sententias minus probabiles; quam ob causam jam supra *n. 186.* diximus, subinde per accidens saltem non licere amplecti opinionem minus probabilem. Et certe de se liquidum videtur, consultius esse in suis actionibus se regulare secundum opiniones probabiliores, ac tutiores: ergo minus probabiles, aut minus tutas sequi non semper expedit, præsertim hominibus aliunde ad majorem perfectionem sectandam adstrictis, uti sunt v. g. Religiosi &c. Vid. Reiffenstuel *Theol. mor. tr. 1. dist. 3. n. 54.*

209. Colliges quinto, male eos agere, qui quamlibet Doctorum opinionem illico sequuntur; quia certum, & exploratum est, nonnullos Doctores fuisse nimium laxos, suasque singularitates apparenti duntaxat fundamento nixas contra communem aliorum (forte ingenii ostentandi causa) produxisse in publicum; id, quod quisque prudens facile colliget ex propositionibus proscriptis, & damnatis auctoritate summorum Pontificum, & vel maxime ex illa *n. 27.* inter damnatas ab Alexandro VII. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dummodo non constet, rejectam esse a Sede Apostolica, tanquam improbabilem.* Similiter inepte faciunt illi, qui post factum ad medendum remorsibus conscientiæ usæ casibus student, ut inveniant fundamenta, vel opiniones Doctorum; quæ suo desiderio faveant: quod plane est medicinam sperare post mortem, ait sapienter Herincx; siquidem honestas actionis jam pridem peractæ non potest amplius dependere ab illo Judicio Doctorum, qui postea primum consuluntur, sed dependebat solum a Judicio practico operantis, quod is tum habuit, quando actu operatus fuit, veluti jam superius *Conferent. 6. n. 174.* dictum fuit.

210. Colliges denique sexto, ad officium Confessarii prudentis ceu Doctoris, & Medici spiritualis attinere, ut suos Pœnitentes pro diversitate subjectorum dirigat diversimode, scilicet hunc, quem videt magis laxum, secundum sententias probabiliores, rigidiores, & tutiores, illum vero, quem advertit magis timoratum, vel potius timidum, & inclinatum ad perplexitates animi, & scrupulos &c. juxta sententias laxiores, esto minus probabiles v. g. non requiri attentionem internam ad recitationem horarum Canonicarum; non esse confitenda peccata dubia, vecircumstantias mere aggravantes &c. Ratio est: quia Confessarius prudens seml per debet consulere ea, quæ utilitati spirituali pœnitentis magis deserviunt; quemadmodum Medicus corporalis debet patienti præscribere ea, quæ magis expediunt saluti corporali: ergo si advertat, huic subjecto magis expedire, ut dirigatur juxta opiniones laxiores, debet illum hoc modo dirigere, alterum vero, quem advertit ob sequelam opinionum laxiorum sensim declinare in libertates noxias, & pericula peccatorum, debet ducere, & inducere ad sectandas opiniones magis rigidas, & tutas, v. g. quod peccata mortalia dubia sint confitenda; item quod circumstantiæ notabiliter aggravantes sint necessario exprimendæ in confessione. Sporer *tr. 1. c. 1. n. 48.*

CON-

CONFERENTIA OCTAVA.

De Conscientia Scrupulosa.

SUMMARIUM.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de conscientia scrupulosa.

QUæres primo, quid sit scrupulus proprie dictus?

211. R. Scrupulus proprie dictus est inanis, id est, nullo, vel levi fundamento nixa apprehensio, vel suspicio de malitia, seu pravitate operis, conjuncta cum quadem formidine, & anxietate mentis. Ita in re *communissime DD.* ut videre licet apud Sporer *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 100.& Stoz *l.* 1. *p.* 5. *n.* 172.

Dicitur autem levi motivo nixa apprehensio; quia scrupulus proprie tunc habetur, quando intellectus neque determinate judicat, neque dubitat practice, an hoc, vel illud sit peccaminosum, sed potius sola apprehensione, vel suspicione mali ex levi, vel nullius momenti motivo concepta titubat, fluctuat, & anxie formidat de peccato &c.

Quæres secundo, quid sit conscientia scrupulosa?

212. R. Conscientia scrupulosa est Judicium practicum, fundatum in scrupulo, & dictans quid scrupulo supposito, id est, supposita inani apprehensione, seu suspicione de peccato, agendum sit, vel non. Ita Stoz *l. cit. n.* 174. Et bene; nam quemadmodum conscientia erronea non consistit formaliter in errore, sed in dictamine intellectus ex errore deducto; ita pariter conscientia scrupulosa formaliter non consistit in ipso scrupulo, sed in dictamine practico ex inani motivo con-

concepto, & deducto. Ex quo liquet, illum merito dicendum esse scrupulosum, qui ex levibus, seu inanibus motivis solet concipere dictamina practica de peccato, ubi revera nullum est peccatum, & fortassis nullum omnino peccandi periculum.

Quæres tertio, quænam sint causæ, seu radices scrupulorum?

213. R. Causæ scrupulorum aliæ sunt in & aliæ extrinsecæ. Extrinseca causa primaria est ipse Deus, qui ex infinita, & nunquam satis admiranda sua providentia permittit hominem exagitari scrupulis; sive dein in pœnam peccatorum præteritorum, sive ad præcavenda peccata futura; sive denique eo fine, ut talis homo scrupulis agitatus habeat frequentiores occasiones luctandi, & vincendi adversarium, & hoc ipso promerendi majorem gloriam in Patria cœlesti. Secunda causa est malignus dæmon, qui inijciendo scrupulos nil aliud intendit, quam vel inducere in peccatum; vel hominem reddere pusillanimem, & hoc modo impedire a studio devotionis, & reliquarum virtutum, ac tandem in omnimodam desperationem abducere. Tertia est conversatio cum hominibus scrupulosis; quibus quarto accenseri meretur lectio Auctorum, seu librorum nimis rigorosorum. Causæ intrinsecæ scrupulorum esse solent. 1. Nimia tenacitas proprii Judicii, & quandoque etiam occulta superbia, qua nonnulli proprium Judicium aliorum consiliis præferre solent, abundantes in sensu suo usque ad insipientiam. 2. Solet esse temperamentum excessive melancholicum, aut complexio corporis in timorem propensa, qualis (judicio medicorum) reperiri solet in naturis humidis, ac frigidis; quibus eo amplius compatiendum est, quanto minus eorum potestati subjacet, tollere hanc pessimam radicem, sibique temperare; quam ob rem etiam hujusmodi personæ quærunt angulos, ut indulgeant lacrymis, tametsi ipsæmet nesciant, cur lacrymentur. Tertia causa intrinseca esse solet læsio potentiæ imaginativæ; quando enim ista non fungitur rite suo officio, sæpe intellectus apprehendit ut mala, & illicita, quæ talia non sunt, inquit Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 5. *a.* 1. *n.* 2. Plures adhuc causæ videri possunt apud Stoz *cit. n.* 175. & La Croix *n.* 512.

Quæres quarto, quænam sint signa, vel indicia, e quibus scrupulositas alicujus hominis conjici possit?

214. R. Sunt sequentia. 1. Pertinacia Judicii, qua Doctorum Consiliis, ac Judiciis non acquiescunt, sed varios consulunt, & fatigant, at tandem nullius Judicio stare solent, nisi suo; & hoc ipso, quod a diversis diversa audiant, tandem magis implicati evadunt, & perplexi. 2. Ex levi fundamento frequens Judicii mutatio, unde oritur quædam in rebus agendis inconstantia, mentisque perturbatio præsertim in actionibus externis, utputa in oratione, celebratione, vel Sacramentorum administratione &c. 3. Est, habere reflexiones impertinentes circa innumeras circumstantias nedum de præterito, verum etiam de futuro. v. g. an non in hoc, vel illo casu consentiret in peccatum &c. &c. 4. Est in omnibus timere peccatum, & contra sapientum, & proprium etiam Judicium inquietum esse; unde experimur, quod tales una assertione Confessarii non contenti, sæpius etiam in eodem actu confessionis idipsum quærant v. g. an in hoc, vel illo casu non peccent v. g. non formando intentionem explicitam ante recitationem officii divini &c. &c. Addit insuper Busenbaum *de conscient. dub. c.* 3. *Resp.* 3. Signa scrupuli præsentis in materia particulari esse sequentia duo. 1. Si quis experiatur se nimium angi, & perturbari suspicione peccati. 2. Si alias sit expertus se similia apprehendisse sine fundamento.

Quæres quinto, quidnam Confessario agendum cum pœnitente scrupuloso, & quænam talibus remedia sint præscribenda?

215. R. 1. Confessarius ante omnia debet sollicite expiscari, sitne pœnitens vere scrupulosus nec ne: quod ex signis mox allegatis colligendum erit; quo deprehenso ulterius oportebit indagare, ex qua radice scrupulositas ortum ducat? fere quemadmodum Medicus corporalis præprimis curare debet, ut deprehendat statum morbi, & radicem infirmitatis. 2. Confessarius a scrupuloso consultus respondeat absolute, & sine hæsitatione, ne timi-

timidius loquendo scrupulos augeat. 3. Dubia semper in benigniorem partem interpretetur, ne pœnitentem magis intricet. 4. Nunquam, vel certe non nisi in raro casu, mox infra adducendo, scrupuloso permittat confessionem generalem, aut confessionem peccatorum præteritorum, immo vero omnimodis conetur eidem persuadere, ut omissis meris dubiis, vel incidentiis aliisve ineptiis, quibus scrupulosi continuo exagitari solent, confiteatur peccata certa duntaxat: quod si ab ultima confessione nullum habent, eum sine absolutione ad S S. Eucharistiam dimittat, aut jubeat saltem aliquod veniale certum ex jam confessis subjicere clavibus. 5. Vel maxime conetur illum inducere, ut cæca obedientia velit parere, & acquiescere consiliis a Confessario dandis, quippe quæ sequendo certe non peccabit: & hunc in finem Confessarius eidem promittat, se responsurum ante tribunal DEI de omnibus, quæ pœnitens fecerit de consilio suo, Confessarii scilicet. Videatur Stoz *lib.* 1. *part.* 5. *a num.* 212. Vel La Croix *lib.* 1. *n.* 527. *& seqq.*

216. R. Jam secundo. Scrupulosis præscribenda sunt illa remedia, quæ videntur magis expedire pro bono animæ, & tollendis scrupulorum radicibus magis opportuna; inter quæ præstantissimum, & summopere necessarium merito reputatur hoc, ut scilicet scrupulosus sibi deligat Confessarium virum prudentem, & doctum, & huic se totum instar pueri committat, ejusdemque monitis, ac consiliis per omnia acquiescere studeat, non ulterius alios consulendo: quod si pœnitens præstiterit, liberationem a suis scrupulis sperare poterit, prout experientia multorum probavit: Secus impossibile erit, ut liber evadat ex hoc labyrintho, quemadmodum cæco impossibile foret labyrinthum evadere sine ductore: idque potissimum intelligendum venit de illis, quorum scrupulositas vel ex defectu scientiæ, aut Judicii, vel etiam ex pusillanimitate, vel denique ex superbia, aut pertinacia proprii Judicii ortum trahit. Secundo. Illis vero, qui ob excessum melancholiæ scrupulositatem inciderunt, consulendum est, ut convenientibus pharmacis atram bilem evacuent, vel ut seriosis rebus sese occupent, suis autem temporibus recreationibus honestis tempus fallant, animumque, quantumvis invitum (ut ita dicam) excitare, & exhilarare conentur. Tertio. Insuper juvabit iisdem declarare, & inculcare scrupulosorum privilegia, quæ sunt sequentia. 1. Quod scrupulosus in agendo non teneatur adhibere examen, & diligentiam, nisi valde mediocrem, nec tantam, quantam alii: & quod, dum angit scrupulus, nec suppetit consilium, possit libere agere id, quod vult, nisi certum, & evidens sit, esse peccatum. 2. Quod nihil teneatur repetere ex præteritis confessionibus, nisi certo sciat, illud esse peccatum mortale, & se rite confessum non esse: non est autem certum, quamdiu dubitat. Plura videri possunt apud Stoz *loc. cit.* & Laymann *cap.* 6. vel Gobat *trat.* 7. *a n.* 494.

Quæres sexto, sitne licitum agere contra conscientiam scrupulosam?

217. R. Nedum licet, sed insuper expedit agere contra illam stante etiam, & non obstante scrupulo, modo judicetur esse scrupulus, & ut talis contemnatur. Ita communissime DD. nominatim Bonacina *disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *punct.* 8. Sanchez *lib.* 1. *mor. c.* 10. *n.* 80. Ratio est: quia ad evitandam malitiam peccati sufficit, quod operans prudenter judicet, se hic, & nunc operando non peccare: atqui non obstante scrupulo potest scrupulosus, modo velit, prudenter judicare, quod non peccet: potest enim hoc, vel simili modo secum ratiocinari: tametsi mihi videatur hic subesse periculum peccandi, quia tamen Confessarius, aliique Doctores Theologi dicunt contrarium, asserentes, me velut hominem scrupulosum in simili casu licite operari, immo oportere contemnere similes scrupulos; hinc volo sequi Judicium Confessarii mei ceu interpretis divinæ voluntatis. Ita in re Gobat *tr.* 7. *n.* 500. Et certe cum aliunde constet, scrupulosis gravia imminere damna, nedum corporis, scilicet ex destructione capitis, memoriæ, & sanitatis, sed etiam animæ; quia ut sapienter loquitur Felix Potestas *in Exam. tom.* 1. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 133. Scrupulosus suis scrupulis innumeras obligationes indebitas sibi efformat, quas non habet vir sani intellectus, & ita dum est anxius in vitandis peccatis, eadem via ad illa se exponit,

nit, quasi sibimet imponendo innumera praecepta sine ratione; hinc plane cuique prudentum liquet, omni conatu esse agendum, & resistendum scrupulis, ita ut si conscientia scrupulosa dictet v. g. hunc lapidem crucis signo insignitum sine peccato calcari non posse; vel imaginem crucifixi Salvatoris e collo suspendi non posse, eo quod sit quaedam nova crucifixio &c. scrupulosus Crucifixum e collo suspendat, & portet, lapidem calcet, & si placuerit, bis calcet pedibus, nec propterea peccabit; quia practice certo scit; hoc non esse illicitum, veluti ex dictis patet.

218. Dictum tamen fuit: *modo judicetur esse scrupulus, & ut talis contemnatur &c.* Qui enim judicaret se calcando lapidem &c. peccare, & stante tali Judicio practico nihilominus calcaret, procul dubio peccaret, utpote agendo contra conscientiam vincibiliter erroneam, quae ceu regula proxima actionis humanae, huic tribuit bonitatem, aut malitiam specificam, juxta dicta *Confer.* 3. *n.* 62. Si tamen scrupulosus existimet, actiones, aut omissiones etiam involuntarias esse peccaminosas, propterea non peccat, quidquid demum involuntarie agit, vel omittit; quia malitia formalis peccati non dependet unice a Judicio practico intellectus, sed, vel maxime a libero arbitrio, quo deficiente peccatum formale cesset, seu deficiat, necessum est, veluti constare debet ex dictis supra *Confer.* 1. *n.* 10. item *Confer.* 5. *n.* 141.

Sed quid, inquies, si scrupulosus deveniat in eas angustias, & ita fiat perplexus, ut putet se necessario, & indispensabiliter peccaturum sive hoc agat, sive illud v. g. sive repetat formam consecrationis, sive non?

219. R. In hoc casu scrupuloso agendum esse illud, quod sibi videtur minus malum, sicut jam superius *Confer.* 5. *n.* 141. dictum fuit de eo, qui laborat conscientia erronea; nam si eligeret id, quod pejus, seu magis peccaminosum sibi videtur, saltem excessus malitiae eidem imputaretur velut voluntarius: econtra si agat, id, quod minus peccaminosum apparet, nullatenus culpari potest; quia actio supponitur non esse libera. Denique si scrupulosus discernere nesciat, quodnam e duobus sit magis, aut minus peccaminosum, non peccabit, sive hoc fecerit, sive illud; quia, ut supponitur, fuit coactus ad agendum, vel omittendum alterutrum. Felix Potestas *cit. n.* 138.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de conscientia scrupulosa.

CASUS PRIMUS.

Titius Clericus sat longum confecerat iter, animo suscipiendi Ordinem Presbyteratus: at vero, dum Ecclesiam in qua SS. Ordines collati fuere ingressus est, eidem incidit haec cogitatio: Ecce tu nondum elicuisti intentionem formalem, & sufficientem pro susceptione Presbyteratus; nam illa nuper facta jamjam exolevit, & non amplius valet. *Hac de causa Titius e vestigio proposuit, & intra se conclusit, quod vellet elicere intentionem actualem sub actuali collatione Ordinis; ast, ubi ad actualem susceptionem perventum est, Titius prioris propositi immemor, forte ex distractione, vel naturali oblivione, nullam amplius intentionem elicuit; quare domum reversus pridie Primitiarum mirum in modum exagitatus scrupulis, dixit, se tuta conscientia non posse celebrare altera die, eo quod defectu intentionis non fuerit valide ordinatus, propterea que populo daret ansam idololatrandi, & adorandi hostiam non consecratam loco consecratae. Quid judicii de Titio?*

220. R. Facile liquet ex hac specie facti, quod Titius nedum scrupulosus, sed propemodum stultus sit habendus, quippe qui ex nullo, aut certe prorsus inani fundamento dubitat de sufficientia suae intentionis, & de valore Ordinis suscepti. Et, amabo! quid ineptius, aut stultius videri possit, quam longas facere vias, subire examen, & praemissa exhomologesi, aliisque praeparatoriis ad communionem sacram, Ordinisque susceptionem sese disponere, & nihilominus ex post facto dubitare de sufficientia intentionis ex parte suscipientis necessariae? Nunquid de talibus merito dici

ci posset illud *Luc.* 24. *v.* 25. *O stulti, & tardi corde ad credendum! &c.*

Ast, inquies, Titio venit in mentem, quod intentio nuper facta jam exoleverit, & non amplius valeat.

221. R. Quid tum? Nunquid hæc incidentia ex parte intellectus præcise se habens, potuit invalidare, aut retractare propositum voluntatis, de suscipiendo Ordine Presbyteratus jam nuper conceptum, & actu satis manifestatum per hoc, quod tam longas fecerit vias, & hoc animo omnia ad susceptionem validam, ac licitam necessaria observaverit. Eximenda proin fuit Titio hæc inanis persuasio, eidemque serio inculcandum, quod ad validam susceptionem Ordinis non sit necessaria intentio actualis, sed sufficiat habitualis, quam certo sufficienter monstravit; quin immo Superiorum auctoritate merito & sapienter omnino coactus fuit celebrare primitias, eo præsertim, quod sine admiratione in populo, aliisque inconvenientiis longius differri non potuerit. Nec refert, quod eidem inciderit, se daturum populo causam idololatrandi; quia cum sine omni dubio fuerit validissime ordinatus, validissime procul dubio consecravit, propterea que contemnenda fuit stodilissima hæc, & prorsus inepta incidentia.

222. Id vero, quod modo de Titio diximus, pariter sibi dictum existiment illi scrupulosi Clerici, quicunque demum, qui plusquam oportet anguntur de sufficientia intentionis circa administrationem Sacramentorum. Enimvero compertum habemus, dari hujusmodi homines, qui ad infirmum vocati, eundem visitant, consolantur, & confessum absolvunt; item qui a Parentibus rogati, baptizant prolem recens natam, & de vita periclitantem &c. item qui a pænitente sollicitati, ut confessionem velint excipere, subito confessionale ingrediuntur, sicque sine ulteriori expressa, & formali intentione administrant Sacramenta postulata, postea vero scrupulis mirum in modum exagitati, incipiunt dubitare, an habuerint intentionem sufficientem, & utrum non teneantur huiusmodi infantem, denuo rebaptizare, vel pœnitentem denuo absolvere, aut certe admonere de periculo absolutionis nuper administratæ? Notent, inquam, sibi hanc sane communissimam Theologorum doctrinam, quod ad validam administrationem Sacramenti minime necessaria sit intentio formalis explicita, sed sufficiat virtualis, & exercita, seu in actu exercito demonstrata: qualem certo convincitur habere, quando petentibus administrationem illico condescendunt, & obsequuntur: dum enim rogatus ab aliquo v. g. ut confessionem ipsius excipias, adeoque Sacramentum pœnitentiæ eidem administres, illico confessionale ingrederis, confessionem excipis, pœnitentiam injungis, & tandem solenniter dicis: *Ego te absolvo &c.* nunquid ipso facto monstras, te habere animum administrandi Sacramentum? nunquid tu ipsusmet stultum reputares, quisquis de hoc ambigeret? Quare igitur tu de sufficientia intentionis dubitas vel angeris?

CASUS SECUNDUS.

Sempronius sacrum tribunal ingressus, fatur in hunc modum: Domine, inquit, continuo angor, eo quod ignorem, & dubitem, an unquam fuerim valide confessus, & absolutus: tempore enim juventutis meæ, quo prob dolor! totus quantus peccatorum cœno immersus volutabar, sæpius quidem confessus fui; sed cum illo tempore nondum intellexerim circumstantias, & species peccatorum; hinc dubito, an satis memet explicuerim, an efficaciter doluerim, proposuerim vitare occasiones, immo vero, an non subinde saltem ex damnabili verecundia peccata reticuerim. Quid Sempronio respondendum;

223. R. Confessarius Sempronium jubeat bono esse animo, dicendo, eum sine sufficienti fundamento angi, nec teneri ad repetitionem priorum confessionum; hoc ipso enim quod fateatur se tunc temperis nondum intellexisse peccatorum species, & circumstantias, non potuit obligari ad eorum explicationem, propterea que minime dubitandum est de valore confessionum, præsertim si Sempronius nullum aliud motivum suæ inquietudinis allegare potuit. Quin immo tametsi revera tempore suæ juventutis non satisfecisset præcepto Confessionis, nihi-

nihilominus excusandus videtur ab onere repetendi confessiones præteritas, ob impossibilitatem moralem, & innumera incommoda, animique perplexitates, & angustias, in quas procul dubio incideret, si peccata in Juventute perpetrata denuo rememorare vellet, prout de aliis scrupulosis experientia multiplici compertum est.

At quid, inquies, si Sempronius noster diceret, se tunc temporis per aliquod tempus, vel annos fuisse solitum reticere, peccata in confessione, idque ob verecundiam?

224. R. Ex hac suppositione idem a Confessario suaderi potest, & debet (nisi majus malum, utputa omnimoda perplexitas, aut pusillanimitas timenda sit) ut sese per aliquod tempus, vel dies examinet 1. quot, vel quibus annis vitæ assueverit reticere peccata? 2. quibus tunc occasionibus fuerit expositus? item 3. quibus consuetudinibus, aut vitiis, tunc singulariter fuerit deditus: postea vero jubeatur denuo redire, conscientiam suam Sacramentali confessione expiaturus. Et hæc fortassis unica potest esse ratio permittendi scrupuloso homini confessionem, vel simpliciter generalem, vel saltem generalem secundum quid, id est, de illis peccatis quæ eo tempore, quo consuevit nonnulla reticere, commisit, præsertim si tunc mala fide omisit; nam per se loquendo semper adhuc obligatur satisfacere præcepto divino de integritate confessionis, cui nondum satisfecisse supponitur.

Dices adhuc, Quidsi autem talis pœnitens scrupolosus post depositam confessionem generalem nondum acquiescat, sed ter, quater, vel sæpius adhuc revertatur ad confessarium, dicens, se hoc, vel illud peccatum certo commisisse, & nondum confessum fuisse.

225. Respondet La Croix *cit n.* 543. in hoc casu pænitenti dicendum esse, ut juret se scire quod per hoc peccaverit mortaliter, & quod nunquam sit confessus. Porro, si timeat jurare, illum esse dimittendum, nec audiendum, eo quod non sit certus, sed ad summum opinetur, se peccasse: econtra si sine mora juret, esse audiendum, & credendum, hunc non fuisse scrupulum. Ita Doctor *loc. cit.* & satis bene. Puto tamen in hoc casu magna circumspectione, & prudentia opus esse; quia, ut sapienter advertit noster Marchantius *tom.* 1. *trib. Sacram. tr.* 5. *c.* 6. *q.* 5. cum scrupulosorum fluctuatio, & perturbatio animum possidens eorum accusationem, vel narrationem inficiat: hinc sæpe asseveranter dicunt, se varia pati in voluntate, quæ sunt tantum in imaginatione: dicunt insuper se consensisse (forte animo se liberandi a scrupulo) cum tamen revera non consenserint, dumque hac via evadere cogitant, scrupulorum laqueos amplius incidunt: nam peracta confessione, vel deposito juramento illico anguntur, an forte non sint mentiti in confessione? immo ad Confessarium revertentes absolute asserunt se commisisse perjurium, proptereaque gravius DEUM offendisse existimant, veluti Confessarii plurimi sunt experti.

Itaque omnibus perpensis videtur consultum, ut Confessarius hujuscemodi hominem vere scrupulosum non audiat, dum post peractam confessionem generalem nondum quietus, sæpius redit, & de præteritis sese accusare vult: quia hoc modo non consulitur bono animæ, neque honori divino, sed potius aperitur via scrupulis, & utinam non omnimodæ stultitiæ, aut delirio.

CASUS TERTIUS.

C*Aja haud ignobilis fœmina, & optimæ quidem voluntatis exagitari solet tentationibus, & incidentis importunissimis, modo contra Deum, & fidem veram, mox contra Cœlites, non raro etiam contra virtutem castitatis: & licet omni modo conetur se opponere, & excutere tentationes, aut imaginationes inhonestas, nihilominus fatetur eas illico redire in memoriam, & quidem ad longam satis moram: qua de causa Caja non raro inter conversandum cum aliis honestis personis facie nonnihil aversa solet agitare caput, & altiori etiam, vel saltem satis intelligibili voce dicere: Pfui pfui: nolo, nolo, non consentio &c. &c. Quid de Caja censendum vel quid consilii suggerendum?*

226. R. 1. Ex hac specie facti per se satis liquidum videtur, Cajam nimium quan-

quantum esse subjectam scrupulis; tum quia continuo angitur, & timere solet de peccato etiam in iis, quæ patitur contra voluntatem propriam; tum etiam, quia quamlibet incidentiam de consensu jam putat esse peccaminosam, & hoc ipso existimat se jamjam peccasse. Itaque ante omnia eidem serio inculcandum est, & omni modo persuadendum, hujusmodi incidentias quantumvis malas, aut etiam lascivas, non esse peccata, sed potius materiam meritorum. Quin immo juxta *communissimam DD.* apud Herincx *p. 2. tr. 2. disp. 7. n.* 41. & Bosco *de pænit. dis. 7. sect. 8. n.* 104. quivis conscientiæ timoratæ, qui non assuevit plene advertens consentire, potest in dubio præsumere, se non plene consensisse, eo quia ex communiter contingentibus fit prudens præsumptio: ergo a fortiori idipsum præsumendum est de scrupuloso, utpote cujus unicum pene studium, & tota sollicitudo eo tendit, ne Deum offendat: qua enim alia de causa tam vehementer angitur, & inquietatur?

227. R. jam secundo, consulendum porro esse Cajæ, ut huiusmodi importunis tentationibus studeat moderate resistere, non agitando caput, aliosve gestus (quibus procul dubio coram aliis sese prostitueret) exercendo, neque etiam publice, aut coram aliis intelligibiliter protestando, seu dicendo: *Non volo, non consentio &c.* sed potius omnimodis conetur inter tentationum procellas serenum, & quietum conservare animum, excludendo præcise internum consensum, & quasi illudendo adversario; quod optime præstabit intendendo illi, quod actu operatur, utputa orationi, dum inter orandum, vel labori manuali, dum inter laborandum tentatur, vel si actu non habet, quod agat, cogitet quid egerit, aut, quidnam proxime agendum sibi incumbat. Ratio est: quia hoc modo motus, & molestiæ tentationum sensim, & quasi sine sensu evanescent, quandoquidem certum sit, quod intellectus noster pro hac via non possit pluribus simul tam perfecte intendere, ac proin, quo magis sese uni objecto solet applicare, eo longius solet ab altero recedere.

Adde, quod Caja sese inquietando, & importunius resistendo tentatori maligno potius victa censeri debeat, quam Victrix; quia ut sancte notavit P. Druzbiki *de soliditate virtut. consider.* 21. Sæpenumero diabolus homines præsertim perfectiores tentare solet, non tam ut eosdem superet, quam ut inquietet, & a melioribus studiis, utputa orationis, meditationis, devotæ communionis &c. tentationis abigendæ causa divertat; id, quod ab hujusmodi hominibus scrupulosis non raro ad suum placitum adipiscitur: dum enim toti quanti scrupulis suis, seu inanibus apprehensionibus inhærent, interim devotionis, & debitæ dispositionis v. g. per actus humilitatis, amoris, admirationis &c. in ordine ad debite suscipiendum SS. Eucharistiæ Sacramentum obliviscuntur.

Dices. Sed Titia fatetur etiam hoc remedium non satis esse firmum, præsertim in ordine ad reprimendas tentationes carnales; tametsi enim intendat orationi, vel labori manuali, per hoc tamen non cessant stimuli, & fluctus motuum carnalium, neque illico recedunt turpissima illa phantasmata e phantasia, seu potentia imaginativa.

228. R. Præfatum medium esse prorsus solidissimum, firmissimum ad evitandum formale peccatum; quia, ut recte advertit P. Druzbiki *loc. cit.* vel maxime deservit ad excludendum consensum voluntatis: ergo etiam ad evitandum ipsum peccatum formale. Nec refert, quod vi hujus stimuli, & motus carnis non illico cessent, vel quod ocyus redire soleant in memoriam: nam neque stimuli carnales, nec motus lascivi, neque phantasmata quantumvis turpia, & lasciva ex se sunt peccata, nec unquam evadent peccaminosa, nisi accedat voluntatis consensus. Neque etiam phantasia nostra despotice subjacet voluntatis imperio: quin immo teste Henrico Suso apud Lohner & La Croix *n.* 553. concors est multorum etiam Sanctorum sententia, quod ratio sæpe per importunas incidentias usque in delectationem naturalem perveniat, idque satis longa mora, antequam sui ipsius per maturam deliberationem plene compos fiat, & in talibus boni homines peccatum mortale metuere non debent, ait La Croix *cit.* sed po-

potius sperare meritum ob victoriam ab hoste maligno reportandam.

At, inquis adhuc: Titiæ durante tentationis procella sæpissime incidit: *Ecce! modo delectaris: modo consentis, aut consensisti, jam deliquisti mortaliter &c. &c.*

229. R. Etiam hæc incidentia nihil prorsus facit ad peccatum, sed potius contribuit ad majus meritum, longe enim aliud est incidentia de consensu, quippe quæ se præcise habet ex parte intellectus, & aliud est ipse consensus, qui se tenet ex parte voluntatis. Rursus, aliud est illa delectatio turpis, naturaliter concomitans, vel subsequens motum lascivum, & aliud acceptatio voluntaria hujus delectationis, seu complacentia voluntatis. Et certe, si hujusmodi personæ bonæ mentis (uti scrupulosi regulariter esso solent) a Confessario interrogentur, an ergo hujuscemodi incidentias, motus carnales &c. libenter habuerint? sine mora respondere solent: *Absit a me Domine: utinam talis incidentia nunquam mihi venisset in mentem, neque deinceps unquam amplius rediret.* Ex quo satis liquet, quod tales personæ longe absint a periculo peccandi formaliter, immo vero multum per omnem modum sibi promereri valeant, modo hujusmodi calamitates, & miserias, sine dubio devotæ menti molestissimas, patienter ferant, & consensum internum constanter excludant.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

230. Colliges ex hactenus dictis primo, quodnam sit discrimen inter scrupulosum, & hominem sancte intimoratum, seu inter timoratam, & scrupulosam conscientiam; nam scrupulosorum timor plenus est impuritate, & inconstantia mentis, vi cujus semper quasi perturbati in solicitudinem, non alacrem, sed potius in anxietatem, pusillanimitatem, ac tepiditatem, tandemque in tædium quasi omnis boni devolvuntur, simulque apprehensio mali fit in ipsis cum perturbatione totius hominis, ita, ut nec se ipsos capiant, sed potius quodam quasi mentis delirio tabescant; e contra vero intimorati sancto Dei timore, solent quidem metuere, ne Deum offendant, propterea que, etiam a verbis otiosis, aliisve quantumvis levibus offensis quam diligentissime sibi cavent, ita tamen, ut sine perturbatione mentis, aut nimia anxietate viam mandatorum Dei cum cordis tranquillitate incedant, & absque perturbatione continuo quasi ad Deum aspirent: ex quo liquet, hunc Dei timorem indeque enatam conscientiam sanctam esse, & laudabilem, e contra scrupulosam conscientiam vituperabilem; quanquam haud ignorem, non esse semper in potestate scrupulosorum sese expedire ab his stolidis apprehensionibus, propterea que compassione potius, quam reprehensione dignos esse. Vid. Marchant. *tom.* 1. *trib.* 5. *tr.* 1. *tit.* 6. *q.* 2. vel Reiffenstuel *tr.* 1. *dist.* 3. *n.* 76. & 77.

231. Colliges insuper secundo, discrimen inter hominem scrupulosum, & laxum: scrupulosus enim de peccato sibi timere solet etiam in iis, quæ alii flocci faciunt: ubi e contra laxus spernit, & pro nihilo habet ea, quæ alii viri prudentes, & boni communiter sibi Religioni dicunt. Rursus qui Concionatoribus probis non credit, eorumque reprehensiones, velut excessivas exaggerationes spernit, merito dicitur laxus: e contra scrupulosus aliis viris etiam doctis ac bonis asserentibus hoc, vel illud absque peccato fieri posse, solet non credere, nec acquiescere. Solent insuper laxi in omnibus divinis, seu etiam animæ salutem concernentibus, utputa in confessionibus, communione sacra, vel etiam orationibus inconsideranter, præcipitanter &c. progredi, explicantes quid pro quo sine numero, & specie, orantes præcipitanter, sine devotione, vel attentione &c. econtra scrupulosi sibi timent si vel minimam circumstantiam in confessione omittant: solent insuper repetere, quæ cum involuntariis etiam distractionibus jamjam dixerunt. Et quod amplius mirandum, nec sibi, neque aliis viris doctis satis confidunt, dum hoc vel illud licite fieri posse audiunt, immo novam diffidentiam in eo ponunt, quia putant a Confessario similia ideo duntaxat sibi dici, aut præscribi, quia scrupulosi sunt; quod plane

æque ineptum videtur, ac si infirmus tempore quadragesimalis ieiunii non auderet comedere carnes, eo quod Medicus harum comestionem ideo tantum præscripserit, quia judicavit statum hujus infirmi id exigere. Videatur La Croix *n.* 526. vel Stoz *l.* 1. *p.* 5. *n.* 223.

232. Colliges ex his tertio, Confessariis scrupulosorum nedum magna prudentia, & discretione, verum etiam magna patientia esse utendum; discretione quidem, & prudentia, quia si talem scrupulosum velint dirigere iuxta opiniones magis rigidas, vel multum examinare de circumstantiis, vel etiam interroganti respondere trepide quasi, aut cum multis distinctionibus &c. nedum nihil efficient, sed scrupulis amplius eum involvent, patientia vero, quia si impatientes sese exhibuerint, eundem, vel omnino pusillanimem reddent, vel in omnimodam desperationem præcipitabunt, vel maxime autem compassione digni mihi semper visi sunt illi, qui propter excessum melancholiæ in hanc miseriam prolapsi sunt; cum enim talis infirmitas ipsis non sit voluntaria, simulque propter eandem summe affligantur nedum corpore verum etiam mente; hinc Christiana pietas, & charitas plane obligare videtur, ut quemadmodum ex duplici capite gravissime affliguntur, ita etiam a Confessario patientia duplicata, seu duplo maior, quam aliis monstretur, modo ostendant aliqualem saltem cooperationem, & conatum salutaria media, seu Consilia a Confessario sibi præscripta exequendi.

233. At vero, ubi pœnitens scrupulosus suo Judicio tam pertinaciter adhæret, ut detrectet pia, & salutaria monita, aut consilia exequi; noverit Confessarius, se Æthiopem lavare, frustra oleum, operamque perdere, ac proin eum velut incurabilem (blande tamen, ne afflicto addat afflictionem) poterit dimittere. Hac de causa Tamburin. *in Decalog. l.* 1. *c.* 3. §. 8. *num.* 4. fatetur, se dimisisse quandam fœminam scrupulosam velut immedicabilem, eandemque a pluribus prudentissimis Patribus fuisse dimissam, recte subdens, hujusmodi homines pro cerebro læsis habendos esse.

234. Colliges tandem quarto, Scrupulos partim utiles esse, partim noxios. Utiles sunt 1. quia juvant ad emundandam conscientiam. 2. Quia faciunt hominem cautum in suis actionibus, ne DEUM offendat. 3. Juvant ad internam humiliationem; nam scrupulosus suas angustias, & miserias etsi occultissimas cogitur detegere alteri, eiusdemque mandatis, & consiliis obtemperare. 4. Multum conducunt ad hoc, ut is, qui aliquando fuit scrupulosus, deinde possit alios magis juvare in hac infirmitate. Denique 5. juvant ad magnum meritum, ut jam dictum fuit.

Econtra autem noxii sunt imprimis corpori; quia destruunt valetudinem, attenuant caput, sæpe redigunt hominem ad insaniam, vitam abbreviant, animam reddunt intricatam, perplexam, & quandoque desperabundam, intellectum confundunt, & sæpe totum hominem, licet cetero bene talentatum reddunt ad omnes functiones ineptum: præterea impediunt multa bona opera, faciunt tempus prodigi multis vanis, & inutilibus cogitationibus. Existimo tamen omnibus bene ponderatis, præstare, esse scrupulosum, quam laxum, etsi hoc posterius non sit tam onerosum, aut molestum; laxi etenim, dum quidquid libet, licitum sibi putant, nedum ambulant, sed potius currunt viam latam, ac spatiosam, quæ ducit ad interitum: Scrupulosi econtra, tametsi gravissime affligantur, mallentque sæpe mortem, quam ejusmodi angores ferre, incedunt tutissima crucis via, & quodammodo sine peccato Tyrannorum lentum sustinent Martyrium, propereaque insignem procul dubio (modo patienter ferant hanc infirmitatem) merentur a Deo coronam; quin etiam teste La Croix *l.* 1. *n.* 513. Homo, qui in vita scrupulosus fuit, in morte solet abundare maximis consolatinibus ex recordatione, quod semper conatus sit conscientiam habere mundam.

CON-

CONFERENTIA NONA

De natura, & Conditionibus Legis in communi.

SUMMARIUM.

235. *Lex ut sic est regula stabilis actionum humanarum &c. &c.*
236. *Recensentur breviter sex conditiones ad rationem Legis necessariæ.*
237. *Lex ut sic recte dividitur 1. in naturalem, & positivam. 2. Positiva in divinam, & humanam &c.*
238. *& seqq. Singula membra dividentia succincte exponuntur.*
242. *Ad hoc, ut lex in actu secundo obliget, necessario prærequiritur promulgatio, id est, solennis intimatio, facta communitati.*
243. *Leges Civiles Imperii non obligant, nisi post duos menses post earum promulgationem in singulis Provinciis factam.*
244. *Idipsum hodiedum probabiliter asseritur de Legibus Pontificiis mere constitutivis.*
245. *Nisi Legislotor aliud exprimat in sua constitutione.*
246. *Aut nisi lex irritans actum, vel inhabilitans personas &c.*
247. *Lex naturalis, & divina non dependent ab acceptatione populi.*
248. *Quin immo neque Leges Ecclesiasticæ, vel politicæ hodie dependent ab ea.*
249. *Esto ex privilegio speciali vel alio pacto a Legislatore inito, ita dependere possint, saltem a selectu populi, vel statibus, uti vocant.*
250. *Quænam sint differentiæ inter Legem & præceptum?*
251. *Recensentur nonnulli Casus, in quibus præceptum non exspirat cum morte præcipientis.*
252. *Resolvitur Casus I. cujusdam Sacerdodotis Catholici dubitantis, an tuta conscientia possit adire Angliam, & ibidem contra edictum Regis saltem in occulto peragere divina.*
253. *Non tenebatur morem gerere huic constitutioni, utpote contrariæ Legi divinæ.*
254. *Solvitur quædam instantia in contrarium.*
255. *Resolvitur Casus II. alterius Sacerdotis, dubitantis, an post factam prohibitionem Romæ possit in hisce partibus nostris portare capillaturam adscititiam.*
256. *Qui certo novit, Romæ a S. Pontifice aliquam propositionem velut hæreticam, aut scandalosam fuisse damnatam, tuta conscientia non amplius potest eam docere, vel practicare.*
257. *Resolvitur Casus III. cujusdam Consiliarii, qui dixit, se insigniter decepisse quendam Judæum ignarum Legis pragmaticæ proxime promulgandæ.*
158. *Probabilissime ex hac deceptione non incurrit obligationem restituendi.*
259. *Incurrisset tamen hanc, si facta jam promulgatione Legis ignarum decepisset.*
260. *Quævis lex introducit obligationem, vel ad culpam, vel saltem ad pœnam.*
261. *Qui Legem injustam transgreditur, non peccat.*
262. *In dubio tamen an sit justa, præsumendum est pro valore & justitia Legis.*
263. *Undenam colligendum, an lex justa sit, vel injusta?*
264. *Tametsi nonnullæ Leges videantur potius respicere bonum privatum, quam commune, non tamen illico reputari debent injustæ.*
265. *Notatur quædam differentia inter promulgationem, & divulgationem Legis.*
266. *Quid si lex in pluribus quidem Provinciis sit promulgata, a majori tamen parte non observetur.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de natura, & conditionibus Legis, ut sic.

235. QUæres primo, quid sit Lex? R. Lex ut sic recte describitur, quod sit: *Regula stabilis actionum humanarum communitati præscripta propter bonum commune, ab habente, auctoritatem publicam in communitatem, obligans ad aliquid faciendum vel omittendum*. Ita in re *communissime* Doctores, etsi in terminis seu modo nonnihil varient, uti videre est apud Herincx *part. 2. tr. 3. disp. 1. n. 1.* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 2. dist. 1. n. 4.* & nostrum A. R. P. Kazenberger *supplem. 2. P. Sargar. n. 2.* Quod autem præfata descriptio sit accommoda, vel inde facile potest colligi: quia Lex eo fine præscribitur communitati, ut per eam subditi ad bonum commune conservandum, vel promovendum dirigantur, ac regulentur. Per hoc autem quod dicatur regula *obligans*, innuitur differentia illius a consilio, quippe quod tametsi hominem valeat dirigere ad bonum, non tamen obligat, uti bene observavit D. Hieronymus *lib. 1. contra Jovin.* dum ait: *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi vero præceptum, necessitas est servientis.*

Quæres 2. Quænam conditiones sint necessariæ ad veram Legem?

236. R. Sex conditiones; 1. Scilicet, ut sit honesta. 2. Justa. 3. Servatu possibilis. 4. Necessaria, & utilis. 5. Lata intuitu boni communis. 6. Denique obligans perpetuo ac stabiliter. Ratio horum facile eruitur ex fine Legis, qui est bonum publicum conservare, vel promovere: at, hunc finem nunquam assequeretur, nisi esset honesta, justa &c. &c. ergo ad rationem Legis ut sic merito requiruntur præfatæ conditiones. Videatur Babenstuber *tr. 3. disp. 1. a. 1. a n. 4.*

Quæres tertio. Quotuplex sit Lex, seu quomodo dividenda?

237. R. Cum P. Reiffenstuel *Theol. mor. tr. 2. dist. 1. n. 5.* Lex ut sic immediate dividitur 1. In naturalem, & positivam. 2. Positiva in divinam, & humanam. 3. Divina subdividitur in veterem, ac novam. 4. Humana vero rursus subdividitur in jus gentium, Ecclesiasticum, & Civile. Explico breviter singula membra.

238. I. Lex naturalis (ab aliis jus naturale appellatur) est illa, quæ nobis a natura est quasi congenita, vel, ut clarius loquamur: est illa voluntatis divinæ regula, quam nobis ratio naturalis dictat, & vi cujus jubemur vitare ea, quæ creaturæ rationali disconvenientia, e contra amplecti ea, quæ convenientia sunt; utputa Deum, ceu summum bonum esse amandum, non esse offendendum &c. Unde Doctor Gentium *Rom. c. 2.* ait: *Gentes, quæ Legem* (scriptam scilicet) *non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt*. Et paulo post: *qui ostendunt* (inquit) *opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*

239. II. Lex positiva (alio nomine dicitur jus positivum) est illa regula, quæ a libera Dei, vel hominis voluntate dependet. Dicitur autem hæc Lex *positiva*, quia a libero DEI, vel hominis arbitrio, non necessario, & ex intrinseca exigentia materiæ, sed libere, & contingenter ponitur. Unde etiam a Lege naturali differt, vel maxime in eo, quod materia Legis naturalis sit intrinsece honesta, vel inhonesta, id est, conveniens vel disconveniens creaturæ rationali, propereaque a Deo, ceu Auctore naturæ necessario debuit prohiberi, vel præcipi: e contra materia Legis merum positivæ, non est de se intrinsece bona, vel mala, sed potius indifferens, etsi de se non sit inconveniens creaturæ ratione præditæ, uti erat abstinentia ab esu pomi noxialis Adamo Proto-Parenti nostro præcepta. Inde fit, quod lex positiva variabilis, naturalis vero invariabilis communiter dicatur.

240. III. Lex positiva divina vetus est, illa, quæ comprehenditur in veteri testamento Nova vero in novo testamento continetur; e quibus prior, utpote jamjam pridem abolita, nobis ad praxin nil prorsus facessit negotii: posterior tamen multum per omnem

mo-

modum, prout patebit per decursum.

IV. Lex positiva humana (sic dicta, eo quod ab homine sit lata) secundum mox dicta dividitur 1. In jus Gentium: quo nomine intelligitur illud, quod non a determinato Principe, vel Regno ortum habet, sed supposita humana societate, & communicatione politica, necessitate hujus convictus sic exigente, inter omnes, vel fere omnes gentes, non scriptura, sed moribus est constitutum, vel per modum Legis præceptivæ, aut prohibitivæ, vel per modum potestatis permissivæ; veluti sunt consuetudo recipiendi Legatos cum assecuratione immunitatis; libertas commerciorum inter gentes non inimicas &c. & alia hujusmodi, quæ enumerantur *c. jus gentium 9. dist. 1. l. 5. ff. de J. & J.* 2. Jus Civile consistit in illis Legibus, quæ ad civium politicam gubernationem, ac temporalia jura tuenda, & ad Rempublicam in pace conservandam sunt institutæ a diversis Imperatoribus, uti videre licet in Corpore Juris Civilis. 3. Nomine Juris Ecclesiastici intelliguntur constitutiones pro recta gubernatione Ecclesiæ, & ad spiritualem animarum profectum a diversis Pontificibus, vel etiam Conciliis generalibus ordinatæ, quales hodie reperire est in corpore Juris Canonici; unde etiam *Canonicæ* appellari solent.

Quæres quarto. Sitne promulgatio de essentia Legis?

242. R. Multi Doctores, præsertim ex Scotistis, negant eam esse de essentia; quia, inquiunt, Lex ex sua essentia solum exigit esse regula morum, non vero exigit actu regulare, veluti patet a paritate ex aliis regulis desumpta: ad hoc, quod sit regula, apta dirigere homines &c. habet antecedenter ad promulgationem: ergo hac præcisa habet sua essentialia.

Quidquid tamen sit de hac controversia speculativa, necessario fateri cogimur, hanc promulgationem, id est, solemnem hanc intimationem communitati legitime factam prorsus necessariam esse ad hoc, ut Lex obliget in actu secundo. Et ita tenent Scotus 4. *dist.* 3. *q.* 4. *a.* 2. Mastrius *Theol. mor. disp.* 2. *n.* 18. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 2. *dist.* 1. *n.* 20. Ratio est: quia Lex est communis vivendi regula: ergo omnino publicari debet, quatenus ab omnibus observari possit, & omnes secundum eandem regulam suas actiones instituere, prout Lege jubente tenentur, & e contra transgressores juxta demeritum puniri valeant; quod absque promulgatione debita, ac sufficiente fieri sane non posset, juxta illud *Auth. Ut factæ novæ constitutiones Collat.* 5. ubi Imperator ait: *Cur enim culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint constitutiones?*

At, quanta (inquies) promulgatio requiritur ad hoc, ut Lex in actu secundo obliget?

243. R. 1. Ad hoc, ut Leges Civiles a supremo Imperii Principe, (Imperatore scilicet) pro pluribus Provinciis latæ obligent, debent prius in singulis respective Provinciis promulgari: quin etiam a die solemnis promulgationis non obligant nisi post duos menses. Ita Theologi, & Jurisconsulti communiter. Ratio est, quia ita expresse constitutum legitur *in Authent. mox allegata, Collat.* 5. ubi dicitur. *Ut factæ novæ constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant*. Idipsum hodiedum approbat praxis, & consuetudo Sacri Romani Imperii, teste Reiffenstuel *l. cit. n.* 24. ubi is advertit, hanc constitutionem non habere locum in statutis inferiorum Principum, vel civitatum; quia hæc post peractam solennem publicationem in curia, aut præcipua Civitate, seu Metropoli, illico obligant, nisi Legislator aliud exprimat.

244. R. secundo. Quantum ad Leges Pontificias, Doctores non ita conveniunt; multi enim insignissimi existimant, eas illico obligare omnes, ac singulos Christi fideles, supposita sola promulgatione Romæ facta, eo quod ex natura rei plus non sit necessum ad introducendam obligationem. Ita Castropalao, Babenstuber &c. Nec dubitandum, quin hæc sententia sit magis pia, ac tuta, licet non ita conformis praxi. Unde existimo hodiedum satis probabile, quod neque Leges Pontificiæ merum con-

constitutivæ vi solius promulgationis Romæ factæ statim ubique terrarum obligent, nisi Legislator aliud exprimat, & nisi Lex sit irritans aliquem actum, vel inhabilitans personas &c. Ita tenent Scotus 4. *dist.* 3. *q.* 4. quem sequitur Henno *disp.* 3. *q.* 5. *de LL. concl.* 3. item Marchantius noster *tom.* 2. *tribun. tr.* 1. *tit.* 8. *q.* 5. & Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 2. *dist.* 1. *n.* 26. & rursus *l.* 1. *decret. tit.* 2. §. 5. *n.* 125. Pirhing. Engel & alii. Ratio hujus est: quia Pontifices volunt Jus Civile servari, ubicunque Jure Canonico nihil est specialiter constitutum juxta *cap.* 1. *&* 2. *de Novi O. N.* atqui hic nihil habetur specialiter constitutum: ergo nisi Legislator aliud exprimat, præsumendum est, quod non voluerit vi solius promulgationis Romæ factæ omnes Christi fideles obligatos: quemadmodum Christus vi solius promulgationis Jerosolymis factæ in die Pentecostes, non voluit illico omnes homines obligatos ad observantiam novæ Legis. Monet nihilominus sapienter Reiffenstuel *cit. n.* 132. in praxi quoad hanc materiam standum esse subditis tum Judicio Superiorum, tum etiam praxi, ac consuetudini receptæ; quæ in hisce partibus nostris videtur nobis favere; nam nemo facile credet, se vi solius promulgationis Romæ factæ jam esse obligatum.

245. Dictum tamen fuit primo: *nisi Legislator*, summus scilicet Pontifex, *aliud exprimat*; cum enim ex natura rei sufficiat unica promulgatio, modo hæc sufficienter divulgetur; hinc posset Papa unicam duntaxat requirere, & hac sola supposita totum mundum velle obligatum saltem in actu primo, etsi in hoc etiam casu nullus cum ignorantia invincibili talem Legem transgrediendo peccaret formaliter. Henno *cit.*

246. Dictum fuit secundo, *& nisi lex sit irritans*; tunc enim contractus contra Legem Romæ promulgatam initus esset nullus, non obstante quacunque etiam invincibili ignorantia; tum quia ignorantia (esto ceteroquin excuset a peccato) tamen ex inhabili nequit reddere habilem; tum etiam quia effectus irrationis procedit a Legislatore non ex potestate Legislativa, sed dominativa, quæ non indiget ad sui integritatem notitiam subditorum, inquit Palao *tr.* 3. *de Leg. disp.* 1. *pu.* 11. *n.* 9. Videatur de hoc P. Vega *in sua summa part.* 2. *cap.* 16. *casu* 9.

Quæres quinto, utrum Leges dependeant ab acceptatione populi, ita ut secus nullius sint valoris?

247. R. primo. Lex naturalis certe non dependet ab acceptatione hominum, sicut nec Lex divina; uti recte tenet Suarez *de Leg. lib.* 1. *c.* 13. *num.* 7. Ratio prioris est; quia secundum dicta *n.* 239. materia Legis naturalis, vel est intrinsece bona, vel intrinsece mala, ideoque necessario a Deo, seu Auctore naturæ præcepta, vel prohibita: at, quod necessario præcipitur, aut prohibetur subdito, non potest dependere ab hujus arbitrio: ergo &c. Ratio autem posterioris ex hoc facile colligetur; nemo enim tam erit insipiens, ut audeat asserere voluntatem divinam dependere ab arbitrio hominum: ergo dum Deus homini aliquid absolute præcipit, tenetur is sese accommodare voluntati divinæ.

248. R. secundo. Defacto neque Leges Ecclesiasticæ, neque etiam politicæ a Principe, vel Republica absoluta conditæ dependent ab acceptatione populi quoad suum valorem. Ita communissime Doctores, nominatim Mastrius ubi supra *num.* 21. & Babenstuber *disp.* 1. *a.* 5. *n.* 3. Et de Lege Ecclesiastica quidem facile res suaderi potest ex eo: quia potestas Legislativa spiritualis summo Pontifici non fuit collata ab homine, vel a populo, sed a Deo immediate: ergo valor obligationis nequit dependere a populi arbitrio, modo Lex sit justa. Ratio autem posterioris est hæc: quia loquimur de Principe, aut Magistratu supremo, seu absoluto: at, si non posset populum etiam nolentem obligare, sed in hoc dependeret ab ipsius arbitrio, eo ipso non esset supremus, neque ipsius potestas esset satis efficax ad gubernium populi: ergo etiam dicendum, quod non dependeat. Hac de causa Alexander VII. Sapienter damnavit sequentem *n.* 28. propositionem: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem a principe promulgatam.*

249. Di-

249. Dixi: *defacto non dependent &c.* ut per hoc innuerem, olim in statu democratico apud Romanos, & Athenienses ita dependisse: immo vero hodiedum nonnullorum Principum, vel etiam Prælatorum potestas limitata est in tantum, ut sine consensu v. g. statuum, vel aliorum non possint condere Leges, uti patebit ex dicendis *in Conferentia proxima a n. 273.*

Quæres sexto, an, vel quænam sit differentia inter Legem, & præceptum?

250. R. Inter hæc multiplex differentia reperitur; nam 1. Lex debet ferri a persona publica, pro communitate, & in bonum communitatis; præceptum vero potest ferri a persona privata. 2. Lex afficit subditos ratione territorii: e contra præceptum proxime, & immediate fertur in personas particulares, quarum ossibus quodammodo inhærere dicitur, ita, ut talem obligationem secum portent, ubicunque demum locorum existant: e contra Leges territoriales non obligant cives absentes, id est, extra territorium existentes. 3. Lex per se exigit esse stabilis, & perpetua, quemadmodum bonum publicum exigit stabiliter, ac perpetuo promoveri; unde fit, quod Lex non exspiret exspirante Legislatore: e contra præceptum regulariter saltem exspirare solet cum morte præcipientis, uti bene docent Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 2. dist. 1. n. 18. & 19.* La Croix *lib. 1. n. 565.*

251. Dictum tamen fuit, *præceptum regulariter exspirare* cum morte præcipientis; dantur enim casus in quibus non exspirat, & sunt sequentes. 1. Si præceptum sit factum ad pias causas, ut si quis mandarit dari Eleemosynam. 2. Si sit favorabile doti matrimoniali, vel alicui Scholastico. 3. Si mandatarius expresse fuit jussus exequi mandatum post mortem. 4. Si res non sit amplius integra, id est, si executio mandati jam sit incœpta. 5. Si executio alicujus gratiæ sit mandata in favorem alicujus, & non relicta ipsius (exequentis scilicet) arbitrio. 6. Denique, si per potestatem Legislativam tali mandato, vel præcepto sit attributa specialis stabilitas, qualem teste La Croix *l. 1. n. 566.* in Societate Jesu habent præcepta Superiorum. Similiter in nostra familia Cis-montana Ordinationes Capitulares ab A. R. P. Ministro Provinciali cum consensu V. Diffinitorii factæ, vim habent obligandi usque ad alterius Diffinitorii electionem, quamvis Prælatus interim amoveatur, aut decedat, prout teste Gaudentio Kerkhove *in statut. gener. c. 8. §. 10. n. 3.* colligitur ex statutis Romanis Anno 1676. conditis.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, circa naturam, & essentialia Legis.

CASUS PRIMUS.

Titius intendit proficisci in Angliam, animo ibidem Christi fideles in vera fide confortandi, & conservandi eisdem in occulto saltem administrando SS. Ecclesiæ Sacramenta. Verum cum audiverit ibidem Catholicis Sacerdotibus omne exercitium Religionis, etiam privatum (exceptis duntaxat quibusdam Legatorum Palatiis) esse interdictum sub pœna capitis, aut certe carceris perpetui; hinc dubitat 1. An hoc suum intentum salva Lege naturali, qua jubemur vitam non exponere discrimini, nec proximo dare ansam peccandi, possit exequi? 2. An præfatæ constitutioni Anglicanæ in foro conscientiæ teneatur morem gerere? Quid Confessarius eidem respondebit?

252. R. Ad primum quæsitum. Titius proficiscendo in Angliam, etiam cum periculo vitæ, non peccavit contra Legem charitatis. Ratio est: quia hæc solum obligat, ne vitam nostram discrimini exponamus sine gravi, & vere rationabili causa: atqui Titius utpote ductus animarum, & honoris divini zelo, hoc non facit sine gravissima, & rationabilissima causa: ergo non impingit in Legem naturalem charitatis; secus enim cogeremur fateri, innumeros SS. Martyres, immo vero ipsummet Christum Salvatorem nostrum, qui vitam pro animarum salute dedere, peccasse contra Legem naturalem. Et amabo! quot vitæ discriminibus terra, marique sese exponunt mundani homines intuitu tem-

temporalis lucri, subinde valde modici, aut incerti, & tamen nemo facile eos condemnat velut sui inimicos, & charitatis transgressores.

253. R. Jam ad secundum. Titius non tenetur morem gerere præfatæ constitutioni Anglicanæ, quippe quæ non justa, sed iniqua est, & hoc ipso nullam habet vim obligandi quempiam. Ratio hujus facile colligi potest ex eo, quod tradidit Isidorus *l. 5. Etymol. c. 3.* relatus *cap. consuetudo dist. 1.* quia scilicet ad rationem Legis pertinet *ut ratione constiterit, religioni* (veræ scilicet) *conveniat, disciplinæ congruat*: at memorata constitutio Anglicana minime convenit veræ Religioni, quin potius hanc supprimere, aut omnimodis eliminare conatur: ergo non est Legi divinæ conformis neque justa. Merito proin Doctor Angelicus *q. 96. art. 4.* docuit, hujusmodi Leges non obligare in conscientia, immo neque servari posse, si Legi superioris DEI repugnent, nam *obedire oportet DEO magis, quam hominibus. Act. 5.* quod & Apostoli sancti profusione sanguinis contestati sunt.

Dices tamen contra hoc: finis Legum politicarum non est procurare bonum spirituale animarum, sed potius bonum, pacem, & tranquillitatem Reipublicæ: atqui constitutio Anglicana nihil aliud intendit, quam hunc finem, immo nata est conducere in hunc finem; experientia enim constat, in Republica quacunque demum tanto majorem reperiri tranquillitatem, quanto major est unitas Religionis: ergo hæc constitutio velut justissima omnimodis debet observari.

254. R. Distin. maj. Finis Legum politicarum non est procurare bonum spirituale positive & directe, con. saltem negative, neg. Nam ad honestatem Legis cujusvis attinet, ut saltem veræ Religioni non repugnet; secus enim repugnaret Legi divinæ: quod, cum faciat præfata constitutio Anglicana, ab omni vero Christiano merito contemnitur; *non enim licet Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti contra divina mandata præsumere, nec quidquam, quod Evangelicis, vel Propheticis, aut Apostolicis regulis obviet, agere. Can. non licet. dist. 10.* Videatur Suarez *de LL. lib. 1. c. 9. n. 8. in fine.*

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius Sacerdos sæcularis a quodam suo amico Romæ in scriptis, immo in forma authentica obtinuit litteras, quibus idem magnæ auctoritatis amicus testatur, a summo Pontifice Benedicto XIII. editam fuisse constitutionem, vi cujus Sacerdotibus quibuscunque demum severe prohibuit, ne amplius portent capillaturam adscititiam; quia tamen præfata constitutio in hisce partibus nostris nondum fuit solenniter promulgata, simulque Sempronius tum ob aeris inclementiam, tum etiam ob capitis debilitatem; tum denique ob consuetudinem a longo tempore jamjam contractam difficulter deponeret suam Capillaturam; hinc sciscitatur, an teneatur in conscientia sese accommodare præfatæ constitutioni, quippe quum indubitanter scit Romæ jam fuisse solenniter promulgatam, immo & a Principibus Ecclesiæ observatam? Quid Confessarius respondebit?

255. R. Confessarius Sempronium jubeat bono esse animo, dicatque eum non teneri ad observantiam dictæ constitutionis, tametsi noverit eam Romæ solenniter fuisse promulgatam. Ratio est: quia in his partibus nostris praxis videtur contraria; nemo enim tam facile credet, se vi solius promulgationis Romæ factæ jam esse actu obstrictum tali Lege; tum quia de sapientissimo simul, ac clementissimo Pastore Ecclesiæ non est præsumendum, quod voluerit ubique terrarum eandem constitutionem æqualiter obligare, tametsi non esset æqualis ratio obligandi, prout in hisce partibus nostris septentrionalibus certe non est: immo pro portandis Capillaturis tanto major ratio pugnet, quanto major est frigoris hiemalis rigor; tum denique, quia non est præsumendum de mente sapientissimi Principis, quod velit illico ubivis gentium omnes fideles obligatos, nisi constitutio Apostolica prius per eos, quorum interest, & quibus incumbit, scilicet Episcopis, sit debite promulgata: certe enim ex hoc, & non alio fine solent hujusmodi con-

constitutiones Episcopis transmitti. Sapienter proin noster Marchantius *tom.* 2. *trib. Sacram. tr.* 1. *tit.* 8. *q.* 5. *fin.* ait ad hoc, ut Lex in actu secundo obliget, non sufficere quamlibet notitiam privatam Legis, aut promulgationis factæ, sed necessarium omnino esse, ut Lex obligatorie, & authentice promulgetur per eos, ad quos regimen communitatis pertinet, & quibus credere, atque etiam acquiescere tenemur.

Dices: Ergo ne in hisce partibus nostris liceret Sempronio, vel cuivis alteri docere, aut practicare aliquam opinionem, tametsi ex privata relatione sciret eam Romæ a Summo Pontifice fuisse damnatam?

356. R. Non liceret. Ita ex communi DD. Henno *ubi supra disp.* 3. *q.* 5. *concl.* 3. Ratio est: quia Pontifex e Cathedra declarando hujusmodi propositionem velut erroneam, aut hæreticam, non statuit novum jus; sed solum declarat jus naturale, aut divinum jam pridem statutum, etsi forte hactenus non ita explicite cognitum, aut declaratum: atqui certum esse debet, quod juri naturali, ac divino quivis fidelium stare debeat, & sese accommodare Judicio Summi Pontificis e Cathedra loquentis: ergo &c. Hac de causa supra *n.* 244. expresse fuimus locuti de Lege Pontificia, qua novum jus introducitur, qualis est ista de non portandis capillaturis adscititiis, & aliæ consimiles. Videatur M. Franciscus Schmier *lib.* 1. *cap.* 5. *sect.* 1. §. 2. *n.* 43. *& seqq.* vel Krimer *ad Tit. de constitut. a n.* 159.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus Consiliarius magni nominis, nec minus opulentus intellexerat, in ultimo consessu decisum, ac decretum fuisse, ut ducatorum simul & frumenti valor diminueretur, econtra alterius cujusdam monetæ argenteæ valor elevaretur; quam ob rem temporis, & notitiæ hujus privatæ occasione utendum sibi ratus, ante unum, vel alterum diem prius, quam præfata constitutio solenniter promulgata fuit, petiit a quodam Judæo notabilem summam de illa specie monetæ argenteæ, cujus loco eidem illico reddidit ducatos, & frumentum. Post aliquot dies facta jam promulgatione præfatæ constitutionis venit ad Confessarium, fassus ingenue, se aliquem Judæum insigniter decepisse, petiitque scire, an propterea peccaverit, vel obligationem restituendi incurrerit. Quid Confessarius interroganti Cajo respondebit?*

257. R. Caius vi hujus facti saltem per se loquendo non peccavit, nec ullam obligationem restituendi contraxit. Ita Bonacina *de Leg. disp.* 1. *q.* 1. *pu.* 4. *n.* 22. Castropalao *de LL. tr.* 3. *disp.* 1. *pu.* 10. *n.* 2. quem sequitur Babenstuber contra Felinum, Farinacium, & alios. Ratio est: quia cum tempore huius commutationis factæ ducati, & frumentum revera fuerint in suo pristino valore coram tota communitate, profecto liquet, quod Caius dando aurum, & frumentum pro argento, rependerit æquivalens. Esto etiam supponatur scivisse frumentum post promulgationem factam illico minoris valiturum, quia tamen hæc promulgatio nondum contigit, nec Cajus aliunde fuit obligatus ad eam publicandam, vel Judæo insinuandam, hinc nullam prorsus huic intulit iniuriam, sed sapienter usus fuit Jure suo in ordine ad evadendum damnum, quod ex retentione ducatorum, & frumenti sibi imminere prævidit.

258. Dixi tamen, Caium in hoc facto *per se loquendo non peccasse*. Ex modo enim accusandi videtur satis liquido insinuasse, quod saltem ex conscientia erronea graviter deliquerit, dum ait, *se insigniter decepisse* quemdam Judæum: deceptio quippe proximi in materia gravi non vacat gravi culpa: ergo cum Cajus putaverit se decipere, immo voluerit graviter decipere Judæum, videtur practice certum, quod graviter peccaverit, tametsi non amplius teneatur rescindere contractum, nec quidpiam restituere Judæo, eo quod secundum mox dicta contractus fuerit revera justus.

At quid, inquies, si Caius cum Judæo hunc contractum iniisset post promulgationem Legis pragmaticæ jam factam, sed adhuc ignoratam tam a Cajo, quam a Judæo?

259. R. Ex hac suppositione Cajus teneretur, vel rescindere contractum, vel refun-

refundere excessum pretii majoris, quem obtinuit ex præfata commutatione. Ratio est: quia præsumi non potest, quod Judæus consenserit in contractum, nisi a Cajo reciperet æquivalens suo argento: atqui hoc non recepit: ergo præsumendum est potius, quod nunquam voluerit dominium sui argenti, vel excessum pretii transferre in Cajum. Et certe Cajus ex hac suppositione accepisset a Judæo, quod sibi minime debebatur: ergo licet propter ignorantiam excusetur a culpa, nec teneatur restituere titulo injustæ acceptionis, tenetur tamen titulo rei acceptæ restituere tantum, quantum de alieno adhuc possidet in re, vel in alio emolumento, uti bene docent Castropalao ubi supra *punct.* 11. *num.* 9. Salmanticenses, & Babenstuber *tract.* 3. *disp.* 1. *a.* 3. *num.* 9.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

260. Colliges ex hactenus dictis primo, de ratione Legis, ut sic, esse, ut obliget, sive dein sub culpa, ut obligare solent Leges divinæ, & naturales, sive saltem sub pœna, veluti nonnullæ Leges humanæ (quæ propterea pœnales dici solent) itemque nonnullæ Regulæ, & privata Religiosorum statuta, atque ordinationes communiter obligare solent. Ratio autem hujus ex hactenus dictis facile potest colligi; lex enim ut sic est regula non qualiscunque, sed *obligans*. Et certe, nisi lex induceret obligationem, jam non amplius differret a Consilio, aut certe foret minus, quam par est, efficax in ordine ad conservandum, vel promovendum bonum publicum; facile enim contemneretur a subditis.

261. Colliges secundo, non peccare, qui Legem injustam non observat. Ratio est: quia ut ex dictis liquet, Lex injusta non est vera Lex, sed potius tyrannis: ergo nullam habet vim obligandi. Cavendum nihilominus est a scandalo, quod facile dari posset in casu, ubi non satis constat de injustitia, vel de causa excusante subditum ab observantia. Et vel maxime etiam cavendum, ne mentiatur iniquitas sibi dicendo, hanc, vel illam Legem non esse justam, neque utilem communitati, etsi fortassis, & justissima sit, & utilissima. Videatur D. Thomas 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. Bonacina *de Leg. disp.* 1. *q.* 1. *pu.* 2. *n.* 9.

At quid, inquies, si homines etiam probi, & prudentes dubitent, sitne hæc, vel illa Lex justa, nec ne?

262. R. Cum Bonacin. *cit. num.* 11. & Castropalao *de Leg. disp.* 1. *punct.* 1. *num.* 4. in tali dubio præsumendum esse pro valore, & Justitia Legis. Ratio est: quia stante dubio standum est pro valore actus: ergo etiam pro valore, & Justitia Legis.

Adde, quod sæpe Principi, aut Legislatori possit suppetere causa de se justissima, etsi incognita subditis etiam prudentioribus: ergo ex eo, quod etiam prudentiores dubitent de Justitia Legis, non illico concludendum est, eam esse injustam, & hoc ipso non observandam, sed potius contemnendam.

263. Colliges tertio, injustas esse illas Leges, quibus pauperibus æquale cum divitibus onus portandum decernitur v. g. ut singuli ad conducendas, vel etiam sustentandas militares copias æqualem portionem v. g. annuatim 10. &c. conferant. Idipsum (salvo tamen meliori Judicio) censendum puto de illa constitutione, qua jubetur, ut singuli habentes Caminum, aut focum proprium, pro singulis Caminis annuatim pendant v. g. unum florenum: prorsus enim non video, qua ratione ex pari Caminorum numero possit argui par bonorum quantitas, indeque deduci par contribuendi obligatio. Quinimmo certo constat, quod multi habentes unicum duntaxat focum, vel Caminum, in divitiis longe superent alios, pluribus Caminis præditos. Similiter si Lege taxetur pretium frumenti, ita, ut una pars civitatis taxam servare debeat, altera non, iniqua est Lex, nisi causa aliqua ejusmodi discrimen postulet. Rursus, si aliquibus immunitas a solvendis tributis concedatur a Principe ea conditione, ut alii subditi plus gravari debeant, injusta est dispositio, inquit Laymann. *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 1. *n.* 4. Et ratio horum est: quia

quia Justitia distributiva exigit, ut quemadmodum bona communitatis secundum merita subditorum, ita & onera communia distribuantur secundum singulorum facultates, servata proportione Arithmetica: at in mox relatis dispositionibus hæc non observantur: ergo non sunt conformes Justitiæ, quin potius contra Justitiam distributivam. Videatur Laymann. *l. cit.* vel Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 1. *a.* 1. *n.* 6.

264. Colliges quarto, non omnes Leges, quæ prima fronte videntur potius respicere bonum privatum, quam bonum communitatis, illico esse respuendas, aut contemnendas velut injustas. Etenim Leges factæ in favorem pupillorum, minorennium, nec non illæ, quibus a Principe exiguntur tributa, & vectigalia moderata adhuc justæ sunt: tametsi enim immediate, & proxime videantur intendere bonum privatum v. g. Principis, aut pupillorum &c. ultimate tamen redundant etiam in bonum Reipublicæ, quia Principi non ex alio fine tributa præstantur, nisi propter onera, quæ boni publici intuitu in se suscipit. Similiter dum bono Pupillorum, ac Minorennium prospicitur, indirecte saltem, & mediate bonum publicum promovetur, prout sapienter advertunt Mag. P. F. Schmier Laymann. Illsung. *tr.* 1. *disp.* 2. *a.* 1. *n.* 1 & alii *communiter*.

265. Colliges quinto, longe aliud esse, Legem promulgari, & aliud, Legem divulgari; Promulgatio fieri communiter assolet cum certis quibusdam signis, & publicis cæremoniis, utputa voce Præconis cujusdam, juncto insuper clangore turbarum &c. vel certe affixione edicti in quodam loco publico v. g. ad valvas Ecclesiæ, vel Curiæ &c. Divulgatio econtra fieri solet per hoc, quod dicta promulgatio Legis quodammodo extendatur, & ad plurium aures devolvatur, qui propter absentiam, vel aliud impedimentum hactenus ignorarunt promulgationem præteritam. Tametsi autem ad hoc, ut Lex in actu secumdo obliget, necessaria non sit divulgatio, sed sufficiat sola promulgatio solenniter facta per eos, ad quos attinet, fatendum nihilominus est, eos qui inculpabiliter Legis promulgationem ignorant, non peccare formaliter; etsi contra eam agant; nihil enim potest esse volitum, quin præcognitum: quod autem non est volitum, nequit esse formaliter peccaminosum, uti constare debet ex dictis *Conferent.* 2. *n.* 38. *& alibi sæpius*. Videatur Bonacina *de LL. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 9. vel Castropalao *tr.* 3. *disp.* 1. *pu.* 10. *n.* 3.

At quid, inquies, si Lex in pluribus Provinciis, aut Diœcesibus promulgata quidem fuit, a majori tamen parte populi non recipiatur, neque observetur?

266. R. In tali casu a Confessario attendendum, vel inquirendum esse, an Legislator populi repugnantiam sciat, vel non? si sciat, simulque conniveat, neque urgeat obligationem, censendus est, Legem suam velut nimis difficilem, & incommodam populo saltem tacite revocasse, econtra si non conniveat, sed urgeat observantiam, tenetur quivis eam observare, modo sit justa, etsi major pars populi repugnet; quia ratio naturalis postulat, ut in Schismate, vel dissensione quodlibet membrum sui capitis potius quam reliquorum membrorum ductum, atque Imperium sequatur. Arbitror tamen, inquit sapienter Laymann *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 3. si tu Legem promulgatam recipere paratus sis, & data occasione etiam observes, sed alii plerique e communitate non recipiant, neque recepturi existimentur, per epikejam excusatum te fore a Legis obligatione, etiam ante expletum tempus præscriptionis; quod ratio, & æquitas permittere non videatur, ut tu solus, vel cum allis paucis Legem communiter non receptam longo tempore observare debeas, præsertim cum te tunc conformare possis sententiæ Navarri, & aliorum DD.

CON-

CONFERENTIA DECIMA.

De causa Legum, seu potestate Legislativa.

SUMMARIUM.

267. *Potestas Legislativa Ecclesiastica primario residet in summo Pontifice.*
268. *Item secundario in Conciliis legitime congregatis.*
269. *Nec non in Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiasticis pro suis respective subditis.*
270. *Non item in Principibus sæcularibus.*
271. *Econtra Pontifex per se loquendo nequit ferre Leges Civiles, nisi pro suis temporaliter, ac civiliter sibi subjectis.*
272. *Per accidens tamen in nonnullis casibus potest etiam disponere de causis civilibus.*
273. *Potestas igitur ferendi Leges Civiles primario competit Imperatori, aliisque Regibus, ac Principibus.*
274. *Et quidnam quoad hoc valeant Principes, statusque Imperii?*
275. *Resolvitur Casus I. cujusdam Clerici, qui contra edictum Principis territorialis frumentum carius vendidit.*
276. *An prætor loci id audiens, tuta conscientia potuerit confiscare frumentum.*
277. *An Clerici a Laicis in his, & similibus casibus puniri possint.*
278. *Resolvitur Casus II. cujusdam Religiosi, dubitantis, an R. P. Commissarius generalis potuerit præcipere ea, quæ videbantur servatu satis difficilia.*
279. *Constitutiones a R. P. Commissario factæ sine consensu Capituli, non habent vim Legis, sed præcepti duntaxat.*
280. *Idem tenendum de Ordinationibus factis ab A. R. P. Ministro Provinciali cum assensu solius V. Diffinitorii.*
281. *Resolvitur Casus III. cujusdam novitiæ, dubitantis, an sub culpa teneatur servare constitutiones Ordinis, & mandata suæ Superiorissæ.*
282. *Moniales professæ possunt in conscientia obligari præceptis suarum Superiorissarum.*
283. *Esto etiam Abbatissæ non gaudeant potestate Legislativa.*
284. *Inique tamen obligarent suas Moniales ad monstrandas sibi earum confessiones in scriptis.*
285. *Gnaviter ergo distinguendum est inter Leges ac præcepta.*
286. *Quo fine nonnullæ Ordinationes a Superioribus Religiosis factæ in Conventibus prælegi soleant, esto Superioritas præcipentium jamjam exspiraverit?*
287. *Quanta Potestas Legislativa competat cuivis Prælato, aut Superiori Religioso, universaliter decidi nequit.*
288. *Monialium potestas præceptiva, & gubernativa, subordinatur potestati Prælatorum altiorum & cur?*
289. *Religiosi exempti per se loquendo non tenentur Legibus municipalibus Episcoporum, nisi in casibus jure expressis.*
290. *Per accidens tamen tenentur iisdem sæpesæpius sese accommodare.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa potestatem Legislativam.

Quæres primo, quibusnam competat potestas ferendi Leges Ecclesiasticas?

267. R. Primo. Potestas ferendi Leges Ecclesiasticas universales, id est, universam Ecclesiam obligantes, competit primario, ac per se summo Pontifici, & quidem independenter a consensu, aut Consilio Cardinalium, vel Concilii generalis. Ita Catholici communissime nominatim Fagnanus *in cap. Canonum statuta num.* 17. Reiffenstuel *lib.* 1. *decret. tit.* 2. §. 3. *num.* 53. Henno *tr. de LL. disp.* 3. *a.* 1. *concl.* 2. Ratio est: quia Christus Dominus D. Petro tanquam legitimo Vicario suo, & in hujus persona omnibus aliis legitimis successoribus Petri immediate, & indepen-

denter ab ullo homine contulit curam pascendi oves suas, id est, omnes fideles *Joan.* 21. dicendo: *Pasce oves meas &c.* ex quibus verbis liquet, quod eidem fuerit concreditum Regimen universæ Ecclesiæ: potestas autem regendi universam Ecclesiam necessario exigit vim Legislativam: ergo hæc competit S. Pontifici. Videatur *c. Solitæ 6. de majorit. & obed.*

268. R. secundo. Hæc potestas Ecclesiastica (condendi scilicet Leges, concernentes animarum salutem, rectamque gubernationem) competit insuper aliis, scilicet 1. Concilio Generali legitime congregato, quod accedente auctoritate, consensu, & approbatione S. Pontificis potest obligare universalem Ecclesiam. 2. Competit insuper hæc potestas Concilio nationali, quod nationi; Provinciali, quod Provinciæ; Diœcesano, quod Diœcesi Leges præscribere potest. 3. Capitulum Cathedrale sede vacante potest præscribere Leges *c.* 14. *de majorit. & obed.* non tamen tales, quæ juri Episcopali quæsito, aut competentibus Jure speciali Episcopo cedant in præjudicium. Cardinalibus tamen sede vacante non competit potestas ferendi Leges pro universa Ecclesia, prout habetur decisum *c.* 3. *de Elect. in sexto*.

269. R. Jam tertio. Insuper hæc potestas Legislativa Ecclesiastica ferendi Leges *particulares*, competit variis Superioribus pro suis respective territoriis, & subditis, utputa 1. Episcopo, qui suæ Diœcesi potest præscribere Leges, *c.* 2. *de constit. in sexto*. 2. Cardinalibus, qui Ecclesiis, unde titulum sunt sortiti, possunt præscribere Leges *c.* 11. *de major. & obed.* 3. Prælati Episcopis inferiores, tam exempti, habentes territorium, quam non habentes territorium, uti sunt Prælati Regulares Mendicantium, gaudentes in suos sibi subjectos Jurisdictione quasi Episcopali, possunt iisdem certas Leges præscribere, licet horum facultas hodie nonnihil sit restricta, prout amplius patebit ex dicendis casu secundo *a num.* 278. Quarto denique Abbatissæ, tametsi monialibus sibi subditis velut Matres familias possint imponere præcepta, domesticam, etiam regularem, & œconomicam administrationem concernentia; quia tamen ob infirmitatem sexus non sunt capaces Jurisdictionis spiritualis, quippe quæ ordinarie solum competit subjecto Ordinis capaci; hinc DD. communissime cum S. Thoma tenent, eas non gaudere potestate Legislativa spirituali.

Quæres secundo, utrum hæc potestas ferendi Leges Ecclesiasticas competat saltem Imperatori, Regibus, vel aliis Principibus sæcularibus?

270. R. Quod non. Ita cum communi DD. Reiffenstuel *lib.* 1. *decret. tit.* 2. §. 13. *num.* 290. Ratio est: quia Principibus sæcularibus non competit Jurisdictio in personas Ecclesiasticas, veluti constat ex diversis juribus *c. ult. de rebus Eccl. non alien.* item *c. quamquam de censib. in sexto*: atqui Lex lata sine Jurisdictione, seu in non subditum, nullam habet vim obligandi, *c. A nobis* 21. *de sent. excomm.* & *c. ult. de constitut. in sexto*, ergo &c. Ex quibus Canonistæ communiter inferunt, non illas duntaxat constitutiones, quibus Principes, ac Magistratus sæculares expresse, & specifice disponunt de Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis in harum præjudicium, sed etiam eas, quibus nominatim, ac specifice, disponere tentant in favorem, ac commodum Ecclesiarum, aut personarum Ecclesiasticarum, irritas esse, & nullius valoris, prout deciditur *c. quæ in Ecclesiarum* 7. *de constit.* Et ratio est: quia hoc modo Laici adhuc exercerent quandam superioritatem, & auctoritatem in Ecclesias, atque personas Ecclesiasticas: cum tamen *Laicis (etiam Religiosis) super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas*, ut dicitur *l. cit. c.* 10.

Quæres tertio, penes quos resideat potestas condendi Leges Civiles?

271. R. primo. Hæc potestas competit summo Pontifici, in quantum præsefert Principem sæcularem, qui proin potest Leges politicas, id est bonum temporale spectantes, præscribere, sed suis duntaxat subditis temporaliter sibi subjectis. Ratio est: quia cum respectu horum habeat auctoritatem supremam, immo, & obligationem eos dirigendi in ordine ad bonum publicum promovendum, ac conservandum, debet

eidem concedi talis poteſtas; ſecus enim foret deterioris conditionis, quam alii Principes ſæculares, nec poſſet ſatis efficaciter ſibi ſubjectos gubernare in ordine ad bonum politicum. Fatendum nihilominus eſt, quod, quemadmodum Juriſdictio temporalis ſummi Pontificis non ſe extendit ubique terrarum, ita, & poteſtas Legislativa Civilis ejuſdem non ſe extendat ultra territorium Pontificium.

272. At vero ſummus Pontifex velut legitimus Chriſti in terris Vicarius, & Paſtor univerſalis vi Juriſdictionis ſpiritualis indirecte ſaltem poteſt etiam diſponere, & judicare de rebus temporalibus, ubi id exigit neceſſitas fidei Religionis Catholicæ, aut ſalutis, prout ex *c. Alius* 15. *q.* 6. aliiſque juribus fuſius oſtendunt DD. nominatim Herincx *diſp.* 3. *de LL. n.* 60. & Reiffenſtuel *ubi ſupra* §. 3. *num.* 58. Et certe ſecus non eſſet ſatis proviſum bono Eccleſiaſtico, prout rem recte perpendenti facile patebit.

273. R. ſecundo. Imperator in Regnis, ac Provinciis pleno jure ſibi ſubjectis poteſt ferre Leges Civiles. Ita *omnes*. Ratio eſt: quia Lege Regia (ut loquitur Ulpianus *l. quod Principi ff. de conſt. Princ.*) *populus omne ſuum imperium & poteſtatem in Principem tranſtulit*: ergo etiam poteſtatem Legislativam, quippe quæ eſt actus primarius Regiæ poteſtatis. Quin etiam Regina legitima Regni hæres, licet nubat, nihilominus gaudet poteſtate Legislativa. Ratio eſt: quia ſupponitur eſſe Domina ſuprema in ſubditos ſuos poteſtate prædita: ergo competit ei facultas ferendi Leges. Hodie tamen Imperator Auguſtiſſimus condere nequit Leges univerſum Imperium obligantes irrequiſito conſenſu Imperii, ac ſtatuum Imperialium, prout videre licet in Inſtrumento pacis Weſtphalicæ *art.* 8. §. *gaudeant* 2. nec non in aliis Receſſibus, & capitulationibus; teſte M. D. Franc. Schmier *lib.* 1. *tr.* 1. *c.* 7. *ſect.* 2. §. 3. *n.* 52. *& ſeqq.*

274. R. jam tertio, Principes, & ſtatus Imperii pro ſuis reſpective territoriis poſſunt ferre Leges particulares, veluti communiter tenent DD. conformiter *l.* 9. *ff. de J. & J.* Ratio eſt: quia Principes & ſtatus Imperii in ſuis territoriis vicem Imperatoris obtinent: ergo idem valent quoad hoc, quod Imperator in Regnis ſibi ſubjectis. Quin etiam ſive ex conceſſione Imperatorum, ſive etiam ex conſuetudine Principes Imperii poſſunt facere conſtitutiones juri communi contrarias: non tamen poſſunt Epiſcopi in ſuis Diœceſibus ferre Leges Juri Canonico communi contrarias; quia in hoc ſecundo caſu timendum foret ingens animarum periculum; quod tamen non eſt timendum ex priori, prout ſapienter advertunt Abbas Panormit. *c. ult. n.* 9. *de conſuet.* Engel *de conſt. n.* 19. & Reiffenſtuel *lib.* 1. *tit.* 2. §. 4. *n.* 82. Quantum vero circa hoc valeant alii Nobiles videri poteſt apud M. D. Schmier *l. c. a.* 66.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici, de Poteſtate Legislativa.

CASUS PRIMUS.

QUidam Princeps ſæcularis dum inaudiit, a ſuis ſubditis frumentum pretio notabiliter exceſſivo fuiſſe venditum, eo quod aeris inclementia, niviumque copia viſa ſint portendere meſſem parciſſimam: totis viribus in id incubuit, ut pauperum ſubditorum bono proſpiceret, ſimulque divitum avaritiæ modum poneret: quem in finem generali edicto ſub pœna confiſcationis, & graviori adhuc mulcta prohibuit, ne quiſpiam in ſuo territorio præſumeret ſchaffam frumenti, ſeu Siliginis uti appellamus, carius vendere, quam octo florenis. Jam vero Titius Clericus putans ſe velut perſonam Eccleſiaſticam non adſtringi ad obſervantiam hujus edicti, utpote a ſæculari Principe duntaxat emanati, 20. aut plures ſchaffas vendidit majori pretio, ſingulas ſcilicet pro 9. florenis; quod, ubi Prætor illius loci intellexit, veteris amicitiæ (ſcilicet) cauſa, quam a longo jam tempore portaverat erga Titium, illico juſſit præfatum frumentum per ſuos ſatellites confiſcari. Dubitare jam licet 1. an Titius Clericus a Principe ſæculari potuerit obligari ad ſervandam cum aliis taxam communem? Item ſecundo, an dictus Prætor

tuta

tuta conscientia potuerit procedere ad confiscationem.

275. R. ad primum, quod licet Princeps probabilius per se, ac directe non potuerit obligare Titium, ceu personam Ecclesiasticam, idque defectu Jurisdictionis, & ratione privilegiorum clericalium supra *n.* 270. allegatorum; Tenebatur nihilominus Titius sese accommodare, & observare præfatam constitutionem, ex eo saltem titulo, quod præsupposita hac Lege Generali ratio naturalis dictet, quod etiam Clericus, ceu pars communitatis, non debeat discordare a toto; tum etiam, quia Jure naturali, ac divino tenebatur vitare scandalum, quod procul dubio dedit populo, dum avaritiæ nimium condescendit; & malo suo exemplo alios forsitan in eandem sententiam, vel potius licentiam prævaricandi Legem justissimam pertraxit, non sine præjudicio communitatis; tum denique, quia Jure naturali notum est, quod non liceat quamcunque demum mercem vendere carius justo pretio: atqui justum pretium censetur illud, quod publica auctoritate fuit taxatum. Hac de causa Reiffenstuel *l.* 1. *decret. tit.* 2. § 13. *n.* 304. cum Sperello, Navarro & aliis recte infert, Clericum mortaliter peccare, onusque restitutionis incurrere, si notabiliter majore pretio res suas vendat.

276. R. jam ad secundum. Si Prætor processit ad confiscationem frumenti in vindictam criminis, male fecit. Ratio est: quia Clerici nullatenus tenentur Legibus Civilibus quantum ad vim coactivam *c. At si Clerici c. qualiter de Judiciis*, & alibi sæpius, prout infra *n.* 365. videbitur: ergo Prætor haud exiguam fecit injuriam Titio, si intuitu vindictæ sumendæ (prout videtur fecisse ex facti specie) processit ad vindictam criminis. Secus dicendum foret, si id solum fecisset animo impediendi transgressionem præfatæ constitutionis; quia cum vi sui muneris fuerit obligatus ad manutenendam Principis constitutionem, vitio eidem verti non potuisset, quod voluerit impedire illius transgressionem.

Dices tamen contra hoc: praxis hodierna huic resolutioni videtur contraria: Solent enim Clerici passim puniri a sæcularibus; nam 1. si Clericus tempore nocturno deprehendatur portare arma vetita Lege Civili, Judex Civilis ea tollit per suos Ministros. Rursus 2. casu quo Clericus contra edictum Principis sæcularis ingreditur nemora animo jaculandi feras &c. à Venatoribus deprehensus solet spoliari armis in pœnam commissi delicti: ergo &c.

277. R. Cum Castropalao *de LL. tr.* 3. *disp.* 1. *punct.* 24. §. 6. *n.* 9. & Henno *disp.* 3. *q.* 7. *art.* 3. *concl.* 3. hæc & similia fieri de Jure non posse in vindictam, seu punitionem criminis, bene tamen eo fine, ut Clericus ablatis sibi armis, non amplius committat in Leges, ad quarum observationem Jure, & æquitate naturali tenebatur, vel ut resarciat damna Principi, aut Reipublicæ illata: quibus cessantibus arma eidem restitui deberent, esto fortassis alicubi contrarium fiat, utique non sine injuria status Clericalis.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Nationis nostræ Germano Belgicæ Commissarius Generalis dignissimus, peracto visitationis Circulo, & absoluto jam Capitulo Provinciali fecit nonnullas constitutiones, quas judicavit pro bono Provinciæ, honore Dei, & decore Seraphici Ordinis summopere proficuas; quia tamen nonnullæ earum videbantur satis difficiles observatu, immo vero natæ ad illaqueandas, & implicandas subditorum conscientias; hinc nonnemo dubitare posset 1. *an R. P. Commissarius Generalis potuerit sine consensu Capituli Provincialis facere hujusmodi constitutiones, etiam in conscientia obligantes.* 2. *An prædictæ constitutiones habeant vim Legis ita, ut hodiedum obligent, tametsi Sempronius suo, quod dignissime gerebat, officio, jamjam sit defunctus?*

278 R. ad primum. Sempronius, ceu Reverendissimus Commissarius, & Legitimus Superior, potuit facere hujuscemodi ordinationes, & ad earum observantiam secundum exigentiam causæ, & proportionem materiæ obligare graviter, vel leviter, etiam independenter a consensu Capituli, vel V. Diffini-

finitorii. Ratio est, quia in Capitulo Toletano *Anno* 1633. celebrato hæc potestas præcipiendi Superioribus Ordinis nostri Seraphici expresse conceditur, prout patebit ex textu statutorum, proxime adferendo: idque omnino sapienter, conformiter ad mentem sanctissimi P. N. Francisci, qui *c.* 10. *S. Regulæ* jussit, ut Ministris nostris (ideoque & Commissario Generali, ceu substituto Reverend. P. Ministri Generalis) obediamus *in omnibus, quæ promisimus Domino observare, & non sunt contraria animæ, vel Regulæ nostræ:* atqui præfatæ constitutiones, esto videantur satis difficiles, non tamen sunt contrariæ animæ, neque S. Regulæ nostræ: ergo &c. Merito tamen monent eadem statuta Toletana *c.* 8. *v.* 10. *ut Caveant Prælati in Capitulis a multiplici Legum constitutione, & nimia præceptorum, & censurarum impositione, ut contemptus, & oblivionis periculum evitetur;* nam si sancitis hactenus saluberrimis, & plane non paucis constitutionibus ad conservandam regularem disciplinam ordinatis identidem superaddantur novæ, tandem non sine permagno animarum periculo contemptui habebuntur nedum posteriores, sed & priores, quo fiet, ut plus noceant medicamenta, quam vulnera; quam ob rem Tacitus *lib.* 3. *annal.* recte dixit: *corruptissimæ Reipublicæ plurimæ Leges.*

279. R. jam ad secundum quæsitum hujus Casus, dictas constitutiones non habere, nec unquam habuisse vim Legis; unde etiam non amplius tenemur illis, nisi in quantum ad observantiam S. Regulæ, vel ad evitandum scandalum necessitas id exigat. Ratio hujus rursus desumi, ac peti debet ex nostris statutis generalibus emanatis in Capitulo Toletano *Anno* 1633. ubi *cap.* 8. §. 10. *de constit.* leguntur sequentia formalia: *atque adeo declaramus, nullos nostræ Religionis Prælatos posse per se ipsos sine Generalis, aut Provincilis Capituli consensu constitutiones facere,* quæ vim Legum habeant, *ceteros in posterum obligantium: poterunt tamen* præcepta *imponere, quæ pro durante Prælati imponentis officio vim habeant obligandi.* Videatur de hoc Kerckhove, *in statut. general. c.*8. §. 10. *n.*2. Herincx *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 3. *de LL. n.* 56. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decret. tit.* 2. §. 4. *n.* 97.

Quid ergo tenendum, inquies, de Ordinationibus in Capitulo intermedio ab A. R. P. Ministro Provinciali, & V. Diffinitorio factis?

280. R. Hujusmodi constitutiones, & ordinationes, utpote legitima auctoritate factæ, vere obligant subditos juxta mentem A. R. P. Ministri Provincialis, & V. Diffinitorii, plerumque tamen sub pœna duntaxat, nisi Superiores aliud exprimant; id, quod satis clare colligitur ex illis statutorum generalium verbis: *Tandem declaramus per hæc statuta,* & alia quæcumque, *fratres non adstringi ad culpam, nisi alias per jus divinum, & humanum fuerint obligati &c. &c.* Quia tamen A. R. P. Minister Provincialis sine consensu totius Capituli (quod utique non in solo Diffinitorio, sed in hoc, & reliquis vocalibus simul consistit) non gaudet potestate Legislativa, sed præceptiva duntaxat, uti liquet ex dictis *n.* 297. hinc dicendum, quod talium constitutionum vigor exspiret cum V. Diffinitorio, nisi a Provincia ultro acceptentur, & Legis instar custodiantur, vel a Diffinitorio, & Provinciali Neo-Electo de novo confirmentur; de quo, nisi certo constet, facile præsumendum non est, secus enim non sine periculo, & detrimento animarum timenda foret nimia constitutionum, & ordinationum multiplicatio, eo quod vix non in singulis Capitulis etiam intermediis novæ Ordinationes, seu constitutiones cudantur. Vid. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 99.

CASUS TERTIUS.

CAja Abbatissa Monialibus sibi concreditis assuevit non præscribere, e quibus nonnulla videbantur satis difficilia, utputa 1. *ut nulla sine speciali licentia cuivis demum sæculari loqueretur, nec ullum ab ipsis acceptaret donarium.* 2. *Ut quævis singulis diebus interesset duobus sacris.* 3. *Ut nulla præsumeret sine præscitu suo (Abbatissæ scilicet) scribere litteras, vel ab alio quocunque demum scriptas acceptare, vel aperire.* 4. *Denique mandavit, ut singulæ singulis diebus veneris in*

cœna

perpetuo abstineret a vino, idque in honorem Domini eo die felle potati. Venit proin una ex novitiis ceteris scrupulosior (an prudentior dicam? nescio) sciscitans e Confessario, an ad hæc, & similia mandata Abbatissæ in conscientia teneatur, & quidem in perpetuum?

281. R. Novitia ad hujusmodi mandata non tenetur in conscientia sub culpa, multo minus sub pœna peccati mortalis; potest tamen ad ea obligari sub pœna expulsionis a Religione, vel sub alia adhuc mitiore. Ratio est: quia Novitia nondum supponitur sese obstrinxisse mediante professione ad observantiam aliarum constitutionum. Et licet Abbatissa (quemodmodum, & quivis alius Superior Religiosus) vi susceptionis ad sacrum Ordinem acquirat quodammodo jus in Novitiam, vi cujus potest eam obligare sub pœna ad observantiam disciplinæ regularis, non tamen acquirit jus, ut possit etiam obligare sub culpa. Hac de causa *c. ad Apostolicam de Regular.* dicitur: *Novitii veniunt ad Religiones non ut statim profiteantur, seu earundem statutis obligentur, sed ad hoc, ut probent, an mores & statuta Religionis ipsis placeant.*

282. Dixi tamen: *Novitia non tenetur*; secus quippe resolvendum est de Monialibus jamjam professis, quippe quæ solenni professione voverunt obedientiam nedum suis Superioribus altioribus, verum etiam Abbatissis, vel, ut in aliis Monasteriis appellari solent, Superiorissis, aut etiam Matribus spiritualibus; frustra autem vovissent obedientiam, nisi voluissent sese obligare ad obediendum saltem in iis, quæ ad conservandam regularem disciplinam, & œconomicam gubernationem sunt necessaria: ergo. Recte proin resolvit Felix Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *part.* 1. *c.* 2. *n.* 202. *item n.* 207. Abbatissam aut Priorissam posse suis Monialibus præcipere *in virtute S. obedientiæ*, præcepta spiritualia imponere in conscientia graviter, vel leviter obligantia; utputa ut singulis diebus intersint duobus sacris; hac, vel illa die communicent &c. licet enim fœminæ capaces non sint jurisdictionis spiritualis ad claves spectantis, seu dependentis a sacris Ordinibus, ut est potestas ferendi censuras, absolvendi, benedicendi &c. sunt tamen capaces Jurisdictionis præceptivæ, & correctivæ, quæ non dependet a Clavibus, nec ab ordinibus, sed est superiorati annexa: quippe quæ potest impartiri etiam Laicis, qui in nostro Ordine Seraphico possunt institui Guardiani. Ita Felix potestas *l. cit.* cum Castropalao, Rodriq. & aliis.

283. Nequit tamen Abbatissa suas Moniales obligare, ut diebus veneris ad noctem perpetuo abstineant a vino. Ratio liquet ex dictis *n.* 269. quia scilicet fœminæ non gaudent potestate spirituali Legislativa, sed præceptiva tantum, quæ proin cum morte præcipientis exspirat: at, si mandatum Abbatissæ duraret perpetuo, non exspiraret cum morte præcipientis, sed potius haberet vim Legis: ergo nequit perpetuo obligare. Rursus si Abbatissa supponatur ex nostro S. Ordine, & familia, non potuit prohibere suis Monialibus, quo minus scribant nostris Superioribus, vel scriptas ab his litteras inscia etiam Abbatissa recipiant, aperiant, & legant &c. quia talis favor ob gravissimas causas iisdem merito concessus fuit in Capitulo Toletano jam supra allegato *statut. c.* 5. §. 8. Videatur de his R. P. Kerckhove *in statut. gener. c.* 5. §. 8. *n.* 27. & *c.* 7. §. 24. *n.* 55. & *seqq.*

284. Atquid, si Abbatissa, Priorissa, vel alia, quocunque demum nomine polleat, Superiorissa suis Monialibus præcipiat, ut singulæ sua peccata in scriptis sibi exhibeant, priusquam eadem deferant ad Confessarium.

R. Hoc præceptum nullius fore valoris, quandoquidem non minus imprudens sit, quam iniquum. Iniquum ideo, quia vult adstringere subditas, ut se ipsas diffament de suis delictis quantumvis occultis, & quidem coram fœmina, cui nec Deus, neque ullus mortalium unquam voluit concredere potestatem judicandi, aut discutiendi occultas conscientiarum latebras. Imprudens vero existimari debet ex eo, quia simplicioribus facile potest cedere in lapidem offensionis, & dare ansam innumeris sacrilegiis, dum sibi persuaserint, se teneri omnia sua, quantumcunque occulta delicta in chartam redigere, quod tamen verecundia prævalente non

non facient, nec etiam plus, quam scriptotenus annotarunt. Confessario exponent. Quin immo tales Superiorissæ damnabili sua curiositate semetipsas exponent periculis tentationum, & aliorum peccatorum, dum tentant penetrare conscientiarum abdita, quæ Deus sibi soli, suisque Vicariis, Sacerdotibus scilicet legitime approbatis, voluit reservata. Videantur de hoc, quæ habet R. P. Paulus de Barry *in solit. Hagiophilæ die tertia diss. matut.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

285. COlliges ex hactenus dictis primo, gnaviter esse distinguendum inter Legem proprie talem, & inter præceptum; nam ad evitanda animarum pericula, & conscientiarum perplexitates plurimum interest, nosse, an, quomodo, & quamdiu Superiorum mandata obligent: atqui ex hactenus dictis certum esse debet, aliter obligare præceptum, & aliter Legem proprie talem, quippe quæ non exspirat cum morte præcipientis: ergo. Unde R. P. Xerckhove *in statut. gener. c.* 8. §. 10. Sapienter monet, statuta ab universali capitulo condita, & vim Legis obtinentia sub diversis titulis, ac Rubricis esse ponenda ab ordinationibus in Capitulis a V. Diffinitorio factis, quæ non habent vim Legis, sed præcepti duntaxat, exspiraturi cum morte præcipientis.

Dices tamen. Cur ergo in Conventibus hinc inde ordinationes in Capitulis intermediis factæ a V. Diffinitorio annuatim præleguntur, & promulgantur æque, ac statuta Generalia vel Provincialia?

286. R. Hanc promulgationem ordinationum Capitularium, factarum a solo V. Diffinitorio, non fieri annuatim, & quantum mihi constat, non jubentur annuatim prælegi, aut promulgari, sicut alia statuta Generalia, & Provincialia prælegi debent. Si tamen alicubi Superior localis curet, seu jubeat hujusmodi ordinationes annuatim, post promulgationem statutorum prælegi, etsi Diffinitorium a quo condita sunt, jamjam expiraverit, dicendum, & supponendum est, id non fieri eo fine, ut subditi credant se ad eorum observantiam etiamnum adstringi, sed potius talia proponi per modum simplicium ordinationum, quæ defacto potius habent rationem Consilii, quam præcepti; nisi supponantur de tali materia, ad quam aliunde per jus naturale, vel divinum, vel positivum obligamur.

287. Colliges secundo, ea, quæ superius *n.* 278. de potestate Legislativa Superiorum Religiosorum diximus, esse intelligenda de Superioribus nostræ S. Religionis duntaxat, & præcipue de Prælatis nostræ Nationis Germano-Belgicæ. Quanta autem potestas Legislativa hodie competat Prælatis aliarum Religionum, tanto minus unica resolutione valet decidi, quanto pro diversitate Religionum differentior modus regendi convenit, immo vero necessarius est, prout præter alios sapienter advertunt Castropalao, & Herincx noster. Plura tamen particularia de hac potestate Prælatorum videri possunt ad libitum apud Eximium, & M. D. P. Franc. Schmier *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 4. *sect.* 2. §. 4. *a n.* 106. & apud P. Wex *in Epitome Can. de Prælatis Regul. part.* 1. *c.* 6. *n.* 14. *& seqq.*

Colliges tertio, potestatem præceptivam, & gubernativam Monialium esse subordinatam altiori potestati Superiorum Ordinis, quibus post Deum obedientiæ vinculo sese obstrinxere. Hinc, si Superior alicui Abbatissæ, vel Superiorissæ interdicat, ne hoc vel illud suis Monialibus præcipere, vel etiam prohibere præsumat, omnino tenentur sese accommodare, ita, ut secus faciendo non mereantur audiri a suis subditis: idque prudenter omnino ordinatum fuit: quia in præceptis imponendis, præsertim talibus, quæ ad longiusculum tempus durent, requiritur eximia prudentia, quæ non solet reperiri in mulieribus, inquit Felix Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 112. ergo illarum potestas merito fuit subordinata gubernio Prælatorum majorum.

289. Colliges quarto, Regulares exemptos per se loquendo non adstringi ad Leges universales Episcoporum, nisi in casibus Jure expressis, videndis apud nostrum A. R. P. Kazemberger *in suppl. Theol.*

Decal.

Decal. c. 1. *sect.* 3. *n.*235. *& seqq.* Ratio est clara: quia Leges, vel mandata non stringunt, nisi subditos: at Regulares exempti eo ipso, quod exempti supponantur, non stant sub Jurisdictione Episcoporum, sed suorum duntaxat Superiorum Religiosorum immediate: ergo per se loquendo non tenentur ad constitutiones particulares. Nihilominus oportet ut Reverendissimos Ordinarios *loco Sanctorum Apostolorum subrogatos pro debita, ac Apostolicæ Sedis reverentia congruo honore, & convenienti observantia veneremur*, prout nos exhortatur Leo X. *Bulla Dum intra* §. 24. ubi pariter admonet Episcopos, *ut nos affectu benevolo prosequantur, charitative tractent, ac benigne foveant tanquam cooperatores in agro dominico, nostraque jura omni charitate custodiant, atque defendant*. Videantur de hoc Fagnanus *lib.* 1. *Decret. c. quod super his* 9. *de major.* & *obed. num.* 29. Mathæucci *in officiali Curiæ, de Exempt. a num.* 46.

290. Dictum tamen fuit: *Per se loquendo non adstringi Regulares &c.* Nam per accidens non raro emergere potest casus, in quo ob evitandum scandalum tenentur Regulares se conformare, & accommodare constitutionibus municipalibus Episcoporum, veluti communiter notant DD. apud nostrum Kazenberger *loc. cit.* Nec dubitandum quin hac de causa Concilium Trident. *sess.* 25. *cap.* 12. *de Regular.* præceperit, ut Regulares etiam exempti Episcopis obediant in festorum observatione, & interdicto, nec non in cessatione a divinis. Videantur de hoc Felinus *in c. dilectus de offic. Ordin.* Suarez de LL. *l.* 4. *c.* 20. *fine*, Palao *part.* 1. *tr.* 3, *disp.* 1. *punct.* 24. *num.* 11.

CONFERENTIA
UNDECIMA.

De obligatione Legum, præsertim humanarum, & pœnalium.

SUMMARIUM.

291. *Lex naturalis, & divina obligant in conscientia.*
292. *Similiter Leges humanæ proprie tales possunt, immo debent obligare in conscientia.*
293. *Quantum vero Legislator obligare voluerit, desumendum est, vel ex mente ipsius, vel ex tenore Legis.*
294. *Alia dicitur Lex moralis, seu præceptiva, alia mere pœnalis; & alia mixta; e quibus*
295. *Moralis obligat ad actum: mere pœnalis ad pœnam duntaxat, mixta vero ad utrumque.*
296. *Unde colligendum sit, quod aliqua Lex sit mere pœnalis?*
297. *Unde item desumendum, an Lex graviter, vel leviter tantum obliget?*
298. *Leges humanæ regulariter loquendo non obligant cum periculo vitæ.*
299. *Bene tamen in casu, ubi id exigit bonum commune, vel quando violatio Legis cederet in contemptum Dei &c.*
300. *Legislator ad materiam tam materialiter, quam formaliter levem nequit obligare graviter.*
301. *Ad materiam autem undequaque gravem potest, saltem valide, obligare sub culpa levi duntaxat*
302. *An etiam licete id possit?*
303. *Resolvitur Casus I. de quodam Cive, qui contra edictum Principis noluit manifestare quantitatem bonorum suorum.*
304. *Hæredes probabilius nequeunt tuta conscientia abscondere bona defuncti eo animo, ne juxta proportionem totius hæreditatis cogantur pendere tributum census vulgo* die Vermögen-Steuer.
305. *Praxis contraria abusus potius meretur dici, quam usus.*
306. *Quid Confessario cum tali pœnitente sit agendum?*

307. *Resolvitur Casus II. de quodam Religioso, cui ob periculum scandali fuit prohibitum tractare sclopetum, vel alia id genus arma.*

308. *Qui si similia tractaret in iis circumstantiis, in quibus ne quidem posset sequi scandalum, non peccaret:*

309. *Prout pluribus aliis exemplis declaratur, in quibus cessat periculum commune, & finis adæquatus Legislatoris.*

310. *Secus dicendum, si periculum scandali solum cessaret respectu hujus hominis in particulari, non item in communi.*

311. *Resolvitur Casus III. Cujusdam malefactoris, qui sæpius quidem incarceratus, semper evasit: novissime vero, ut denuo evaderet, custodem Carceris gravissime percussit;*

312. *Propterea que graviter deliquit.*

313. *An, vel quibusdam liceat hujusmodi captivo consulere fugam, vel ad eam captandam suppetias ferre?*

314. *Leges humanæ raro obligant cum periculo mutilationis, famæ, vel alterius gravissimi detrimenti.*

315. *Qui ob gravem infirmitatem corporis diebus jejunii carnes comedit, non peccat.*

316. *Nec peccat Excommunicatus, qui ob vitandum scandalum, vel aliud grave damnum se gerit velut non Excommunicatum.*

317. *Qui præceptum circa materiam tam materialiter, quam formaliter levem transgreditur, non peccat graviter, tametsi Legislator intendisset graviter obligare.*

318. *Transgressor Legis pœnalis non fit semper ipso facto obnoxius pœnæ.*

319. *An pœna sit latæ, vel ferendæ sententiæ colligendum est ex verbis, ac tenore Legis.*

320. *Pœnæ Ecclesiasticæ, quibus censura aliqua ipso facto incurrenda decernitur, criminis admissione illico incurruntur.*

321. *Non item aliæ pœnæ proprie tales, præsertim Civiles, quæ ad sui executionem requirunt actum positivum.*

322. *Solvitur quædam instantia in contrarium.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa obligationem Legum humanarum, præsertim pœnalium.

QUæres primo, utrum Leges, præsertim humanæ obligent in conscientia, & coram Deo?

291. R. I. Lex naturalis, & divina certo obligant in conscientia secundum omnes recte sapientes, ait Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 2. *a.* 1. *n.* 1. Ratio prioris est: quia Lege naturali, vel jubemur facere ea, quæ sunt intrinsece bona - convenientia creaturæ rationali, vel prohibemur facere ea, quæ sunt intrinsece mala: at, implicat (inquit M. D. Fran. Schmier) actum naturæ rationali qua tali dissentaneum exercere, nec simul in conscientia sentire reatum culpæ; unde Doctor Gentium dum *Rom.* 2. docuit, etiam gentibus Lege scripta destitutis, naturalem Legem esse cognitam, addidit hanc causalem *testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. Ratio autem posterioris de se liquet: si enim teneamur parere Legibus humanis, quid ni, & divinis? Et certe Christus Dominus *Matth.* 19. *c.* satis clare innuit, mandata DEI sub dispendio salutis esse observanda.

292. R. Jam secundo. Etiam Lex humana tam Ecclesiastica, quam Civilis possunt obligare in conscientia. Ita rursus *omnes*. Ratio desumitur tum ex illo Apostoli *ad Rom.* 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit-ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, id est, ait Cardenas *Cris. Theolog. tr.* 3. *disp.* 22. *c.* 3. *n.* 34. propter obligationem conscientiæ. Et certe id habet praxis, & communissima persuasio fidelium; tum etiam quia Lex humana fertur a Superiore qua tali, id est, qua prædito potestate obligandi, a Deo sibi communicata; de quibus *Luc.* 10. *v.* 16. dicitur: *Qui vos spernit, me spernit &c.* ergo in conscientia tenemur nos accommodare.

293. Dictum tamen fuit: *Leges humanas posse obligare &c.* ad innuendum, quod, tametsi Legislatores subinde utantur verbis

præceptivis, utputa: *jubemus, mandamus, singuli hoc observent &c.* non tamen semper per hæc intendant subditos obligare; immo vero contrarium non raro solent in fine talium constitutionum exprimere: fatendum tamen est, hujusmodi constitutiones ne quidem ad pœnam subeundam obligantes, dici non posse *Leges*, sed potius merentur dici consilia, vel simplices quædam ordinationes. Videatur Castropalao *tr.* 3. *disp.* 1. *pu.* 14. *num.* 5.

Quæres secundo, utrum Leges humanæ proprie tales obligent ad solam pœnam, an vero etiam ad actum præceptum v. g. ad solvenda pedagia, vel gabellas? &c.

294. Ante responsionem advertendum est, Legem humanam, ut sic communiter dividi I. In *moralem* (quæ etiam appellari solet *præceptiva*) 2. In *mere pœnalem*, & 3. in *mixtam*. Moralis ea censetur, vi cujus Legislator in ordine ad dirigendos mores (unde & *moralis* dici solet) aliquid absolute præcipit, vel prohibet, sine adjectione pœnæ.

Lex pure pœnalis est, dum Legislator ad culpam non intendit obligare, sed ad solam pœnam; veluti faciunt satis communiter statuta diversarum Religionum. Denique Lex mixta appellari solet illa, qua aliquid præcipitur, vel prohibetur ita, ut Legislator illico adjiciat pœnam a transgressoribus subeundam, v.g. dicendo: *Prohibemus, ne quisquam præsumat frumentum e Provincia evehere, quicunque autem deprehensus fuerit hanc nostram constitutionem fregisse, hanc pœnam pecuniariam solvat &c.* Porro, si Legislator ad utrumque velit subditos obligatos, prout fit in hoc casu dicitur Lex *copulative mixta*: sin vero velit duntaxat alterutrum, scilicet, ut, vel frumentum non evehatur, vel pœna evehentibus taxata solvatur, dicitur Lex *disjunctive mixta*. Hoc not.

295. R. ad quæsitum: Lex moralis, seu præceptiva obligat in conscientia ad actum præceptum v. g. ad auditionem Missæ. Lex pure pœnalis ad pœnam, disjunctive mixta obligat indeterminate, vel ad actum ejusve omissionem, vel ad pœnam: denique Lex copulative mixta obligat determinate ad actum, & ad pœnam, si violetur. Ratio hujus desumi debet ex dictis: quia Leges obligant juxta intentionem Legislatoris: atqui mens Legislatoris est, ut Lex moralis servetur, ut talis, pœnalis, ut pœnalis &c. ergo. Videatur Babenstuber *ubi supra a.* 1. *n.* 4.

At, inquies, unde colligendum est, quod aliqua Lex sit mere pœnalis, vel quod sub gravi, aut levi duntaxat culpa obliget?

296. R. ad primum: An Lex aliqua sit pure pœnalis, colligendum est præcipue ex verbis, & mente Legislatoris, qui, si absolute aliquid præcipiat, vel prohibeat, censeri debet voluisse condere Legem moralem, & non mere pœnalem, tametsi transgressoribus simul pœnam taxet. Ratio est: quia intentio Legislatoris est quasi anima Legis: ergo si is non tantum pœnam decernat, sed absolute aliquid præcipiat, vel prohibeat, censendus est voluisse condere Legem moralem, vel certe mixtam. Fatendum nihilominus est, non posse circa hoc punctum tradi regulam aliquam universalem, sed vel maxime etiam attendendam esse consuetudinem, quippe quæ *est optima Legum interpres c. cum dilectus*, item *l.* 37. *ff. de LL.* Videatur Reiffenstuel *Theol. moral. tr.* 2. *de LL. dist.* 2. *n.* 33.

297. R. jam ad secundam quæsiti partem. Utrum Legislator graviter, vel leviter duntaxat voluerit obligare, colligendum est ex sequentibus indiciis. 1. Ex gravitate materiæ, quæ, nisi aliunde constet, Legislatorem voluisse leviter duntaxat obligare, semper censetur graviter prohibita. 2. Ex gravitate pœnæ adjunctæ, utputa excommunicationis majoris, maledictionis æternæ, mortis, exilii &c. nam tales pœnæ non solent infligi, nisi ob culpam gravem. 3. Ex gravitate verborum magnam in se vim habentium, ut si dicat; mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, strictissime præcipimus &c. 4. Denique ex usu, consuetudine, vel communi prudentium, & timoratorum Judicio; hinc cum omnes probi obligationem de jejunio Ecclesiastico, de abstinentia a carnibus, de communione annua &c. judicent esse gravem, prudenter dubitare non licet, quin contra-ve-

veniens graviter delinquat. Vid. Henno *de LL. disp.* 3. *q.* 8. *conclus.* 3. Kreslinger *addit. post. n.* 28. *ad tract.* 2. *q.* 3. *Theolog. mor.* R. P. Reiffenstuel.

Quæres tertio, an Leges humanæ ad sui observantiam obligent cum periculo vitæ?

298. R. Regulariter non obligant cum periculo vitæ, bene tamen 2. quando id exigit bonum commune, vel quando transgressio Legis cederet in contemptum Dei, Religionis, fidei, aut potestatis Legislativæ. Ita *ex communi DD.* Herincx *disp.* 3. *de LL. q.* 13. Reiffenstuel *cit. n.* 23. *&* 24. Henno *ubi supra q.* 10. *conclus.* 1. *&* 2. Ratio prioris est: quia potestas humana regulariter loquendo non potest obligare ad id, quod est moraliter impossibile: atqui observantia Legis cum periculo vitæ, vel etiam famæ integræ, immo cum notabili jactura bonorum fortunæ, est moraliter loquendo impossibilis: ergo &c.

299. Ratio autem posterioris est: quia bonum commune præferri debet bono privato, quemadmodum totum corpus debet præferri membro privato: ergo ubi publica necessitas id exigit, potest Legislator humanus obligare subditos cum periculo vitæ; hac de causa milites tenentur servare suas stationes, hostem aggredi &c. cum evidenti periculo vitæ: Similiter Parochus tenetur tempore pestis succurrere suis Parochianis, eisdem administrando Ss. Ecclesiæ Sacramenta, non obstante evidenti periculo infectionis, nisi in aliquo casu particulari conservatio talis Pastoris esset necessaria ad aliorum plurium salutem. Similiter dum aliquid patitur fieri in contemptum Dei, aut Religionis sanctæ, vel etiam potestatis Ecclesiasticæ, positive intenditur dehonoratio Dei, at in nullo casu licet Dum positive inhonorare, aut contemnere: ergo &c. *Vid. DD. citt.*

Quæres quarto, utrum Legislator humanus materiam levem sub obligatione gravi possit præcipere, aut prohibere?

300. R. Primo. Legislator humanus ad materiam undequaque, id est, tam absolute, quam respective levem (de qua infra *a n.* 327.) nequit graviter obligare. Ita *communis, &* certa sententia DD. Ratio est, quia Lex debet esse rationabilis, & justa: atqui ad materiam undequaque levem graviter, & sub periculo æternæ damnationis obligare, nec est rationabile, neque justum, ut de se liquet: ergo &c.

301. R. Secundo. Ad materiam gravem potest graviter obligare, nihilominus si velit, potest etiam leviter duntaxat obligare ad illam. Ita contra non paucos tenent Suarez, Laymann, Herincx *de Leg. disp.* 3. *n.* 163. quos sequitur noster A. R. P. Kazenberger *supplem. Decalog.* P. Sporer *c.* 1. *sect.* 3. *n.* 204. Ratio est: quia *actiones agentium non operantur ultra intentionem eorum*, ut habet commune axioma: ergo si Legislator non velit, nisi leviter obligare (tametsi posset graviter; cum materia supponatur esse capax gravis obligationis) subditi prævaricando Legem, nonnisi leviter delinquent. Id quod amplius suaderi potest ex eo: quia Legislator humanus hujusmodi Legem posset omnino abrogare, tollendo omnem obligationem: ergo etiam potest saltem valide tollere obligationem gravem.

302. Dixi *Saltem valide potest tollere obligationem gravem &c.* Nam si omnibus pensatis videatur necessarium ad bonum Reipublicæ, vel communitatis, ut Legislator graviter obliget ad talem materiam, quia fortassis prævidet, fore, ut subditi sumant ansam facilius prævaricandi Legem sub veniali duntaxat obligantem, putat Henno & alii, Legislatorem peccaturum, leviter duntaxat obligando, eo quod irrationabiliter agat, & sua potestate negative saltem abutatur. Nihilo secius Herincx *l. cit.* sapienter ait, praxin illam diversarum Religionum, quæ suos Alumnos ad materiam de se capacem obligationis gravis non volunt, nisi sub culpa levi, vel sub mera pœna obligatos, esse prudentissimam, eo quod etiam culpa levis timoratas conscientias pungat, ideoque a transgressione retrahat, simulque in gravis lapsus discrimen non abducat.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de obligatione Legum humanarum.

T*Itius Princeps statutum edidit, ut deinceps singuli Cives secundum proportionem bonorum suorum contribuerent ad sublevanda onera publica, quæ indies quasi accrescere videbantur; qua de causa voluit, ut post obitum cujusvis civis bona ab eo relicta per Notarios Publicos diligenter registrarentur, quatenus inde posset taxari quantitas tributi census, id est:* Die Vermogen-Steuer/ *ut vocant: bona vero ab Hæredibus abscondita, si quæ ex post facto invenirentur, fisco cedere voluit: hujus constitutionis haud immemores quidam hæredes, dum animadverterunt parentem suum pedetentim morti appropinquare, optima quæque mobilia clam asportarunt, ne quantitas bonorum ab eo relictorum innotesceret Principi, vel Magistratui, & quod amplius mirandum, dum Notarii deputati bona reliqua quam diligentissime registrassent, nescio quo fato, obliti sunt registrare illam contignationem domus (quam germani appellare solent* den Boden *) in qua registrum confecerant. Jam vero quidam ex hæredibus conscientiæ stimulis nonnibil agitatus, e Confessario scire petit 1. An præfata constitutio censenda sit mere pœnalis, ita, ut solum obliget ad solvendam pœnam transgressoribus taxatam, non item ad manifestationem bonorum? 2. An tuta conscientia possint dissimulare manifestationem contignationis, utpote satis pratiose, cui registrandæ præfati Notarii probabilius ex inadvertentia supersederant?*

303. R. Ad primum. Certum videtur, præfatam Principis constitutionem non esse mere pœnalem, sed etiam moralem, ideoque non obligare duntaxat ad pœnam transgressoribus taxatam, sed etiam ad quantitatem bonorum fideliter manifestandam, aut certe non abscondendam. Fortassis hæc resolutio nonnullis videbitur difficilis observatu, mihi tamen probatu tam difficilis non apparet; certum quippe est, ex Jure divino reddendum esse *tributum, cui tributum, ad Rom. 13. v. 7. & quæ sunt Cæsaris Cæsari. Matth. 22. v. 21.* Certum insuper est, tributa (debitis conditionibus vestita) vi Justitiæ legalis, immo etiam vi Justitiæ commutativæ, esse debita Principi: atqui tam Justitia Legalis quam commutativa obligat in conscientia: ergo &c. Et certe ratio & æquitas naturalis dictat, justo mandato legitimi Superioris esse obtemperandum: atqui Princeps supponitur esse Superior legitimus, mandatum vero pariter est justum, æquitati naturali consentaneum, & communi usu diversarum Nationum receptum: quid enim amabo! quid magis videatur consentaneum æquitati, quam ut is, qui plus possidet, proportione Geometrica plus tribuat, quam alius minus habens? quid magis consentaneum rationi, quam ut membra communitatis secundum proportionem facultatum concurrant ad conservandum bonum publicum? at, hoc nunquam fiet, si bona sua absconderint; quin potius e contrario continget, ut ii, qui minus habent, plus æquo cogantur contribuere ad sublevandas necessitates publicas, contra virtutem justitiæ Legalis: ergo hæredes abscondendo bona &c. peccant.

304. R. Jam ad secundum. Videtur satis probabile quod præfati hæredes tuta conscientia nequidem dissimulare possint manifestationem contignationis, præsertim si hæc supponatur valde pretiosa. Ratio ex mox dictis peti debet; tum quia constitutio Principis nedum pœnalis, sed etiam moralis est; tum etiam quia in eum finem condita fuit, ut singuli juxta quantitatem suorum bonorum contribuerent, & nullus injuste gravaretur: at, hoc non fiet, nisi hæredes manifestent contignationem; ergo &c. Fateor tamen, in hoc casu attendendum esse nedum ad mentem Principis, verum etiam ad rigorem, & verba constitutionis; nam si Princeps solum dixisset, aut voluisset, ut singuli Cives contribuerent juxta proportionem bonorum a Commissariis, seu etiam Notariis deputatis inventorum (quod tamen mihi videtur minus verosimile) possent hæredes dissimulare manifestatio-

nem contignationis; quia hæc constitutio, utpote odiosa, debet restringi quantum proprietas, & rigor verborum patitur. Videantur de hoc Laymann. *l.*1. *tr.* 4. *c.* 24. *n.* 12. Engel *tit. de consuet. n.* 17. Reiffenstuel *Theolog. moral. tr.* 2. *dist.* 2. *n.* 33.

Dices. Juxta communissimam Doctorum normam, ad dignoscendum, utrum aliqua Lex sit mere pœnalis, vel etiam moralis, seu mixta, oportet attendere consuetudinem, & usum Patriæ: atqui consuetudo, & usus hodiernus fert, ut singuli quantum possunt nitantur in simili casu abscondere bona sua: quin immo felices sese reputant, si hoc medio possint eludere constitutionem Magistratus, vel Principis: ergo hæc constitutio reputari debet mere pœnalis.

305. R. Utique per omnem modum attendendam esse consuetudinem receptam, id est, legitime approbatam: nego tamen suppositum, quod occultatio bonorum non obstante constitutione Principis sit legitime approbata, quandoquidem non constet de consensu ipsius in talem abusum, qui, ut jam diximus, pugnat contra Justitiam legalem. Recte proin monet P. Henno *tr. de Leg. disp.* 3. *q.* 16. *art.* 1. *conclus.* 4. *in fine*, ut in hujusmodi dubio unusquisque Patriæ suæ *usum* consulat non *abusum*.

306. Scio equidem, a Suarezio *lib.*7. *de LL. c.* 19. *n.* 12. haud improbabiliter doceri, multas Leges Civiles v. g. imponentes exactiones, prohibentes venari, ligna cedere, vel aliquid e Regno, aut Provincia extrahere &c. quæ ab initio fuerunt directivæ, & obligabant sub culpa in conscientia, longævo usu fieri posse mere pœnales, eo quod non aliter sint receptæ, ipsis etiam Principibus dissimulantibus, & tacite consentientibus, dum pœna confiscationis bonorum a transgressoribus subeunda sunt contenti; verum an præfata constitutio in hisce partibus nostris non sit aliter recepta, & præsertim, an Princeps unquam in talem consuetudinem tacite etiam consenserit, vehementer ambigo: immo vero de contrario moraliter certo mihi constat. Quam ob causam hanc praxin nemini consulendam, vel approbandam censeo, esto fortassis Confessarius suo pœnitenti, qui ob præfatas rationes nollet se accommodare præfatæ constitutioni, ex post facto posset condescendere. Videantur de hoc Paulus Mezger *tom.* 1. *tr.* 8. *disp.* 35. *art.* 1. *n.* 8. Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 2. *a.* 1. *n.* 7.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius Religiosus, dum vacantiarum tempore Sclopetum, quem putavit non esse oneratum debitis requisitis, non nihil incautius tractavit, alium quendam hominem trajecit, etsi præter, immo contra omnem suam voluntatem; quod ubi Superior Sempronii intellexit, illico ad tollendum omne scandalum, immo & omne periculum scandali, inde oriri natum, omnibus ac singulis sibi subjectis sub gravi pœna interdixit, ne deinceps ullus præsumeret tractare, vel etiam attingere simile armorum genus, cum periculo sive hominem, sive etiam feram lædendi. Quærit jam Sempronius, an sibi non liceat saltem in occulto, & in iis circumstantiis, in quibus moraliter certus est, nullum subesse periculum, vel hominem lædendi, vel feram, hujuscemodi arma tractare?

307. R. Stante hac prohibitione non amplius fas est Sempronio tractare hujusmodi genus armorum in iis circumstantiis, in quibus ex natura rei saltem subest periculum occidendi, ideoque, & scandalizandi, esto in occulto vellet ea tractare, & ita caute, ut certo sibi persuadeat, nullum subesse periculum occisionis. Ratio hujus resolutionis est: quia Lex fundata in præsumptione periculi communis non cessat obligare ex eo, quod in casu particulari respectu hujus, vel illius hominis nullum videatur subesse periculum; finis enim Legislatoris non fuit præcise in uno casu, vel ab uno, sed a tota communitate avertere periculum: at ex tractatione armorum, ex quibus de se natum est sequi homicidium &c. non cessat periculum in communi, esto illud cessaret respectu hominis in particulari: ergo neque cessat obligatio Legis.

308. Dixi tamen, nefas esse, tractare ejusmodi genus armorum in iis circumstantiis, *in quibus ex natura rei saltem*

tem subest periculum &c. Nam si Sempronius tractaret, vel attingeret talia arma, quæ ne quidem idonea essent ad occidendum hominem, aut feram, utique non peccaret contra prohibitionem sui Superioris, modo absit periculum scandali, quippe quod de Jure naturæ vitare tenemur. Ratio hujus limitationis est, quia finis Superioris supponitur fuisse aversio periculi, aut scandali, quod Religioni, vel Ordini ex hujusmodi fatali casu homicidii posset emergere: quo cessante cessat obligatio Legis *cap. cum cessante 60. de appellat.* Atqui hic finis prorsus cessat, quando tractatur tale genus armorum, quod ne quidem de se idoneum est ad committendum homicidium, vel fericidium: ergo &c. Videatur M. D. P. Schmier *lib. 1. tr. 1. c. 1. sect. 3. §. 3. num.* 301.

309. Hanc ob causam pariter existimo, quod si Superior v. g. Religiosus suo subdito ad vitandum scandalum ex crapula, aut ebrietate oriri natum prohibeat, ne in domo alicujus sæcularis, aut extra Monasterium bibat, hoc non obstante possit talis Religiosus bibere potum non inebriantem, utputa aquam, Thee aut Caffee; immo, & potum de se quidem inebriantem, utputa vinum, sed hoc in quantitate tam modica, quæ ex se non sit sufficiens ad perturbandum usum rationis. Similiter, si ex motivo castitatis Superior prohibeat, ne quis subditorum suorum per fenestras prospiciat in forum, aut plateas, possit subditus tuta conscientia prospicere v. g. tempore nocturno, ubi tenebræ tam sunt intensæ, ut nec ipse possit videre alios, nec ab aliis hominibus videri. Ratio est eadem, quæ mox fuit data, in his enim circumstantiis cessat finis adæquatus Legislatoris, aut Superioris, de cujus mente prudenter præsumi non potest, quod in similibus circumstantiis voluerit obligare; immo vero hujusmodi prohibitio foret de re prorsus inutili, & irrationabilis, uti recte advertit La Croix *lib. 1. de LL. num.* 872.

Dices fortassis: Si stante justa Superioris prohibitione liceat bibere potum inebriantem, sed in quantitate tam modica, ut inde nullum prorsus possit subesse periculum crapulæ, vel ebrietatis, consequenter neque scandali, tunc pariter liceret bibere vinum in majori quantitate, modo talis Religiosus sit moraliter certus, quod ipse non sit propterea inebriandus, neque daturus scandalum.

310. R. Negando illatum. Disparitas est, quod in priori casu, ubi scilicet vinum bibitur in tam modica quantitate, quæ de se non est sufficiens ad crapulam, vel ebrietatem, eo ipso pro se cesset omne periculum scandali, nedum respectu unius hominis privati, verum etiam respectu totius communitatis; quod, cum Legislator præcise intenderit avertere, merito concludimus, cessante hoc fine adæquato, pariter cessare obligationem Legis: e contra ubi bibitur vinum in ea quantitate, quæ de se sufficiens est ad crapulam, vel ebrietatem, non cessat periculum in communi, esto etiam cesset respectu alicujus hominis in particulari: atqui Lex fundata in præsumptione periculi communis non cessat obligare ex eo, quod respectu unius duntaxat, vel alterius videatur cessare: ergo &c.

CASUS TERTIUS.

Cajus homo perditæ vitæ, ob plura crimina sæpius fuit incarceratus semper tamen effringendo carceres, & vincula rumpendo feliciter evasit: nuper vero in flagranti furto, vel potius rapina denuo comprehensus, arctioribus catenis mirum in modum constrictus fuit, immo mortis jamjam condemnatus, etsi sententia eidem nondum fuerit intimata. At Cajus amore vitæ ulterius prorogandæ (nescio quibus mediis) catenas denuo disrupit, ac paulo post custodem carceris ad se ingressum altero catenæ frusto tam enormiter percussit in capite, ut semianimis illico corruerit in terram; quo facto Cajus denuo auffugiens, ipso facto comprobavit veritatem illius verbiverbii, neminem scilicet suspendi, nisi prius teneatur. Quæritur jam primo, an Cajus carceres effringendo peccaverit? 2. an, vel quomodo deliquerit custodem carceris tam enormiter percutiendo?

311. R. ad primum. Cajus non peccavit effringendo carceres &c. Ratio est: quia

quia reus etiam post sententiam mortis, adhuc licite fugit; tantum enim cuique juris est ad vitam conservandam, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam non conservandam, inquit Lessius *lib. de justit. c.* 31. *n.* 34. quia tale præceptum videtur nimis difficile, inhumanum, & quodammodo superans humanam conditionem: at, cui licitum est fugere, pariter licet rumpere vincula, & carcerem pertundere; cui enim permissus est finis, eo ipso censentur permissa media ad eum finem necessaria, modo hæc de se sint licita, vel non intrinsece mala: ergo Cajus licite potuit effringere carcerem ad fugam capessendam; nisi aliunde, vi scilicet juramenti, vel voti, aliave speciali promissione sese obligasset ad perseverandum. Videatur Lessius *l. cit.* Navarrus *c.* 17. *n.* 102. vel Laym. *l.* 1. *tr. c.* 15. *n.* 10.

312. R. jam ad secundum. Cajus peccavit graviter, dum tam enormiter percussit custodem carceris. Ratio est: quia custos carceris Cajo nullam prorsus fecit injuriam, immo vero vi sui officii fuit obligatus ad illum custodiendum: nec dici valet, quod Cajo fecerit injuriam eundem constringendo vinculis: quia *non est permissa defendendi facultas, ubi offendendi est data libertas*: atqui custodi carceris auctoritate legitima fuit data nedum libertas, sed insuper etiam ligitima potestas, immo & obligatio custodiendi Cajum: ergo hic intulit gravem injuriam tam enormiter percutiendo custodem, tametsi id fecerit animo evadendi vincula, & salvandi vitam propriam. Videatur de hoc Laymann *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 3.

At, inquies, nunquid custodi carceris, vel aliis, licuisset ferre opem Cajo ad fugam capessendam, quippe qui secundum mox dicta *n.* 311. licite potuit capessere fugam ad salvandam suam vitam?

313. R. Nec custodi carceris, neque Judici, vel aliis Justitiæ Ministris, quibus ex officio incumbit custodire, aut castigare reum, licet ferre opem ad evadendum; quia hi omnes supponuntur ex officio suo obligati potius ad custodiendum, vel etiam puniendum reum, quam ad illum impune dimittendum. Alii tamen, quibus de reo, vel captivo nulla prorsus incumbit cura, non peccant eidem suppetias ferendo; vel auxiliando ad fugam in iis circumstantiis, in quibus reo licitum est fugere, vel vincula disrumpere; quia quod quis per seipsum, illud ordinarie loquendo potest etiam facere per alium, nisi talis functio requirat actionem personalem obligati, prout fit in recitatione breviarii, & aliis pluribus casibus. Recte tamen tradit Laymann. *lib.* 1. *Theolog. mor. tr.* 4. *c.* 15. *n.* 10. quod aliis non sit permissum cooperatio ad effringendam custodiam; nam custodiam publicam effringere, ac violare, res per se gravis est, ac proinde soli reo ratione gravissimæ necessitatis declinandæ permissa, inquit *D. l. cit.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda

314. COlliges ex hactenus dictis primo, Leges humanas de raro contingenti obligare cum periculo mutilationis, famæ alteriusve boni temporalis vere, id est, prudentum Judicio existimata notabili jactura; nam quidquid sine tali detrimento fieri non valet, illud censetur in hominum existimatione moraliter impossibile: atqui Leges humanæ regulariter non obligant ad impossibile, veluti dictum fuit *n.* 298. ergo &c.

315. Colliges secundo, non peccare eum, qui gravi infirmitate corporis pressus comedit carnes diebus jejunii, præsertim si id faciat consilio Medicorum: idipsum dicendum de eo, qui gravi labore manuum fatigatus, vel ex prolixo itinere fessus utitur secunda refectione; vel qui die festiva cogitur remanere domi ad hanc custodiendam, protereaque sacrum non audit &c. Ratio est: quia præcepta Ecclesiæ, velut piæ Matris fidelium; cum tanto rigore non obligant, veluti habet communis opinio Doctorum, & sensus fidelium. Sed de hoc fortassis alibi.

316. Colliges tertio. Excommunicatum non peccare gerendo se velut non Excommunicatum, casu quo id necessum est ad evitandum scandalum publicum, vel in-

infamiam coram illis, qui hactenusnullam hbauere notitiam de excommunicatione incursa (idipsum suo modo dicendum est de eo, qui irregularitatem incurrit v. g. ex delicto occulto homicidii &c.) Unde si tales non habeant, a quo possint dispensari, vel absolvi, non tenentur abstinere a divinis officiis, seu etiam ab administratione Sacramentorum &c. tum quia, uti proxime dictum fuit, præcepta Ecclesiæ non obligant eum tanto rigore; tum etiam quia quando duo præcepta simul concurrunt ita, ut utrumque humanitus, & moraliter loquendo observari non possit, semper debet præferri illud, quod est fortius obligans: atqui præceptum naturale de non scandalizando proximum &c. fortius obligat, quam præcepta Ecclesiæ mere positiva: ergo &c. Videatur Herincx *disp.* 3. *de Leg. n.* 197. vel Reiffenstuel *tr.* 2. *dist.* 2. *n.* 28.

317. Colliges quarto, neque illum peccare graviter, qui præceptum tam de re materialiter, quam formaliter levi prævaricatur, tametsi Legislator, aut Superior ad hujus observantiam voluisset obligare sub mortali, v. g. ne quis frangat silentium in monasterio &c. ait Babenstuber; ne comedat nucem; ne januam v. g. refectorii egrediatur, ostio non clauso &c. Ratio est: quia talis materia utpote nec in se, neque respective (uti supponitur) gravis, non est capax gravis obligationis.

Nec dici valet, quod subditus contraveniens agat ex contemptu; non enim supponitur contemnere potestatem legitimam sui Superioris, sed potius abusum potestatis. Fatendum nihilominus est, quod talis subditus v. g. frangendo silentium, saltem venialiter peccet; quia agit contra voluntatem sui Superioris, sin minus graviter, saltem leviter juxta capacitatem materiæ, obligantis. Cavendum insuper est, ne subditus quacunque demum passione præoccupatus, minus prudenter, & præpropere concludat, hanc, vel illam materiam non esse capacem obligationis gravis, nam regulariter loquendo semper præsumendum est pro valore, & Justitia Legis; & hoc ipso quod materia sub gravi culpa præcepta, aut prohibita, sin minus materialiter, saltem formaliter gravis sit; de quo videri potest Suarez *de LL. l.* 3. *c.* 25. *n.* 6. Bonacina *de LL. disp.* 1. *q.* 1. *pu.* 7. §. 2. *n.* 5.

318. Colliges quinto. Transgressorem Legis pœnalis, non semper ipso facto, id est, ipsa transgressione Legis, aut præcepti fieri obnoxium pœnæ taxatæ. Ratio est: quia Lex humana non obligat ultra intentionem Legislatoris, juxta vulgarem illam regulam: actus non operantur ultra voluntatem agentis: atqui Legislator humanus non semper vult, ut pœna ipso facto incurratur: & hanc ob causam Lex pœnalis, ut sic communiter dividi solet in pœnalem *latæ*, & in pœnalem *ferendæ* primum sententiæ: e quibus prior ideo dicitur talis, quia ipso facto, id est, ipsa commissione criminis illico incurritur: posterior autem dicitur ferendæ sententiæ, eo quod post commissum crimen Judex debet primum ferre sententiam v. g. excommunicationis, confiscationis bonorum &c. sive dein condemnatoriam, sive declaratoriam criminis.

At, inquies, unde colligendum, vel sumendum est, an Lex pœnalis sit *latæ*, vel vero *ferendæ primum* sententiæ?

319. R. Hoc colligendum esse ex verbis Legislatoris; qui, si ferendo Legem pœnalem usus sit sequentibus terminis: *ipso facto*, *ipso jure*, *mox*, *ex tunc &c. sit excommunicatus*, *suspensus*, *vel privatus &c.* aut si dicat: qui hoc fecerit &c. *illum excommunicamus*, *suspendimus*, *excommunicationem se noverit incurrisse*, *sciat se esse excommunicatum &c.* concludendum est, quod sit pœna latæ sententiæ: Econtra si ferendo Legem dicat duntaxat: qui contrafecerit, excommunicetur, suspendatur, privetur suo officio, aut beneficio, est excommunicandus, privandus &c. concludi debet, quod sit Lex ferendæ primum sententiæ. Ratio est: quia hæc verba posteriora congruenter possunt intelligi immo debent intelligi de pœna post sententiam Judicis primum incurrenda: ergo hoc modo sunt interpretanda, præsertim cum juxta Regulam 49. *juris in sexto: in pœnis benignior interpretatio sit facienda*. Videatur Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 2. *num.* 36. *&* 37.

Dices: Ergone poena latæ sententiæ illico incurritur præscindendo ab omni ulteriori sententia Judicis?

320. R. Non omnis poena, esto sit latæ sententiæ, illico incurritur præcisa omni alia sententia, sed illæ duntaxat, quæ aliam executionem externam non requirunt; uti sunt censuræ Ecclesiasticæ, utputa, excommunicationis, suspensionis, & interdicti: item irregularitates, reservatio absolutionis, & impedimentum criminis; nec non privatio petendi debitum contracta ex incestu cum consanguinea, aut consanguineo intra secundum gradum commisso; itemque privatio fructuum ob neglectas horas Canonicas &c. Has enim poenas, si sint latæ sententiæ, ante omnem Judicis sententiam ipso facto incurri, recepta praxis & usus declaravit, veluti testantur Engel *l. 1. tit. de Constit. num.* 43. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 2. *dist.* 2. *n.*29. Illsung *tr.* 1. *disp.* 2. *n.* 72. La Croix *lib.* 1. *n.* 612.

321. Econtra tamen aliæ poenæ proprie dictæ, quæ executionem externam requirunt, uti sunt amissio dominii, confiscatio bonorum, privatio beneficii, aut officii Ecclesiastici, aliæque consimiles, non incurruntur ante omnem sententiam saltem declaratoriam criminis auctoritate Judicis factam: idque Illsung *loc. cit.* verum putat, etiamsi Lex poenalis contineret hanc clausulam: *Ipso facto, ante declarationem &c.* quia, inquit ipse, facile explicari potest, quod vi horum verborum non amplius opus sit alia declaratione poenæ, quo non obstante adhuc necessaria est sententia saltem declaratoria criminis. Ratio autem est: quia videretur nimis difficile, cogere, vel obligare hominem; ut erga seipsum exequatur poenam positivam, sicque sit sui ipsius Judex, & Executor, ait P. Reiffenstuel *l. cit. num.* 42. aliud est de poenis mere negativis, seu etiam privativis, vi quarum reus non tenetur in se ipsum exercere aliquam poenam positivam, seu actum vindicativum, sed solum cessare v. g. ab exercitio Sacrorum Ordinum &c.

Dices: Beneficiatus, qui post primos sex menses culpabiliter intermisit recitare horas Canonicas, tenetur etiam ante omnem sententiam declaratoriam Judicis pro rata restituere fructus, veluti constat tum ex constitutione Pii V. tum etiam ex Decreto Alexandri VII. edito *Anno* 1665. in quo opinio contraria damnatur: atqui hæc poena ad sui executionem exigit actum positivum, restitutionis scilicet: ergo etiam poenæ positivæ obligant ante omnem sententiam declaratoriam criminis.

322. R. Negando suppositum, quod talis restitutio sit poena proprie dicta (de quibus duntaxat nostra resolutio mox data loquitur) poena enim proprie dicta censetur illa, vi cujus aliquis privatur quapiam re, quæ absolute erat sua, & jam aquisita, seu obtenta: poena vero improprie dicta censeri debet illa, vi cujus quis ab acquisitione alicujus boni impeditur: aliud quippe est, *lucra non capere, & quæsita perdere l. ult. C. de Codicill. & l. si sponsus §. si Maritus ff. de donat. inter Vir. & Uxor.* jam vero per allegatam constitutionem Pii V. *Ex proximo &c.* Clericus non recitans horas Canonicas solum declaratur *fructus non facere suos*, ideoque impeditur a capiendo e fructibus lucro: consequenter per hoc non incurrit poenam proprie dictam. Videatur Reiffenstuel *lib.* 1. *Decret. de Constit.* §. 10. *num.* 236.

CONFERENTIA
DUODECIMA.

De materia Legum, præsertim humanarum.

SUMMARIUM.

323. *Quæ sit materia Legis naturalis?*
324. *Materia Legum humanarum possunt esse actus nedum de se honesti verum etiam de se indifferentes.*
325. *Defacto tamen neque omnes actus virtutum Lege humana sunt præcepti, neque omnes vitiorum actus prohibiti.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa materiam Legum.

QUæres primo, quænam sit materia Legis naturalis?

323. R. Omne illud est materia Legis naturalis, quod lumen naturale dictat, esse ex se necessarium, vel contrarium naturæ rationali; vel (ut alii loquuntur) ad Legem naturæ pertinent omnia illa, quæ gentes naturali instinctu judicant, esse bona, vel mala, seu facienda, vel fugienda, prout haud obscure innuit Doctor Gentium *ad Rom.* 2. Ratio est: quia juxta communissimam Doctorum, Lex naturæ a Lege positiva in hoc distinguitur, quod illa sit de necessariis ex natura rei ad honestatem creaturæ rationalis, eo quod de se huic sint con-vel disconvenientia; ista vero de necessariis solum ex voluntate Legislatoris. Videantur de hoc Herincx *p.* 2. *tr.* 3. *disp.* 1. *n.* 31. Schmier *lib.* 1. *tr.* 1. *c.*2. *sect.* 2. §. 3. *n.* 87. & *seqq.*

Quæres secundo, quænam sit materia Legum humanarum?

324. R. Materia Legum humanarum possunt esse actus humani honesti, quarumcunque demum virtutum: immo etiam actus de se indifferentes. Ita rursus ex *communi DD.* Herincx *cit. disp.* 3. *num.* 72. Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 2. *art.* 3. Ratio prioris est hæc: quia illud recte dicitur materia Legis, circa quod hæc potest, ac petit versari: atqui Lex humana potest versari circa actus humanos (quorum est regula) quarumcunque virtutum; eos scilicet præcipiendo, actus vero vitiorum, velut oppositos, & inhonestos, prohibendo; ergo &c. Ratio autem posterioris est: quia actus de se indifferentes non solum possunt conducere, sed subinde etiam esse necessarii ad finem a Legislatore intentum: e. g. ad conservandam pacem & tranquillitatem Reipublicæ nedum conducit, sed subin necessum omnino est, ut tempore nocturno deambulantes, vel potius vagantes per plateas civitatis non portent arma, esto hoc de se sit indifferens: ergo Leges humanæ possunt versari circa hujusmodi actus, quantumvis de se indifferentes.

325. Dixi tamen: *possunt versari &c.* Quod enim defacto Legibus humanis, nec omnium virtutum actus sint præcepti, neque omnium vitiorum actus prohibiti, apud omnes in confesso est; idque propterea: quia obligatum esse ad omnium virtutum actus, foret nimium difficile, & supra vires fragilitatis humanæ, quandoquidem nonnulli actus virtutum sint valde heroici; uti est v. g. omnia relinquere, & servare paupertatem Evangelicam, vivere in perpetuo cælibatu &c. Et quia major Pars fidelium in virtute non est perfecta, facile liquet, quod non expediat toti communitati fidelium, omnium virtutum actus præcipere, vel econtra omnia flagitia prohibere: nam ex hoc procul dubio plus incommodi, quam commodi immineret Reipublicæ cuicunque demum. Præstat igitur, ut prudens Legislator ad evitanda majora mala tam heroicos virtutum actus potius relinquat sub consilio, vitiaque minora dissimulet, quam ut rigore nimio communitatem totam exponat periculo graviori, veluti sapienter advertit Engel *lib.* 1. *Decret. tit.* 2. *§.* 2. *n.* 11.

Dices contra hoc: Lege naturali, & divina omnes actus mali sunt prohibiti: ergo similiter Lege humana, seu positiva omnes sunt prohibendi, eo præsertim, quod is, qui committit in Legem naturalem, vel divinam, dignus censeatur pœna non solum apud Deum, sed etiam apud homines.

326. R. negando conseq. & paritatem; Lex enim naturalis, & divina attendit ad bonum uniuscujusque in particulari: econtra Lex humana respicit bonum totius communitatis qua talis; at, non esset conveniens toti communitati, attenta hujus fragilitate, prohibere omnes actus vitiorum: sufficit proin, immo præstat, eos relinquere sola Lege naturali, vel divina prohibitos. Videatur Castropalao *de Leg. tr.* 3. *disp.* 1. *pu.* 5. *n.* 2.

Quæres tertio, quænam censenda sit materia gravis, & quænam levis duntaxat?

327. R. Circa hoc punctum non posse statui aliquam regulam universalem, nihilominus ad hoc discernendum potissimum attendi debet ad duo, scilicet 1. ad finem a Legislatore intentum, & 2. ad proportionem, quam materia Præcepta habet ad hujuscemodi finem. Itaque si finis a Legislatore intentus sit magni momenti; materia vero ad eundem finem sit necessaria, concludendum est, quod sit materia gravis: e contrario si finis non sit adeo magni momenti, vel certe materia ad talem finem parum, vel nihil conducat, censeri debet materia levis.

328. Dixi tamen, materiæ gravitatem *potissimum* desumendam esse ex fine &c. Quia, ut sapienter animadvertit La Croix *l.* 1. *de Leg. n.* 666. dantur insuper alia capita, e quibus gravitatem materiæ colligere licet, scilicet 1. Ex repugnantia gravi, vel levi cum natura rationali, vel cum charitate Deo, vel proximo debita. 2. Ex verbis Scripturæ Sacræ, vel etiam Legislatoris humani, qui, si intentent transgressoribus gravem pœnam, præsumendum est, materiam esse gravem. 3. Ex auctoritate Ecclesiæ, SS. Patrum, vel etiam communi persuasione Theologorum,

gorum, qui si communi quasi calculo in id conveniant, quod materia sit necessaria ad bonum publicum, vel etiam Reipublicæ Christianæ conservandum, aut certe communiter asserunt, materiam esse gravem &c. etiam nos pro tali debemus eam reputare, & oppositum plane foret temerariu, prout recte monent Herincx noster *de peccatis disp.* 7. *a. n.* 45. & La Croix *loc. cit.*

Dices: Ergone non datur materia, quæ sit respective duntaxat levis, vel gravis?

329. R. Datur utique juxta communissimam persuasionem Doctorum; nam, si materia de se quidem gravis sit, uti est v. g. jejunare, sacrum audire, sumere sacram Synaxin &c. hujusmodi tamen actus ad finem a Legislatore intentum, vel non sit necessarius, vel non multum conducat &c. censeri debet materia *respective levis*.

Econtra, ubi res præcepta de se levis quidem momenti est, nihilominus ad finem gravem a Legislatore intentum multum conducere nata, vel simpliciter necessaria, reputari debet materia *respective gravis*, id est, respectu finis. Hac de casa (inquit Herincx *de Lege disp.* 3. *n.* 164.) in Religionibus graviter prohiberi potest ingressus in aliquam domum, quatenus multum potest juvare ad Religiosam castitatem servandam, vel suspiciones, ac obloquia hominum vitanda.

Quæres quarto, utrum actus mere internus possit esse materia Legis humanæ, seu, auctoritate humana præcipi, vel prohiberi?

330. Ante responsionem notandum, quod actus internus quatuor modis spectari, & comparari possit in ordine ad externum; Primo, ut sit prorsus internus, uti est v. g. oratio mere mentalis. 2. Ut per se conjungatur cum actu externo, vel ex hoc infallibiliter inferatur, veluti ex actu externo v. g. Rapinæ infertur voluntas rapiendi &c. 3. Ut conjungatur cum opere externo ex vi Legis divinæ, vel naturalis, talem actum internum ad moralem substantiam operis illius requirentis, quemadmodum de jure divino ad substantiam Confessionis Sacramentalis requiritur internus dolor velut pars constitutiva in esse actus moralis Sacramentalis; & ad Sacramenti hujus administrationem requiritur intentio Ministri, esto alias tam confessio, quam absolutio externa mere materialiter spectata fieri posset sine præfatis actibus internis. 4. Denique, ut actus internus prorsus per accidens & disparate se habeat ad externum, veluti in ordine ad orationem v. g. rosarii se habet intentio, illam orationem applicandi pro lucrandis indulgentiis &c. Hoc notato

331. R. primo. Actus interni, qui per se sunt necessarii ad physicam, vel moralem substantiam actus externi, possunt auctoritate humanam tam Civili, quam Ecclesiastica præcipi, & quidem per se, & directe. Ita hodie satis communiter Doctores, nominatim La Croix *l.* 1. *n.* 647. Cardenas *Crif. Theolog. diss.* 341. *a.* 1. *n.* 9. Gobat, Caramuel. Ratio est: quia potestate humana præcipi, vel prohiberi potest id omne, quod ad rectam gubernationem Reipublicæ necessarium est: atqui actus interni per se requisiti ad substantiam saltem moralem actus externi sunt ita necessarii; nam plurimi refert Reipublicæ, ut contractus v. g. matrimonii celebrentur valide, & ut Sacramenta valide administrentur &c. atqui sine intentione contrahendi, aut absolvendi, vel etiam sine dolore interno, nec valeret matrimonium, neque Sacramentum pœnitentiæ: ergo dicendum, quod potestate humana hujusmodi actus interni possint præcipi, vel prohiberi, & quidem non tantum indirecte, sed etiam directe; quia quando Ecclesia præcipit confessionem Sacramentalem validam, eo ipso per se, ac directe præcipit, & intendit illud omne, quod per se, & intrinsece necessarium est ad essentiam confessionis validæ; ad hanc autem non minus necessarius est actus internus doloris, quam accusatio externa: ergo actum internum præcipit non minus directe, quam externum. Vide La Croix *l. cit.*

332. R. Jam secundo. Actus mere, & pure interni nequeunt præcipi, vel prohiberi auctoritate Civili; bene tamen 2. auctoritate, seu potestate spiri-

tuali

tuali, & Ecclesiastica. Prior pars hujus resolutionis est ab omnibus recepta. secundam vero contra non paucos magni nominis DD. mordicus tenent Cardenas *in sua 2. Crisi Theolog. dissert.* 34. *art.* 2. 3. & 4. Sbogar *Theolog. radic. tr.* 4. *c.* 10. *n.* 71. Gormaz *de pœnit. part.* 2. *n.* 67. La Croix *l. cit. n.* 652. Felix Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 181. Mag. D. Franc. Schmier *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 1. *sect.* 2. §. 2. *n.* 113. ubi pro eadem opinione refert P. Alphons. Wenzl, Glettle, Guetrather, & plures alios. Ratio prioris est hæc: quia actus mere interni nihil conferunt ad finem a Legislatore politico intentum; huic quippe duntaxat incumbit procurare, vel etiam salvam conservare pacem, & tranquillitatem externam Reipublicæ: atqui ad hujus conservationem per se loquendo nihil facit, utrum actus mere internus ponatur, vel vero omittatur: ergo &c. Adde, quod finis proximus Reipublicæ, & Legislatoris politici sit merum naturalis; consequenter per media naturalia duntaxat, qualia sunt actus visibiles, & sensibiles, a Legislatore politico procurari debet.

333. Ratio autem posterioris hæc est; quia potestas illa, quam Christus Dominus *Matth.* 16. *c. v.* 19. D. Petro, ejusdemque successoribus concessit hisce verbis: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis &c.* est generaliter, & sine restrictione ad actus mere externos concessa, adeoque debet generaliter intelligi per *c. Solitæ 6. de M. & O.* consequenter extendi, quantum rationabiliter fieri potest: atqui rationabiliter potest extendi ad actus etiam mere internos; tum quia finis Legislatoris Ecclesiastici non sistit præcise in externa gubernatione Reipublicæ Ecclesiasticæ, sed ulterius vel maxime tendit ad animarum salutem procurandam, & dirigendam, veluti declaravit Innocentius III. *cit. c.* 6. *de M. & O.* tum etiam quia, cui concessus, immo a DEO specialiter præfixus, & demandatus est finis, illi pariter concessa censentur media ad eundem finem necessaria *c. præterea de Offic. & potest. J. de*, atqui Divo Petro eiusdemque successoribus demandata fuit cura pascendi gregem dominicum *Joan. ult. v.* 17. ad hunc autem finem potius faciunt actus in quam externi; quandoquidem aliunde notum sit, quod hi totam suam vim, & virtutem merendi, vel etiam demerendi desumant ab illis: ergo dicendum quod auctoritate Ecclesiastica possint præcipi, vel etiam prohiberi actus mere interni; id, quod ulterius

334. Confirmatur primo ex eo, quod actus mere internus possit esse materia Legis divinæ, prout etiam AA. fatentur: ergo potuit Deus eandem potestatem concedere Pontifici, non obstante, quod is velut homo nequeat in forma Judicii procedere contra hujusmodi transgressores.

Neque dubitandum, quin hodie Ecclesia posset Sacerdotibus præcipere, ut v. g. breviarium, ad quod jam pridem tenentur, recitent ea intentione, ut Deus velit v. g. Augustissimo Imperatori nostro dare hæredem masculinum: atqui hæc intentio est actus mere internus: ergo &c.

Confirmatur secundo ex eo, quod Innocentius XI. damnaverit praxin hujus propositionis numero decimæ: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*: atqui, praxis hujus est omissio actus amoris interni: ergo &c.

Dices. Legislator Ecclesiasticus nequit discernere, an talis Lex præscribens actum mere internum observetur, vel non, consequenter neque posset punire transgressores: ergo frustra subditis suis imponeret hujusmodi obligationem. Et certe de pure internis agere, videtur proprium soli DEO, & Angelis, non vero hominibus, quippe qui pro hoc statu vitæ actibus externis, & sensibilibus duntaxat possunt ad invicem communicare.

335. R. Disting. ant. Legislator Ecclesiasticus non posset hujusmodi transgressores punire in forma Judicii, & coactione externa, *concedo*, in forma constitutionis, & coactione interna, id est, tali pœna v. g. excommunicationis, quæ post commissum delictum illico incurratur in conscientia: *neg. ant. cum conseq.* Neque necessum est, ut Legislator humanus semper possit discernenere, an Lex sua observetur; secus enim

Ec-

Ecclesia non potuisset damnare praxin propositionis mox relatæ : Nec Confessarius suo pœnitenti ; neque Superior Religiosus suo subdito posset præcipere actum mere internum ; quod tamen falsum esse ipsimet AA. agnoscunt.

Sufficit proin, quod in simili casu Deus transgressionem cognoscat, & conscientia reum illico arguat, atque ad promeritam pœnam condemnet. Ad illud alterum fatendum quidem est, soli DEO, & Angelis proprium esse, agere de mere internis, sed modo insensibili; nam de talibus modo sensibili, per actus scilicet externos ad invicem communicare, & agere, etiam competit hominibus, veluti liquet ex mox dictis de Confessario, vel Superiore Religioso. Verum de his satis. Qui fusiorem hujus controversiæ notitiam avet, consulat Doctores mox citatos. Nos practica sectemur.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, circa materiam Legum humanarum.

CASUS PRIMUS.

Titius Princeps Catholicus inaudiit, suos subditos eo dementiæ esse prolapsos, ut in suo territorio (in quo hactenus nullius, præterquam Catholicæ, & Salvificæ Religionis exercitium fuerat toleratum) nedum libros hæreticos passim legere, verum insuper in publicis conventiculis Catholicam Religionem taxare, Lutheranam econtra mirum in modum extollere, quin immo ad hanc amplexandam etiam reliquos tum verbis, tum etiam minis intentatis pertrahere tentarint; quare ad præcludendum imminens animarum exitium, & rebellionem, quam perversissimi illi homines sub Schemate manutenendi libertatem conscientiæ non raro minitati sunt, facta prius (sed in cassum) paterna dehortatione, tandem sub gravissimis pœnis interdixit, ne deinceps præsumerent sese coadunare, neve ullus, quiscunque demum, auderet e suggestu verba facere, quibus aliquos etiamnum Catholice sentientes perverteret, aut jamjam perversos in exitialibus eorum erroribus confirmaret; at illi, hac saluberrima constitutione nihilo melius facti, sed potius indurati, non sine Scommatibus, & magno contemptu publico protestati sunt, nulla auctoritate humana prohiberi posse hujusmodi conventicula, quippe quæ Christus D. ipsusmet approbavit Matth. c. 18. v. 20. dicendo : ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Quid jam Confessarius judicabit de tali subdito, casu quo is pœnitentia ductus interrogaret, an, vel quomodo post illud edictum frequentando solita illa conventicula peccaverit?*

336. R. Confessarius judicabit talem subditum gravissime peccasse, & quidem toties, quoties contra edictum Principis illa conventicula frequentavit: Ratio facile eruetur ex dictis : quia Princeps potuit, & voluit sub gravi culpa prohibere illa conventicula hæretica. Quod potuerit, inde facile suadetur; quia hoc fuit omnimodis necessarium, tum ad servandam Rempublicam in pace, & tranquillitate, tum etiam ad manutenendam veram, ac salvificam fidem, quam Princeps præsertim Ecclesiasticus tenetur omni modo possibili conservare in sibi subjectis ; Quod autem etiam voluerit graviter obligare, pronum est colligere ex pœnis tam gravibus, transgressoribus taxatis : ergo subditus contemptibiliter prævaricando præfatam constitutionem non potuit non graviter delinquere, & quidem toties, quoties scienter id fecit. Neque dubitandum, quin propterea inciderit excommunicationem Bullæ Cœnæ, sive dein assentiendo dogmatibus hæreticis, sive demum aliis cohæreticis qua talibus favendo, eorumque partes, utique non sine pertinacia erga SS. Ecclesiam Romanam tuendo. Meminerit proin Confessarius, se hujusmodi pœnitentem extra articulum, vel periculum mortis non posse absolvere, nisi aliunde sit præditus potestate in Casus Bullæ Cœnæ.

337. Neque excusandus videtur ex illo allegato S. Scripturæ textu : *ubi duo, vel tres &c.* Nam Christus solum ratificavit illa conventicula, quæ congregantur (ait ipse) *in nomine meo* ; id est (ut exponunt S. Chrysostomus, & Eu-

Euthymius apud Cornelium a Lapide) *propter me, mei respectu, mei intuitu, mei causa, mei amore, nil, nisi me, & meam gloriam quærentes*: at, hoc non erat intentum Rusticorum Rebellium, prout ex actis constabit: ergo &c.

At quid de eo tenendum, qui finxit, immo asseveravit, se pariter esse Lutheranæ sectæ addictum, reipsa autem hujusmodi conventicula non frequentavit alio fine, quam præcise animo expiscandi, quidnam in illis tractaretur, vel concluderetur?

338. R. Etiam talis per se loquendo graviter peccavit. Ratio est: quia exterius saltem veram fidem negavit: hanc autem sub dispendio salutis nunquam licet negare, esto subinde ex rationabili causa liceat dissimulare. Nec talis subditus a quocunque demum Superiore subornari, multo minus obligari potuit, ut ex præfato fine fidem suam (Catholicam scilicet) negaret; quia juxta *Reg. VI. de R. J. in 6. nemo potest ad impossibile obligari*: at, quæ sine peccato fieri nequeunt, censentur moraliter impossibilia: & juxta D. Augustinum *lib. contra mendac. c. 7. ea, quæ constat, esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt*. Fatendum nihilominus est, quod, si talis subditus interius non adhæsit Lutheranorum sectæ, sed præcise animo explorandi dixit, se pariter esse Lutheranum, rvera non incurrerit Excommunicationem Bullæ Cœnæ, in hæreticos latam: & fortassis ex simplicitate nequidem peccavit formaliter, eo quod in hoc facto, utpote tam specioso fine vestito, nil malitiæ apprehenderit.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Clericus ob quandam in cura animarum commissam negligentiam, ad suum Revendissimum Ordinarium fuit delatus, & quia in rei veritate inventus fuit culpabilis, hinc ab eodem fuit condemnatus ad sequentem pœnitentiam. 1. Scilicet, ut per octiduum in quodam Monasterio faceret exercitia spiritualia, & 2. ut eidem Monasterio daret tres aimeras vini per modum Eleemosynæ: hoc posterius Sempronius omnino non præstitit, quoad prius vero sese accommodavit nolens volens, eo quod sine graviore offensa Reverendissimi sui Ordinarii illud declinare nequiverit. Ceterum toto illo octiduo ne unicam quidem meditationem instituit, hoc principio ductus, quod meditatio, ceu oratio mentalis sit actus mere internus, consequenter ne quidem auctoritate Ecclesiastica præcipi valeat, juxta probabilissimam multorum gravium Doctorum sententiam. Tandem vero conscientiæ stimulis nonnibil exagitatus, quærit, an, vel qualiter præfatam pœnitentiam negligendo vel certe non integre adimplendo deliquerit. Quid respondendum interroganti?

339. R. Sempronius probabilius peccavit mortaliter. Ratio est: quia Episcopus juste illum condemnavit, & voluit illum condemnare ad præfatam pœnitentiam, quæ in morali hominum existimatione merito censetur esse gravis: ergo &c. Et licet Reverendissimus Ordinarius verbis non expresserit, quod velit Sempronium graviter obligare ad hanc pœnam subeundam; facto tamen id satis expressisse censeri debet ex eo, quod juxta superius dicta quivis Superior regulariter loquendo præsumi debeat, voluisse obligare juxta capacitatem materiæ: sic Confessarius injungens pœnitentiam gravem, præsumitur voluisse obligare graviter, nisi contrarium aliunde constet: sic etiam ille, qui vovit materiam gravem, v. g. jejunium unius diei, peregrinationem ad locum valde dissitum &c. præsumitur rationabiliter, quod voluerit ad hæc juxta capacitatem materiæ, ideoque graviter se obligare: ergo idipsum præsumendum est de illa obligatione ab Episcopo injuncta Sempronio.

At vero, inquies fortassis; saltem probabile est, quod Episcopus nequeat præcipere actum mere internum, qualis est meditatio, seu oratio mentalis: ergo similiter probabile esse debet, quod Sempronius non fuerit obligatus ad meditandum, & per consequens non peccaverit negligendo meditationes.

340. R. neg. conseq. Etsi enim probabile sit, quod Superior Ecclesiasticus nequeat præcipere actum mere internum; quia

quia tamen simul est probabile, fortassis etiam probabilius secundum dicta *n.* 333. quod possit; hinc fit quodammodo certum moraliter, quod subditus in tali casu teneatur parere præcipienti, eo quod possessio stet, ac militet pro Superiore, uti dictum fuit superius *Confer.* 6. *n.* 172. & *Confer.* 7. *n.* 192. Deinde negatur suppositum, quod exercitia spiritualia consistant in meris actibus internis, aut in sola oratione mentali; regulariter enim fructuosa, & solida meditatio præsupponit præparationem congruam, hæc vero sine prævia lectione materiæ meditandæ fieri non potest.

Quare minime dubitandum arbitror, quin Reverendissimus Ordinarius imponendo exercitia spiritualia, voluerit Sempronium obligare ad legendos libros spirituales, seu asceticos, ad examen conscientiæ &c. & alia hujusmodi, quæ ab exercitantibus fructuose fieri solent, & debent: consequenter non voluit illum obligare ad actus mere internos, sed potius ad mixtos, qui juxta dicta *n.* 331. indubitanter præcipi possunt auctoritate humana. Vide Cardenas 1. *Crif. disp.* 16. *c.* 3.

At quid, inquies fortassis, si supponamus Sempronium suis exercitiis ceteroquin rite, ac debite vacasse, oblationem tamen vini sibi demandatam neglexisse, aut potius dissimulasse, an propterea arguendus foret gravis noxæ?

341. R. Per se loquendo videtur quod sic, Ratio est: quia, quando materia præcepta a Superiore est divisibilis in plures partes, tunc neglectus cujusvis partis, in morali hominum existimatione gravis, habetur pro peccato gravi, velut constat de neglectu horarum Canonicarum, aliorumve debitorum: atqui tres aimeræ vini in morali hominum existimatione procul dubio reputantur pro materia gravi, in illis saltem partibus, ubi vinum non abundat, & satis magno pretio vœnit: ergo has non solvendo, probabilius graviter deliquit, nisi aliunde constaret de mente Episcopi, quod is noluerit Sempronium sub gravi culpa obligare ad præfatam pœnitentiam. Videatur de hoc La Croix *l.* 1. *num.* 663. *& seqq.*

CASUS TERTIUS.

Caja multis, & sat violentis indiciis sese reddidit suspectam de hæresi Lutherana, & quidem in tali territorio, ubi hactenus hæc secta nunquam fuit tolerata; quam ob causam eidem auctoritate Ecclesiastica fuit injunctum 1. *ut, si quidem protinus vellet inter Catholicos vivere, sese monstraret talem, deponendo publice professionem fidei Catholicæ, insuper* 2. *vel curaret suum nomen inscribi albo Confratrum, ac Sororum sanctissimi Scapularis, vel in pœnam delictorum contra præcepta Ecclesiæ hactenus commissorum, solveret quinque florenos; ad hæc Caja, ut revera erat mulier pertinacissima, professionem fidei Catholicæ deposuit quidem, sed simulate duntaxat, scilicet non amore veritatis amplectendæ, sed potius timore gravioris pœnæ incurrendæ. De cetero maluit solvere quinque florenos, quam curare, vel etiam permittere tantum, ut suum nomen inscriberetur albo Confraternitatis sanctissimi Scapularis. Quæritur ad nostrum propositum, an Caja auctoritate Ecclesiastica potuerit ad hæc obligari.* 2. *An ficte duntaxat profitendo fidem Catholicam, &* 5. *florenos solvendo peccaverit, vel non?*

342. R. ad primum. Caja auctoritate Ecclesiastica potuit obligari; tum quia Jure divino tenemur amplecti, immo, & profiteri fidem veram, qualis est sola Catholica; tum etiam, quia experientia teste quilibet Princeps, vel Magistratus putat se habere jus explorandi fidem, ac mores suorum subditorum, præsertim ubi id exigit bonum publicum; immo etiam puniendi illos, qui Religionem alienam paci, ac tranquillitati publicæ inimicam introducere tentant: quidni ergo idipsum concedatur Principi Catholico, præsertim tali, cui ex officio incumbit procurare bonum animarum, & veram fidem propugnare? Unde

343. R. Jam ad secundum. Si Caja deposuit professionem fidei Catholicæ ficte duntaxat, idque propter aversionem fidei, ac veritatis Catholicæ, procul dubio hac aversione graviter peccavit contra præceptum divinum de vera fide profiten-

da: immo vero probabilissime nec satisfecit præcepto Superioris Ecclesiastici. Ratio est: quia is procul dubio Cajam voluit obligare ad talem professionem, ad quam jam aliunde præcepto divino erat obligata, sicut Ecclesia præcipiendo communionem paschalem non imponit novum præceptum, sed potius determinat tempus, quo præceptum jam pridem a DEO nobis impositum debet adimpleri: ergo quemadmodum Ecclesiastico præcepto non satisfacit, qui Sacrilege, & ficte communicat, veluti constat ex propositione *num.* 55. ab Innocentio XI. damnata; ita pariter non satisfacit præcepto Ecclesiæ, qui ficte duntaxat profitetur fidem Catholicam. Id, quod ulterius efficaciter confirmari potest ex eo, quod Clemens XI. in sua Bulla *vineam Domini Sabaoth edita Anno* 1715. 16. *Julii* damnarit opinionem quorundam, existimantium, ad obedientiam Apostolicis constitutionibus Innocentii X. & Urbani VII. editis contra quinque propositiones Jansenii, debitam, non requiri, ut quis prædicti Janseniani libri sensum in quinque illis propositionibus damnatum, interius, ut hæreticum damnet, sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocabant) silentium teneatur. Quocirca memoratus Pontifex in rem nostram subdit sequentia verba, videnda *apud P. Viva part.* 3. *damnat. Thesium*: *quæ quidem assertio, quam absurda sit, & animabus fidelium periculosa, satis apparet, dum fallacis hujus Doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur, vulnus tegitur, non curatur; Ecclesia illuditur, non paretur, & lata demum filiis inobedientiæ via sternitur adfovendam silentio hæresin. Ita Pontifex*: idipsum autem sequeretur ex nostro casu, ut perpendenti facile constabit. ergo &c.

344. Ex eo tamen, quod maluerit solvere quinque florenos, quam permittere, ut suum nomen inseratur albo Confraternitatis sanctissimi Scapularis, non peccavit contra præceptum Superioris Ecclesiastici. Ratio est: quia juxta *Regul.* 70. *J. in.6. in alternativis Electoris est electio, & sufficit, alterum impleri*: atqui Cajæ fuit imposita obligatio alternativa duntaxat, id est, sub distinctione, ut scilicet, vel curaret se inscribi Confraternitati, vel 5. florenos solveret: ergo penes ipsam stetit, eligere id, quod maluit.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

345. COlliges ex hactenus dictis primo, nulla Lege humana præcipi posse actum malum. Ratio est: quia talis Lex esset iniqua, & contra primum principium morale, vi cujus jubemur *declinare a malo*. Et certe nemo potest obligari ad peccandum: at, talis Lex obligaret ad peccandum: ergo est nulla; nam juxta illud *Actor.* 5. *obedire oportet DEO magis, quam hominibus.*

346. Colliges secundo, auctoritate humana præcipi non posse impossibilia sive *de Jure* (id est, talia, quæ sunt contra jus naturale, vel positivum) sive *de facto*, id est talia, quæ, vel naturaliter, & ex natura rei vel saltem moraliter fieri non possunt, eo quod sint valde ardua, & supra vires humanas. Ita post Ascan. Tamburinum, Perez, Caramuel, & alios M. D. Franciscus Schmier *lib.* 1. *tr.* 1. 2. *c.* 1. *sect.* 2. §. 1. *n.* 88. *& seqq.* Ratio est: quia Lex communis debet esse accommodata fragilitati subditorum, nec plus incommodi, quam commodi afferre communitati; at Lex de materia impossibili toti communitati lata procul dubio plus incommodi afferret, quam commodi; cum enim in plerisque communitatibus plures reperiantur imbecilles, & imperfecti, quam fortes, ac perfecti, procul dubio hujusmodi Legem contemnerent, & tanto facilius transgrederentur, quanto apparet observatu difficilior. Accedit, quod ad actum inhonestum nulla detur possibilitas juridica; frustra enim a subdito peteretur, aut speraretur id, quod is facere non potest: at, quod æquitati, & juri repugnat, merito censetur fieri non posse: ergo &c.

347. Fatendum nihilominus est, subinde moraliter, & politice quasi impossibilia hominibus in particulari posse præcipi, velu-

veluti constare potest ex iis, quæ superius *n.* 299. diximus, posse scilicet milites obligari ad servandas suas stationes, vel hostem aggrediendum cum evidenti periculo vitæ: quia scilicet sana ratio dictat, bonum commune esse præferendum bono particulari, quam ob causam membrum privatum solet abscindi ad conservandum totum corpus, si hoc aliter conservari non possit. Subdit hic sapienter M. D. P. Franc. Schmier *lib. cit. n.* 101. Religiosis, utpote speciali obedientiæ voto adstrictis, facilius, quam sæcularibus difficilia, atque ardua præcipi posse, quamvis cum magna circumspectione, & consideratione id fieri debeat, ne contra monitum Apostoli potestas præceptiva magis in destructionem, quam ædificationem usurpetur.

348. Colliges tertio, Lege humana, nec prohiberi, neque etiam proprie puniri posse actus jamjam præteritos, qui antecedenter nulla Lege fuerunt prohibiti. Ita cum communi DD. Herincx *ubi supra n.* 76. Suarez *de LL. lib.* 3. *c.* 14. *n.* 8. Ratio prioris est: quia Lex debet esse regula agendorum: ergo pro objecto, seu materia præcipienda, vel etiam prohibenda respicit actus futuros duntaxat, non item præteritos. Ratio autem posterioris inde facile eruitur: quia Lex proprie pœnalis fertur ob præcedentem culpam; nullus enim puniri solet, neque proprie loquendo puniri potest, nisi culpam prius commiserit: ergo si actus præteritus supponatur hactenus nulla Lege fuisse prohibitus, profecto etiam nulla auctoritate humana puniri potest, aut debet, eo ipso, quod sine culpa fuerit exercitus.

349. Diximus tamen 1. actum, *qui hactenus nulla alia Lege fuit prohibitus*, non posse puniri &c. Secus enim discurrendum foret de actibus jam antecedenter prohibitis: quia, cum actus contra Legem prohibentem exercitus, bonos mores, privatamque, & publicam salutem offendat, eo ipso contra delinquentem provocat; consequenter juste punitur, & castigatur ab eo, cujus est conservare bonum publicum. M.D.Schmier *Jurispr. l.*1.*tr.*1. *c.*1. *sect.* 2. §.4.*n.* 181.

350. Diximus insuper, non posse puniri *proprie* &c. Enim vero pœnæ improprie dictæ, seu potius inhabilitates, quæ non tam ex culpa, quam ex causa induci solent, uti sunt irregularitates, impedimenta matrimonii &c. in jure etiam statuuntur propter actus præteritos, qui nullatenus erant peccaminosi. Ratio est: quia Legislator habet jus distribuendi bona, & jura communia: ergo ex causa rationabili in iis, qui ad hujusmodi bona, & jura communia aspirant, potest certas qualitates exigere, & alios, qui hujusmodi conditionibus destituti sunt, excludere. Videatur de hoc Schmier *loc. c. n.* 182. & *seqq.* Herincx *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 3. *n.* 76.

CONFERENTIA
DECIMA TERTIA.
De subjecto Legum, præsertim humanarum.

SUMMARIUM.

351. *Legis ut sic alia est vis directiva, alia coactiva.*
352. *Legislator humanus absolutus non tenetur propriis Legibus quoad vim coactivam; immo ne quidem quoad directivam tenetur directe, bene tamen indirecte?*
353. *Aliter tamen quoad hoc discurrendum est de Legislatore subordinato, & dependente a toto corpore.*
354. *Legi naturali, & divinæ subjiciuntur omnes.*
355. *Legibus autem Pontificiis mere positivis tenentur fideles duntaxat.*
356. *Non quidem infantes, & perpetuo amentes.*
357. *Bene tamen ii, qui aliquando adepti usum rationis, per certa intervalla, vel in certa duntaxat quadam materia delirant.*
358. *Tametsi nec isti, neque illi ab observantia juris naturalis sint exempti.*
359. *Dupliciter potest aliquis abesse e proprio territorio, scilicet, vel physice, vel etiam moraliter simul.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de subjecto Legum.

QUæres primo, an, vel quomodo Legislator teneatur propriis Legibus?

Ante resolutionem hujus quæsiti notandum est, aliam dici vim *directivam* Legis, aliam *coactivam*.

351. Directiva est, vi cujus adstringit ad culpam in conscientia coram Deo incurrendam: Coactiva vero appellatur, vi cujus adstringit ad pœnam Lege taxatam. Quodsi obliget ad pœnam in conscientia ante omnem ulteriorem Judicis sententiam incurrendam, dicitur vis coactiva interna, si vero obliget ad pœnam post Judicis sententiam primum incurrendam, dicitur vis coactiva externa, seu etiam Lex coactiva coactione externa. Hoc notato

352. R. jam ad quæsitum. Legislator humanus absolutus, & independens, sive Ecclesiasticus sit, sive Civilis, non tenetur propriis Legibus quo ad vim coactivam, neque etiam. 2. Quoad vim directivam directe; bene tamen quoad hanc indirecte. Ita *communissime* Theologi & Canonistæ, prout videre licet apud Reiffenstuel *lib. 1. Decret. tit. 2. num.*

num. 268. Ratio primi est: quia ut dicitur *L. penult. ff. de recept. arbit.* *Neque autem imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest*: ergo cum supponatur Legislator pollere suprema potestate, eo ipso nec in se ipsum potest ferre sententiam condemnationis, neque ab alio condemnari: hac ratione *L. Princeps* 31. *ff. de Leg.* dicitur: *Princeps Legibus solutus est*.

Ratio autem secundi est hæc: quia omnis obligatio directa, etiam directiva, supponit in obligante aliquam superioritatem, & in obligato subjectionem: ergo cum Legislator respectu sui ipsius non sit Superior, uti mox visum fuit: dicendum, quod non teneatur quoad vim directivam directe. Quod vero quoad hanc vim directivam saltem indirecte (id est, obligatione non immediate orta ex Lege propria humana, sed potius ex Lege naturali) teneatur, inde suadetur; quia supposita Lege justa Lex, & æquitas naturalis dictat, quod etiam Princeps ceu Caput teneatur sese accommodare ceteris membris; nam juxta D. Augustinum *lib.* 3. *Confess. cap.* 8. *turpis est omnis pars, suo universo non congruens*: ergo supposita tali Lege humana, illico Lex naturalis jubet, ut sese conformet saltem, si materia talis sit, quæ majestatem, & dignitatem Principis non dedeceat. Videatur Reiffenstuel *loc. cit. num.* 271.

353. Illud tamen observandum hic venit, quod nostra resolutio mox *num. præced.* data loquatur de *Legislatore absoluto*, & independente, quales sunt v. g. Papa, Imperator, Episcopus &c. in suis respective territoriis; aliter enim discurrendum est de quibusdam Legislatoribus non absolutis, sed potius dependentibus a corpore totius Senatus, vel Provinciæ; qualis est Dux Venetus respectu Senatorum; Metropolitanus respectu Episcoporum: Prælatus, vel Provincialis respectu totius Capituli &c. Hi enim, quemadmodum respectu totius corporis (cui supponitur immediate competere potestas Legislativa) sunt membra, & suo modo subjecti; ita pariter tenentur directe Legibus a toto corpore fundatis, & institutis, veluti ex communi DD. recte tenent Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 2. *a.* 4. *num.* 1.

354. Insuper advertendum est, datam resolutionem loqui duntaxat de *Legibus humanis*; quod enim quivis Legislator teneatur observare jus divinum, sive naturale, sive etiam positivum apud omnes in confesso esse debet. Ratio facilis est captu: quia scilicet hæc jura procedunt ab Auctore DEO: atqui DEO quævis creatura tenetur obtemperare: ergo. Hinc fit, quod quilibet Princeps teneatur stare contractui, vel pacto juste a se inito, quippe qui vi juris, & æquitatis naturalis servari debet. *L.* 1. *ff. de peccatis*.

Quæres secundo, quinam teneantur servare Leges Pontificias?

355. R. Legibus Pontificiis in materia spirituali, salutem animarum, rectamque Ecclesiæ gubernationem concernente, pro toto Orbe Christiano legitime latis, per se loquendo subjiciuntur omnes Christi fideles, immo etiam hæretici. Ita *communis DD.* Lugo *disp. de pœnit. sect.* 7. *n.* 147. Reiffenstuel *Theol. mor. tract.* 2. *dist.* 3. *n.* 1. & 2. Ratio est: quia nedum Catholici, verum etiam hæretici per baptismum ingressi sunt Ecclesiam, & hoc ipso legitimo Christi Vicario, summo scilicet Pontifici incumbit cura eos pascendi, juxta illud *Joan.* 21. *Pasce oves meas*: atqui, oves Christi sine Legibus, ac præceptis debite pasci non possunt; consequenter quemadmodum summo Pontifici incumbit obligatio pascendi; ita vicissim fidelibus, id est, baptizatis incumbit reciproca obligatio obediendi. Unde Lugo *loc. cit.* recte scripsit, absurdissimum fore, si quis negaret hæreticos obligari Legibus Ecclesiastici jejunii, abstinentia a carnibus, vel censuris in eosdem latis.

Quæres tertio, utrum ergo etiam Infantes, & amentes subjiciantur Legibus Ecclesiasticis?

356. R. Infantes nondum adepti usum rationis, sicut, & perpetuo Amentes, qui in hoc passu æquiparantur infantibus, non tenentur Legibus mere humanis, sive Civilibus, sive etiam Ecclesiasticis. Ita *communissime DD.* nominatim

Laymann. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 10. *n.* 1. Herinex *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 3. *num.* 128. Kazenberger *in supplem. Decalog.* P. Sporer *c.* 1. *sect.* 3. *num.* 288. Ratio prioris est: quia Leges humanæ obligando procedunt modo humano, ideoque neminem obligare volunt, nisi qui habet usum rationis; qui regulariter præsumitur post completum septennium. Ratio vero posterioris est: quia Lex secundum dicta superius est regula actuum humanorum: ergo censeri debet lata pro illis duntaxat, qui sunt capaces actuum humanorum, quales certe non sunt perpetuo amentes: ergo tales probabiliter non obligantur Legibus humanis, etsi Sanchez mordicus teneat oppositum.

357. Dixi tamen primo: *Perpetuo amentes non tenentur*; Secus quippe dicendum est de illis, qui aliquando habuere usum rationis, postea vero primum cœperunt delirare, vel simpliciter, vel per intervalla, vel etiam in certa duntaxat materia; tales enim non minus quam Ebrii, vel dormientes manent habitualiter obligati Legibus humanis; eo quod in his rationis usus sit sopitus duntaxat, minime vero extinctus; quare quemadmodum absolute, & habitualiter saltem usu rationis pollent, ac proinde actus humani capaces sunt; ita etiam Legibus humanis censentur subjecti; etsi fateri cogamur, quod taliter delirantes tempore delirii per accidens excusentur a peccato formali; eo ipso, quod actuali usu rationis, & libertatis ad formaliter peccandum indispensabiliter necessariæ supponantur destituti, sicut ob eandem rationem dormientibus imputari nequit ad formalem culpam, quidquid demum agunt.

358. Dixi secundo. Eos *non teneri Legibus mere humanis*; Neque enim infantes duntaxat, sed etiam perpetuo amentes, ebrii, ac dormientes subjiciuntur Legi naturali, juxta *communissimam* Doctorum; idque hac ratione: quia secundum dicta superius *numer.* 323. materia Legis naturalis habet intrinsecam, & necessariam con- vel disconvenientiam cum creatura rationali qua tali, cui etiam Lex naturalis propterea dicitur intrinsece quasi congenita, & insculpta: ergo quidquid repugnat Legi naturali, pariter disconvenit creaturæ rationali cuicumque demum. Ex quo colligere fas est, etiam pueros ante septennium completum transgrediendo Legem naturalem v. g. blasphemando &c. peccare, nedum materialiter, sed etiam formaliter, saltem tunc, si polleant sufficienti usu rationis, ita, ut malitia suppleat ætatem. Liquet insuper, illum peccare formaliter, qui infantem, amentem, ebrium, vel dormientem instigat ad actum intrinsece malum v. g. ad tactus lascivos, ad copulam, bestialitatem &c. tametsi enim hujusmodi actus amentibus &c. ob actualem defectum usus rationis ad formale peccatum imputari nequeat, recte tamen imputatur instigatori, quippe qui supponitur usu rationis pollere, ideoque malitiam formalem cognoscit, tum in actu instigationis, tum etiam in objecto latentem.

Quæres quarto, utrum subditi proprium territorium egressi, & extra illud existentes, maneant subjecti Legibus sui proprii territorii?

359. Ante resolutionem hujus quæsiti denuo advertendum est, subditum posse dupliciter e territorio suo esse absentem, physice scilicet, & moraliter. Physice absens est, quando revera quoad suam personam non existit in territorio proprio, moraliter vero est absens, quando in proprio territorio nedum quoad suam personam non existit, sed ne quidem quoad aliquam actionem, vel omissionem: e contra tamen si quoad personam sit quidem egressus limites proprii territorii, nihilominus in eodem excitet v. g. lites, bellum, incendium &c. vel omittat actionem, quam hic, & nunc deberet exercere, censetur moraliter præsens, esto supponatur physice absens.

360. R. Jam ad præsens quæsitum. Subditus tam physice, quam moraliter existens extra suum territorium, non manet subjectus Legibus proprii territorii. Ita *communiter* Doctores.

Sua-

Suarez *lib.* 3. *de Leg. cap.* 32. *num.* 2. Castropalao *part.* 1. *tr.* 3. *disp.* 1. *punct.* 24. §. 5. *num.* 1. Kazenberger *loc. cit. num.* 244. Ratio hujus deducitur ex *cap.* 2. *de Constit. in 6.* nec non ex *l. ult. ff. de jurisdict.* ubi dicitur: *extra territorium jus dicenti, impune non paretur*: at, si Legislator talem subditum alibi, seu in alio territorio tam physice quam moraliter existentem vellet obligare, jus diceret extra suum proprium territorium: ergo subditus impune non paret; ergo non tenetur parere. Itaque Jurisdictio Legislatoris coarctatur limitibus suæ ditionis seu territorii, & hoc mediante duntaxat transit in subditos, ex quo consequens videtur, illos tantum subditos adstringi Legibus, qui, & quamdiu intra limites proprii territorii commorantur.

Quæres quinto, an Peregrini, & vagabundi teneantur servare Leges municipales, id est particulares, & proprias illis locis, per quæ transeunt?

361. Ante responsionem majoris claritatis gratia rursus præmitto discrimen inter peregrinum, & vagabundum; nomine enim peregrini intelligitur ille, qui quidem alibi habet proprium domicilium, defacto tamen in illo non existit, sed potius in alieno territorio, idque animo hic non commorandi, ne quidem per majorem anni partem; sed ad summum per aliquot dies, vel menses: econtra nomine vagabundi intelligitur ille, qui nullibi habet domicilium, sed modo in hoc, mox vero in alio territorio vagatur, vel etiam commoratur ad aliquod breve tempus, fine animo commorandi in hoc loco per majorem anni partem. Hoc notato

362. R. jam primo. Peregrini, & Advenæ tenentur quidem servare Leges Juris communis, esto etiam in proprio territorio ab his forent exempti; non tamen tenentur observare Leges, vel statuta particularia locorum, præterquam in quatuor casibus mox recensendis. Ita hodie contra non paucos tenent Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 12. *num.* 38. Laymann *ubi supra cap.* 12. *num* 4. Illsung *tract.* 1. *disp.* 2. *num.* 21. Ratio prioris est: quia Legibus communibus, utpote altiori potestate profectis, uti est v. g. Lex de servando jejunio, quilibet tenetur sese accommodare: esto proin talis subditus in proprio territorio, utpote in quo dispensatum fuisse supponitur, foret exemptus, quia tamen non in illo, sed in alio territorio, in quo non fuit dispensatum, supponitur existere, hinc velut subditus tenetur generali constitutioni sese accommodare: Secus dicendum foret, si in propia persona ob infirmitatem, vel aliam causam dispensatus fuisset; quia tunc tale privilegium personale suo modo comitaretur ipsam personam.

Ratio autem posterioris hæc est: quia Lex per se non obligat, nisi subditos, & membra communitatis: atqui peregrini moraliter loquendo, nec sunt subditi, neque etiam membra illius communitatis cujus territorium duntaxat volunt transire, non autem ibi figere domicilium, vel quasi domicilium: neque aliunde ratione alicujus contractus, vel quasi contractus, multo minus ratione alicujus delicti contra jus commune commissi (ut supponi debet) sortiuntur forum: ergo cum aliunde jura nos doceant, odiosa esse restringenda, pariter oportet dicere, hujusmodi Leges municipales non esse extendendas ad peregrinos, vel advenas, sed potius restringendas ad sola membra communitatis. Illud autem quod communi proverbio dici solet: *Si fueris Romæ, Romano vivito more &c.* potius per modum consilii, quam præcepti est intelligendum, veluti Patroni hujus nostræ opinionis vere probabilis communiter advertunt. Videatur Kazenberger *cit. cap.* 1. *sect.* 3. *num.* 255.

363. Ceterum Casus illi, in quibus peregrini sese tenentur accommodare, sunt sequentes quatuor: 1. Quando Lex est talis naturæ, vel potius de tali materia, ut bonum publicum conservari, vel satis procurari non valeat, nisi etiam talis Lex ab advenis, & peregrinis observetur, veluti sunt Leges de non portandis armis

tem-

tempore nocturno, de non evehendo, vel etiam invehendo certo genere mercium, utputa vini, frumenti &c. Secus enim communitati non esset satis provisum a DEO, quippe quæ defectu potestatis non posset sese satis defendere: quod tamen cuilibet communitati censeri debet permissum. Secundo, Peregrini tenentur sese accommodare Legibus particularibus, quibus certæ quædam solennitates, vel etiam conditiones in contractibus observandæ præscribuntur; nam & peregrini ratione contractus, vel quasi contractus sortiuntur forum, ut habetur *cap. fin. de foro compet.* item *lib. 19. §. 1. & 2. ff. de Judic.* Tertio Peregrini tenentur se ceteris accommodare, quando ex non observantia oriretur scandalum; quia de Jure naturali jubemur vitare scandalum. Quarto denique si in tali territorio delinquant contra jus commune, vel naturale, utputa quempiam mutilando, occidendo, vel alio quovis modo damnificando &c. propterea que a Superiore legitimo loci possunt juste puniri, proindeque tenentur hujuscemodi pœnis particulari Lege sancitis sese accommodare. Ratio est: quia peregrini nedum ratione contractus, verum insuper ratione delicti sortiuntur forum, & Jurisdictioni Judicis localis, seu territorialis subiiciuntur, prout constat ex *cap. fin.* mox allegato, nec non ex praxi, & communi sensu Doctorum.

364. R. jam secundo. De vagabundis idipsum tenendum est, quod mox diximus de peregrinis. Et licet hæc resolutio sit inter Doctores minus recepta quam prior; mihi tamen videtur magis cohærens, & consona Doctrinæ mox traditæ, propterea que eandem tenent Busenbaum *lib. 1. tract. 2. cap. 2. dub. 3.* Laymann *lib. 1. tr. 4. cap. 12. num. 7.* Glettle, Wiestner, & Schmalzgrueber, *lib. 1. Decret. tit. 2. num. 43.* Ratio est: quia vagabundi æque parum, ac peregrini subiiciuntur Jurisdictioni territoriali; neque enim sortiuntur forum ratione domicilii, vel habitationis, nec ratione delicti, vel alterius debiti, aut contractus, ut supponimus: nec denique ratione Originis, aut Patriæ: ergo cum nullus titulus ostendi queat, vi cujus fierent subditi hujuscemodi Legislatori, potius dicendum est, quod nec stringantur Legibus particularibus locorum; eo præsertim; quod, nec Gubernatio politica exigat, ut (secluso scandalo, aliisque incommodis Jure naturæ prohibitis) vagabundi sese conforment incolis locorum, per quæ transeunt. Neque absurdum videri debet, quod nullis particularium locorum statutis teneantur; cum sufficiat, eos Jure naturali, divino, & communi humano adstringi, propterea que minime dici possunt esse ex-Leges. Quod autem ob delicta contra jus naturale, divinum, vel commune humanum forte commissa ubique puniri soleant, consuetudine recepta introductum fuit eo fine, ne eorum scelera manerent impunita. Videantur *Doctores citati*.

Quæres denique sexto, an, vel quomodo Clerici, & Regulares subiiciantur Legibus Civilibus?

365. R. Clerici (idem dicendum est de Regularibus) non subiiciuntur Legibus Civilibus quoad vim coactivam; nihilominus quoad vim directivam indirecte saltem subiiciuntur, & tenentur sese accommodare illis Legibus Civilibus, quæ de Clericis expresse, ac specifice non disponunt, nec statum Ecclesiasticum decedent, simulque ad communem felicitatem Reipublicæ conducunt. Ita *ex communi DD.* Suarez *lib. 3. de Leg. cap. 34. num. 12.* Laymann *lib. 1. tr. 4. cap. 13. num. 5. & 6.* Babenstuber *tr. 3. disp. 2. a. 4. num. 40. & 41.* Ratio prioris est: quia Magistratus Civilis nullum habet jus, vel potestatem supra personas Ecclesiasticas, utpote in sublimiori statu, & gradu dignitatis collocatas, veluti habetur *ex cap. Ecclesia de constit.* necnon ex *Concilio Lateran. ff. 9.* Bulla, *supernæ dispositionis*; ubi Leo X. ait: *cum a jure tam divino, quam humano Laicis nulla potestas in Ecclesiasticas personas attributa sit &c. &c.* at, si Laicis nulla potestas competit, eo ipso personas Ecclesiasticas directe obligare nequeunt: ergo &c.

Dictum tamen fuit, quod *quoad vim directivam indirecte saltem obligentur*; probabilius enim videtur, hanc obligationem respectu Clericorum non proficisci imme-

immediate, & proxime ex virtute Legis Civilis, sed potius vi, & virtute Legis naturalis; etenim æquitas naturalis suadet, & imperat, ut Clerici ceu membra communitatis sese conforment reliquis membris circa observantiam talium statutorum, sine quibus bonum Reipublicæ, pax, & tranquillitas satis conservari non potest, at, nisi Clerici in similibus sese accommodarent, plaue non posset ita conservari, & plurima scandala merito inde possent timeri, veluti supra *Confer.* 10. *num.* 275. dictum fuit: ergo &c. Accedit, quod etiam summus Pontifex, & Ecclesia velit hujuscemodi constitutiones habere ratas, proptereaque a Clericis observari prout præter DD. mox cit. advertit Reiffenstuel *l.* 1. *Decret. tit.* 2. *num.* 303. ergo &c.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de subjecto Legum humanarum.

CASUS PRIMUS.

Titia conjugata assueverat suis prolibus etiam novennibus diebus veneris apponere carnes è cœna proxime præteriti diei jovis residuas, cumque propterea a suo Marito fuisset graviter reprehensa, illa respondit, se ex hoc capite nullatenus esse corripiendam, tum quia proles, utpote impuberes, nondum comprehenderentur, aut adstringerentur Legibus Ecclesiasticis de jejunic; ium etiam quia caro illa residua commode conservari non potuisset usque in diem dominicum. Quia tamen Titiæ ex reprehensione Mariti quidam scrupulus, vel verius loquendo, quidam remorsus conscientiæ remansit; hinc sciscitatur a Confessario, an in hoc facto revera deliquerit, vel non? Quid Judicii?

367. R. Titiam male fecisse apponèndo carnes prolibus septennium jamjam egressis, propterea que a suo Marito merito fuisse correptam. Ratio est: quia juxta communissimam Doctorum sententiam, infantes post adeptum usum rationis (qui regulariter præsumitur post annum septimum completum) tenentur in conscientia servare illas Leges Ecclesiasticas, quarum observantia, & materia eorundem viribus, ac statui est commensurata: at, abstinentia a carnibus diebus ab Ecclesia interdictis censetur commensurata viribus talium, esto ante completum vigesimum primum ætatis annum non teneantur servare jejunium Ecclesiasticum quoad abstinentiam a secunda refectione, condescendente ipsis Ecclesia pia Matre ob virium imbecillitatem; ergo &c. Hinc etiam tales non excusantur ab auditione sacri, neque ab obligatione semel in anno confitendi, & communionem paschalem percipiendi, modo supponantur satis instructi, & sufficiente Judicii maturitate, ac discretione præditi; quod quidem DD. Parochorum, & Confessariorum Judicio relinquitur, veluti dictum fuit *part.* 1. *Theol. Sacram. Confer.* 15. *n.* 109. Videatur de hoc Gobat *Theol. exper' tr.* 4. *num.* 84.

Dices fortassis. Si pueri, & puellæ post completum septennium, & adeptum usum rationis illico tenerentur servare Leges humanas, tunc eas transgrediendo procul dubio incurrerent pœnas taxatas transgressoribus: at hoc est falsum: ergo & illud.

368. R. Neg. sequel. Licet enim Ecclesia velit tales obligatos, nihilominus juxta probabilissimam sententiam, quam tenet Palao *part.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *pu.* 24. §. 2. *num.* 9. Illsung. & alii plures, non vult eos ante adeptam pubertatem (quæ in masculis anno 14. in fæmellis autem anno duodecimo completo supponitur) subjectos pœnis, ac censuris Ecclesiasticis, excepta excommunicatione, quæ ob gravem percussionem Clerici fuit statuta.

Videtur tamen satis probabile, quod hujusmodi pueri post adeptum usum rationis ingrediendo clausuras Monialium incurrant Excommunicationem; esto nondum attigerint annos pubertatis; Concilium enim Tridentinum *ss.* 25. *cap.* 5. *de Regularibus*, tales ingressores vult excommunicatos, *cujuscunque sexus, vel ætatis sint*. Ita tenet noster A. R. P. Kazenberger *supplem. Theol. Decalog.* P. Sporer *c.* 1. *sect.* 3. *n.* 241. ubi pro eadem refert Suarez, Vasquez, & Dicastillo.

At, quid, si dubitetur de aliquo puero, aut puella, an post septennium adeptum

ptum jam fruatur usu rationis, eritne etiam in tali dubio astringendus ad observantiam Legum præsertim Ecclesiasticarum?

369. R. In tali casu esse præsumendum pro usu rationis, & pro obligatione Legis. Ratio est: quia præsumptio fieri debet ex communiter contingentibus: at, communiter contingit, pueros post completum septennium frui usu rationis in tantum, ut sint vere capaces doli, & actus humani: ergo debet præsumi obligatus; quemadmodum e contrario, si constaret puerum ante completum septennium esse doli capacem, non teneretur Legibus positivis, quippe quæ procedunt secundum ea, quæ communiter contingunt, proin cum usus rationis communiter non illucescat ante septennium, hinc etiam nolunt tales obligatos. Excipitur tamen a La Croix, & aliis Lex de confessione annua; quia Concilium Tridentinum ad hanc vult obligatos omnes doli capaces, qui peccati mortalis conscientiam habent, *cujuscunque ætatis sint*. Videatur Castropalao *cit. tr.* 3. *part.* 1. *disp.* 1. *punct.* 24. §. 2. *n.* 3. Mezger *tr.* 8. *disp.* 35. *a.* 4. *n.* 20. Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 2. *a.* 4. *n.* 16.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius tempore paschali inter alia Confessario fassus fuit, se currente quadragesima singulis diebus dominicis, ac festivis carnes comedisse; causam vero hujus rogatus, respondit in hæc verba: Reverentia vestra procul dubio noverit in tota Bavaria, ideoque etiam in pago illo Bavarico haud procul a nostris mœnibus dissito fuisse dispensatum in esu carnium, proptereaque, & mihi hoc favore utendum ratus, præfatis diebus exivi, meque carnibus, ac farciminibus bene refeci, quatenus facilius reliquis diebus possem supportare rigorem jejunii, meosque labores manuales satis graves peragere competenter. Quid Confessarius judicabit de tali pœnitente, vel responso pœnitentis?

370. R. Sempronius vi hujus non videtur culpandus, nec arguendus alicujus peccati; quod enim in simili casu liceat egredi territorium, etiam eo fine duntaxat, ut quis declinet obligationem Legis in proprio territorio vigentis; hodiedum velut practice probabile tenent quamplures etiam insignes, & classici Doctores nominatim Sanchez *lib.* 1. *Decalog. c.* 12. *n.* 31. Illsung. *tr.* 1. *disp.* 2. *a.* 2. *n.* 23. Suarez, Bonacin. Castropalao, Mezger, & alii, quos refert, & sequitur Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 2. *a.* 4. *n.* 23. Ratio hujus opinionis est: quia talis egrediendo utitur Jure suo, cum nullibi prohibeatur egredi: semel autem egressus liberatur ab obligatione Legis vi alieni territorii, quippe in quo hæc non viget: neque talis committit proprie fraudem; quia *nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur* juxta *Reg.* 55. *ff. de R. J.* Accedit quod Sempronius dicat se eo animo comedisse carnes, ut posset facilius peragere labores suos manuales satis graves; quæ causa videtur rationabilis, nec omnino spernenda: atqui Doctores etiam nobis in hoc passu contrarii communiter fatentur, ex *rationabili causa* licitum esse egredi territorium, & egrediendo subterfugere obligationem Legis, modo talis egressus non fiat præcise animo declinandi obligationem Legis: quid ni ergo Sempronius in nostro casu potuisset se practice resolvere de licito egressu, & comestione carnis? Fatendum nihilominus est, oppositam sententiam (quam mordicus tenent Henno, Felix Potestas, Laymann, Sayrus & alii) esse magis piam, magisque conformem menti Ecclesiæ, proptereaque a Confessario in praxi semper suadendam; tum quia alii fideles, videntes hujusmodi subditum in quadragesima carnes comedentem, & non scientes causam cur id faciat, possent de facili sumere scandalum; tum etiam quia taliter egrediens, & carnes comedens fortassis mala fide id facit; id, quod in nostro casu de Sempronio haud inaniter suspicari licuit; nam si firmiter credidisset, se comedendo carnes non peccare, procul dubio tempore paschali de tali comestione nunquam sese accusasset.

Dices tamen. Si fas est egredi territorium præcise animo declinandi, & subterfugiendi obligationem Legis, tunc pariter dicendum foret, sponsis licitum esse egredi in aliud territorium, ubi

Con-

Concilium Tridentinum non eſt receptum, idque eo præciſe animo, ut ibi clandeſtine contrahant. Item, qui commiſiſſet caſum in ſua Diœceſi reſervatum, licite egrederetur in aliam, eo præciſe animo, ut ibi a quolibet Confeſſario abſolveretur; at, utrumque eſt falſum: ergo &c.

371. R. Cum Lugone, Illſung, Kazenberger *in ſupplem. Decal.* P. Sporer *c.* 1. *ſect.* 3. *n.* 249. negando conſeq. & paritatem; nam in his duobus caſibus obſtat Lex ſpecialis; in priori quidem *Decretum Urbani VIII. ad Archi-Epiſcopum Colonienſem expeditum Anno* 1627. in poſteriori autem *Conſtitutio Clementis X. Superna Anno* 1670. *data*. Econtra minime conſtat de aliqua Lege, vi cujus ſubditus tempore quadrageſimæ prohiberetur adire aliud territorium, in quo legitima auctoritate eſus carnium fuit permiſſus; & hoc ipſo exeundo, nec Legi, neque Legislatori ſummo ſcilicet Pontifici facit injuriam, quippe qui ſupponitur noluiſſe obligare ſubditos in illo territorio exiſtentes.

Dices iterum. Saltem hoc videtur ſequi ex mox data reſolutione, quod Sempronius veſperi reverſus, poſſit domi (ubi non ſupponitur diſpenſatum) veſci carnibus, aut certe ſumere ſecundam refectionem; cum jam fregerit eo die ſubſtantiam jejunii: utrumque autem eſt abſurdum: ergo &c.

372. R. Negando illatum. Quod enim tali non amplius liceat veſci carnibus, fatentur omnes Catholici; quia præceptum de non comedendis carnibus eſt negativum, & hoc ipſo obligat ſemper, & pro ſemper per integrum diem jejunii, ita, ut ſubditus fidelis contraveniendo peccet toties, quoties moraliter interruptis vicibus carnes manducat. Quod autem Sempronio domum reverſo non amplius licuerit ſumere ſecundam refectionem (eſto non ignorem, ab aliis ſatis communiter id permitti, ob rationem jam allatam) mihi videtur probabilius hac ratione; quia præceptum de obſervantia jejunii Eccleſiaſtici virtualiter ſaltem duplex eſt, utpote includens duo præcepta diſtincta, unum de abſtinentia a carnibus, alterum de ſumenda unica tantum refectione in cibis eſurialibus: illud prius ſecundum mox dicta, eſt negativum; hoc autem poſterius, licet in rigore loquendo potius dicendum eſſet negativum, ex mente tamen Eccleſiæ, & communi perſuaſione fidelium etiam Doctorum, cenſetnr affirmativum, ſuntque hæc præcepta omnino ab invicem ſeparabilia, prout, vel inde liquet, quod diebus veneris, & Sabbatinis extra quadrageſimam, diebus autem dominicis etiam intra quadrageſimam teneamnr quidem abſtinere a carnibus, non tamen a ſecunda refectione: licet proin Sempronius noſter jejunium jamjam fregerit quoad ſubſtantiam, in quantum hoc importat abſtinentiam a carnibus, poteſt tamen, & hoc ipſo probabilius tenetur illud obſervare quoad abſtinentiam a ſecunda refectione, cum jam ſupponatur reverſus ad proprium territorium, in quo omnes fideles tenentur abſtinere a ſecunda refectione; quemadmodum die feſtivo domum reverſus teneretur abſtinere a laboribus ſervilibus, tametſi ante prandium in alieno territorio ubi non erat dies feſtivus, laboraſſet ſerviliter vel ſi die dominica alibi ſacrum non audiiſſet, hora undecima domum reverſus teneretur eidem intereſſe, ſi adhuc poſſet. Secus dicendum foret, ſi Sempronius jam ſumpſiſſet ſecundam refectionem; tunc enim ob impoſſibilitatem ſervandi illud præceptum de unica refectione, non amplius teneretur abſtinere a tertia, prout communiter notant DD. Videantur de hoc Mathæucci *in Cautela Confeſſarii lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 6. & Felix Poteſtas *in Exam. Confeſſ. tom.* 1. *part.* 3. *n.* 2884

CASUS TERTIUS.

Cajus cuidam Aurigæ ſua addixerat ſervitia, quia vero ſæpeſæpius diebus dominicis, ac feſtivis cum peregrinantibus ex inepinato ſupervenientibus cogitur proſequi iter incœptum, ut propterea nec Cajus neque alii itinerantes illo die amplius poſſint intereſſe divinis; hinc conſcientiæ ſtimulis agitatus ſciſcitatur e Confeſſario, an tuta conſcientia poſſit perſeverare in hoc ſervitio, an vero ſub reatu pœnæ æternæ ipſe ceterique itinerantes ante diſceſſum e loco teneantur intereſſe divinis? Quid Cajo reſpondendum?

373. R. Ad primum, quod ſi Cajus ſine

sine notabili suo damno, aut detrimento nequeat obtinere aliud servitium, possit tuta conscientia in hoc perseverare; tum quia necessum est, ut aliqui sint, qui Præfectis postarum, vel aliis aurigis, itinerantibusque serviant; tum etiam, quia Ecclesia velut pia Mater non vult filios suos cum vere notabili detrimento obligatos ad suorum observantiam mandatorum; quam ob causam illos etiam, qui absque notabili detrimento, vel periculo sanitatis corporalis nequeunt servare jejunium Ecclesiasticum, ab hoc onere vult exemptos. Major tamen difficultas est in secundo puncto hujus quæsiti, an scilicet volentes proficisci de uno loco, vel territorio in aliud, ubi prævident se non amplius nacturos occasionem audiendi sacrum, non teneantur prius quam proficiscantur interesse divinis, præsertim si absque notabili incommodo fieri possit? Ad quam

374. R. Jam secundo cum distinctione, nam si in loco, de quo vult proficisci, unica duntaxat Missa dicatur v. g. hora sexta, simulque prævideant se alibi locorum ea die non amplius nacturos occasionem audiendi sacrum, tametsi in illo loco, vel territorio adhuc tenerentur audire per se loquendo, tunc salva conscientia nequeunt discedere prius, quam sacro interfuere. Ratio est: quia ex una parte obligatio audiendi Sacrum illa die supponitur certa: ex altera vero parte itinerantes neque vi alterius territorii, neque vi alicujus dispensationis, aut alterius legitimæ causæ supponuntur exempti: ergo tenentur prius quam discedant in suo territorio divinis interesse; quemadmodum is, qui prævidet sibi post prandium non suppetiturum tempus pro persolvendo penso suo Canonico, tenetur ante prandium satisfacere huic suæ obligationi juxta *communissimam* DD. apud Castropolaum *part.* 1. *tr.* 3. *disp.* 1. *p.* 24. §. 5. *n.* 6.

Econtra tamen, si in illo territorio, e quo vult abire, dicuntur plura Sacra v. g. a mane usque ad meridiem (immo si unicum duntaxat diceretur) simulque NB. prævideant, se meridie perventuros ad talem locum, in quo ratione territorii erunt exempti, satis probabile, & tutum existimo, eos ante discessum non adstringi ad audiendum Sacrum. Et ita pariter tenent Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 32. Lessius, Castropalao, Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 2. *art.* 4. *num.* 27. Kazenberger *in supplem.* 2. P. Sargar *Confer.* 31. *num.* 88. Ratio autem est: quia tales ratione territorii alieni eximuntur ab obligatione audiendi sacrum, quemadmodum in casu mox præcedenti dictum fuit, posse quempiam eximi ob eandem causam ab obligatione jejunandi: sicut ergo ille, qui prævideret se hora undecima per legitimam dispensationem exemptum iri, non teneretur prævenire v. g. hora sexta, vel nona audiendo Sacrum; ita pariter non tenetur prævenire, qui prævidet, se hora undecima ratione alieni territorii, in quo eadem Lex non viget, fore exemptum

Dices contra hoc. Qui prævidet impedimentum adimplendi aliquod præceptum, tenetur illud prævenire, veluti mox diximus de eo, qui prævidet sibi post prandium non suppetiturum tempus pro recitando officio Canonico: at, supponimus pariter in hoc casu, ab itinerantibus prævideri impedimentum alibi audiendi sacrum: ergo tenentur prævenire ante abitum.

375. R. cum Castropalao *loc. mox cit.* §. 5. *num.* 8. disting. maj. qui prævidet impedimentum duntaxat excusans, con. impedimentum penitus liberans, neg. maj. cum Conf. Sciendum itaque est, dari posse duplex impedimentorum genus, quorum unum simpliciter liberat, & excusat ab obligatione Legis, uti est dispensatio, abrogatio Legis, vel egressus in aliud territorium, ubi eadem Lex non viget, vel certe auctoritate legitima fuit sublata: alterum genus est, quod relinquit subditum Legi adhuc subjectum, & a transgressione secundum quid duntaxat excusat, utputa, vel quia is non recordatur, vel quia est infirmus &c. & hæc posteriora tenemur modo possibili prævenire, v. g. comparando nobis notitiam Legis, vel non ponendo causam infirmitatis &c. priora autem probabilissime non tenemur prævenire; propterea que in nostro casu itinerantes probabiliter non tenentur ante abitum interesse sacro, tametsi nemo non videat, oppositum esse tutius, & menti Ecclesiæ conformius,

atque hoc ipso in praxi a Confessario semper consulendum, sin minus præcipiendum.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda

376. COlliges ex hactenus dictis primo, Legibus mere positivis, & Ecclesiasticis non teneri infideles, id est, non baptizatos, utputa Judæos, Saracenos, Paganos, & Cathecumenos &c. Ita cum communiori DD. Reiffenstuel. *Theol. mor. tr.* 2. *dist.* 3. *n.* 5. Ratio est: quia tales nondum supponuntur per baptismi januam ingressi Ecclesiam: ergo huic nondum sunt subjecti. Hac de causa *c. gaudemus* de divortiis dicitur, quod infideles, & Pagani *constitutionibus Canonicis non arctantur*, addita hac causali: *quid enim ad nos secundum Apostolum* (1. Cor. 4.) *de his, qui foris sunt, judicare*.

277. Dictum tamen fuit: Legibus mere positivis, & Ecclesiasticis &c. Secus quippe dicendum est de Lege divina, & naturali, quibus omnes omnino homines stringi diximus mox supra *n.* 354. Ex quo colligere fas est, quod, si Legislator Ecclesiasticus aliquid præcipiat, vel prohibeat, quod jam pridem Lege divina, vel naturali erat præceptum, aut prohibitum, utputa fornicationem, furtum, procurationem abortus &c. utique etiam Infideles a similibus abstinere teneantur, non quidem vi Legis mere positivæ, & Ecclesiasticæ, sed potius vi Legis naturalis, & divnæ.

376. Rursus advertendum hic venit, quod, si hujusmodi Infideles supponantur subjecti alicui Principi Ecclesiastico in temporalibus, prout Romæ Judæi substant Jurisdictioni S. Pontificis, tunc pariter tenentur obedire Principi Ecclesiastico, quoad ea, quæ ad politicam gubernationem Reipublicæ sunt necessaria, quemadmodum in his tenerentur alteri Principi sæculari præstare obedientiam juxta *omnes*.

379. Colliges secundo, Clericum extra Diœcesin propriam vagantem, & non præstantem ea, quæ domi vi officii sui teneretur præstare Ecclesiæ, vel etiam ovibus sibi concreditis, peccare contra Leges Diœcesanas, & ob hoc posse puniri a suo Reverendissimo Ordinarrio. Ratio est: quia licet sit physice extra Diœcesin, moraliter tamen censetur intra eam delinquere ratione omissionis culpabilis. Similiter ubi auctoritate legitima Principis prohibitum est, ne quis Civium exeat in alienam Provinciam peste infectam, vel ne extra territorium proprium exerceat hanc, vel illam mercaturam, civis contraveniendo peccabit juxta gravitatem materiæ; quia scilicet damnum, vel certe periculum damni ex hujusmodi mercatura, vel profectione oriri natum, censetur intra territorium Principis creari, prout sapienter advertunt Laymann *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 11. *n.* 3. Mezger *tr.* 8. *disp.* 35. *a.* 5. *n.* 25. *&* *alii*.

380. Colliges tertio, Subditum Religiosum in alieno etiam territorio existentem, ac delinquentem, a proprio suo Prælato nedum citari, verum etiam puniri posse v. g. pœna excommunicationis: esto hoc respectu suorum subditorum, non valeat Episcopus, si hi tam physice quam moraliter extra Diœcesim delinquat. Ratio disparitatis est: quia Prælatus Regularis propter votum obedientiæ a subdito Religioso emissum habet potestatem in ipsius personam immediate, & non mediate tantum, id est, ratione territorii, velut habet Episcopus in suos subditos. Ex quo Doctores ulterius inferunt, quod si Episcopus suis Clericis sub pœna Excommunicationis interdicat, v. g. lusum alearum, talis Clericus ludendo in aliena Diœcesi, vel in loco intra Diœcesim quidem, ratione sui tamen exempto, non incurrat dictam pœnam. Ratio est: quia talis censetur tam physice quam moraliter etiam extra propriam Diœcesim existens delinquere. Ita rursus Laymann *l.* 1. *tr.* 4. *cap.* 11. *n.* 4. quem sequitur Babenstuber *l. cit.* *n.* 21.

381. Colliges quarto, Peregrinum, venientem Salisburgum in die S. Virgilio sacra, & festiva, non teneri hic ad audiendam Missam, neque ad abstinendum (si absque scandalo fieri possit) a labo-

boribus servilibus, tametsi per integrum diem hic esset mansurus. Similiter Studiosus Dioeceseos Salisburgensis, in qua non est jejunium particulare, transiens per Passaviensem, in qua fortassis est particulare jejunium, non tenetur ibi jejunare. Ratio est eadem, quæ supra *n.* 362. fuit data: quia scilicet tales, utpote merum peregrinantes, non sunt subditi Domini territorialis: at, non subditus, eo ipso quod a Jurisdictione sit exemptus, non tenetur Legibus: ergo &c. *communis DD.*

At quid, inquies fortassis, si supponamus aliquod festum particulare v. g. S. Ruperti in utraque Dioecesi solenniter, & festive agi, tenereturne ex hac suppositione studiosus, ex Archi-Dioecesi Salisburgensi oriundus, in Passaviensi illa die Sacrum audire?

382. R. Probabiliter non tenetur. Ita contra Castropalaum, Gobat, & alios plures DD. tenent Joan. Sanchez & Tamburinus *in Decal. lib.* 4. *c.* 2. §. 2. *n.* 13. quem sequitur noster A. R. P. Kazenberger *in supplem. Decalog.* P. Sporer *c.* 1. *sect.* 3. *n.* 251. Ratio est: quia talis non tenetur ratione specialis præcepti in suo territorio vigentis, cum supponatur jamjam egressus territorium proprium: neque ratione specialis præcepti in territorio alieno, scilicet Passaviensi, vigentis; hujus enim territorii non est subditus: ergo ex nullo titulo censeri debet obligatus ad agendum diem illum festivum, modo absit scandalum; quod utique de Jure naturæ quisque tenetur evitare.

383. Colliges denique quinto, hanc nostram resolutionem esse duntaxat intelligendam de peregrinis quamdiu sunt, & manent tales; nam si peregrinus alicubi nanciscatur, vel figat *domicilium*, illico fit subditus Domini territorialis per *l. domicilium ff. ad municipalem*: consequenter tenetur sese accommodare Legibus particularibus ejusdem territorii. Idipsum tenendum est de eo, qui alicubi figit *quasi domicilium*, id est, qui in tali loco vult preservare per majorem anni partem, prout faciunt studiosi, nec non servi, & ancillæ; tales enim fiunt respective saltem subditi, proptereaque etiam prima die sui adventus, & moræ illico possunt percipere Sacramenta etiam Matrimonii in tali loco, prout ex *communissima* Doctorum sententia tradunt DD. Gobat *Theolog. exper. tr.* 9. *num.* 483. Laymann. *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 10. *num.* 5. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 721.

CONFERENTIA
DECIMA QUARTA.
De Modo satisfaciendi Legibus.

SUMMARIUM.

384. *Alia est intentio faciendi opus præceptum, alia intentio satisfaciendi præcepto.*

385. *Ad satisfaciendum Legi, aut præcepto positivo, necessaria est intentio prior, scilicet faciendi opus præceptum, non item posterior.*

386. *Præceptis vero negativis satisfieri potest absque omni intentione, vel interventione actus humani.*

387. *Potest insuper, subin saltem, satisfieri Legibus per actum moraliter malum.*

388. *Non tamen semper, præsertim ubi a Legislatore per se intenditur modus, aut finis honestus, ac bonus.*

389. *Potest uno, eodemque actu satisfieri pluribus obligationibus.*

390. *Nisi sint obligationes titulo Justitiæ ortæ.*

391. *Nec repugnat, quin per diversos actus eodem tempore simul præstitos satisfiat pluribus præceptis.*

392. *Resolvitur Casus I. De quodam Musico, qui de mandato Confessarii tenebatur die Dominica audire duo sacra.*

393. *An huic obligationi satisfecerit ex eo quod durante sacro solenni totus quantus circa Musicam occupatus simul intenderit duobus Sacerdotibus privatim celebrantibus?*

394.

394. *Et quid, si pluribus sacris astitisset animo captandi vanam gloriam &c. &c.?*
395. *Quid si etiam reverenter assistendo, positive noluisset satisfacere præcepto Confessarii?*
396. *Nisi talis corrigat suam persuasionem, peccat saltem ex conscientia erronea.*
397. *Resolvitur Casus II. De quodam milite, qui condemnatus ad compensandum damnum cuidam Rustico præter intentionem illatum, mulctam hanc tacite compensavit.*
398. *Propereaque minime satisfecit Justitiæ.*
399. *In praxi tamen a Confessario advertendum est, quo animo, vel qua fide, num bona scilicet, aut mala id fecerit.*
400. *Similiter Rusticus merum passive permittens, ut decimæ de Jure pendendæ violenter sibi subtrahantur, non satisfacit Justitiæ in conscientiæ foro.*
401. *Resolvitur Casus III. Cujusdam beneficiati, cui ob neglectum pensum Canonicum Confessarius præcepit, ut expenderet unum dugatum ad causas pius?*
402. *Qui eundem dando suo famulo pauperi loco Salarii aliunde debiti, non satisfecit præcepto Confessarii.*
403. *Quid de eo, qui pro oblatis sibi stipendiis debuit tria sacra, & unum duntaxat hactenus legit, absque speciali intentione, aut reflexione, cuinam ex illis tribus hoc vellet applicatum.*
404. *Non est necessum, ut omnia præcepta ex motivo charitatis executioni mandentur.*
405. *Qui voluntarie interest sacrificio Missæ quantumvis diei festivi, satisfacit præcepto Ecclesiæ;*
406. *Nisi hujusmodi operi vacet ex alia prorsus intentione.*
407. *Qui vero plene ebrius, vel sui impos sacro interest, minime satisfacit præcepto Ecclesiæ.*
408. *Qui ex pluribus titulis tenetur audire duo, aut tria sacra, potest hujuscemodi obligationibus simul eodem tempore satisfacere.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa intentionem, & modum satisfaciendi Legibus.

Quæres primo, quænam intentio requiratur ex parte subditi, ut is Legi, vel præcepto satisfaciat?

384. Ante responsionem advertendum, & supponendum est, aliam esse intentionem *præstandi opus præceptum*, aliam vero intentionem *satisfaciendi Legi*, *vel præcepto* per executionem illius operis. Ex. gr. qui die festivo audit Missam, potest habere hanc solam intentionem, audiendi scilicet, præscindendo ab ulteriore intentione, an per hanc, vel vero per aliam velit satisfacere præcepto Ecclesiæ. Item potest audire Missam, quam scit esse præceptam, vel ideo quia scit esse præceptam: quo casu prior ille actus, etsi de se honestus, est actus obedientiæ materialis duntaxat: posterior vero est actus obedientiæ etiam formalis, utpote ideo factus, quia a Superiore præcepto. Hoc notato

385. R. ad quæsitum. Ut subditus satisfaciat Legi, aut præcepto, debet habere intentionem, seu voluntatem præstandi opus præceptum, non tamen necessario intentionem satisfaciendi præcepto, seu ideo faciendi, quia præcetum fuit. Ita hodie tenent *communissime DD.* Castropalao *part.* 1. *tr.* 3. *disp.* 1. *pun.* 17. *n.* 8. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 2. *dist.* 3. *n.* 44. & 45. Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 3. *a.* 1. *n.* 2. & 9. Ratio prioris est: quia Legibus humanis positivo præcipiuntur actus humani, ideoque is pera v. g. auditio sacri, Communio, confessio &c. debent præstari modo humano: at sine omni intentione, aut voluntate præstandi non præstantur modo humano, ut de se liquet: ergo necessaria saltem est intentio præstandi opus præceptum. Ratio autem posterioris est: quia Lex humana præcipit tantum voluntariam operis executionem, non autem quasi reflexam intentionem adimplendi opus ideo, quia fuit præceptum.

Uno verbo: Leges humanæ, ut communiter loquuntur Doctores solum exigunt obedientiam materialem, non item formalem: ergo non est necessaria intentio faciendi opus ideo, quia præceptum est.

386. Dictum tamen fuit: ut subditus satisfaciat Legi, vel præcepto *positivo* &c. id est tali, vi cujus præcipitur actus positivus. Enim vero præceptis mere negativis, quibus scilicet non intenditur actus, sed potius omissio alicujus actus v. g. furti, homicidii &c. satisfieri potest absque omni intentione positiva satisfaciendi; nam, si non occidas, si non fureris, vel si ob infirmitatem, vel alium defectum ciborum nihil prorsus comedas per integrum diem, satisfacis Legi jejunii, & aliis mox recensitis, quia revera adimples voluntatem, & finem a Legislatore intentum, quidquid demum sit, an talis satisfaciat materialiter, vol formaliter etiam. Quin insuper suo modo materialiter scilicet, præceptis positivis absque intentione, vel interventu actus humani quandoque posse satisfieri, præter alios recte advertit Babenstuber *mox cit. n.* 7. Nam qui in amentia, vel ebrietate plena solvit id, quod debet, satisfacit in tantum, ut non teneatur idemmet debitum iterato solvere; quemadmodum enim homo quandoque citra omnem suam voluntatem Legem violat materialiter saltem, ita etiam potest eandem citra omnem voluntatem materialiter adimplere.

Quæres secundo, An quis per actum moraliter malum possit satisfacere Legi humanæ?

387. R. Potest quandoque satisfieri Legi, aut præcepto humano per hujusmodi actum ex fine, vel circumstantiis vitiatum. Ita *communissime Doctores*, nominatim Sanchez *lib.* 1. *mor. c.* 14. *n.* 1. Ratio est: quia talis adimplet substantiam præcepti: ergo satisfacit præcepto humano, esto ob finem extrinsecum; vel aliam circumstantiam male intentam possit impingere in Legem divinam, aut naturalem. Hac de causa is, qui jejunat v. g. ob vanam gloriam, satisfacit præcepto jejunii, cum adhuc vere possit macerari in corpore (qui est finis jejunii) quantumvis inde infletur in mente. Similiter Sacerdos celebrans v. g. die dominica in statu peccati mortalis, adhuc satisfacit præcepto positivo Ecclesiæ, esto contra præceptum naturale, ac divinum gravissime peccet. Reiffenstuel *ubi supra n.* 48.

388. Notanter tamen dictum fuit: *quandoque satisfieri posse per actum moraliter malum &c.* ad innuendum, quod, si Legislator nedum intendit actum humanum, sed etiam modum agendi, vel finem bonum &c. tunc subditus contraveniendo delinquat, & minime satisfaciat præcepto Legislatoris. Hac de causa is, qui Sacrilege confitetur, vel indigne communicat, non satisfacit præcepto Ecclesiæ, quippe quæ per se intendit actum moraliter bonum, vi cujus homo justificetur, & non potius damnetur.

Quæres tertio, utrum uno, eodemque actu satisfieri queat pluribus præceptis, vel obligationibus?

389. R. Id sæpesæpius fieri potest; modo non sint obligationes ortæ, vel contractæ titulo Justitiæ. Ex. gr. is, qui voto particulari tenetur singulis feriis sextis per annum jejunare (uti nos Fratres Minores tenemur vi S. Regulæ) jejunando in quadragesima satisfacit nedum suo voto, verum etiam præcepto Ecclesiæ. Ratio est: quia, cum obligatio Legis, aut præcepti mere humani dependeat ex sola intentione Legislatoris, nihil prorsus obstat, quo minus de hujus voluntate uno eodemque actu satisfieri valeat pluribus obligationibus: atqui certum est, quod Legislator Ecclesiasticus non intenderit tempore quadragesimæ ad aliud, vel etiam ad duplex jejunium nos obligare: ergo vi unius actus satisfacimus nedum præcepto Regulæ, sed insuper præcepto Ecclesiæ.

390. Dixi rursus: *Modo non sint obligationes ortæ ex titulo Justitiæ*. Ratio disparitatis, & hujus limitationis est hæc: quia in debitis Justitiæ attenditur æqualitas rei ad rem: at, si debeas 100. florenos pro vino, & rursus 100. v. g. pro tritico, solumque velis solvere semel centum florenos; nulla dabitur æqualitas rei ad rem, id est, inter solutum, & debitum: ergo &c. Econtra

vero

vero in debitis mere Legalibus, uti est v. g. debitum voti, & donationis, vel Justitiæ &c. non attenditur æqualitas rei ad rem, sed potius intentio Legislatoris, qui, cum possit, & quandoque saltem velit acceptare unum idemque opus pro pluribus obligationibus extinguendis, veluti liquet ex mox dictis, profecto nihil prorsus obstat, quo minus quandoque eodem actu satisfacere valeamus pluribus debitis.

Quæres quarto, Utrum insuper per diversos actus uno eodemque tempore exercitos satisfieri possit pluribus præceptis?

391. R. Posse satisfieri, modo actus præcepti sint tales, qui eodem tempore possunt simul exerceri. Sic v. g. Clericus eodem tempore potest simul audire Missam, & durante Missa recitare breviarium. Ratio est; quia quisquis præstat opus præceptum, satisfacit præcepto, at talis Clericus præstat opus præceptum utroque præcepto; nihil enim obstat, quo minus possit reverenter, ac devote assistere sacrificio Missæ, simulque devote, & attente recitare suum pensum Canonicum: neque aliunde constat Ecclesiam intendere, ut huic duplici præcepto per actus diversis temporibus exercitos satisfiat: ergo &c. *Communis DD.* apud Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 3. *a.* 2. *n.* 10.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de intentione & modo satisfaciendi Legibus humanis.

CASUS PRIMUS.

Titio Musico nuper a Confessario pœnitentiæ causa injunctum fuit, ut die Dominica duobus sacris interesset; quod, & fecit, ita tamen, ut tempore officii solennis, quo totus quantus erat occupatus circa Musicam bonus Titius vix semel ad illos Sacerdotes privatim celebrantes attenderit, aut se reflexerit, multo minus de præcepto Confessarii, aut de pœnitentia adimplenda quidquam cogitaverit. Quare sciscitatur modo, an præfatæ intentioni, & obligationi a Confessario sibi impositæ satisfecerit, an vero etiamnum sit obligatus satisfacere. Quid Judicii?

392. R. Si Titius sine ulla prorsus devotione se habuit, ita ut vix semel, prout in casu dicitur, se reflexerit ad sacrificia celebrata, dicendum, quod non satisfecerit, propptereaque teneatur etiamnum satisfacere præfatæ obligationi. Ratio est: quia ex mente Ecclesiæ ad auditionem Missæ necessum est, ut quis nedum corporaliter, sed & devote assistat Sacerdoti sacrificanti, ita scilicet, ut & mente attendat ad sacrificium in tantum scilicet, ut possit redcidere rationem aliquorum saltem principalium, quæ ad aram gesta sunt, prout hanc obligationem explicant Reiffenstuel *tr.* 10. *dist.* 1. *n.* 38. & 39. item La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 655. & 659. ergo si Titius non attendit minime censeri debet satisfecisse menti Confessarii, quippe qui censetur præcipere auditionem menti Ecclesiæ conformem. Secus dicendum foret, si Titius durante solenni officio saltem attendisset ad partes principales sacrificiorum, quibus procul dubio stante etiam, & non obstante illa occupatione circa Chorum Musices, potuisset intendere, quo facto nemo non diceret, eum devote ac reverenter audisse duo sacra, esto nihil prorsus orasset; non enim præscribitur audientibus sacrum certa precum formula, sed sola, ut dictum est, corporalis, ac devota præsentia.

393. Nec refert, quod Titius nihil prorsus cogitaverit de adimplenda pœnitentia a Confessario sibi dictata; nam præceptum Confessarii in hoc passu obligat ad instar præcepti Ecclesiastici; velut proxime dictum fuit: ergo huic satisfit cum sola intentione præstandi opus præceptum, audiendi scilicet sacrum, esto non habuerit intentionem ideo audiendi, quia Confessarius præcipit; nam hujusmodi præcepta non exigunt obedientiam formalem, sed materialem duntaxat.

Dices. Sed quid, si talis pœnitens sacris moraliter quidem interfuisset, sed ob vanam gloriam ab aliis captandam, vel, quod adhuc pejus foret, non eo fine, ut Deum honoraret, vel præcepto Eccle-

Ecclesiæ, aut Confessarii satisfaceret, sed potius, ut lascivos suos oculos aspectibus alterius sexus pasceret?

394. R. Denuo cum eadem distinctione mox data; vel enim talis homo supponitur assistere sacrificio cum attentione debita, & intentione audiendi sacrum, vel sine tali attentione, & intentione? Si prius, dicendum, quod satisfecerit præcepto Ecclesiæ, & Confessarii; quia reipsa voluntarie præstitit opus præceptum, tametsi ob illum sinistrum, aut omnino perversum finem graviter simul deliquerit: si autem posterius, dicendum foret, eum non satisfecisse ob rationem mox datam *num. præced.* & hoc modo existimo conciliari posse Doctores, quorum aliqui absolute affirmant, alii absolute negant, eum, qui animo pascendi oculos sacrificio Missæ interest satisfacere præcepto &c. Videantur de hoc Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 2. *dist.* 3. *a. n.* 44. vel Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 3. *a.* 1. *n.* 6.

At quid, inquies adhuc. Si talis homo devote quidem interessendo divinis, expresse intenderet non satisfacere præcepto Ecclesiæ, vel Confessarii, sive dein ex perversa intentione, sive etiam animo postea devotius assistendi, satisfaceretne suæ obligationi, tametsi aliud sacrum eo die non amplius audiret?

395. R. In hoc casu satisfaceret; idque ob rationem proxime datam: quia scilicet præstaret substantiam operis præcepti: ergo hoc ipso satisfaceret præcepto Ecclesiæ, quemadmodum is, qui infantem vere abluendo, vel confessum absolvendo intenderet facere id, quod facit Ecclesia, vere conficeret Sacramentum, non obstante quod putaret, aut protestaretur se nolle conficere; nam talis protestatio, utpote facto contraria, foret prorsus inefficax. Id quod valde notandum est scrupulosis illis Sacerdotibus, aut Clericis, qui dum sibi videntur minus attenti, aut nimium distracti inter orandum, officium divinum, vel partem hujus recitant, cum proposito postea repetendi, vel attentius recitandi: neque enim tales tenentur repetere officium, modo prius habuerint intentionem vere orandi, & præsertim si distractiones ingruentes fuerunt ipsi involuntariæ, & hoc ipso potius meritoriæ, quam peccaminosæ.

396. Verum tamen est, quod si talis homo voluntarie perseveraret in sua opinione aut persuasione sinistra, scilicet non satisfaciendi, vel si crederet, se nondum satisfecisse, & nihilominus non repeteret, procul dubio saltem ex conscientia erronea peccaret; propterea que corrigenda est hujusmodi sinistra, erronea, vel etiam scrupulosa persuasio; quo facto, tuta conscientia poterit supersedere repetitioni breviarii, prout sapienter advertit Reiffenstuel *cit. num.* 47.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius miles quendam Rusticum damnificaverat, esto non omnino inculpabiliter, præter intentionem tamen, & quidem 20. circiter florenis; quam ob causam ab eodem accusatus, a suo vero Belliduce, vel Capitaneo ad compensandum damnum illico condemnatus fuit. Et quia hoc compensare noluit, utpote in foro conscientiæ prorsus innocens, aut certè non graviter culpabilis; hinc eidem fuit subtractum suum salarium, seu stipendium, ut vocant militare. Sempronius vero injuste se condemnatum ratus, hanc salarii sui subtractionem partim a Rustico, partim vero a suo Capitaneo denuo tacite recompensavit. Jam vero dubitare licet in hoc casu 1. *an Sempronius tuta conscientia hoc potuerit facere?* 2. *An Justitiæ satisfecerit, quod noluerit compensare præfatum damnum, & non nisi violenter quasi passus sit subtractionem sui salarii, in ordine ad resarciendum damnum?*

397. R. Ad primum quæsitum. Sempronius non potuit tuta conscientia recompensare salarium sibi subtractum. Ratio est: quia tametsi voluntarie non damnificaverit Rusticum, minime tamen dubitandum est, quin in hoc facto saltem commiserit culpam politicam; Secus enim a suo Capitaneo procul dubio nunquam fuisset condemnatus ad refusionem damni illati: at, si ob culpam etiam politicam condemnatus fuit, sententia fuit justa, nec innixa fal-

ſæ præſumptioni: qua ſuppoſita non amplius licet uti tacita compenſatione mulctæ, velut in tractatu de *Reſtitutione fuſius diximus Confer. 1. n. 15.*

398. R. Jam ad ſecundum. Tametſi Sempronius non amplius fuiſſet uſus tacita compenſatione, nihilominus probabilius non ſatisfeciſſet Juſtitiæ in conſcientia ex eo, quod non niſi invitus ſit paſſus ſubtractionem ſui ſalarii in ordine ad compenſationem præfati damni. Ratio hujus petenda eſt ex dictis *n.*385. quia ut ſubditus ſatisfaciat juſto præcepto, vel Legi, debet ſaltem habere intentionem præſtandi actum præceptum: at, hanc Sempronius non ſupponitur habuiſſe: ergo in foro conſcientiæ Juſtitiæ probabiliter non ſatisfecit, & quidem in materia gravi, ideoque per ſe loquendo graviter peccavit.

399. Dixi: *Per ſe loquendo*, minime enim dubitandum videtur, quin id genus homines nullatenus conſcientiæ ſibi ducant, nec practice putent ſe peccare, tametſi oneribus juſte ſibi impoſitis inviti, immo contra omnem ſuam voluntatem ſatisfacere compellantur: propterea que in ſimili contingentia facti incumbet Confeſſario, ut errantem prudenter, ac modeſte admoneat ſuæ obligationis; id, quod etiam circa alios ſimpliciores in ſimili facto erit obſervandum. Videatur de hoc Caſtropalao *tr.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 17. *n.* 5.

Dices contra hanc reſolutionem: Si præfatus miles in conſcientia non ſatisfecit Juſtitiæ ex eo, quod mere invitus immo refractarius, violenter duntaxat paſſus ſit, ſubtrahi ſibi Salarium, & Ruſtico compenſari damnum, pariter dicendum foret, illum Ruſticum non ſatisfacere Juſtitiæ, qui merum invitus, immo reluctans ſuſtineret ſubtractionem decimarum, quas ipſe de Jure debuiſſet præſtare; conſequenter a Confeſſario obligandus foret ad iteratam ſolutionem: at, hoc, & rationi, & praxi repugnare, nemo eſt, qui non videat: ergo talis Ruſticus ſatisfecit.

400. R. Etiam talem Ruſticum non ſatisfacere Juſtitiæ, ideoque ſaltem, in effectu, & in foro interno delinquere: quia tamen ſupponitur in foro externo eidem jamjam fuiſſe ſubtractum tantum, quantum ſponte, & de Jure debuiſſet præſtare; hinc in foro externo pariter fuit ſatisfactum; conſequenter talis Ruſticus a Confeſſario non amplius debet condemnari ad iteratam ſolutionem decimarum, ſed admoneri duntaxat, ut in poſterum illas decimas, quas Jure divino, & humano debet, non amplius coacte, ſed ſponte ſolvat, ne Deum offendat. Videatur Bonacina *diſp.* 1. *q.* 1. *pu.*10. *n.* 7. vel Babenſtuber *cit. diſp.* 3. *a.* 1. *n.* 5.

CASUS TERTIUS.

Cajo Clerico beneficiato ob ſæpius neglectum officium Canonicum, ſeu horas Canonicas pœnitentiæ cauſa dictatum fuit, ut unum dugatum expenderet in pias cauſas, ſed quia bonus Cajus multis debitis ſe gravatum novit, pecuniis econtra parum proviſum; hinc ſuo famulo debiti ſalarii loco dugatum præbuit, ratus, eſſe cauſam ſatis piam, quod pauperculo ſalarium jam pridem promeritum, & debitum, tandem aliquando exolvat. Quæritur jam, an Cajus in hoc facto ſatisfecerit obligationi a Confeſſario ſibi injunctæ?

401. R. Cajus non ſatisfecit. Ratio eſt: quia juxta communiſſimam Doctorum opinionem a nobis traditam *part.* 2. *Theolog. Sacram Confer.* 9. *n.* 234. Confeſſarius injungendo pœnitentiam, præſumi debet (niſi aliud exprimat, vel aliunde de ipſius voluntate conſtet) voluiſſe obligare ad opus ſupererogatorium, & aliunde indebitum, quatenus pœnitens id magis ſentiat, & inde ab iterato relapſu abſterreatur, aut quomodocunque demum retrahatur: atqui, ſolvere debitum famulo jam pridem de Jure debitum, plane non eſt opus ſupererogatorium, ut patet liquet, eſto de ſe ſit omnino bonum, ac juſtum: ergo huic præciſe præbendo dugatum, non ſatisfecit ſuæ obligationi.

At vero, inquies fortaſſis, debitum Juſtitiæ, uti erat illud reſpectu famuli, magis urget, & ſtrictius obligat, quam illud, quod a Confeſſario ex zelo fortaſſis indiſcreto fuit injunctum, utpote præſtandum ad pias cauſas v. g. pauperibus, quibus de Jure a Caio nihil debebatur: ergo Caius bene fecit, ſol-

ſolvendo ſuo famulo ſalarium jam pridem debitum, & negligendo alterum.

402. R. Concedo gratis, quod Cajus bene egerit prius ſolvendo illud debitum ſuo famulo, utpote ſtrictius obligans: nego tamen, quod per hoc ſimul ſatisfecerit obligationi a Confeſſario ſibi injunctæ, idque ob rationem datam numero proxime præcedente. Quare huic etiamnum tenebitur ſatisfacere, dum moraliter potuerit. Ceterum nolim ego hic diſputare, an pœnitentia illa fuerit congrua, vel vero ex zelo indiſcreto potius fuerit iniuncta: illud tamen haud ignoro (fortaſſis nec pœnitens ignoraverit) Clerico ſcilicet, negligenti ſuum officium, cuius intuitu NB. Salarium, vel potius redditus Eccleſiaſticos percipit, non abs re imponi poſſe reſtitutionem fructuum correſpondentium huic penſo Canonico, præſertim ubi talis Beneficiatus valde pingues redditus percipit.

Dices adhuc. Sed quid, ſi talis beneficiatus, vel alius quiſcunque demum Sacerdos, accepiſſet plura ſtipendia pro tribus ſacris legendis, & hactenus unum duntaxat legiſſet, animo quidem ſatisfaciendi ſuæ obligationi, ſed ſine ſpeciali intentione, aut reflexione, cuinam e tribus vellet ſatisfactum, aut illud SS. Miſſæ Sacrificium applicatum?

403. R. In hoc caſu ſupponendum eſt, fuiſſe ſatisfactum illi, qui primo obtulit ſtipendium, niſi is aliud expreſſiſſet, quia fortaſſis petiit ſacrum pro certo tempore, aut pro certa intentione &c. Ratio autem noſtræ reſolutionis eſt: quia, qui pluribus debet, uno tamen actu ſimul omnibus ſatisfacere nequit, præſumitur voluiſſe ſatisfacere illi, cui prius, vel etiam potius debuit, veluti habetur *ex l. cums pluribus ff. de ſolutionibus*; nec non ex *cap. un. §. idem quoque de deſponſat. impub.* atqui, prius, ac potius debuit ſatisfieri illi, qui primus obtulit ſtipendium: ergo huic cenſeri debet fuiſſe ſatisfactum: per conſequens talis Sacerdos ſolum tenebitur reliquis duobus ſatisfacere, ad illorum intentionem legendo, & applicando Miſſam. Nihilominus in hoc, vel ſimili caſu ſapienter faciet, formando hanc intentionem, quod ſcilicet per reliqua duo ſacra velit *ſatisfacere iis, quibus hactenus nondum ſatisfecit*, prout diximus *in Theolog. Sacram. part. 1. c. 17. n. 192.* Videri etiam de hoc poteſt Caſtropalao *part. 1. tr. 3. diſp. 1. punct. 19. n. 9.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

404. COlliges ex dictis primo, non eſſe neceſſarium, ut omnia præcepta ex charitate impleantur. Ratio facile deducitur ex dictis: quia poteſt aliquis habere intentionem præſtandi opus præceptum v. g. ſolvendi debitum, abſque charitate: ut ſi v. g. Uxor ſuo Viro reddat, quod debet, non ideo, quia, vel illud commercium carnale, vel ſuum Maritum, vel etiam Deum amat, ſed ideo præciſe, quia a Marito fuit poſtulatum &c. atqui ad Legis, vel præcepti adimpletionem ſufficit intentio præſtandi opus præceptum; ergo &c. Ex quo pariter liquet a Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. merito damnatam fuiſſe ſequentem *num. 165.* inter 79. Bajanas propoſitionem; *Non eſt vera Legis obedientia, quæ fit ſine charitate.* Videatur La Croix *l. 1. n. 691.*

405. Colliges ſecundo, eum, qui voluntarie interfuit ſacrificio Miſſæ, vel jejunavit &c. eſto omnino immemor diei feſtivi, vel eſurialis &c. nihilominus ſatisfeciſſe obligationi ſuæ, & præcepto Eccleſiæ, ob rationem mox datam. Similiter is, qui exequitur opus vi voti, Juramenti, aut præcepti a Confeſſario impoſiti, ſatisfacit ſuæ obligationi, eſto non habuerit intentionem ſatisfaciendi, modo habuerit intentionem præſtandi tale opus v. g. dicendi ſeptem Pater & Ave &c. Ratio eſt: quia votum, Juramentum, ſicut & præceptum a Confeſſario impoſitum habent ſe ad inſtar Legum particularium, quas homo ſibimet, vel alteri imponit: ergo poſita præciſe ſubſtantia actus voluntarie, ut ſupponitur, ſatisfit hujuſmodi Legibus, votis, aut præceptis, juxta *communiſſimam DD.*

406.

406. Limitandum nihilominus hoc est ita: *Nisi hujusmodi opus fuisset præstitum ex alia, & prorsus diversa intentione*; ut si præfata septem P. & A. a Confessario injuncta in ordine ad lucrandas indulgentias, pœnitens persolvisset ex alia intentione v. g. ad recuperandam sanitatem corporis &c. quo casu utique non satisfecisset memorato præcepto Confessarii.

Ratio est: quia finis, utpote specialiter a Confessario intentus, suo modo ingrediebatur substantiam præcepti, prout diximus mox supra *num.* 388. Similiter is, qui ex voto debet v. g. dugatum, illum vero donat alicui pauperi cum expressa intentione per hanc donationem non satisfaciendi suo voto, tenetur alterum expendere, quatenus satisfaciat obligationi sui voti. Ratio est: quia cum votum se habeat ad instar cujusdam Legis particularis, proptereaque plene dependeat ab arbitrio voventis ceu cujusdam quasi Legislatoris, hinc pariter ab hujus arbitrio dependebat, an donando v. g. dugatum voluerit satisfactum suo voto, vel non. Ita rursus *communis & certa* Doctorum sententia.

407. Colliges tertio, Eum, qui vel ebrius, vel dormiens, vel sui plene impos interfuit Sacrificio Missæ, non satisfecisse per hoc præcepto Ecclesiæ. Ratio est: quia in tali statu non fuit capax actus humani, qualem tamen Ecclesia poscit. Secus dicendum foret v. g. de famulo, vel puero, qui præcise ex metu Domini sui, vel Ludi-Magistri, reverenter interest sacro, etsi taliter comparatus animo, ut libentius vellet esse alibi, aut omnino non interesset, nisi metu urgeretur: tametsi enim ob hujusmodi perversam voluntatem tales non sint omnino excusandi a culpa, & peccato interno, nihilominus satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, idque propterea, quia metus non tollit voluntarium, neque impedit actum humanum, prout dictum fuit superius *Conferent.* 2. *num.* 31. ergo stante, & non obstante metu tales satisfaciunt præcepto Ecclesiæ. Laymann *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 4. *num.* 12. Sanchez, Babenstuber, & alii *satis communiter*.

408. Colliges denique quarto, Eum, qui tenetur ad audienda plura sacra, v. g. unum ex præcepto Ecclesiæ, alterum ex particulari voto, tertium ex præcepto Confessarii &c. posse omnibus, ac singulis hisce obligationibus simul satisfacere, si in aliqua Ecclesia intersit tribus sacrificiis eadem hora, ac tempore in diversis Altaribus simul oblatis. Ita Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 12. quem sequuntur Major, Busenbaum, & plures alii. Ratio est: quia secundum dicta *num.* 391. nihil obstat, quo minus eodem tempore satisfieri possit pluribus obligationibus, modo actus illi simul sint compatibiles: atqui potest quis simul intendere pluribus sacrificiis in diversis Altaribus celebratis, prout experientia constat: ergo potest satisfacere &c. &c.

CONFERENTIA
DECIMA QUINTA.

De cessatione Legum humanarum, præsertim propter abrogationem & cessationem causæ finalis.

SUMMARIUM.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa cessationem Legis propter abrogationem &c.

QUæres primo, quot modis Leges cessare soleant?

409. R. Diversis ex caussis cessare solent Leges humanæ, primo quidem per abrogationem. 2. Per irritationem. 3. Ob cessationem finis adæquati. 4. Propter dispensationem. 5. Per Interpretationem. 6. Per Epikejam. 7. Per consuetudinem legitime introductam. 8. Denique ob privilegium legitime obtentum. Ita *Communissime Doctores*; etsi omnes agnoscant nonnullum discrimen inter præfatos modos; enimvero per abrogationem, irritationem, vel etiam cessationem causæ finalis adæquatæ, tollitur obligatio Legis ex integro: per reliquos autem modos tollitur secundum quid duntaxat, id est, vel respectu certæ partis, seu obligationis, vel etiam respectu aliquorum subditorum duntaxat. Per consuetudinem tamen legitime introductam subinde potest ex integro tolli seu abrogari Lex prior, prout ex dicendis infra *a num.* 476. patebit. Nos igitur in hac Conferentia ventilabimus tantum tres priores modos, quibus obligatio Legis ex integro tollitur, reliquas ventilaturi in Conferentiis proxime securis.

Quæres jam secundo, quid sit abrogatio Legis, & quomodo hæc differat a derogatione?

410. R. Abrogatio Legis est ejusdem totalis sublatio, seu cessatio, auctoritate Legislatoris facta. Derogatio autem est ejusdem cessatio secundum quid, id est, ex parte duntaxat, ut, si Legislator unum tantum, vel alterum Articulum mutet, vel, si a generali constitutione certos casus particulares excipiat, velut innuitur *lib. derogatur* 102. *ff. de verb. signif.* ubi dicitur: *Derogatur Legi, cum pars detrahitur: abrogatur Legi, cum prorsus tollitur.* Ex quo facile colli-

lige-

ligetur, quænam inter utramque sit differentia. Liquet insuper, ea, quæ de abrogatione dicimus, suo modo intelligi debere de derogatione, prout cum aliis DD. bene advertit noster A. R. P. Kazenberger *in suo supplem. Decalog.* P. Sporer *c.* 1. *sect.* 4. *a.* 319.

Quæres tertio, quinam Legem semel legitime latam possit abrogare?

411. R. Id potest Legislator, & hujus in Jurisdictione successor. Ratio hujus facile colligetur ex dictis de natura abrogationis; tum etiam ex eo, quia, ut dicitur *cap.* 1. *de Reg. Juris: omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*: ergo cum vigor Legis unice nascatur, & dependeat a voluntate Legislatoris, necessario fateri cogimur, quod per eandem, vel totaliter, & ex integro, vel etiam ex parte tantum possit tolli, & cessari. Et quia voluntas Successoris æquivalet in Jurisdictione voluntati sui Antecessoris, consequens est, quod Lex ab Antecessore lata tolli, & cessari valeat per voluntatem Successoris. Ita *omnes*.

Quæres quarto, utrum abrogatio Legis sine justa causa facta licita sit, vel saltem valida?

412. R. Valida quidem est, non tamen licita. Ratio prioris est: quia voluntas Legislatoris est quasi anima Legis, ita, ut hæc ab illa quoad suum vigorem in fieri, & conservari prorsus dependeat: ergo sublata voluntate Legislatoris, vigorem, & obligationem Legis corruere, necessum est. Ratio autem posterioris hæc dari debet: quia Legislatori incumbit in conscientia procurare bonum commune: at, si Legem bono communi proficuam (uti esse debet) sine causa justa abroget, eo ipso non procurat, sed potius obest bono communi: ergo sine causa justa eam abrogando peccat pro ratione materiæ, vel damni gravis, aut levis bono communi illati. Ita cum *communi* DD. Herincx *part.* 2. *tr.* 3. *de Leg. disp.* 3. *n.* 210.

Quæres quinto, quid sit irritatio Legis?

413. R. Irritatio est Legis inferiore potestate v. g. Magistratus conditæ cassatio, facta legitima potestate, & auctoritate Superioris, ut si Lex ab Episcopo lata auctoritate summi Pontificis annulletur, & cassetur. Ita Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 2. *dist.* 4. *n.* 27. Ex quo prudens facile colliget, in rigore loquendo irritationem differre ab abrogatione; hæc enim fieri potest ab ipsomet Conditore Legis: illa autem fieri postulat a Superiore Legislatoris inferioris. Liquet insuper ex hac descriptione, cuinam competat potestas irritandi Leges.

Quæres sexto, an Lex desinat obligare ex eo, quod finis a Legislatore intentus cesset?

414. Suppono cum communi Doctorum finem Legislatoris, vel etiam Legis cessare posse, vel adæquate, seu ex integro, vel inadæquate, & ex parte duntaxat, idque rursus tam ex parte *motivi*, quam ex parte *subditorum*. Ex parte motivi cessat adæquate, quando cessat tota ratio, & causa motiva, quæ Legislatorem impulit ad ferendam Legem: inadæquate vero cessat, quando una duntaxat ratio motiva desinit. Porro ex parte subditorum finis Legis cessat adæquate, quando respectu totius communitatis talis Lex non amplius est expediens, vel proficua: inadæquate autem ex parte subditorum cessare dicitur, quando non toti communitati, sed aliquibus tantum membris communitatis hujusmodi constitutio non amplius expedit. Rursus, si Lex præcise desinat esse expediens communitati, dicetur finis Legis cessare *negative*: e contra vero si non solum desinat communitati, vel aliquibus membris communitatis esse expediens, sed potius observatu impossibilis, vel illicita, sicut Lex jejunii posset fieri respectu infirmi, vel mulieris prægnantis, casu quo talis prævideretur passura abortum &c., dicitur cessare finis Legis *contrarie*, ac *positive*. Hoc notato

415. R. Cessante causa finali adæquate, & totaliter (sive negative, sive etiam contrarie) cessat obligatio Legis; non item si finis, vel causa finalis motiva cesset ex parte duntaxat. Ita communiter DD. Suarez *de LL. l.* 6. *n.* 9. Herincx *de Leg. disp.* 3. *n.* 201. 202. La Croix *lib.* 1. *n.* 866. Kazenberger *num.* 312. & 313. Ratio prioris est: quia cessante fine adæquato Legis Lex definit esse expediens bono communi: ergo obligatio

gatio huius pariter debet desinere; quemadmodum votum, ceu Lex quædam particularis, desinit obligare, casu quo ejus causa adæquata cessat. Hac ratione apud Juristas communiter dicitur: *cessante Legis ratione cessat quoque ejus dispositio*: & juxta *c. cum cessante. de Apellat. cessante causa cessat quoque effectus*.

Ratio autem posterioris est hæc: quia si unum duntaxat motivum cesset, manebit adhuc alterum, vel reliqua, ob quæ Legislator judicavit esse expediens bono communi, ut hæc Lex feratur. Sic Ecclesia prohibuit Lectionem librorum hæreticorum, partim ob periculum infectionis, partim etiam ob hæreticorum contemptum: esto proin respectu unius, vel alterius videatur abesse omne periculum subversionis, sicque videatur cessare motivum prius; quia tamen propterea minime cessat motivum posterius, hinc pariter Lex non cessat obligare, juxta *communissimam DD.*

Quæres septimo, utrum Lex fundata in præsumptione periculi definat obligare, casu quo præsumptio fallit?

416. Prius quam ad hoc quæsitum directe respondeam, breviter cum P. Herincx *cit. disp. 3. n. 162.* & nostro A. R. P. Kazenberger *in supplem. II. P. Sargar. Confer. 35. n. 98.* adverto, illam Legem dici *fundatam in præsumptione*, quæ ex conjectura certæ cujusdam circumstantiæ aliquid præcipit, vel prohibet. Et hæc duplex est, scilicet una, quæ fundatur *in præsumptione juris*, seu etiam *periculi communis*; alia vero, *quæ fundatur in præsumptione facti particularis*. In præsumptione Juris dicitur fundata illa, quæ non fundatur in aliquibus duntaxat indiciis, sed in Judicio moraliter certo, quod in tali actu, aut contractu, non quidem semper, sed tamen regulariter, & ut plurimum subsit fraus, vel damnum, aliudve periculum v. g. scandali, ideoque per hanc non præsumitur aliquod factum, sed periculum fraudis, vel damni, ut dictum est. Econtra Lex in præsumptione facti fundata dicitur illa, quæ ex conjectura cujusdam determinatæ, & particularis circumstantiæ, aut facti, vel non facti particularis, aliquid præcipit, vel prohibet, prout amplius patebit ex proxime dicendis in casu III. Hoc jam prænotato

417. R. Ad quæsitum. Lex fundata in præsumptione juris, seu periculi communis non desinit obligare, tametsi in aliquo casu particulari videatur fallere præsumptio, aut nullum subesse periculum: desinit tamen obligare Lex fundata in præsumptione facti particularis, casu quo præsumptio fallit. Ita *cum communissima*, & certa sententia tenent Suarez *de Leg. lib. 6. c. 7. a. n. 5. & c. 8.* Castropalao *part. 1. tr. 3. disp. 5. pu. 1. n. 10. & 11.* Illsung *tr. 1. disp. 2. n. 61.* Ratio hujus resolutionis, & disparitas utriusque hæc est: quia dum Lex fundatur in præsumptione periculi communis, tunc non tollitur illud periculum commune, esto in hoc, vel illo casu, vel persona particulari nullum subsit periculum: at, si non tollitur periculum commune, hoc ipso manet finis Legis, & per consequens pariter debet manere hujus vigor, & obligatio.

Econtra vero ubi Lex fundatur in mera præsumptione alicujus facti particularis, tunc eo ipso, quod talis præsumptio fallat, seu non subsistat, cessat pariter voluntas, & intentio obligandi ex parte Legislatoris; & in hoc casu *præsumptio cedit veritati*, ut habetur *argum. l. continuus 137. ff. de V. O.* & *ultima ff. quod metus causa*. Quare si Legislator, aut Judex te condemnet ad solvendum tuo adversario v. g. 20. florenos, eo quod ex falsa delatione tui Adversarii præsumat, te eidem vi contractus totidem debere, revera talis Lex, vel sententia in foro conscientiæ minime obligabit.

Quæres denique octavo: An non etiam Lex cesset obligare propter subditorum ignorantiam, præsertim inculpabilem, vel propter impotentiam?

418. R. Ad primam partem hujus quæsiti, quod Lex ob ignorantiam subditorum minime cesset obligare, licet ceteroquin ignorantia, si fuerit inculpabilis, & invincibilis excuset a formali peccato, & per consequens a pœna transgressoribus taxata, veluti constare potest ex dictis supra *Confer. 2. num. 54.*

Major

Major tamen controversia inter Doctores est, utrum ignorantia Legis, vel pœnæ in foro externo possit allegari pro excusatione; quod, licet Mascardus, & alii pauci negent; eo quia Lex solenniter promulgata ubique præsumitur cognita, La Croix tamen *l.* 1.*n.*772. cum *communi aliorum* tenet affirmativam; tametsi enim in foro externo præsumptio stet contra eum, qui sese excusare nititur exceptione ignorantiæ, ex hoc tamen plus non probatur, quam quod teneatur probare, se inculpabiliter ignorasse Legem, quod quidem præstare poterit, si præter alias conjecturas insuper deponat Juramentum de ignorantia inculpabili. Ita Doctor *c. l.*

419. R. jam ad secundam partem quæsiti. Nedum physica, sed, & moralis impotentia implendi Legem, vel præceptum, excusat ab observantia. Ratio est: quia, ut habetur *l. impossibilium* 185. *impossibilium non est obligatio*: Et juxta *Regulam VI. Juris in 6. nemo potest ad impossibile obligari*. Videantur tamen de hoc ea, quæ diximus supra *Conf.* 11. *n.* 298.

At, inquies, quid de eo tenendum, qui non potest totam Legem, bene tamen partem hujus adimplere, tenebiturne ad hanc?

420. R. cum distinctione; nam si totum sit aliquid individuum, seu indivisibile, tunc ille, qui nequit præstare rei substantiam, vel partem substantialem, excusatur a toto; eo ipso quod in parte duntaxat substantia præcepti nequeat observari. Econtra vero, si totum sit aliquid dividuum, seu divisibile, tunc qui non potest præstare totum, tenetur ad minus præstare partem, modo hæc sit notabilis. E. g. qui nequit solvere centum suo creditori, tenetur saltem solvere quinquaginta, vel adhuc minus, quod potest. Similiter is, qui nequit interesse integro sacrificio Missæ, tenetur huic interesse (si potest) quoad partes substantiales, utputa ab offertorio usque ad consecrationem, vel ab hac usque ad sumptionem.

Rursus, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, quippe quas fortassis scit memoriter, tenetur adhuc dicere horas minores, veluti constare potest ex Decreto Innocentii XI. in quo opposita propositio *n.* 54. damnatur. Videantur Sanchez *lib.* 1. *c.* 19. Laymann. *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 19. *n.* 5. & *seqq.* vel Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 3. *a.* 3. *n.* 4.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa abrogationem Legis, vel cessationem causæ finalis.

CASUS PRIMUS.

Titius magni nominis, sed exiguæ pietatis Princeps (erat enim adhuc gentilis illo tempore) quandam Principissam sibi desponsaverat, sanguine non minus, quam Religione Christiana clarissimam, e qua primo biennio suscepit duos filios, qui tamen non sine maxima consternatione tum Parentum suorum, tum totius etiam Regni paulo post fatis concessere. Titius hujus tam fatalis, & geminati quidem casus non aliam subesse causam, quam baptismum Christianorum existimans, sub gravissimis comminationibus nedum conjugi suæ, ceteroquin charissimæ, verum etiam aliis omnibus Aulæ suæ Ministris interdixit, ne deinceps quampiam e suis prolibus nascituram sacro baptismatis fonte tingere, aut regenerare præsumerent. Prætermissis jam aliis pluribus quæstionibus, quæ in hoc casu de validitate, vel etiam liceitate matrimonii formari possent (de quibus ea, quæ diximus part. 3. Theolog. Sacr. Confer. 8. a n. 176. videri possunt) ad nostrum propositum oportet decidere 1. an altefatus Princeps sua auctoritate potuerit abrogare, vel etiam irritare Legem, de baptizandis prolibus? 2. Quidnam in hoc casu conjugi Christianæ fuerit agendum?

421. R. Ad primum. Titius neque Legem baptismi, neque etiam illam obligationem conferendi prolibus baptismum potuit abrogare, vel irritare. Ratio hujus facile potest erui ex dictis *n.* 411. & 413. quia nullus inferior potest abrogare, vel irritare Legem sui Superioris; quia irritatio petit fieri altiori potestate: atqui Titius utique est infe-

inferior Deo, qui Legem baptismi tulit, voluitque infantes baptizari: ergo &c. Liquet proin ad oculum mentis Christianæ, præfatam Titii apprehensionem nedum fuisse erroneam, verum insuper blasphemam, utpote Sacramento Baptismi, & Christo Auctori Sacramentorum maximopere injuriosam. Unde

422. R. jam ad secundum. Principissa illa debuit omni modo possibili curare, ac providere, ut proles nasciturae saltem in occulto Sacro baptismatis fonte abluerentur. Interim vero tum bonæ conversationis exemplo, tum etiam precibus, ac gemitibus incessabilibus divinam implorare Clementiam, quatenus hæc suum conjugem interius illustrare dignaretur in tantum, ut nedum veritatem, ac sanctitatem fidei Catholicæ, sed etiam hujus necessitatem ad animæ salutem obtinendam agnosceret. Ratio hujus est: quia Parentes de Jure naturæ suis prolibus tenentur providere nedum de mediis ad vitam corporalem, sed vel maxime etiam ad spiritualem obtinendam, aut conservandam necessariis, idque (ait recte La Croix *lib.* 2. *num.* 100.) sub mortali sepositio etiam omni respectu humano; nam DEUM potius quam hominem quemcunque demum audire oportet: atqui baptismus est medium simpliciter necessarium ad salutem: ergo &c. Adde, quod tales proles, quantumvis in occulto baptizatæ, vi hujus Sacramenti percipient innumera gratiarum auxilia, ceterasque virtutes Theologicas, quibus mediantibus, accedente præsertim sanctæ conversationis exemplo in Matre viso, cum tempore probabilissime induci potuerunt, ad veritatem fidei Catholicæ spontanee amplectendam, ac profitendam, veluti constat ex legenda sanctæ Clotildis Reginæ Galliæ, aliisque consimilibus.

At quid, ais, si qua Mulier amore conservandi suas proles in vivis, voto sese obstringat, quod v. g. unius anni spatio velit prolem nasciturам induere habitu certæ cujusdam Religionis v. g. S. Francisci de Paula, e contra Maritus nolit videre prolem suam cucullatam, poteritne is irritare votum ab Uxore emissum?

423. R. Potest Maritus irritare hujusmodi votum. Ratio est: quia Marito competit potestas irritandi omnia vota in suum præjudicium ab Uxore emissa: immo hujuscemodi vota ipso Jure sunt invalida, nisi a Marito approbentur, ac ratificentur: nemo enim (ideoque nec Uxor) potest valide vovendo promittere rem alienam, sed propriam duntaxat; id est, suæ dispositioni, ac Juri subjectam sine præjudicio alterius: atqui modus vestiendi proles durante matrimonio non stat penes solum arbitrium Uxoris, sed vel maxime, & principaliter penes Maritum, cui incumbit suæ familiæ providere de victu, & vestitu: ergo si is prius non consensit, potest pro libitu suo irritare, vel potius irritum declarare hujuscemodi votum ab Uxore emissum. Videatur de hoc Sanchez *lib.* 4. *c.* 34. *num.* 3. vel Sporer *in Decalog. tr.* 3. *c.* 3. *num.* 25. *& seqq.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius nobili stemmate natus, & ultimum germen suæ familiæ aniciæ jurejurando sese obstrinxit, quod toto tempore vitæ suæ singulis feriis sextis in honorem dominicæ passionis vellet abstinere a 2. refectione, si Deus sibi clementissime impertiretur prolem masculinam, vi cujus nobilissima sua familia denuo reflorescerett; hanc suam devotionem Sempronius biennio integro sancte continuavit: quo elapso prole masculina a superis quidem est beatus, sed per hujus obitum paulo post extreme consternatus. Nihilominus bonus Sempronius devotionem semel cæptam porro continuavit usque ad quadragesimum ætatis suæ annum. Quia vero jam a longo tempore nullam amplius suscepit prolem & defacto nedum ex sua, verum etiam ex parte conjugis videtur præcisa omnis spes successionis; hinc sciscitatur, an protinus teneatur continuare præfatam devotionem, abstinendo scilicet a 2. refectione, an vero potius sit liber ab hac Lege privata, quippe cujus finis jamjam cessasse videtur. Quid Confessarius respondebit interroganti?

424. R. Sempronius non amplius tenetur abstinere a secunda refectione. Ra-

Ratio est: quia, ut narratur in casu, votum fuit duntaxat emissum *sub conditione*, si Deus Sempronio daret hæredem masculinum, vi cujus familia anicia denuo reflorescerет, atqui hæc conditio non fuit adimpleta; quia filius natus paulo post fuit mortuus: ergo votum, utpote conditionatum, non subsistente conditione desinit obligare. Accedit, quod secundum dicta *n.* 415. cessante causa finali adæquata pariter cesset obligatio Legis, atqui hujus Legis, vel quasi Legis privatæ (voti scilicet, aut Juramenti a Sempronio facti) jamjam cessavit causa finalis, & quidem adæquata, eo ipso, quod supponatur eidem esse præcisa omnis spes obtinendi hæredem masculinum, & propagandi familiam suam: ergo &c.

Dices. Juramentum a Sempronio factum videtur potius sub modo, *quatenus scilicet Deum hoc modo permoveret* ad dandam sibi prolem masculinam, quam sub conditione, *si sibi daret &c.* ergo etiamnum tenetur illud servare esto hactenus nondum fuerit exauditus.

425. R. negando ant. Nam si formulam, & rigorem verborum spectemus, de se liquet, hoc Juramentum fuisse sub conditione depositum: ergo cum aliunde *per Regulam* 15. *Juris in Sexto* constet, *odia, seu odiosa*, (ut etiam est abstinentia a secunda refectione) *esse restringenda*, dicendum potius, Sempronium non amplius stringi vigore hujus Juramenti, quippe cujus conditio hactenus nondum fuit adimpleta. Et dato insuper, non concesso, scilicet præfatum Juramentum fuisse factum sub modo, quia tamen iste modus neque hactenus fuit positus, neque deinceps humanitus, & naturaliter ponendus, eo ipso, quod ex specie facti supponatur ex parte utriusque conjugis jamjam præcisa omnis spes succesionis, aliunde vero miraculum tam facile sperari non possit, aut debeat, arbitror sane Sempronium ab hoc onore, abstinentiæ scilicet a secunda refectione, esse simpliciter excusandum, & liberandum a Confessario.

Dices adhuc. Resolutio mox data *n.* 424. videtur repugnare praxi; constat enim, quod nonnulli Principes sæculares ad supportanda onera belli olim imposuerint nova tributa; immo vero etiam Clerici ex indulto Pontificio debuerunt talia solvere Imperatori ex eodem fine, scilicet belli Turcici supportandi, quod tamen pridem fuit sublatum: ergo ob cessationem causæ finalis etiam adæquatæ minime desinit Lex obligare.

426. R. neg. conseq. & suppositum. Nam licet præfata causa finalis videatur cessasse, probabiliter tamen suspicari licet, eam nondum cessasse ex integro: certum quippe est, & ipsimet subditi propria experentia docti coguntur fateri, tempore belli multa debita fuisse contracta, quæ in hodiernum usque diem nondum fuerunt extincta: quidni ergo & Principes hujuscemodi debitis calamitoso illo tempore contractis possint gravari, ad quorum solutionem etiamnum indigeant subsidio suorum subditorum? Quod autem nonnulli Clerici hodiedum cogantur Augustissimo Imperatori præstare quædam tributa, provenit ex novo indulto moderni S. Pontificis, qui hoc concessit non præcise ob bellum Turcicum, sed tum ad restauranda, tum etiam ad conservanda illa propugnacula Hungarica, scilicet Petrovvaradinum, Belgradum, Temesvvariam, & alia plura quæ sunt quædam quasi antemuralia Christianitatis.

CASUS TERTIUS.

Cajus famulam habuit sibi fidelissimam, quæ sicut aliis temporibus, ita, vel maxime tempore diutinæ infirmitatis Hero suo solertissime sua præstitit obsequia; quam ob rem Cajus advertens, se sensim deficere, & pedetentim quasi extremo vitæ suæ termino appropinquare, eandem famulam in cubiculo solam sibi præsentem affatus fuit sequentibus verbis: esto fidelis, ac solers (ajebat) usque in finem, post mortem meam recipies justam, & condignam laborum tuorum mercedem, in testamento meo expressam. Ne vero aliis omnibus patefiat, qualiter tua servitia mihi tam fideliter præstita tibi compensaverim, ecce, ait, in hac mea cista (digito eam monstrans) invenies quandam capsulam dugatis refertam, hanc post mortem meam tibi donatam volo, & a modo dono ad tuam liberam dispositionem. *Famula id au-*

audiens gaudio & lacrymis superfusa, illico hero suo millenas rependit gratias: quia tamen post mortem Caii omnia illius bona illico fuerant obsignata, famulæ eo ipso obstructa fuit via obtinendi præfatam capsulam, cumque aliunde non potuerit probare illam devotionem remuneratoriam sibi ab Hero factam; hinc nedum ab hæredibus, verum etiam a Judice passa fuit repulsam, capsula pleno jure hæredibus adjudicata. Jam vero dicta famula apud Confessarium 1. *conqueritur de injuria sibi facta* .2.*Sciscitatur, an non sibi liceat tacite compensare quantitatem illius auri, quæ ad* 80.*circiter florenos se extendit. Quid ad hæc Confessarius?*

427. R. quoad primum, huic famulæ nec ab hæredibus, neque etiam a Judice illatam fuisse injuriam formalem. Non enim ab hæredibus; quippe qui aliunde erant in possessione juris, neque de præfata donatione quidpiam sciverant; neque etiam a Judice; cum is nec potuerit, neque debuerit aliam sententiam ferre, quamdiu famula non probavit suam causam: hæc autem, ut supponitur illam probare non potuit: ergo Judex hæredes in sua possessione relinquere, & manutenere debuit; eo præsertim, quod oppositum innumeris fraudibus foret subjectum; quilibet enim de facili posset dictitare, sibi hoc, vel illud fuisse ab hero, vel ab illo modo defuncto donatum &c. Videatur de hoc R. P. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 26. *§.* 6. *n.* 148. *&* 149.

428. R. Tamen ad alterum quæsitum, huic famulæ potuisse a Confessario saltem permitti privilegium tacitæ compensationis. Ratio me movens ad hanc resolutionem est: quia tunc tacitæ compensationi debet dari locus, quando ex una parte debitum est certum, ex altera vero parte illud alia via, vel medio reparari nequit: at, præfatum debitum erat certum ex una parte, saltem in foro conscientiæ, quia Dominus nedum potuit, sed etiam efficaciter voluit donare: famula econtra donationem illico acceptavit: ex altera autem parte supponitur, hoc debitum alia via recuperari non posse a famula: ergo huic pro foro conscientiæ permittenda est tacita compensatio. Et certe ipsimet hæredes tenerentur eidem præfatam capsulam extradere, si iisdem de voluntate heri defuncti tam evidenter,& certo constaret,quam huic famulæ, veluti ex communi Doctrina Theologorum tenent Laymann *l.* 3.*t.*5.*c.* 2. *n.* 5. & Reiffenstuel *Theol.mor.tr.* 8. *dist.* 3. *n.* 24.

Dices tamen contra hanc resolutionem. Quando ob testamentum debita solennitate destitutum Judex semel tulit sententiam pro hærede, tunc competitori nequidem in foro conscientiæ amplius permittenda est tacita compensatio, juxta communissimam Doctorum opinionem, videndam apud Sanchez, Covaruvias *de testam. c.* 10. *n.* 13. Reiffenstuel *Theol. mort. tr.* 8. *dist.* 3. *n.* 17. & alios passim: atqui in hoc casu supponitur, sententiam jam actu pro hærede fuisse latam: ergo &c.

429. R. Negando suppositum, quod in hac causa famula aliquid prætendat vi testamenti, vel quod fuerit passa repulsam ob testamentum annullatum; contrarium quippe patet ex specie facti. Deinde, esto testamentum ad causas profanas factum sine solennitatibus de Jure requisitis irritum sit, & inane, non tamen idemmet Judicium ferendum est de testamento, vel legato facto ad pias causas, uti omnes fatentur; hoc enim velut privilegiatum habetur ratum, modo de voluntate defuncti satis constet: at, hujusmodi donatio remuneratoria famulæ pauperculæ facta potius ad causam piam, quam ad profanam facta censeri debet: ergo cum in foro conscientiæ de voluntate defuncti pariter constet, aliunde vero hoc debitum sit irrecuperabile, ex hoc capite potius permitti, quam interdici debet tacita compensatio.

Dices iterum. Lex fundata in præsumptione periculi communis non definit obligare, tametsi in casu particulari fallat præsumptio secundum dicta *n.* 417. atqui hæc sententia Judicis (quæ se habet ad instar Legis) fundatur in præsumptione periculi communis, prout ipsimet cogimur fateri: ergo obligat in conscientia, licet præsumptio re ipsa fallat in hoc casu.

430. R. Negando minorem; nam hæc sententia Judicis non fundatur in præsumptione communis periculi, sed potius in præsumptione facti, vel verius loquendo, non facti particularis, id est, *non facta dona-*

donationis de qua, si Judici certo constitisset, sine dubio causam hanc aliter decidisset, in favorem scilicet famulæ: e contra, quando aliqua Lex, vel sententia fundatur in præsumptione periculi communis, tunc Judex non mutaret sententiam, esto huic constaret, præsumptionem fallere circa hanc personam. Sic in casu mox relato, ubi Judex testamentum aliquod ad causas profanas factum defectu solennitatis debitæ annullat, vel potius nullum declarat, ob pericula fraudum, quæ inde possent emergere communitati, profecto non amplius mutaret suam sententiam, tametsi certo sciret, in hoc casu particulari nullam prorsus intervenisse fraudem. Similiter Legislator, qui ob evitandas rixas, mutilationes, vel homicidia prohibuit, ne tempore nocturno arma portentur, non mutavit hanc Legem v. g. respectu Titii, hunc eximendo ab obligatione, tametsi certo sciret, eum velut hominem summe pacificum, neminem læsurum, neque excitaturum rixas: & hæc differentia bene est notanda.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

431. Colliges ex hactenus dictis primo, aliud esse irritationem Legis, aliud vero Legem irritantem; nam irritatio consistit in actu voluntatis, quo Legislator ipsam Legem semel latam vult cassare, irritando, & annullando obligationem illius.

E contra vero Lex irritans consistit in actu voluntatis, quo Legislator aliquem actum, vel contractum annullat, seu invalidat, hac vel simili forma: *Sit invalidus, nullus, irritus: nullius sit roboris, efficaciæ: careat robore: sit irritum, & inane, quidquid in contrarium fuerit attentatum &c.* Et hæc Lex irritans postea dividitur in pœnalem, in pure irritativam, & in mixtam, veluti fusius explicat noster A. R. P. Kazenberger *in supplemento Decalog.* P. Sporer *cap. 1. sect. 3. num. 273. & seqq.*

432. Colliges secundo, Legem aliquam duplici via irritari posse, scilicet primo *per se, & directe*; quod tunc fit, quando Legislator expresse revocat suam Legem, declarando, quod subditos deinceps velit esse deobligatos. 2. *Indirecte, & implicite*; quod fieri censetur tunc, quando ponit novam constitutionem, priori e diametro contrariam; etenim nova constitutio posterior, tollit priorem contrariam generaliter latam, tametsi de eadem non faciat mentionem, prout expresse habetur *cap. 1. de constitut. in 6.* Cujus ratio est: quia Princeps neutiquam præsumi debet ignorasse priorem constitutionem: ergo novam priori oppositam statuendo, merito præsumitur voluisse illam abrogare.

433. Hoc tamen intelligendum est, ut diximus, de Lege priori *generaliter lata*: nam Lex prior specialiter loquens, (id est, specialem favorem, aut privilegium exprimens) non tollitur per Legem posteriorem generaliter loquentem, sed hæc per illam distinguitur, inquit Reiffenstuel *Theol. mor. tr. 2. dist. 4. n. 31.* Ex. gr. Leges generales, irritantes testamenta sine debitis solennitatibus facta non comprehendunt testamenta facta ad pias causas, neque testamenta militum, vel alia privilegiata; eo quod de his extent Leges speciales, quibus hæc posteriora testamenta habentur rata, præscindendo etiam ab illis solennitatibus.

434. Insuper advertendum hic est, quod per Legem posteriorem generaliter duntaxat loquentem Legislator supremus, v. g. summus Pontifex, non præsumatur voluisse tollere consuetudines rationabiles, vel etiam statuta particularia locorum, nisi id exprimat. Ratio hujus est: quia Legislator supremus præsumi potius debet, ignorasse hujuscemodi consuetudines laudabiles, & rationabiles, quemadmodum præsumitur ignorare genia, & inclinationes particulares, vel certe circumstantias, quarum intuitu hæc posterior Lex merito judicabitur minus expediens: ergo nec Legislator præsumi debet, voluisse his præjudicare, nisi (ut diximus) expresse contra eas excipiat, dicendo v. g. nulla obstante consuetudine contraria, vel

vel non obstantibus quibuscunque constitutionibus locorum &c. Videatur Reiffenstuel *loc. cit.*

435. Colliges tertio. Ad revocationem Legis per se loquendo non esse necessariam novam promulgationem solennem. Ratio hujus est: quia secundum dicta obligatio Legis tota quanta dependet a voluntate Principis, seu Legislatoris, volentis, aut nolentis obligare communitatem: ergo si cuipiam certo constet de revocatione prioris Legis, is non amplius erit obligatus ad observantiam. Illud tamen verum est, quod circa hoc punctum sapienter observat Castropalao *cit. tr. 3. disp. 5. pu.* 2. §. 1. *n.* 5. scilicet, quod si revocatio, vel irritatio prioris Legis fiat per aliam novam constitutionem, hæc debeat habere omnes conditiones Legis, ideoque etiam promulgari solenniter, ita, ut secus non sit censenda habere vim revocandi priorem Legem; secus enim hujuscemodi revocatio posset multis inconvenientiis præbere occasionem. Certum insuper est, quod si subdito de tali revocatione, aut irritatione non satis constaret, is contraveniendo saltem ex conscientia erronea graviter posset delinquere.

Videatur de hoc Mastrius *Theolog. mor. disp.* 2. *n.* 179.

CONFERENTIA

DECIMA SEXTA.

De cessatione Legis per dispensationem, interpretationem, & Epikeiam.

SUMMARIUM.

436. *Dispensatio, ut sic est quædam relaxatio Legis.*

437. *Quæ potest esse* 1. *vel totalis, vel partialis.* 2. *Tacita, vel expressa.* 3. *Directa, vel indirecta.*

438. *Potestas dispensandi (generaliter loquendo) competit* 1. *Legislatori.* 2. *Hujus Successori* 3. *Utriusque Superiori &c.*

439. *Pontifex dispensare valet in omnibus Legibus Ecclesiasticis mere positivis.*

440. *Archi-Episcopus vero, & Episcopus in Legibus Synodi Diœcesanæ.*

441. *In Lege tamen Superioris, per se loquendo, nullus inferior dispensare valet.*

442. *Recensentur breviter nonnulli Casus, in quibus Episcopis permittitur dispensare in Lege Pontificia.*

443. *Dispensatio ab inferiore sine rationabili causa facta, nedum illicita est, sed etiam invalida.*

444. *In Lege naturali præceptiva, vel prohibitiva, ne Deus quidem proprie, & directe dispensare valet.*

445. *Potest tamen in his dispensari indirecte, & improprie.*

446. *Lex naturalis mere permissiva, etiam directe potest mutari auctoritate humana.*

447. *Interpretatio Legis idem est, ac clarior ejusdem expositio, seu declaratio.*

448. *Circa quam nonnullæ Regulæ observandæ breviter recensentur.*

449. *EpiKeia tunc fit, dum mens Legislatoris rationabiliter declaratur &c.*

450. *Resolvitur Casus I. Cujusdam pœnitentis, qui a Confessario petiit dispensationem in esu carnium, etiam diebus veneris, ac Sabbathi.*

451. *An talis dispensatio etiam Romæ impetrata valeat, casu quo rationabiliter dubitatur de voluntate dispensantis?*

452. *Et quid, si Pontifex dispenset cum hac clausula, ut* Orator possit comedere carnes cum consilio tamen Medici spiritualis, & corporalis?

453. *Resolvitur Casus II. Cujusdam pœnitentis, qui Roma per Datariam obtinuit facultatem ducendi suam consanguineam, cum hac tamen clausula:* dummodo inter eos copula carnalis non intercesserit.

454. *Qua non obstante valide, ac licite contrahent; modo non intervenerit copula carnalis notoria in foro fori.*

455. *Secus dicendum foret; si talis clausula contineretur in dispensatione a Majori Pœnitentiario obtenta pro foro conscientiæ tantum.*

456.

456. *Resolvitur Casus III. Cujusdam personæ, voto castitatis perpetuæ adstrictæ, quæ obtinuit dispensationem in ordine ad nubendum, tum ob prolem jam susceptam legitimandam, tum etiam ut Maritus posset sublevare Matrem viduam &c.*

457. *An cessante utroque hoc motivo prius quam nupserit, cesset valor hujus dispensationis, controversum est inter DD.*

458. *Nec dubium, quin sit tutius, in tali casu iterato petere dispensationem.*

459. *A quo hæc impetrari valeat.*

460. *Ad valorem dispensationis necessaria est voluntas dispensandi ex parte Legislatoris.*

461. *Et quid, si dispensans moriatur prius, quam dispensatio executioni fuerit mandata?*

462. *Tam subreptitia, quam etiam obreptitia dispensatio nulla est: & quid harum nomine intelligatur?*

463. *Beneficium dispensationis semper est postulandum a Superiore, vel ab hujus vicem Gerente.*

464. *Unde nec potest concedi, nisi subdito.*

465. *Quinam dispensare valeat cum vagabundis, & peregrinis?*

466. *Summus Pontifex nequit dispensare in Lege divina.*

467. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*

468. *Ad evitandum peccatum non sufficit dispensatio præsumpta de futuro, id est, talis, quæ primum daretur.*

§. I.

Proponuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa dispensationem Legis &c.

QUæres primo, quid sit dispensatio, & quotuplex?

436. R. ad primum. Dispensatio est relaxatio Legis, respectu casus, aut personæ particularis, facta in iis circumstantiis, in quibus alioquin Lex obligaret. Ita Henno *de Leg. disp. 3. q. 15. a. 4. concluf. 1.* Et re ipsa eandem tenet Herincx *part. 2. tr. 2. disp. 4. n. 1.* aliique plures. Ex hac vero descriptione facile liquet, dispensationem differre ab irritatione, abrogatione, & derogatione Legis; per has enim Lex respectu totius communitatis tollitur, vel ex toto, vel saltem ex parte; per illam vero Lex minime tollitur ab integra communitate, sed solum ab aliqua persona (quo nomine hic etiam intelligi potest persona ficta, uti est v. g. Monasterium, Collegium, Conventus, vel Religio &c.) obligatio Legis aufertur.

Liquet insuper, dispensationem differre ab EpiKeia, quippe quæ fit in duntaxat circumstantiis, vel casu particulari, in quo prudenter creditur Lex non amplius obligare, veluti constabit ex dicendis *n.* 439. hoc autem non fit in dispensatione.

437. R. jam ad alteram partem quæsiti. Dispensatio ut sic recte dividitur 1. in totalem, & partialem. 2. In tacitam, & expressam. 3. In directam & indirectam. Ita Paulus Mezger *tr. 8. disp. 36. a. 4.* Babenstuber *tr. 3. disp. 3. a. 4. n. 6. & seqq.* Explico breviter singula membra.

I. Dispensatio totalis fit, quando Lex respectu unius, vel aliquorum ex integro tollitur: partialis vero, quando ex parte duntaxat relaxatur; ut, si dispensetur in pœna, non item in culpa.

II. Expressa dispensatio illa appellatur, quæ fit verbis expressis, ceu signis quibusdam, evidenter voluntatem Legislatoris declarantibus: Tacita vero illa dicitur: quæ solum ex facto, vel actione aliqua obscure colligitur, ut si Episcopus subditum suum, quem novit esse irregularem, permittat suscipere Ordines, aut excipere Confessiones, cum enim supponatur scire, similia a subdito suo fieri non posse sine dispensatione, aliunde vero minime præsumendum sit, eum velle, ut subditus peccet, tacite convincitur, voluisse dispensare cum eo, saltem tunc, si de facili potuisset contradicere, ac prohibere, & tamen non contradixit.

III. Directa, seu (ut alii loquuntur) immediata dispensatio illa est, quam Legislator impertit subditis. Indirecta vero, qua idem se ipsum eximit ab obligatione Legis; quod duobus modis contingere natum est. 1. Quando totam communitatem eximit a Lege; quo casu se ipsum indirecte pariter de- obli-

obligat. 2. Quando alteri cuipiam v. g. Confessario dat facultatem dispensandi circa suam (Legislatoris scilicet) personam.

Quæres secundo, quinam generaliter loquendo dispensare valeant?

438. R. primo. Generaliter loquendo dispensare potest 1. ipsusmet Legislator. 2. Hujus in Jurisdictione Successor. 3. Et utriusque in eadem Jurisdictione Superior. Ita *DD. communissime*. Ratio est: quia obligatio Legis dependet a voluntate Legislatoris, & cum Successor in Jurisdictione habeat parem potestatem cum suo Antecessore; Superior autem utriusque habeat Jurisdictionem altiorem, a qua dependet Jurisdictio Legislatoris inferioris, consequens est, quod si hi velint subditum dispensatum in Lege, reipsa cesset hujus obligatio respectu dispensati.

439. R. secundo. Summus Pontifex dispensare potest nedum in Legibus a se latis; verum etiam in omnibus Legibus positivis, tum a Conciliis generalibus, tum ab aliis Pontificibus Antecessoribus; tum denique etiam ab ipsis Apostolis latis. Ita *ex communi* aliorum tenent Suarez *de Leg. lib. 6. c.* 14. Castropalao *tr.*3. *disp. 6. punct.* 4. *n.* 2. *&* *seqq.* Ratio horum facile colligetur ex proxime dictis; tum ex eo etiam, quod summus Pontifex in potestate Jurisdictionis neque D. Petro, cujus est Successor, neque ceteris Apostolis sit inferior, licet in aliis prærogativis, ac gratiis eisdem cedere supponatur. Secus dicendum est de Canonibus Apostolorum, quorum non Apostoli, sed Christus Dominus ipse Auctor est; uti est Canon de baptizandis Parvulis, de confirmatione baptizatorum &c. qui, cum sint juris divini, ne quidem ab ipsomet summo Pontifice abrogari possunt, aut dispensari, uti recte advertit Laymann *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 3.

440. R. tertio Archi Episcopus, vel etiam Episcopus potest dispensare in omnibus Legibus Synodi Diœcesanæ. Ita Suarez *de Leg. l.* 6. *c.* 15. *n.* 8. quem sequitur Babenstuber *ubi supra art.* 4. *n.*15. Bonacina & alii. Ratio est: quia ejusmodi constitutiones supponuntur dependere a solo Archi-Episcopo, vel Episcopo tanquam Superiore, & Legislatore: etenim ceteri Sacerdotes, & Clerici non convocantur ad Synodum eo fine, ut ipsi aliquid auctoritative statuant, sed ut res adhibito eorum Consilio eo salubrius, & bono communi convenientius decidantur, atque executioni mandentur. Quod autem de Archi-Episcopis, & Episcopis modo fuit dictum; idipsum ob eandem rationem dicendum, & intelligendum venit de Principibus sæcularibus nec non de Prælatis Regularibus gaudentibus Jurisdictione ordinaria in foro externo; hi enim omnes in Legibus propriis, id est, propria auctoritate conditis, dispensare valent, idque etiam Jure ordinario; quandoquidem *ejusdem potestatis esse debeat ligare, & solvere c. inferior dist.* 21. *& c. cum inferior de majorit. & obed.* Inde fit, quod hanc suam potestatem possint delegare aliis, prout praxis quotidiana probat; sic enim ex variis privilegiis summorum Pontificum nos Religiosi mendicantes possumus dispensare cum sæcularibus in variis votis, sicut, & in privatione petendi debitum, contracta ex incestu commisso cum consanguineo, aut consanguinea conjugis in primo, vel secundo gradu &c. veluti diximus *in Theol. Sacram. part.* 3. *Confer.* 20. *n.* 495. *&* 496. Similiter Domini Parochi gaudent potestate delegata, dispensandi cum suis Parochianis in certis quibusdam casibus, utputa in esu carnium & observantia festorum &c. uti recte tenet noster A. R. P. Kazenberger cum *aliis communiter*.

441. R. jam tertio. Nullus inferior in Lege Superioris dispensare valet, nisi hoc eidem a Superiore fuerit concessum, etsi Superior ceteroquin hanc potestatem dispensandi specialiter non reservaverit sibi soli. Ita Herincx *de Leg. disp.* 4. *n.* 20. Babenstuber *ubi supra a.* 4. *n.* 16. contra Covarruv. S. Antoninum, & alios nonnullos. Ratio hujus desumi debet tum ex proxime allegato *cap. cum inferior*, tum etiam *ex Clem. ne Romani. de Elect. & Elect. potest.* tum denique ex eo: quia inferior nequit mutare jura Superioris, nisi eidem talis potestas fuerit vel expresse, vel tacite saltem concessa: ergo hac præcisa nequit inferior dispensare.

442. Non tamen abs re dictum fuit: *Nisi hoc a Superiore eidem fuerit concessum.*

Dan-

Dantur enim aliqui casus, in quibus hæc facultas conceditur etiam Prælatis inferioribus, sive de inde jure expresso, sive de consuetudinario. Casus autem sunt sequentes. Primo. dum Legislator dicit, in tali Lege dispensari posse, per hoc intelligitur, velle inferiori dare potestatem dispensandi; Secus enim frustra uteretur hujusmodi terminis; cum aliunde notum sit, quod ipse in sua propria Lege valeat dispensare. 2. Si vel materia est omnino levis, vel certe frequenter necessum sit, ut dispensetur, aliunde vero tam facilis recursus ad Superiorem v. g. S. Pontificem propter viarum distantiam, vel alia impedimenta non detur. 3. Quando est periculum in mora, & urget necessitas, neque Superior ipse tam facile conveniri potest. 4. Quando legitima consuetudine jam fuit introductum, ut inferior dispenset in hoc, vel illo casu. 5. Denique, quando dubitatur, an talis casus dispensatione indigeat, vel non. Ita in re tenent Castropalao *part. 1. tr. 3. disp. 6. pu. 5.* Illsung *tr. 1. disp. 2. art. 4.* Bastenstuber *tr. 3. disp. 3. a. 4. n. 20.*

Quæres tertio, utrum dispensatio facta sine legitima causa sit valida.

443. R. cum distinctione; nam si fiat ab ipsomet Legislatore, in propria scilicet Lege, valida quidem est, sed non licita; at vero, si Legislator inferior attentet dispensare in Lege Superioris, hujusmodi dispensatio nedum illicita est, sed etiam invalida. Ita rursus *communissime* Doctores. Ratio posterioris liquet ex dictis *n.* 441. Ratio prioris est hæc; quia vis, & obligatio Legis totaliter dependet a voluntate Legislatoris: ergo quemadmodum potuisset Legem non ferre, aut etiamnum penitus abrogare, ut diximus *in conferentia proxime præcedente*; ita etiam potest quemlibet, saltem valide, eximere ab eadem obligatione. At vero, an Legislator sine justa causa in Lege propria dispensando graviter peccet, major est controversia inter Doctores: quocirca Laymann *l. 1. tr. 4. c. 22. n. 13.* Illsung *cit. disp. 2. n. 52.* & alii plures negative quidem respondent; eo quod Legislator utatur Jure suo, esto hoc aliquo modo abutatur, quemadmodum prodigus abutitur suis pecuniis & tamen nonnisi venialiter peccat: minime tamen dubitandum arbitror, quin subin etiam possit peccare motaliter, casu quo prævidet, se dispensando aliis daturum scandalum, vel causam liberius prævaricandi, aut prorsus contemnendi Legem, vel, si prævideat, alios v. g. ob remissionem tributi, aut justi obsequii, sine justa causa uni, vel alteri factam, plus justo gravandos &c. Hac de causa Suarez *de Leg. lib. 6. c. 18. n. 9.* tenet Legislatorem sine justa causa dispensando in propria Lege, peccare mortaliter ex genere suo.

Quæres quarto, utrum etiam in Lege naturali dispensari possit auctoritate humana, vel saltem divina?

444. R. in Lege naturali *præceptiva*, aut *prohibitiva* ne quidem Deus, multo minus homo proprie, & directe dispensare potest. Ita tenet Mastrius *Theol. mor. disp. 2. n. 52.* Schmalzgrueber *l. 1. tit. 2. n. 56.* Michel *in Theol. Can. morali t. 1. tr. 4. q. 7. §. 5. pu. 1. n. 18.* Ratio est: quia proprie, & directe dispensare idem est, ac obligationem Legis circa unum, vel alterum tollere, manente eadem materia, & circumstantiis, ita, ut hæc obligatio cesset ob solam, & unicam voluntatem dispensantis; at fieri nunquam potest, ut propter solum beneplacitum divinum materia Legis naturalis, utpote intrinsece, & ex natura sua honesta, aut inhonesta, de illicita fiat licita, honesta, seu conveniens creaturæ rationali: ergo pariter repugnat, ut, vel Deus, vel homo, quiscunque demum, proprie, & directe dispenset in Lege naturali.

445. Dixi tamen, ne Deum quidem *proprie, & directe* dispensare posse in Lege naturali; minime enim negari potest, Deum posse dispensare *improprie, & indirecte*, idque toties, quoties materia Legis naturalis ejusdem dominio absoluto substat in tantum, ut possit desinere esse materia Legis naturalis. E. g. Lege naturali, & divina prohibemur contrectare rem alienam rationabiliter invito Domino, & vi hujus præcepti minime licuisset Israelitis aufferre bona, seu etiam vasa Ægyptiorum: quia tamen hæc bona temporalia quæcunque demum substant alto, & absoluto Dei Dominio: hinc potuit is horum dominium transferre in Israelitas, & transferendo efficere, ut hi spoliando

Ægyptios non amplius aufferrent rem alienam, sed propriam, & consequenter neque furtum committerent, neque rapinam. Ex quo liquet, quomodo materia hujus præcepti auctoritare divina fuerit immutata, & indirecte, seu improprie dispensatum. Videatur R. P. Michel. *loc. cit.*

446. Dixi insuper, non posse *proprie dispensare* in Lege naturali *præceptiva vel prohibitiva*; Secus enim dicendum est de Lege naturali *permissiva*, vi cujus permittitur tantum, non vero præcipitur v. g. ut bona temporalia omnibus sint communia, item ut quisque gaudeat libertate naturaliter sibi congenita, præsertim in ordine ad eligendum vitæ statum; hæc enim nedum divina, verum etiam humana auctoritate immutari possunt. Ratio est: quia hoc ipso, quod sint duntaxat de Jure permissivo, non sunt simpliciter necessaria ad conservandam morum honestatem, sed solum permittuntur per Legem naturæ tamdiu, quamdiu altiori potestati non fuerit visum aliud expedire: ergo cum de facto refrigescente charitate, & crescente simul hominum avaritia, visum fuerit magis expediens societati, ac tranquillitati hominum, ut fieret distributio singulorum bonorum, potuit hæc fieri, & bene facta præsumitur in hodiernum usque diem.

Quæres quinto, quid sit interpretatio Legis, & quotuplex?

447. R. Interpretatio (prout, vel ex ipso nomine hujus vocabuli colligere fas est) idem sonat, ac verbi, vel sententiæ cujusdam clarior expositio, seu declaratio: ideoque interpretatio Legis idem est, ac clarior ejusdem expositio. Porro triplex interpretationis genus a Doctoribus communiter distinguitur; alia enim appellatur *authentica*, alia *usualis*, & alia *Doctrinalis*, seu *Scholastica*. Authentica illa censetur, quæ fit per ipsummet Legislatorem. *Ejus* quippe *est Legem interpretari* (authentice scilicet) *cujus est condere*, ut, *unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat L.* 11. *C. de Leg.* item *cap. inter alia de sent. excomm.* Usualis illa merito appellatur, quam usus, seu consuetudo facit, juxta illud *cap. cum dilectus de consuet. consuetudo est optima Legum interpres*. Doctrinalis denique ea vocatur, quæ fieri solet a Doctoribus classicis, seu Scholarum Magistris. Hæc vero, esto non sit authentica sicut prima ex mox recensitis, nihilominus magnam probabilitatem tribuit, propereaque nedum fundare potest resolutionem practicam, sed nequidem ab eadem de facili recedendum est, nisi de contraria mente Legislatoris aliunde constet, veluti bene observat P. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 2. *dist.* 4. *n.* 2.

Quæres tamen sexto, an vel quænam Regulæ in interpretatione Legum sint observandæ?

448. R. Observandæ sunt sequentes. *I. Interpretatio Legis menti potius, quam verbis Legislatoris consonare debet*. Ratio hujus insinuatur *L. scire ff. de Legibus* ibi: *scire Leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim, ac potestatem*. Ceterum mens Legislatoris ex rationis Lege posita præcipue colligi potest, ac debet, prout rursus habetur *cap. intelligentia de verbor. signif.*

II. Verba generalia Legis generaliter sunt accipienda; nam *ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus*, prout loquitur summarium *lib. de pretio ff. de publiciana in rem actione*. Secus tamen dicendum est, casu quo Lex generalis per aliam specialem immutatur, aut corrigitur, aut ubi circumstantiæ particulares aliud censendum consulunt.

III. Lex pœnalis sicut, & Lex nova correctoria Legis antiquæ, & omnis alia odiosa in dubio stricte interpretanda est, nec de facili extendenda ultra casum, aut personas expressas. Ratio est: quia *juxta Reg.* 15. *Jur. in sexto*: *odia restringi & favores convenit ampliari*. Et: *In pœnis benignior est interpretatio facienda* prout habetur *Regul.* 49. *eod.* Dictum tamen est: *in dubio*; nam si verba Legis quantumvis pœnalis ita clara sint, ut aliam interpretationem non patiantur, vel si aliunde constet certo de mente Legislatoris, tunc oportebit se accommodare Legi, & non sinistre eam interpretari, prout satis clare datur intelligi *l. prospexit ff. qui, & a quibus manumissi* hisce formalibus: *quod quidem perquam durum est, sed ita Lex scripta est*.

IV. Le-

IV. Leges favorabiles ample sunt interpretandæ. Ratio desumitur *ex Regula* 15. *J. in 6.* proxime allegata ubi dicitur *: favores convenit ampliari*. Hac de causa, si quid odiosum statuatur contra Clericos, nomine Clerici non debet comprehendi Episcopus, ut dicitur *cap. quia periculosum de sent. excomm. in sexto*. Neque intelligi debent Canonici, vel alii in dignitate Ecclesiastica constituti. *arg. cap. Sedes de Rescriptis*. Neque Religiosi *arg. Clem.* 1. *de supplend. neglig. Prælat.* Econtra in materia favorabili prædicti omnes possunt intelligi sub nomine Clerici, quemadmodum & Novitii sub nomine Religiosi veniunt. Videatur de his Reiffenstuel *lib.* 1. *decret. tit.* 2. §. 16. *&* 17. ubi plures adhuc hujusce modi Regulas tradit, & sapienter dilucidat; id, quod etiam facit noster Herincx *cit. disp.* 3. *n.* 189. *& seqq.*

Quæres septimo, quid sit Epikeia?

449. R. Epikeia est benigna interpretatio mentis Legislatoris, vi cujus secundum æquum, & bonum declaratur, hunc non voluisse aliquem casum particularem ob speciales circumstantias in eodem occurrentes in sua Lege universali comprehendere; Nam in omnibus causis potior debet esse ratio æquitatis, quam stricti juris *l. placuit c. de judiciis*. Ex quo liquet, Epikeiam in eo differre ab interpretatione, quod per hanc interpretemur, seu declaremus *verba Legis*, per illam vero *mentem Legislatoris*. Quo circa Herincx *cit. disp.* 3. *n.* 197. recte tradit sequentem regulam velut generlaem : *quotiescunque moraliter potest constare, quod Legislator noluerit aliquem casum comprehendere, etsi verba Legis sint generalia, licitum est contra illa operari*.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa dispensationem, & interpretationem Legum.

CASUS PRIMUS.

Titius germanus, & nobilis Mercator a suo Confessario petiit, ut is secum dispensaret in jejunio, & abstinentia ab esu carnium etiam diebus veneris, ac Sabbatinis; tum quia Titius erat vir spectabilis, & ad minus sexaginta annos natus; tum etiam quia aliunde multis laboribus quasi continuo distentus fuerat, etsi ceteroquin viribus valde adhuc integer, ac robustius videatur. Verum Confessarius Titio illico respondit, sibi neutiquam competere potestatem in hac Lege Ecclesiastica dispensandi, proindeque necessario recurrendum fore, vel ad Reverendissimum suum Ordinarium, vel Romam ad S. Pontificem. Petiit proin Titius a Reverendissimo suo Ordinario dispensationem, sed cum hæc eidem rotunde, & absolute fuisset denegata, scripsit Romam, allegando in sua supplica partim ætatem tam profectam, partim etiam infirmitatem, intelligendo per hanc stomachi debilitatem, vel verius loquendo nauseam, quam comedendo cibos esuriales sentire consuerat, & præsertim defectum somni, quem stomacho vacante una, alterave vice capere non potuerat. Quam ob rem Roma illico dispensatus fuit, & quidem in perpetuum. Nihilosecius conscientiæ stimulis agitatus sciscitatur a suo Confessario, an præfata dispensatione tuto possit uti; causam vero dubitandi allegat geminam, primo quod hanc petierit propter infirmitatem; cum tamen sibimet non videatur infirmus. 2. Quod in sua supplica nihil expresserit de hac facultate a suo Reverendissimo Ordinario sibi denegata. Jam vero ad nostrum propositum quæri potest 1. an Confessarius recte responderit Titio, dicendo, se non posse dispensare in facultate petita? 2. Quidnam Titio dubitanti, & interroganti de valore dispensationis fuerit respondendum?

250. R. ad primum. Confessarius bene respondit Titio, sibi non competere facultatem dispensandi in jejunio Ecclesiastico. Ratio hujus petenda est ex dictis *n.* 441. quia nullus inferior potest dispensare in Lege Superioris: atqui Lex jejunii Ecclesiastici utpote lata a S. Pontificibus, est Lex Superioris: ergo Confessarius in hac Lege nullatenus potuit dispensare. Et licet subinde ob evidentiam causæ (qualis potest esse manifesta infirmitas, vel aliud detrimentum grave) Confessarius per Epikejam possit prudenter declarare, mentem summi Pontificis, aut Ecclesiæ velut piæ Matris non esse, ut taliter infirmatus jejunium servet; quia tamen Titius voluit esse dispensatus absolute, & in perpetuum, etiam diebus veneris &c. talis vero esus vix, aut ne vix quidem possit manere occultus

cultus in tantum, quin innotescat Ecclesiæ, ex altera vero parte causa exemptionis non fuerit manifesta; Secus enim Reverendissimus Ordinarius non denegasset facultatem comedendi carnes; hinc Confessarius sapientissime fecit, Titium dirigendo ad suum Superiorem legitimum, e cujus arbitrio dependet facultas dispensandi.

451. R. jam ad secundum. Confessarius potuit, ac debuit Titio respondere, quod is facultate obtenta potuerit tuta conscientia uti; quandoquidem dispensatio fuerit valida. Nec refert, quod in sua supplica non expresserit, dictam facultatem a suo Reverendissimo Ordinario sibi fuisse denegatam; hoc enim non obstante potuit S. Pontifex, immo vero, teste La Croix *lib.* 1. *n.* 811. & Kazenberger *in supplem.* 2. *P. Sargar. Confer.* 39. *n.* 111. censetur habuisse præsentem absolutam voluntatem.

Esto etiam Titius sibi videatur non esse infirmus, quia tamen in supplica allegavit ætatam grandævam, simulque fatetur, se nedum sentire nauseam ciborum esurialium, verum insuper defectum somni, qui reipsa dici potest morbus, præsertim respectu alicujus seniculi; hinc pie admodum præsumere licet Ecclesiam ceu piam Matrem horum intuitu dispensare voluisse. Adde, quod in dubio de valore dispensationis obtentæ semper sit præsumendum pro valore actus, cum pro hoc stet possessio, veluti cum Sanchezio, Castropal. Tambur. Gobat *Theol. exper. tr.* 9. *num.* 615. *&* 682. tenet La Croix *loc. cit. n.* 805. tametsi proin in hoc casu videatur quodammodo dubium relinqui de sufficientia causæ allegatæ, & de valore dispensationis obtentæ, nihilominus dispensatus practice tuto se potest resolvere circa esum carnium sibi concessum.

At quid, inquies, si quis non ita senex, vel grandævus ob aliam infirmitatem duntaxat postulet dispensationem perpetuam in esu carnium, & hæc Romæ expediatur cum sequenti clausula, *ut possit comedere carnes de consilio tamen Medici spiritualis, & corporalis;* postea vero Orator prædictus ex integro convalescat, poteruntne in hoc casu dicti Medici dispensare, vel saltem consulere, ut dispensatus protinus pergat comedere carnes?

452. R. Neque in hoc casu a Medico sive corporali, sive spirituali posse dispensari. Ratio manet eadem, quæ proxime fuit data: quia scilicet nullus inferior dispensare valet in Lege Superioris; tum etiam, quia in Rescripto prædictis Medicis non fuit comissa facultas dispensandi sed consulendi duntaxat id, quod tum pro gloria Dei, tum etiam pro salute animæ, ac corporis judicaverint magis expedire. Censeo proin, in tali casu, vel maxime attendendum esse ad statum, & conditionem personæ, utputa, an sit persona publica, vel privata, ad divini honoris, vel boni publici propagationem parum, aut multum conducens, vel omnino necessaria; item an infirmitas cessaverit ex integro, vel non, denique, an sit periculum ob abstinentiam a carnibus reincidendi in eandem, vel aliam infirmitatem, vel non; tanto enim amplius pie præsumere licet de benigna mente Ecclesiæ, quanto talis persona videtur magis proficua, aut necessaria ad promovendam Dei gloriam, & Christianæ Reipublicæ emolumentum. Videatur Wigant *tr.6.exam.7. de Leg. hum.quæst.20.§.dico &c.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius desiderans ducere personam sibi consanguineam scripsit Romam, allegato uno alterove rationabili motivo, quam ob rem Romæ expedita, & Reverendissimo Vicario Generali demandata fuit facultas, ut cum præfatis oratoribus dispensaret, modo culpa carnalis inter eos non intercesserit. *Quia vero Sempronius eandem suam consanguineam sæpius jam cognovit carnaliter, hinc multum sollicitus & anxius sciscitatur e Confessario, an hæc sua delicta prædicto Reverendissimo Generali Vicario teneatur fateri, casu quo ab eodem examinabitur desuper.* 2. *An stante hac dispensatione, & non obstante memorata clausula, possit ducere suam consanguineam. Quid Judicii?*

453. R. Sempronius non tenetur nec publice, neque privatim interrogatus Reverendissimo Vicario Generali fateri copulam carnalem cum consanguinea habitam, modo hæc non sit publice nota, aut pu-

publicitati subjecta, ntputa quia memorata conjanguinea jam est actu prægnans, aut publice suspecta de gravedine &c. Ita tenent Gobat *Theol. exper. tr. 9. n. 628.* Lessius *in auct. V. Matrimon. casu* 8. apud La Croix *lib. 6. part. 3. n. 922.* Ratio est: quia cum rescriptum loquatur pro foro externo; hinc præfata clausula pariter debet intelligi de copula darnali in foro externo, id est, publice nota. Hac de causa Aversa, Diana *to. 3. tr. 2. Resol. 163.* & alii apud nostrum Kazenberger *in supplem. 2. P. Sargar. Confer. 46. n. 131.* asserunt, quod hujusmodi sponsi a Judice Ecclesiastico examinati, & interrogati in foro externo, possint negare, immo etiam cum restrictione mentali jurare, quod non intercesserit culpa carnalis (intelligendo scilicet) *in foro externo notoria*. Idque propterea, vel maxime: quia Ecclesia velut pia Mater non præsumitur velle obligare quempiam, ut fatendo occulta sua crimina, in & pro foro externo se ipsum graviter diffamet. Neque etiam necessum est, ut Sempronius prius saltem in foro Sacramentali confiteatur Reverendissimo Vicario Generali, multo minus, ut propter hujusmodi copulas mere occultas a majori Pœnitentiario petat absolvi; tum quia non sunt impedimentum dirimens, aut impediens; tum etiam quia ab his potest a quolibet Confessario absolvi Sacramentaliter, non item a Majori Pœnitentiario, utpote absente, ut supponitur; tum denique, quia cum impedimentum consanguinitatis sit notorium, dispensatio, seu ablatio hujus non a Majori Pœnitentiario, sed in Dataria petenda est, atque impetranda. Videatur de hoc Reiffenstuel *lib. 4. Decret. in appendice de dispens. a n. 192.*

454. R. jam ad secundam partem quæsiti. Titius tuta conscientia potest contrahere Matrimonium cum sua sponsa consanguinea. Ratio hujus patet ex proxime dictis: quia vi dispensationis impedimentum fuit sublatum, at, ubi nullum amplius impedimentum inter sponsos occurrit, ibi matrimonium tuta conscientia contrahitur: ergo &c.

At quid inquies., si a Majori Pœnitentiario pro foro interno præcise dispensaretur cum præfata clausula scilicet; *modo inter Oratores copula carnalis non intervenerit &c.* tenerenturne tales Commissario, Confessario scilicet, vel Doctori in Theologia ab ipsis eligendo (uti communiter rescribi solet) cui facultas dispensandi concredita fuit, fateri copulam etiam occultam?

455. R. affirmative. Nam si impedimentum v. g. affinitatis fuisset ortum ex copula illicita, tunc Orator debet hanc in sua supplica exprimere, prout diximus *in Theol. Sacram. part. 3. Confer. 20. n. 500.* ubi modum formandi hujusmodi supplicam ex professo tradidimusr, poptereaque Lectorem illuc quantum ad hoc remittimus. Neque in hoc casu dispensatio Romæ impetrata unquam continebit præfatam clausulam. At vero, si ob aliud impedimentum mere occultum v. g. criminis fuit impetrata dispensatio cum præfata clausula, tunc dispensandi tenentur Confessario, cui executio dispensationis fuit demandata, in foro conscientiæ aperire copulam carnalem, quantumvis secreto commissam; quia talis Confessio pro foro conscientiæ præcise injuncta, non debet censeri onus extraordinarium, neque propter hanc Oratores incurrent specialem infamiam, nisi coram Confessario, cui aliunde jam tenebantur fateri crimina, licet in occulto commissa. Quin immo si copula carnalis perfecta intercessit, delegatus nequit amplius exequi dispensationem; quandoquidem huic supponatur concessa facultas non aliter, nisi sub hac conditione: *modo non intercesserit &c.* ergo ruente hac conditione ruit potestas exequendi facultatem Roma obtentam. Secus dicendum arbitror, si inter dispensandos non intervenisset nisi copula carnalis imperfecta; tum quia Ecclesia nomine copulæ carnalis solet intelligere perfectam, id est talem, vi cujus vir & mulier fiunt una caro, prout diximus *l. cit. ubi de impedimento affinitatis*; tum etiam quia talis clausula utpote odiosa stricte est interpretanda, & aliunde constat, delictum non intelligi, nisi consummatum *cap. hæc autem, dist. 1. de pœnit.* ergo hæc clausula non debet extendi ad copulam imperfectam, quippe quæ potius tactibus impudicis, ac lascivis imputanda venit, veluti La Croix, aliique DD. satis communiter notant.

CASUS TERTIUS.

CAja puella anno circiter decimo quinto suæ ætatis emiserat votum perpetuæ castitatis; at vero elapsis postea 5. aut sex annis ubi charitas Dei sensim sine sensu cœpit diminui, e contra stimuli carnis &c. augeri, Caja pariter incœpit amare, & amari ab hominibus eo usque, ut a quodam suo amasio fuerit imprægnata. Quia vero votum simplex duntaxat fuit, & occulte emissum; hinc petiit Roma a Majori Pœnitentiario dispensationem in ordine ad contrahendum Matrimonium, allegato gemino motivo, scilicet 1. ut nata proles per subsequens matrimonium legitimaretur. 2. Ut Maritus posset sublevare Matrem Cajæ, quæ erat Vidua simulque hospitissa satis annosa. Post elapsum bimestre circiter venit Roma dispensatio, directa ad virum discretum, &c. cum solita illa clausula, ut dispenset, si preces veritate nitantur. Quia vero interim nedum proles genita, verum etiam Vidua, Mater scilicet Cajæ ærumnis, præsertim ex infamia filiæ in se quodammodo redundantis consumpta obiit, ideo Vir ille discretus merito dubitare cœpit, an præfatam dispensationem adhucdum potuerit exequi. Quid judicii?

456. R. Si tam proles genita, quam etiam Mater Vidua obiere prius, quam Vir ille discretus (confessarius scilicet) dispensationem actu fuit executus, tunc non amplius potest eam exequi. Ratio est: quia causa finalis motiva necessario debet verificari pro tunc, quando actualiter dispensatur per deputatum in rescripto, veluti bene tradit R. P. Kresslinger *in addit. 1. ad tr. 2. dist. 4. post n. 26. Theol. mor.* R. P. Reiffenstuel cum Covarruvia *de matrim. part. 2. tom. 1. cap. 6. §. 9. de dispensat. n. 22.* ubi is testatur, ita fuisse decisum a Rota: atqui in hac specie facti fertur, cessasse geminum motivum: ergo ille Vir discretus a Majori Pœnitentiario deputatus, non potuit amplius exequi dispensationem. Consequenter dicendum, quod Caja valide quidem, non tamen licite contraheret matrimonium; quia scilicet votum simplex castitatis est impedimentum impediens, etsi non sit dirimens matrimonium contrahendum, prout pariter dictum fuit *Theolog. Sacram. parte. 3. Confer. 3. n. 69. & seq.*

At quid, ais, si supponamus prolem, ac Viduam primum obiisse, postea quam Confessarius jam dispensavit cum Caja, ante contractum tamen matrimonium, liceretne huic vi præfatæ dispensationis nubere suo sponso?

457. R. Tametsi multi hoc negent, eo quod in actibus revocabilibus saltem Legislator censeri debeat, voluisse duntaxat dispensare pro eo tempore, pro quo licite, & sine peccato dispensare potuit: unde quemadmodum (inquiunt, ob infirmitatem dispensatus in esu carnium, vel ob debilitatem oculorum in recitandis horis Canonicis, tenetur rursus abstinere ab esu carnium, vel recitare horas Canonicas, quamprimum cessaverit infirmitas; ita pariter tenentur abstinere tales sponsi a contrahendo matrimonio, non obstante dispensatione jamjam impetrata. Ita Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 3.* cum aliis multis: sane non improbabiliter. Nihilominus censeo, sententiam oppositam Gobati *tr. 9. experim. n. 675. & 692.* Castropalao *part. 1. tr. 3. disp. 4. pu. 15.* Illsung *tr. 1. disp. 3. a n. 41.* & Henno *de Leg. disp. 3. q. 15. a. 5.* satis probabilem præsertim in hoc nostro casu. Ratio est: quia dispensatio Cajæ jam semel fuit concessa, & quidem absolute, non ad certum tempus duntaxat, prout infirmis in esu carnium concedi solet; & Caja a suo voto fuit simpliciter dispensata. Insuper (ait Illsung *cit. n. 43.*) dispensationis ratio fuit legitimatio prolis, ut obtentibilis tempore, quo delegatus hanc dispensationem actu impertiretur; unde vi hujus dispensationis jam actu obtentæ Caja acquisivit jus contrahendi licite: ergo hoc jure privari non debet in dubio: dubium autem est, & valde controversum inter Doctores, an in hoc casu cessat favor dispensationis obtentæ: ergo in hanc potius sententiam, & partem benigniorem inclinandum censeo, eo præsertim quod inter tales personas cæco amore fascinatas non modicum periculum incontinentiæ communiter soleat intervenire, cujus intuitu Ecclesia solet facilius moveri ad impertiendam dispensationis gratiam.

458. Fatendum nihilominus est, hujuscemodi sponsos tutius processuros, si

ad evitanda etiam peccata materialia de novo efflagitent dispensari in tali impedimento, præsertim si hoc fuisset publicum, & notorium, veluti regulariter esse solent impedimenta consanguinitatis, affinitatis, aut publicæ honestatis. Quo non obstante existimo, quod, si Confessarius prævideat hujusmodi personas non amplius destituras a suo proposito, præsertim si jam omnia ad nuptiale convivium sint præparata, omnino oporteat eas relinquere in bona fide: idque a fortiori dicendum foret, si supponantur matrimonium interim jam actu contraxisse. At vero, si agatur de matrimonio primum post aliquot septimanas contrahendo, & sponsi de valore, vel licentia hujus ex professo consulant, Confessarius procul dubio sapienter aget, suadendo, ut de novo conentur impetrare beneficium dispensationis.

Ergone, inquies, necessum erit, ut de novo recurrant Romam non sine magnis incommodis, & intolerabilibus expensis?

459. R. Probabilissime non tenentur amplius recurrere Romam; enim vero si agatur de voto simplici castitatis etiam perpetuæ, & quidem occulto duntaxat quilibet Confessarius Mendicantium poterit dispensare. Si vero agatur de alio impedimento notorio, utputa consanguinitatis, publicæ honestatis &c. poterit in tali casu dispensare Reverendissimus Ordinarius, seu Episcopus, præsertim hic in Germania. Ratio est: quia, quemadmodum Nos Mendicantes possumus dispensare in voto castitatis perpetuæ, sed dubio, ita Episcopi Germaniæ dispensare possunt in aliis impedimentis matrimonii dubiis, & jure humano duntaxat introductis, prout partim ex dictis *n.* 442. partim etiam ex iis, quæ diximus *part.* 3. *Theol. mor. Sacram Confer.* 20. *n.*493. constare potest: at, si dispensatio jam semel fuit Romæ obtenta (uti supponitur in hoc casu) & postea primum oriatur dubium, an adhuc valeat, eo quod causa finalis videatur cessasse ex integro, eo ipso impedimentum relinquitur dubium: ergo potest Episcopus Germaniæ dispensare in tali casu, præsertim cum aliunde constet, quod Ecclesia ad obviandum animarum periculis in dubio velit impedimenta matrimonii, jure humano introducta, esse remota. Videatur de hoc Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *c.* 40. *n.* 26. Castropalao *tr.* 3. *disp.* 6. *p.* 5. *n.* 20. Barbosa *de potestat. Episcop. part.* 2. *Alleg* 35. *n.* 19.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

460. Colliges primo ex hactenus dictis ad valorem dispensationis indispensabiliter necessariam esse voluntatem dispensandi ex parte Legislatoris, vel hujus substituti. Ratio est: quia obligatio Legis dependet a voluntate Legislatoris: ergo si is nolit hanc sublatam, semper perseverabit. Hac de causa dispensatio data sub conditione non valet, nisi subsistat conditio; quia voluntas dispensantis pariter fuit conditionata duntaxat. Similiter dispensatio concessa ad certum tempus v. g. infirmitatis &c. eo elapso, & cessante infirmitate, pariter cessat, idque ob rationem mox datam.

Sed quid, inquies, si dispensans post dispensationem impertitam moriatur, licebitne dispensato protinus uti tali privilegio?

461. R. Cum distinctione. Nam si dispensatio nedum Romæ (vel ab alio v. g. Episcopo) expedita, sed insuper dispensato effective, seu actu jamjam communicata sit, manebit semper, præsertim si causa dispensandi adhuc subsistat, vel casus ipse, in quo dispensatum fuit, sit irretractabilis, veluti est status matrimonialis, Sacerdotalis, aut Clericalis. Similiter si dispensatio quidem Romæ, aut in Curia Episcopali jam fuit expedita, nondum tamen per substitutum v. g. Confessarium executioni mandata, tenebitur is subsistente adhuc causa finali, & non obstante morte ipsius Legislatoris dispensationem exequi, veluti habetur decisum *c.* 9. *de offic. del Leg. in sexto*. Et merito, nam dispensatus per ipsam expeditionem jam acquisivit quoddam jus, & hæc dispensatio jam obtinet rationem *gratiæ factæ* per ipsum Legislatorem; nec stat amplius in arbitrio, vel mero beneplacito delegati, eam exequi, vel non

non. Adde, quod juxta *Reg.* 16. *Jur. in* 6. *Beneficium a Principe concessum de ceat esse mansurum*.

At vero, si Legislator obiisset eo tempore, quo primum cogitasset dispensare, ideoque dispensationis gratia nondum fuisset facta, sed *primum facienda*, tunc post mortem voluntas Legislatoris nihil amplius patrocinabitur, prout rursus habetur decisum *cap. si cui nulla*, §. *fin. de præbendis in sexto*. Videatur Kresslinger *ubi supra addit*. 3.

462. Colliges secundo, tam dispensationem subreptitiam, quam etiam obreptitiam esse invalidam, & nullius valoris. Ratio est: quia subreptitia illa vocatur, quando in supplica ab Oratore reticetur veritas necessario exprimenda: econtra illa obreptitia appellatur, in qua exprimitur falsitas, seu aliquid falsum, quo cognito Legislator nunquam dispensasset. Ratio est: quia hisce stantibus Legislatoris intentio censetur fuisse nulla, veluti habetur *c. ad aures &c. constitutus de Rescriptis*; at, sine voluntate Legislatoris dispensatio nulla est, uti proxime fuit dictum: ergo &c. Unde si quis ad obtinendam dispensationem in esu carnium a Medico expracticet testimonium, simulando nescio quam infirmitatem, utputa debilitatem stomachi, nauseam ciborum &c. si tamen reipsa talis infirmitas non subsistat, dispensatio pariter debet censeri nulla, & dispensatus reipsa toties peccat mortaliter, quoties vi talis dispensationis carnes comedere præsumit.

463. Colliges tertio, beneficium dispensationis semper esse postulandum, & impetrandum a Superiore, Legislatore scilicet, vel hujus delegato. Ratio est, quia dispensatio est actus Jurisdictionis, soli Superiori competentis. Quia tamen non est actus Jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ duntaxat; hinc fit, quod Superior etiam secum ipso dispensare possit ex rationabili causa; eo præsertim, quod ipse non debeat esse deterioris conditionis, quam sint subditi, quibuscum dispensare valet. Ceterum rationabiles causæ a Concilio Tridentino *ss.* 25. *cap.* 68. *de reform.* recensentur tres generaliter loquendo, scilicet 1. quando id exigit *necessitas*, vel 2. *pietas*, vel denique 3. *utilitas*.

464. Colliges quarto, Beneficium dispensationis, nec concedi posse, nisi subdito. Ratio est eadem: quia scilicet est actus Jurisdictionis, qui non valet, nisi exerceatur in subditum. Neque ex hoc sequitur, quod nos Mendicantes, utpote destituti subditis, dispensare non valeamus; Tametsi enim nos tales non habeamus, habet tamen summus Pontifex, cujus nomine, & auctoritate veluti quidam substituti, ac delegati fungimur, nedum absolvendo fideles, undeunde demum ad nos confluentes, sed insuper cum iisdem in variis votis, & casibus, exigente rationabili causa dispensando.

Dices. Quis ergo dispensabit cum vagabundis, & peregrinis?

465. R. Cum vagabundis probabiliter potest dispensare Episcopus loci, ubi morantur, idque, vel quia juxta probabilem multorum Doctorum opinionem ratione præsentaneæ habitationis sortiuntur forum, vel saltem, quia in ordine ad obtinendam dispensationem, velut actum Jurisdictionis voluntariæ tantum & non contentiosæ, possunt sese subjicere Episcopo &c. Et ita tenent La Croix *lib.* 1. *n.* 799. Sanchez, Lessius & alii plures apud hunc videndi. Idipsum ob eandem rationem de peregrinis docet Basilius Pontius apud nostrum Herincx *disp.* 4. *de Leg. n.* 30. De his tamen major est controversia inter Doctores volentibus nonnullis, quod Episcopus nequeat cum ipsis dispensare, nisi in Episcopatu fixerint verum domicilium: aliis econtra asserentibus, sufficere ad hoc quasi domicilium, quippe per quod fiunt subjecti Episcopo. Utrumque satis probabile puto, veluti ex rationibus in utramque partem adductis videre licet apud Castropalao *part.* 1. *tr.* 3. *disp.* 6. *pu.* 7. §. 2. *num.* 4. nostrum Kazenberger *in supplem. Theol. Decalog. cap.* 1. *sect.* 4. *num.* 458. *&* *seqq.* nec non apud R. D. Aug. Michel *Theol. can. moral. tom.* 1. *tr.* 4. *q.* 7. §. 5. *pu.* 2. *num.* 15. Tentare proin licebit fortunæ aleam: an vero Episcopus sit dispensaturus melius docebit experientia.

466. Colliges quinto, neque summum Pontificem dispensare posse in Lege divina,

vina,

vina, nec Archi-Episcopum, vel Episcopumin Lege Pontificia, nec denique Superiorem Regularem in statutis a toto corpore Capituli conditis, nisi id expresse, vel saltem ex consuetudine legitima eisdem permittatur. Ita *communissime DD.* Suarez *de Leg. l.* 6. *c.* 15. *n.* 4. *&* 5. Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 3. *art.* 4. *n.* 18. *&* 19. Ratio est; quia secundum dicta, per se loquendo, nullus inferior dispensare potest in Lege Superioris: at, quemadmodum Deus est Superior respectu S. Pontificis, ita Pontifex est Superior respectu Archi-Episcopi, vel Episcopi, & denique Corpus totius Capituli est Superius quam sit Prælatus Regularis v. g. Provincialis &c. ergo hi nequeunt dispensare, saltem per se loquendo, ut dictum est.

Dices contra hoc. Summus Pontifex dispensat nedum in votis, ac Juramentis, verum insuper in matrimonio rato, nec non in matrimonio spirituali Episcopum inter & Ecclesiam: atqui hoc est dispensare in Jure divino· quandoquidem vi voti, vel Juramenti Deus acquisiverit quoddam jus speciale: ergo &c.

467. R. *Concess. Maj. disting. min.* hoc est dispensare *directe* in jure divino, nego, *indirecte* comin. & neg. conseq. Nam Deus vult duntaxat, ut obligatio voti servetur, quamdiu hæc legitima auctoritate non fuerit remissa: Pontifex vero ceu legitimus Superior omnium fidelium habet potestatem remittendi talem votum juxta illud *Matth.* 16. *c. v.* 19. *quodcunque solveris super terram &c.* ergo voto semel relaxato corruit obligatio: neque hoc est proprie dispensare in Jure divino, sed potius in fundamento illius, inquit Castropalao *tr.* 3. *disp.* 6. *pu.* 3. *n.* 6. Quemadmodum parens irritando v. g. votum sui filii sub patria potestate constituti, non dispensat proprie, vel irritat jus divinum.

468. Colliges denique sexto, ad evitandum peccatum non sufficere dispensationem præsumptam, vel ratihabitionem Superioris primum de futuro, id est, talem, quam Superior primum daret, si desuper requireretur: sed debet esse dispensatio præsumpta de præsenti, id est, jam actu sive ex jure, sive ex consuetudine concessa. Ratio est: quia ut subditus agendo contra Legem Superioris evitet peccatum, debet necessario actu, & de præsenti fuisse exemptus a Lege: atqui per dispensationem primo dandam, vel impetrandam nondum est actu exemptus a Lege, sed primum eximetur: ergo quemadmodum per voluntatem Superioris primo futuram, qua is cogitat ferre Legem, nullus subditus actu adstringitur, seu obligatur; ita e contrario per voluntatem Superioris, qua is præsumitur, quod primum dispensaret, nullus subditorum censeri potest, aut debet actu exemptus ab obligatione Legis, veluti sapienter advertit Babenstuber *ubi supra a* 4. *n.* 8.

CONFERENTIA
DECIMA SEPTIMA.
De consuetudine.

SUMMARIUM.

469. *Consuetudo ut sic est quoddam jus moribus constitutum &c.*
470. *Quæ communiter solet dividi* 1. *in* Canonicam *&* Civilem. 2. *in eam, quæ est* juxta, præter, *&* contra *Legem.*
471. *Ad consuetudinem legitimam necessario requiruntur quinque conditiones, quæ*
472. *Brevissime explicantur, & declarantur.*
473. *Consensus Legislatoris potest esse, vel Legalis, vel personalis.*
474. *Ad introducendam consuetudinem via præscriptionis, & mediante consensu Legali requiritur, & sufficit decennium.*
475. *Ad introducendam vero via connivantiæ, & mediante consensu personali, sufficere potest brevius temporis spatium, tametsi hoc universaliter determinari nequeat.*
476. *Per actus etiam formaliter malos potest introduci consuetudo obtinens vim Legis:*
477. *Qui tamen actus non habent se per modum*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa consuetudines hinc inde occurrentes.

Quæres primo, quid sit consuetudo?

469. R. Consuetudo est jus quoddam moribus constitutum, quod pro Lege suscipitur. Ita præter alios Doctores Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 2. *dist.* 4. *n.* 35. quo loco idem Doctor sapienter advertit, consuetudinem generatim loquendo dupliciter sumi posse, scilicet 1. pro ipso usu seu frequentatis actibus, quæ propterea ab aliis appellari solet consuetudo *facti*. 2. Sumitur pro ipso Jure, quod tandem ex huiusmodi actibus frequentatis accedente consensu Legislatoris nasci solet, diciturque *consuetudo juris*; de qua posteriori verificatur descriptio mox tradita. Solet insuper consuetudo communiter appellari *jus non scriptum*, ad differentiam Legum, seu constitutionum, quæ dicuntur *jus scriptum*.

Quæres secundo, quotuplex sit consuetudo?

470. R. Breviter, consuetudinem, ut sic communiter dividi I. in *Canonicam* & *Civilem*. Prior est, quæ versatur circa materiam spiritualem: posterior vero, quæ præcise versatur circa materiam politicam, & temporalem. Porro, si talis consuetudo sit ubique passim recepta, dicitur *consuetudo generalis*, seu etiam *universalis*; si vero ab una duntaxat communitate v. g. Religiosa &c. recepta sit, dicitur *consuetudo particularis*.

II. Dividi solet consuetudo, ut sic in eam, quæ est *juxta*, *præter*, & *contra Legem*. Juxta Legem illa appellatur, quæ Legem præexistentem usu & exercitio confirmat, prout dicitur *c. in istis §. Leges dist.* 4. Vel, ut ait Engel *loc. cit. §.* 4. *n.* 6. vi cujus Lex ad certum modum observatur, juxta illud *c. cum dilectus de consuet. consuetudo est optima Legum interpres*. Præter Legem vero appellatur, quæ in materia non præce-

pta novam obligationem inducit. Contra Legem vero illa merito vocatur, quæ Legem antecedentem tollit, vel simpliciter vel secundum quid.

Quæres tertio, quænam conditiones ad legitimam consuetudinem sint necessariæ?

471. R. Sequentes quinque, scilicet 1. Ut sit rationabilis. 2. Legitime præscripta, seu introducta 3. Per actus frequentatos libere, ac notorie exercitos a subditis, & quidem. 4. animo introducendi Legem, ac sese obligandi; 5. Denique consensus Legislatoris saltem tacitus. Ita tenent in re *communissime DD.* nominatim Mezger, Pettschacher, M.D. Schmier, nosterHerincx & alii plures. Unde explico brevissime singulas conditiones mox recensitas.

472. I. Rationabilis debet esse atque honesta, id est, de tali materia, quæ sit conveniens communitati, & bono creaturæ rationalis; secus enim non posset habere vim Legis, quippe quæ necessario debet esse honesta velut morum regula prout dictum fuit *Confer. 9. n. 236.*

II. Debet esse præscripta, id est, debito, ac præscripto tempore introducta, & sine interruptione continuata.

III. Per actus frequentatos, id est, tam frequenter a communitate exercitos; ut inde merito possit colligi voluntas & consensus populi; & quidem

IV. Cum animo introducendi consuetudinem; secus enim Legislator nunquam volet communitatem obligatam ad novum onus, quantumvis hoc de se, & sua natura supponatur bonum. Hac de causa piissimæ nonnullæ consuetudines plurium fidelium, uti sunt consuetudo sumendi aquam lustralem, orandi ad pulsum salutationis angelicæ, quotidie audiendi sacrum, singulis mensibus communicandi &c. non obligant, neque præcipiuntur ab Ecclesia, tametsi hæc non ignoraret, hujusmodi pias consuetudines multum invaluisse in cordibus & communitatibus fidelium.

V. Denique consensus Legislatoris, vel maxime est necessarius ad legitimam consuetudinem introducendam; idque propterea: quia jus *non scriptum* æque, ac *scriptum* debet derivari a potestate Legislativa; quandoquidem sortiatur veram vim Legis, veluti amplius constabit ex dicendis: atqui sine consensu Legislatoris consuetudo non descenderet a potestate Legislativa: ergo necessum est, intervenire hujus consensum; quo circa

473. Advertendum hic venit, alium esse *consensum personalem*, alium vero *legalem*, qui etiam nominari solet juridicus vel generalis. Personalis dicitur, qui immediate procedit a persona Legislatoris; vel quia is talem consuetudinem expresse approbat, vultque eam deinceps obligatorie observari; vel certe quia saltem non contradicit, tametsi de facili posset sese opponere: quo casu locum habet illa notissima *num.* 43. *Regula Jur. in sexto: qui tacet, consentire videtur.* Legalis vero, seu etiam generalis, ac juridicus consensus, ille appellatur, qui vi juris communis conceditur, quippe in quo sæpius exprimitur, consuetudinem certis, ac debitis conditionibus vestitam, habere vim Legis. Ita constat ex utroque Jure *cap. fin. de consuet.* item *l.* 32. nec non *l.* 1. *& ult. C. quæ sit. long. consuet.*

Quæres quarto, quantum temporis spatium necessum sit ad hoc, ut consuetudo sortiatur vim Legis?

474. R. cum distinctione. Ut enim consuetudo *via præscriptionis* inducatur, necessum est, & sufficit decennium non interruptum, sive sit in materia civili sive Ecclesiastica, idque sive Princeps sit absens, sive præsenes: econtra ad introducendam consuetudinem *via conniventiæ*, id est tacitæ saltem approbationis Principis, potest sufficere tempus decennio brevius. Ita *cum communi DD.* tenent Herincx noster *disp.* 3. *de Leg. num.* 67. *&* 69. Michel *Theol. can. mor. tom.* 1. *tr.* 4. *q.* 1. *pu.* 3. *num.* 16. Hannold *de J. & J. tr.* 1. *proemial. c.* 3. *can.* 2. *n.* 130. Ratio prioris est: quia jura plus non requirunt, quam diuturnam, seu longam consuetudinem, veluti constare potest ex *L.* 33. *&* 35. *ff. de Legibus:* atqui tempus longævum reputatur decennium, *Instit. de usu cap. §.* 1. *l. fi C. de præscrip. long. temp.* ergo &c. Ratio autem posterioris est: quia secundum hactenus dicta, vis obligandi dependet a voluntate, & consensu Legislatoris: ergo quo citius is con-

consuetudinem ratificat, & approbat velut obligatoriam, eo citius etiam vim Legis obtinebit.

Sapienter proin noster P. Herincx *cit. disp.* 3. *num.* 69. *in fine* ait, non posse generaliter definiri quantitatem temporis, quando consuetudo introducitur via conniventiæ, per consensum scilicet tacitum Legislatoris; sed hoc esse desumendum ex diversis circumstantiis & conjecturis, utputa scientiæ Principis, an scilicet sciverit hanc consuetudinem, an multum, vel parum sese opposuerit, tametsi de facili potuisset, item an materia multum, vel parum conducat, aut expediat bono communi &c.

Ex quibus omnibus bene ponderatis tandem prudenti judicio decidendum erit, an de voluntate Principis sufficienter præsumi possit, vel non.

Quæres adhuc quinto, utrum etiam per actus formaliter malos, seu peccaminosos introduci valeat consuetudo, obtinens vim Legis?

476. R. Affirmative. Et ita contra Engel, & nonnullos alios tenet M. D. Franc. Schmier *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 9. *sect.* 2. §. 1. *n.* 48. ubi pro eadem opinione citat Suarez, Castropalao, Haunold, Wiestner, & Schmalzgrueber, quibus accedit Reiffenstuel *lib.* 1. *Decret. tit.* 4. §. 5. *n.* 143. Ratio est: quia subditi volentes introducere consuetudinem contrariam priori Legi, debent habere animum agendi contra Legem præexistentem, & contra voluntatem Legislatoris: atqui talis animus, vel actus inde procedentes sunt peccaminosi, & quidem formaliter, non autem materialiter duntaxat: ergo per actus formaliter malos potest introduci consuetudo habens vim Legis.

477. Pro meliori tamen, & genuina hujus sententiæ intelligentia advertendum est, quod actus formaliter mali a tota communitate frequentati, non se habent per modum causæ efficientis, sed solum per modum conditionis sine qua non nasceretur, vel introduceretur consuetudo; causa namque efficiens, & dans vim hujuscemodi consuetudini, est voluntas Legislatoris; qui, si prævideat, eam esse expedientem communitati, sive dein ad nonnihil diminuendam Legum copiam, sive etiam ad tollendum conscientiarum laqueum, sive denique ad suavius gubernandum populum, ejusve benevolentiam captandam, sapienter omnino aget, eandem ratificando, & approbando, non utique eo fine, ut subditorum malitiam foveat, sed potius ut eam impediat, & meliori modo bono publico prospiciat.

At, inquies fortassis, omnis Lex, consequenter omnis consuetudo obtinens vim Legis, debet esse rationabilis: atqui actus peccaminosi, eo ipso, quod tales supponantur, & quod repugnent Legi rationabili præexistenti, nequeunt esse, vel dici rationabiles: ergo nec obtinere vim Legis.

478. R. Negando min. vel disting. Actus peccaminosi, *qua* peccaminosi, nequeunt esse rationabiles, concedo. Actus *qui* peccaminosi, nego, vel subdisting. quamdiu non accedit consensus Legislatoris, transf. accedente consensu Legislatoris, neg. min. cum conseq. Nihil enim prorsus obstat, quo minus Lex præexistens secundum unam rationem, & in ordine ad certum aliquem finem, seu respectum fuerit rationabilis, simulque consuetudo eidem contraria secundum aliam rationem, aut finem pariter censeatur rationabilis: Sic enim Lex posterior priori contraria potest statui secundum dicta superius, ideoque ex certo respectu potest esse nedum rationabilis, sed etiam (præsertim mutatis circumstantiis) magis expediens, quam fuerit prior.

Dices tamen adhuc: per actus formaliter peccaminosos nequit introduci gratia in animam, nequidem dispositive: ergo similiter per actus formaliter peccaminosos nequit introduci consuetudo in communitatem.

479. R. neg. conseq. Cum enim actus formaliter peccaminosi semper sint, & maneant mali, Deus nunquam potest illos approbare, nec illorum intuitu conferre gratiam: e contra actus formaliter mali a Legislatore humano approbari possunt, non quidem qua formaliter mali vel peccaminosi, sed quatenus sub certo aliquo fine ad bonum commune conducere possunt: consequenter potest Legislator humanus velle, ut de-

in-

incepit talis consuetudo transeat in vim Legis.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa consuetudines diversas.

CASUS PRIMUS.

Titius Religiosus tempore Novitiatus sui cum reliquis suis connovitiis ex laudabilissima & recepta consuetudine Ordinis quotidie recitavit cursum B. V. Mariæ; ast vero posteaquam professione deposita cœpit frui liberiori aura, & a suo Directore seu etiam Instructore spirituali minus observari, sat frequenter sin minus ex toto, saltem ex parte eundem cursum omisit; & quod pejus est, loco orationis & tempore silentii cum aliis garrivit. Factus jam pœnitens & retractans nedum omissiones, sed & commissiones mox commemoratas, sciscitatur e Confessario suo 1. an deinceps ad Cursum Marianum, utpote antiquissima sui Ordinis consuetudine jamjam receptum, teneatur sub culpa? 2. An si deinceps denuo garriret tempore silentii, in conscientia culpæ reatum incurreret: rationem vero dubitandi allegat hanc, quod scilicet id ipsum ab aliis passim fieri videat, ideoque observantia silentii contraria consuetudine jamjam videatur abrogata. Quid ad hæc Confessarius?

480. R. Ac primum vel maxime attendendum esse, an illa antiquissima consuetudo Ordinis (ut dixit Titius) fuerit recepta cum obligatione, vel potius ex mera devotione, sicut aliæ multæ consuetudines practicantur, secundum dicta *n.* 472. Quantum ad alios Religiosos dubito vehementer, an, saltem extra chorum, teneantur sub culpa ad recitandum hoc Officium Marianum, de quo in dubio minime præsumendum est, juxta dicta *Confer. 6. n. 169.* Certe in nostro Ordine, tametsi hactenus laudabili consuetudine introducta sit illa recitatio Cursus Mariani, hæc tamen consuetudo nunquam transiit in vim legis, sed potius se habet per modum consilii: qua de causa in nostris statutis Provincialibus *Anno* 1720. *Augustæ editis cap. 6. n.* 1. solum dicitur: *Monentur omnes Patres & Fratres, ut cursum B. V. M. privatim, quantum possibile est, quotidie orent*: quæ verba, ut consideranti patebit, potius vim consilii, quam præcepti obtinent.

At, inquies, juxta P. Herincx *de leg. disp.* 3. *n.* 65. & alios plures, an consuetudo aliqua obliget, vel non, ex sequentibus potissimum indiciis colligendum est, scilicet 1. si consuetudo sit difficilis, & de re gravi, & nihilominus a Populo observetur. 2. si Superiores eam obligare supponant, & transgressores punire soleant. 3. si prudentes & timorati male sentiant, de non servantibus talem consuetudinem. 4. denique, si obligatio consuetudinis bono publico multum conducat: at, minime dubitandum est, quin laudabilissima hæc consuetudo multum per omnem modum conducat pro bono nostri Seraphici Ordinis, quippe qui B. V. MARIAM velut singularem advocatam sui hac devotione colere intendit; quam ob rem de transgressoribus hujus sanctæ consuetudinis non adeo bene sentiri solet, quin etiam Novitii aut Professi post Novitiatum ob hujus neglectum puniri solent: ergo &c.

481. R. Ex his indiciis equidem colligi posse, consuetudinem obligare saltem sub pœna transgressoribus taxanda; minime tamen, quod etiam obliget sub culpa in conscientia incurrenda; nec verum videtur, quod Superiores nostri unquam supposuerint, hanc laudabilem consuetudinem in conscientiæ foro nos constringere. Sane ne hoc quidem de mente Reverendissimi Patris Herincx præsumendum est, quippe qui Officio Commissarii Gener. laudabilissime functus, & aliunde circa nostrum Institutum Seraphicum apprime versatus, procul dubio noverit, in nostro Sancto Ordine quamplures vigere consuetudines, quæ in foro conscientiæ minime obligant ad culpam, sed ad pœnam duntaxat transgressoribus taxatam, vel taxandam.

482. R. jam ad secundum. Præfatus Religiosus (nisi aliunde speciali voto sese

se obstrinxisset, vel quid mali locutus fuisset) tempore silentii garriendo per se loquendo non incurrit reatum culpæ in conscientia. Ratio est: quia in nostro saltem Ordine Seraphico (certe & in aliis pluribus) silentium non præcipitur vi Regulæ, & sub culpa, sed vi statutorum duntaxat: atqui statuta S. Ordinis nostri non obligant in conscientia ad culpam, sed tantum ad pœnam, veluti expresse declaratur in iisdem statutis generalibus *cap.* 8. §. 10. immo & in Provincialibus: idipsum jam pridem declaravit Sixtus IV. Bulla, quæ incipit: *circumspecta anno* 1480. videnda adud nostrum Rodriquez *QQ. Reg. tom.* 1. *q.* 10. *art.* 8. & apud KerHhove *in statuta general. c.* 8. §. 10. *n.* 17. Nihilominus Confessarius tenetur Titio eximere illam persuasionem sinistram, qua existimavit, contra silentium claustrale in ulla Religione bene ordinata unquam præscriptum fuisse, aut præscribi posse; nam præscriptio cujuscunque demum consuetudinis nullam habet vim, nisi accedat consensus Superioris, seu Legislatoris: atqui Superiores Regulares hactenus nec consenserunt, nec unquam, quamdiu eisdem mens sana fuerit) consentient in abrogationem silentii claustralis, eo vel maxime, quod juxta effatum devotissimi Thomæ Kempensis *serm.* 4. *ad Novitios: in nullo statu & ordine stabit pax & disciplvuisi, non adsit censura silentii*; ergo &c.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius Caupo fatetur, se in nundinis, quæ hic loci quotannis celebrari solent ad initium Quadragesimæ, nonnullis Mercatoribus Acatholicis diebus ab Ecclesia interdictis carnes administrasse hactenus in occulto saltem, idque sine scrupulo, & quidem ex sequentibus motivis 1. quia etiam sui Antecessores idipsum assueverant. 2. quia secus faciendo fortassis eosdem suos hospites avertisset, sine ulteriori spe cujusdam lucri ab eisdem deinceps captandi. 3. denique, quia iidem hospites velut inimici capitales jejunii Ecclesiastici, immo & Ecclesiæ, ac Pontificis nec domi existentes servassent jejunium ecclesiasticum. Quæritur jam, an coram Deo & tuta conscientia Sempronius hanc suam consuetudinem deinceps continuare possit?

483. R. Sempronius nec hactenus potuit, nec deinceps poterit tuta conscientia suis hospitibus condescendere, sed peccabit graviter toties, quoties ex allegatis præcise motivis eisdem administraverit carnes: quandoquidem tali modo evidenter cooperetur ad transgressionem præcepti Ecclesiastici, & hoc ipso sese reddat participem peccati alieni. Nec refert, quod ibipsum a suis Antecessoribus fuerit practicatum; hæc enim consuetudo corruptela potius disciplinæ Ecclesiasticæ, quam humanorum actuum regula dici debet, utpote contra quam hic loci præsertim, ubi meri, & boni quidem Catholici morantur, a supremo Principe nunquam non fuit contradictum, prout Sempronius ipse bene noverit: secus enim procul dubio suis hospitibus carnes non in occulto, sed palam & publice præbuisset.

484. Nec refert, quod præfati Mercatores domi existentes carnes manducassent, immo etiam hic in loco mere Catholico aliunde fortassis per fas & nefas sibi de iisdem providissent: non, inquam, refert; qnia hujusmodi consuetudines Acatholicorum. Ecsilesiasticis constitutionibus repugnantes, non sunt authenticæ, nec unquam a Superiore legitimo, Summo scilicet Pontifice approbatæ, & hoc ipso non habent vim, quempiam eximendi vel excusandi a peccato transgressionis, prout facile colligi poterit ex dictis supra *Confer.* 13. *n.* 355. Unde quemadmodum Sempronius hujuscemodi hospitibus providendo in sua domo de meretrice, & procurando occasionem carnaliter peccandi, minime foret excusatus a peccato scandali, esto iidem domi existente sibimet providissent; ita sane graviter delinquit, eisdem administrando carnes contra præceptum Ecclesiæ &c.

At, inquies fortassis Sempronius, tametsi, ego eisdem non administrassem carnes in occulto, nihilominus a Medico de facili obtinuissent testimonium de esu carnium, sibi, & suæ complexioni

xioni, vel ſtomacho utpote acatholico, prorſus neceſſario, & per conſequens cum iiſdem auctoritate Eccleſiaſtica pariter fuiſſet diſpenſatum in publico eſu carnium: quidni ergo præſtet, in occulto hujuſmodi hominibus carnes adminiſtrare, quam publice eundem fortaſſis non ſine ſcandalo aliorum, admittere?

485. R. Tuum non eſt mi bone Semproni, dijudicare Medicum, vel eum nimiæ laxitatis in dandis hujuſcemodi teſtimoniis arguere: quin potius præſumere nos oportet, eum facturum id, quod conſcientia dictaverit. Si ſecus fecerit, non tu pro illo, ſed ipſe pro ſe tenebitur Deo reddere rationem: non igitur præſtat, in occulto deinceps a te adminiſtrari carnes; quia hoc modo paſſim præberetur occaſio quibuslibet tranſgrediendi præcepta Eccleſiæ, & quidem ſine omni diſpenſatione &c. quod, quam inconveniens ſit & abſurdum, nemo prudentum non videt.

CASUS TERTIUS.

Cajus pariter Caupo, ſed e claſſe illorum, qui cerevisiam ab alio praxatam cogitur emere, & poſtea primum aliis vendere, conqueritur, quod in doliis e communi praxatorio ſibi allatis ſemper ſoleant deficere aliquot, v. g. tres vel quatuor menſuræ, quam ob rem ad ſe indemnem ſervandum, ſolet ſingula dolia aquam ſuperinfundendo uſque ſummum implere, quamprimum in ſuam cellariam ſuere depoſita: & licet hoc hactenus ſemper ſine ſcrupulo practicaverit, eo quod ſciat, alios ſibi ſimiles id pariter practicare, ita, ut mos iſte merito credatur jamjam tranſiiſſe in conſuetudinem; nihilominus ad quietandam deinceps, & magis ſerenandam ſuam conſcientiam ſciſcitatur, an hæc conſuetudo ſit tuta conſcientia practicabilis? Quid ad hæc Confeſſarius, vel Theologus deſuper interrogatus?

486. R. Si verum ſit, quod Cajus ad ſeſe indemnem ſervandum cogatur cereviſiæ admiſcere aquam modo præfato (prout revera contingere poteſt hujuſmodi pauperculis, quibus ex hujuſmodi venditione præter multas incommoditates aliaque pericula, plerumque parum lucri relinquitur) poteſt ac debet Cajo a Confeſſario permitti memorata praxis; tum quia his ſuppoſitis conſuetudo hæc aliunde ſatis practicata, prudenter reprobari nequit; tum etiam quia hujuſmodi Caupones (germanice Bier-Zäpffer) per hoc nulli faciunt injuriam, modo admixtio illa aquæ fiat in quantitate reſpective modica, & non exceſſiva, ita ſcilicet, ut nullum inde damnum aut incommodum Emptoribus ſit inferendum, & cereviſia (idem tenendum foret de vino vel aliis hujuſcemodi mercibus) ſit idonea ad uſum, cujus gratia emitur. Videantur de hoc Laymann *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. *§.* 2. *n.* 15. Molina *diſp.* 353. *in fin.* Leſſius *l.* 2. *c.* 21. *dubit.* 11.

Ergone, inquies, probanda eſt illa communiſſima praxis Lanionum, Piſtorum, Mercatorum &c. vi cujus ad ſeſe indemnes ſervandos (uti communiter ajunt) vel in pondere, utpota carnium, aut panis; vel in menſura vini, aut olei; vel denique in qualitate, aut numero, etiam contra taxam a Principe vel Magiſtratu fundatam emptores ſuos ſolent decipere?

487. R. Hanc praxin etſi ſatis frequentem, regulariter loquendo non mereri nomen conſuetudinis legitimæ, ſed potius corruptelæ humanæ Societatis, & germanæ fidelitatis. Ratio eſt: quia, cum regulariter loquendo pretia rerum a Magiſtratu vel Principe ſoleant juſte taxari, eo ipſo conſequens eſt, quod contrarium agentes, & contra communem taxam alios circumvenientes peccent contra juſtitiam, & quidem cum onere reſtitutionis.

Secus dicendum foret, caſu quo manifeſte conſtaret, pretium irrationabiliter, & injuſte fuiſſe taxatum, utputa quia deputati a Magiſtratu ex odio, paſſione, munerum acceptatione, vel etiam errore aut ignorantia ſeducti pretium rerum iuſto minus determinarunt, vel iam pridem iuſte quidem poſitum modo tamen ob mutatas notabiliter circumſtantias, e quibus juſtitiæ taxa dependet, priorem taxam non mutarunt; hoc enim ſuppoſito hujuſmodi taxa nullam haberet vim obligandi in conſcien-

tia, ficut nec aliæ leges injuftæ. Et hanc ob caufam hujufmodi praxis perfæpe a confeffario permittenda eft pœnitentibus lamentantibus, & confcientia atteftantibus, certum effe, quod ftante tali taxa, vel ipfimet grave damnum pati, vel certe omni honefto lucro, unico ipforum ac prolium fuarum fuftentationis medio, carere deberent, fuamque tabernam, vel opificium omnino deferere cogerentur. Videatur de hoc Bonacina *difp.* 3. *de reftit. q.* 2. *punct.* 4. *num.* 7. item *punct.* 6. *n.* 17. vel Reiffenftuel *lib.* 3. *decret. tit.* 17. §. 5. *num.* 137.

488. Diximus tamen: *cafu quo manifefte conftaret* &c. Enimvero in dubio, an taxa pretii a Principe vel Magiftratu pofita jufta fit, nec ne; præfumendum omnino eft de juftitia legis, eique etiam in foro confcientiæ acquiefcendum, juxta *communiffimam DD.* apud Molinam *difp.* 364. *n.* 5. eo quia univerfaliter in dubio poffeffio ftat pro Superiore. *Argum.Can.quid culpatur.* 4.*cauf.* 23. *q.* 1. Quam ob rem idem Molina *difp.* 353. fapienter admonet Confeffarios, ne pœnitentibus hujufmodi fraudes indiftincte, & inconfiderate admittant, fed prius circumftantias bene examinent, iifdem mature perpenfis adhuc confcientias pœnitentium onerent, ne plus in pondere, aut menfura detrahant, quam ad complendum juftum pretium fit neceffarium. Vide, fi placet, ea, quæ diximus *de Reftitut. Conf.* 6. *n.* 164. & *feqq.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

489. COlliges ex hactenus dictis primo, eas confuetudines, quæ vel juri naturali, vel divino repugnant, nullius effe valoris, aut roboris, prout apertiffime decifum legitur cap. ult. de confuet. Ratio eft: quia nulla lex poteft abrogari fine confenfu Superioris legitimi: atqui DEUS non confentit, immo vero in ea, quæ legi naturali repugnant, utpote intrinfece mala, uti funt confuetudo blafphemandi, mentiendi, adulterandi, aut fornicandi &c. nequidem poteft confentire: ergo. Hanc ob caufam nulla valet confuetudo contraria decem præceptis decalogi, immo nec contra tertium præceptum, nifi in hanc confentiret legitimus Superior, S. fcilicet Pontifex.

490. Colliges fecundo, confuetudines in detrimentum immunitatis Ecclefiafticæ, five realis, five etiam perfonalis vergentes pariter nullius effe roboris. Ratio eft: quia Ecclefia hujufmodi confuetudines nunquam approbavit, fed potius damnando reprobavit, prout videre licet tum *ex cap. ad noftram* 3. *de confuetud.* item *ex cap. Clerici* 8. *de Judic.* aliifque pluribus videndis apud M. P. Francifc. Schmier *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 9. *fect.* 3. *n.* 110. & Herincx *cit. difp.* 3. *de leg. nu.* 221. *in fine.*

491. Colliges tertio, idipfum effe fentiendum de iis confuetudinibus, quæ vel enervant difciplinam Ecclefiafticam, vel fovent occafiones peccandi, aut bonis moribus adverfantur. Ratio hujus eft eadem, quæ proxime fuit data: quia fcilicet Ecclefia non vult, immo fine graviffima caufa nequidem poteft approbare hujufmodi ufus vel potius abufus, utpote vergentes in detrimentum honoris divini, & repugnantes ultimato juri naturali ac divino: at, fine confenfu Superioris confuetudo quæcunque demum, nullius eft roboris, veluti dictum fuit *num.* 472. ergo. Vid. Schmier *loc. cit. a num.* 112. vel Pirhing. *tit. de confuet. X. fect.* 2. . 2. *per totum.*

At, quid, inquies, fi Legislator humanus v. g. S. Pontifex ferendo novam conftitutionem expreffe excipiat contra quamcunque confuetudinem, utputa dicendo: *non obftante quacunque confuetudine* &c. poteritne nihilominus introduci confuetudo contraria tali conftitutioni?

492. R. Vi hujus claufulæ duntaxat excipi contra quamcunque confuetudinem præexiftentem, non item contra confuetudinem in futurum introducendam. Ratio eft: quia dicta claufula debet habere aliquem effectum: at, nequit habere effectum contra confuetudinem in futurum; quia Legislator nequit fuo Succeffori adimere poteftatem, quin poffit eandem approbare præ-

præsertim si successu temporis fuerint mutatæ circumstantiæ : ergo debet habere effectum contra consuetudinem præexistentem, quippe quam solam Legislator ceu legitimus Superior potest improbare : ergo &c. Herincx *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 3. *n.* 220. Reiffenstuel *lib.* 1. *decret. tit.* 4. §. 8. *n.* 186.

CONFERENTIA
DECIMA OCTAVA.
De Privilegiis.

SUMMARIUM.

493. *Privilegium ut sic est constitutio Principis vel Legislatoris, tribuens specialem favorem.*
494. *Quod primario dividi solet in personale, & reale.*
495. *Aliæ nonnullæ subdivisiones breviter recensentur.*
496. *Omnis, & solus ille, qui gaudet potestate legislativa, potest concedere privilegium proprie tale.*
497. *Privilegium stricte tale, nequit concedi nisi subdito, bene tamen minus stricte tale.*
498. *Privilegium concessum illico valet, quam primum a Procuratore fuit acceptatum.*
499. *Quo non obstante potest privilegiatus peccare, si utatur privilegio prius, quam scit, hoc sibi fuisse concessum.*
500. *Quidnam circa privilegiorum interpretationem generaliter sit observandum?*
501. *Privilegium contrarium juri communi per se loquendo stricte est interpretandum.*
502. *Nisi cedat in favorem causæ piæ, vel eidemmet juri communi inseratur.*
503. *Econtra privilegium in nullius præjudicium, aut incommodum vergens, late interpretari debet.*
504. *Quænam sint Privilegia Clericis & Religiosis in communi concessa?*
505. *De Privilegiis in particulari benevolus lector remittitur ad certos quosdam Auctores.*
506. *Omnes Mendicantium Ordines gaudent inter se plenissima, & perfecta communicatione privilegiorum.*
507. *Quin immo etiam non mendicantes iisdem gaudere possunt, ac vicissim.*
508. *Quod intelligi debet nedum de privilegiis hactenus jam concessis, verum insuper de concedendis in posterum.*
509. *Nihilominus hæc communicatio patitur quandam limitationem valde notabilem.*
510. *Privilegia semel concessa cessare possunt ex triplici capite, utputa. 1. ex natura privilegii. 2. ob rationem privilegiantis, & 3. ob rationem privilegiati.*
511. 512. & 513. *Singula capita breviter dilucidantur.*
514. *Resolvitur Casus I. cujusdam ex S. Ordine nostro Vicarii, qui in absentia Guardiani non fuit ausus dispensare cum subdito infirmo in jejunio regulari &c.*
515. *Nec benedicere Paramenta Ecclesiastica ab extraneo sibi oblata ad benedicendum.*
516. *An, & quinam Superiores Regulares cum suis subditis dispensare valeant in irregularitate?*
517. *Resolvitur Casus II. de quodam Sæculari; qui postulavit sepeliri in nostra Ecclesia, R. D. Parocho contradicente.*
518. *Quænam cautelæ in tali casu observandæ sint a Superiore Regulari?*
519. *Utrum in tali Casu Officium & Missa pro defuncto necessario dici debeant in Ecclesia Parochiali?*
520. *Resolvitur Casus III. de quadam Persona, quæ uterino suo fratre mediante poculo venenato a se occiso, ad nos recurrit.*
521. *Quidnam Confessarius id inaudiens debuerit eidem consulere?*
522. *An talis persona, utpote non gaudens privilegio asyli, debeat extradi curiæ sæculari, & quænam cautelæ in tali casu sint observandæ?*
523. *Privilegia concessa integris familiis aut communitatibus, censeri debent realia, & non personalia.*
524. *Unde in dubio colligi possit aut debeat, an privilegium sit personale, vel vero reale?*

525. *Privilegiatus etiam extra territorium uti potest favore sibi concesso, modo talis usus non cedat in præjudicium alterius Legislatoris.*

526. *Potestas dispensandi, & absolvendi a reservatis, concessa sine expressione personæ dispensandæ &c. est ample interpretanda;*

527. *Sicut & illa, quæ concedi solet tempore Jubilæi respectu omnium fidelium.*

528. *Contrarium tenendum est de potestate eligendi confessarium, alicui personæ privatæ duntaxat concessa.*

529. *Religiosorum privilegia regulariter loquendo late sunt interpretanda.*

530. *Communicatio privilegiorum inter Religiosos intelligi debet cum quadam proportione, & limitatione.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa Privilegia, præsertim Religiosos tangentia.

QUæres primo, quid sit Privilegium proprie tale, & quotuplex?

493. R. ad primum. Privilegium proprie tale est constitutio Legislatoris, tribuens specialem favorem ad plures actus. Ita la Croix *lib.* 1. *n.* 832. Ex qua descriptione facile liquet, privilegium ut sic differre 1. a Lege, per hoc, quod non postulet dari Communitati, nec promulgari, neque concedi in perpetuum. 2. a gratia, & licentia per hoc, quod hæ non postulent dari ad plures actus sicut privilegium. Denique 3. a dispensatione differt, per hoc, quod hæc semper sit quædam exemptio a lege communi, non item privilegium, veluti constabit amplius ex dicendis.

494. R. jam ad secundum. Privilegium ut sic communiter dividi solet I. in *personale*, & *reale*. Personale dicitur, quod conceditur immediate alicui personæ ratione sui, id est, personæ. Reale vero, quod confertur intuitu alicujus rei, utpute loci, officii, dignitatis &c. Porro inter hæc duo privilegia id discriminis Doctores communiter advertunt, quod privilegium personale sequatur, & quodammodo concomitetur personam; qua exspirante pariter expirat per *cap. Privilegium, de R. J. in sexto*. Reale vero sequitur rem, & transit ad omnes, ad quos transit ipsa res. *L. Imperatores ff. de publicanis*, quo fit, quod hoc privilegium alicui communitati concessum communiter duret perpetuo, quemadmodum ipsa communitas, non vero illud. Videatur de hoc Herincx *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 4. *n.* 56.

495. II. Dividi solet privilegium in *gratuitum*, id est, mere gratis concessum, & in *remuneratorium*, quod scilicet datur intuitu meritorum præcedentium. III. in *absolutum*, & *conditionatum*. Hoc posterius datur sub conditione, qua non subsistente non valet: illud prius datur sine ulla conditione, & hoc ipso illico suum sortitur effectum. IV. in *odiosum*, & *favorabile*. Odiosum appellatur, quod ita in unius favorem & commodum confertur, ut principaliter in alterius incommodum ac damnum cedat, uti est v. g. immunitas a decimis solvendis, utique satis odiosa illi, cui competit jus exigendi decimas. Favorabile autem appellatur, quod præter juris communis exemptionem nemini principaliter incommodum vel damnum affert, uti est exemptio a lege jejunii, ab interdicto communi &c. Plures aliæ subdivisiones minus principales videri possunt apud Illsung *tr.* 1. *disp.* 3. *a.* 2. *a n.* 8. & Mezger *tom.* 2. *tr.* 8. *disp.* 37. *a.* 2. §. 2. *a n.* 7.

Quæres secundo, quisnam possit concedere privilegium?

496. R. Hoc potest omnis, & solus ille, qui gaudet potestate legislativa. Ita Herincx *l. cit. n.* 59. Ratio facile eruitur ex dictis: quia nomine privilegii proprie talis intelligitur *constitutio Legislatoris &c.* Esto proin aliquis Paterfamilias, vel etiam Superior non gaudens potestate legislativa, possit subinde alicui subdito specialem favorem concedere, etiam ad plures actus, nihilominus talis favor non erit proprie dictum privilegium, nisi fiat auctoritate ipsius Legislatoris.

Quæres tertio, utrum Legislator possit cuilibet, etiam non sibi subdito, conferre privilegium?

497. Cum distinctione. Nam privilegium stricte dictum, quod scilicet est *contra jus*, nequit conferri, nisi aliquo modo subdito: bene vero privilegium minus stricte acceptum, seu *præter jus* dictum. Ratio prioris est: quia per privilegium contra jus privilegiatus eximitur a lege, & Legislator concedendo hujusmodi favorem exercet actum jurisdictionis: atqui nemo potest a lege eximi, nisi eidem fuerit subjectus, nec potest Legislator actum jurisdictionis exercere nisi in sibi subditum: ergo &c. Ratio autem posterioris est: quia concessio privilegii præter jus (id est, tale, cujus actus, vel materia non est quidem jure prohibita, sed tamen nonnisi certis personis concessa, uti est potestas dispensandi &c.) non est tam actus jurisdictionis, quam donationis, & dominii illius rei, vel juris, quod per privilegium confertur, uti bene observat Herincx *loc. cit.* atqui donatio fieri potest etiam non subdito, ut de se liquet: ergo etiam concedi privilegium &c.

Quæres sexto, quandonam Privilegium a Principe vel Legislatore concessum suum sortiatur effectum?

498. R. Hunc sortitur illico, quam primum a Procuratore fuit acceptatum, tametsi privilegiatus adhuc ignoret illud sibi fuisse concessum. Ita Castropalao *tr.* 3. *disp.* 4. *pu.* 3. §. 2. *n.* 12. Sanchez *in Summa lib.* 4. *c.* 48. *n.* 7. Michel *tom.* 1. *Theolog. Can. mor. tr.* 4. *q.* 7. §. 8. *pu.* 3. *n.* 9. Ratio est: quia concedens privilegium absolute vult (ut supponitur) subditum a lege exemptum: ergo is illico eximitur, quantumvis ignoret exemptionem, quia secundum dicta superius obligatio legis tota quanta præcise & unice dependet a voluntate Legislatoris.

499. Quocirca tamen advertendum est, quod si talis subditus ignarus privilegii sibi concessi, nihilominus agat contra legem communem, & quidem mala fide, sine dubio possit peccare, non quidem contra legem, vi privilegii sublatam respectu sui, sed contra conscientiam erroneam: sicut is, qui immemor dispensationis obtentæ, mala conscientia carnes comederet. Hac de causa graviter peccaret, qui Roma quidem petiit facultatem absolvendi ab hæresi, vel Casibus Bullæ Cœnæ, aut ducendi suam consanguineam, vel affinem &c. illico præsumeret, facultatem hanc jam sibi fuisse concessam, propterea que matrimonium contraheret, vel a casu Bullæ Cœnæ absolveret; quia tales revera sese exponunt periculo transgressionis gravis, cum irreverentia, vel etiam nullitate Sacramenti, tametsi absolutio taliter data, vel etiam matrimonium contractum subsisteret, post dispensationem, vel privilegium a Procuratore actu acceptatum, non obstante ignorantia privilegiati. Videantur de hoc Herincx *disp.* 4. *num.* 72. Pellizarius *tr.* 8. *c.* 3. *n.* 91.

Quæres quinto, quomodo privilegia sint interpretanda?

500. R. 1. In Casu, quo verba aut tenor privilegii mentem vel intentionem privilegiantis non satis exprimit (ubi enim de mente Legislatoris satis constat, interpretatione opus non est) potissimum attendi debet, tum ad materiam privilegii, tum etiam ad motiva & finem concedentis privilegium: finis autem plerumque colligi poterit ex proœmio constitutionis, prout sapienter advertit P. Mezger *tom.* 2. *tr.* 8. *disp.* 37. *art.* 3. *n.* 1. Communiter enim Legislator solet in tali præfatione exprimere motiva & finem, cujus gratia vult privilegiatum a lege exemptum, vel tali favore præditum. Quodsi omnibus perpensis adhuc dubium relinquatur, per se loquendo, ubi id moraliter fieri potest, consulendus est Legislator: sin minus fieri valeat, consulendus erit homo prudens, & in tali materia, vel arte interpretandi peritus; pro cuius maiori intelligentia

501. R. secundo ad quæsitum. Privilegium contra jus commune concessum, regulariter loquendo est stricte interpretandum: similiter privilegium derogans alterius particulari juri iam àquisito stricte debet interpretari. Ita cum *communi DD.* Herincx ubi supra *disp.* 4. *n.* 89. & 90. Michel *loc. cit. punct.* 4. *n.* 6. & 16. Illsung *tr.* 1. *disp.* 3. *n.* 33. & 34. Ratio huius posterioris est: tum quia Legislator concedendo favorem,

rem, seu privilegium speciale, non censetur velle præjudicare juri alterius, nisi id specialiter exprimat, prout habetur *L. Nec avus. 4. C. de emancipat. liber.* item *c. 9. X. de sepultur.* tum etiam, quia privilegium, quatenus derogans juri positivo vel actu aquisito ab altero, est odiosum: atqui odia convenit restringi juxta *Regul. 15. Jur. in 6.* Neque de mente legislatoris præsumi debet facile, quod voluerit alterius juri derogare, nisi occurrat specialis causa vel ratio: ergo &c. Ratio autem prioris est: quia privilegium, in quantum derogat juri communi, habet se per modum dispensationis: atqui dispensatio in lege communi est stricte interpretanda, tunc saltem quando observantia legis necessaria est ad conservationem boni publici; nam recta ratio dictat, semper esse majorem rationem tenendam pro conservatione boni publici, quam privati: ergo &c.

502. Dictum tamen fuit, *per se loquendo* stricte interpretanda esse præfata privilegia &c. Hanc enim regulam Doctores communiter limitant, excipiendo primo privilegia in favorem causæ piæ concessa. 2. Privilegia inserta corpori juris. 3. Item privilegia concessa ex motu proprio, vel ex certa scientia. Ratio est: quia in his casibus Princeps censetur voluisse specialiter favere: ad ampliandam vero Principis auctoritatem & honorem, omnino expedit, ut similia privilegia late interpretemur, prout recte tradit Michel *cit. tr. 4. q. 7. §. 6. pun. 1. num. 14. cum Sanchezio.*

503. R. jam tertio ad quæsitum. Privilegium, quod in nullius præjudicium cedit, est ample interpretandum. Ratio est: quia est purum beneficium a Principe concessum; atqui purum beneficium Principis ample esse interpretandum, constat ex *l. beneficium ff. de constitut. Princip.* Et juxta Regulam juris proxime allegatam *favores convenit ampliari: ergo &c.*

Quæres sexto, an, vel quibus privilegiis gaudeant Clerici, præsertim Religiosi?

504. R. Clerici sæculares gaudent privilegio *Fori*, & *Canonis*; de quibus videri possunt ea, quæ diximus *in Theolog. Sacram. part. 1. Confer. 21. n. 21. & 22.* Porro præter hæc duo Clerici Religiosi (in communi loquendo) insuper gaudent sequentibus. 1. Vi Religiosæ professionis in statu gratiæ factæ, adipiscuntur plenariam remissionem omnium suorum peccatorum, nedum quoad culpam; verum etiam quoad pœnam. 2. Vi ejusdem professionis Religiosæ eximuntur obligatione votorum præcedentium, non præjudicantium juri alterius, non quidem per modum commutationis, sed quia profitens se ipsum totaliter offert, & offerendo faciat quantum successiva suorum votorum adimpletione facere potuisset, prout teste P. Mezger *cit. disp. 39. art. 5. §. 1. n. 4. Doctores communiter tenent.* 3. Vi ejusdem professionis tollitur irregularitas ex defectu natalium orta, ut proin omnes illegitimi, etiam spurii, in approbata Religione professi, ad Sacros Ordines (non tamen ad Prælaturas & dignitates Ecclesiasticas) sine alia dispensatione promoveri possint per *cap. 1. de filiis Presbyt.* quamvis in rigore loquendo hujuscemodi favores non mereantur dici privilegia, eo quod non dentur ad plures, sed potius ad unum, & intuitu unius actus. Videatur de hoc Kazenberger *in Supplem. 1. P. Sargar Confer. 55. num. 153.*

505. Dictum insuper fuit, hæc esse Religiosorum privilegia *in communi loquendo* &c. Nam de privilegiis singulorum Religosorum in particulari agere, quemadmodum ad hanc materiam de legibus per se non pertinet; ita nec de iisdem fusius tractare intendimus hoc loco, eo præsertim, quod amplitudo hujus materiæ exigeret integrum volumen. Nonnulla quidem hinc inde in prioribus tractatulis jamjam inseruimus: de reliquis vero, si dubium emergat, lectorem benevolum remittimus ad Auctores ex professo de hac materia tractantes scilicet, Chassaingum, Payrinis, Antonium a Spiritu S. Petrum ab Angelis, Virgilium ab Alviset &c. in quibus abunde inveniet, quod desideraverit.

Quæres septimo, an, vel quanta communicatio privilegiorum de facto de-

detur, præsertim inter Religiosos?

506. R. primo. Religiosi mendicantes habent inter se plenissimam, absolutam, & perfectam communicationem privilegiorum. Ita, teste Reiffenstuel *lib. 5. decret. tit. 33. §. 3. n. 55.* unanimiter Doctores hac de re scribentes. Ratio est; quia id a diversis Pontificibus obtinuerunt, nominatim a Julio II. Leone X. Pio V. & Clemente VIII. quorum Bullæ nedum in Bullario Romano, sed etiam apud Rodriquez *t. 3. QQ. Regular.* & apud Reiffenstuel *loc.cit.* in terminis videri possunt. Idipsum Sacro Ordini nostro Seraphico pro sua erga hunc singulari, & nunquam satis extollenda clementia amplissime confirmavit & indulsit SS. M. Pater ac Pontifex Benedictus XIII. in sua Bulla *Summus decet* edita 1727. quinto nonas Aprilis: in qua §. *V.* confirmat nedum in specie plurima privilegia Sacro Ordini nostro, ab Antecessoribus suis concessa, sed *insuper etiam alias gratias, per modum etiam communicationis, & extensionis cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, præsertim S. Benedicti, Ordinis Prædicatorum, nec non Societatis Jesu concessas* &c. Quin immo §. *VI.* insuper confirmat, *quascunque etiam Apostolicas litteras, in favorem nostræ Religionis Seraphicæ quomodocunque editas atque vulgatas, dummodo earum existentia legitime & valide comprobetur &c.*

507. R. secundo. Probabilissime omnes Ordines etiam non Mendicantium gaudent privilegiis nostris, & reliquorum Mendicantium. Ita tenent Joannes de Cruce *lib. 2. c. 4. conclus. 1.* Salmanticenses *c. 1. de privileg. p. 7. n. 9.* eosque secutus Mezger *tom. 2. tr. 8. disp. 37. a. 4. §. 3. num. 90.* Ratio est: quia quemadmodum diversi Pontifices specialiter faventes Nobis (id est, Mendicantibus) clementer indulsere, ut possemus gaudere aliorum non Mendicantium privilegiis; ita vicissim alii S. Pontifices, ob singularia merita aliorum Ordinum non Mendicantium, eisdem concessere, ut possent nostris etiam gaudere privilegiis, prout videre licet tum apud Doctores proxime allegatos, tum etiam apud P. Virgilium Alviset *de Privilegiis sect. 4. dub. 1.*

508. Quinimmo nedum communicanem privilegiorum hactenus jam conciocessorum, sed etiam deinceps concedendorum clementissime fuisse concessam a diversis Pontificibus, haud improbabiliter tenet Mezger *l. cit. n. 10.* cum aliis pluribus allegatis.

509. Verum ad pleniorem hactenus dictorum de communicatione privilegiorum intelligentiam, advertendum est, hanc doctrinam esse duntaxat intelligendam de privilegiis *generaliter alicui Ordini vel Religioni concessis*, non item de illis, quæ 1. vel alicui Religioso privato tantum fuere concessa; quia juxta *Reg. 7. Jur. in 6. privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.* Nec 2. de iis, quæ alicui Ecclesiæ, vel loco ad tempus determinatum fuere concessa, uti sunt indulgentiæ concessæ in honorem alicujus Sancti, vel cujusdam Altaris privilegiati ad tot vel tot annos v. g. quinquennium. Nec denique 3. de privilegiis ob aliquam specialem rationem uni Ordini, vel loco concessis; uti sunt v. g. indulgentiæ concessæ intuitu alicujus imaginis miraculosæ: quemadmodum enim talis ratio specialis supponitur non occurrere pro alio loco vel imagine; ita neque indulgentia loci vel imaginis concessa rationabiliter potest extendi. Et ob hanc causam (inquit Reiffenstuel *lib. 5. tit. 33. num. 62.*) communiter tenent Doctores, vix uno vel altero excepto, indulgentias Portiunculæ non communicari Ecclesiis aliorum Ordinum, præter Ordinem S. P. N. Francisci. Videatur de hoc Antonius a Spiritu S. *in directorio Regularium tr. 1. disp. 1. sect. 3. n. 42. & seqq.* vel Donatus *p. 1. t. 1. tr. 7. q. 14. & 15.*

Quæres octavo, an, vel quibus de causis privilegia semel concessa soleant cessare, & exspirare?

510. R. Diversis de causis privilegia cessare solent, quæ tamen omnes commode revocari possunt ad tria capita, scilicet 1. ob naturam ipsius Privilegii. 2. ob rationem Privilegiantis, & 3. denique ob rationem ipsius privilegiati. Explico breviter singula capita.

511. I. Ex natura sua privilegium exspirare solet 1. quando hoc fuit duntaxat concessum ad tempus limitatum v. gr. quinquennium; quo elapso cessat, ut de se clarum est. 2. quando fuit duntaxat concessum sub conditione: qua non subsistente privilegium pariter corruere, aliunde notum est. 3. cessat insuper privilegium, quando causa finalis & motiva ex integro cessavit. Ratio horum omnium est: quia *actus agentium non operantur ultra intentionem eorum lib. non omnis ff. si certum pet.* at, supponitur in his casibus, non fuisse aliam intentionem Legislatoris privilegium concedentis, quam ut hoc valeat ad certum tempus, vel sub certa conditione: ergo &c.

512. II. Ob rationem privilegiantis potest cessare privilegium 1. quando is moritur: quod tamen intelligi debet de casu, quo privilegium concessum nondum transiit in gratiam factam, id est, completam, & plenarie impertitam, ante mortem Privilegiantis, sed primum erat facienda, id est inchoata & nondum completa; tametsi Herincx *cit.disp.* 4. *num.* 96. aliique multi Doctores satis probabile existiment, quod, si v. g. Summus Pontifex ante suum obitum jam alicui demandaverit, ut huic vel illi consignet certum aliquem favorem seu privilegium, talis gratia non exspiret cum morte S. Pontificis, quippe qui, quantum erat ex sua parte, gratiam jam fecit, ut proin mandatario non amplius liberum sit, privilegium concessum expedire vel non, modo causa finalis hujusmodi concessionis adhuc subsistat. 2. Potissimum etiam cessare potest privilegium ob expressam, vel saltem tacitam revocationem privilegiantis; quam ob causam privilegia Regularium, adversantia decretis SS. Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus*, sicut & illa, quæ adversantur præcedentium ejusdem Concilii Sessionum decretis, continentibus clausulam sufficienter derogatoriam, seu etiam revocatoriam, hodie nullius sunt roboris, tametsi adhucdum valeant ea, quæ contrariantur aliis decretis ejusdem S. Concilii, non continentibus clausulam specialiter derogatoriam privilegiis Regularium, prout colligere fas est ex sequenti propositione *num.* 36. ab Alexandro VII. damnata 1666. 18. Martii: *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum*. Similiter privilegia vivæ vocis oraculo a diversis SS. Pontificibus olim concessa Regularibus, postea fuerunt revocata & cassata per Gregorium XV. & Urbanum VIII. aliquibus duntaxat exceptis, prout videre licet apud Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 33. *§.* 6. *&* 7. nec non apud Illsung *tr.* 1. *disp.* 3. *art.* 9. 10. *&* 11.

513. III. Ob rationem privilegiati cessat privilegium 1. si privilegiatus moriatur. Vel 2. si huic renunciet, modo sit in ipsius potestate, renunciare, vel non; dantur enim nonnulla privilegia, quibus, tametsi homo privatus renunciare vellet, tamen non potest; sic enim Clericus privatus nequit renunciare privilegio fori & canonis, utputa permittendo se verberari &c. Nec Religiosus privatus valide renunciare potest privilegio toti Communitati Religiosæ concesso, eo quod tales favores non intuitu unius duntaxat Clerici vel Religiosi privati, sed potius immediate in bonum totius status Ecclesiastici, aut Regularis fuerint concessi. 3. denique privilegium subinde potest amitti per *non usum*, vel etiam per abusum privilegiati. Quandonam vero id contingat, prolixioris foret tractationis, quæ cum sit a scopo meo aliena; ideo pro contingentia facti lectorem benevolum remitto ad Doctores proxime allegatos, scilicet P. Reiffenstuel *lib. cit.* §. 8. Illsung *disp.* 3. *art.* 8. vel Mezger *tom.* 2. *tr.* 8. *disp.* 38. *art.* 3.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa usum nonnullorum privilegiorum in particulari.

CASUS PRIMUS.

Titio cujusdam certi Conventus e nostra Provincia Vicario in absentia A. V. P. Guardiani præsidente, contigit, ut quidam subditus Religiosus infirmaretur; qua de causa nedum Medicus, sed etiam alii Viri prudentes judicarunt, sin minus necessarium, saltem admodum congruum esse, ut Vicarius cum eodem dispenset, nedum in jejunio regulari, verum etiam in recitatione Breviarii: & quia sub idem tempus Titio fuerant aliunde submissa quædam paramenta Ecclesiastica, scilicet Casula, Alba, immo & Calix cum patena, eo fine, ut dignaretur eadem consecrare; hinc Titius respondet, se nolle hujuscemodi factis suam onerare conscientiam, proptereaque rem totam distulit usque ad adventum A. V. P. Guardiani. An bene?

514. R. ad primum. Titius negando dispensationem subdito in his circumstantiis non bene fecit. Ratio est: tum quia potuit dispensare; tum etiam quia charitate fraterna id suadente debuit; quandoquidem nedum Medicus, verum insuper alii viri prudentes existimaverint, id summopere expediens pro salute & sublevatione infirmi. Quod autem dispensare potuerit in tali casu nedum ex statutis nostris generalibus *cap. 6. §. 22.* constare potest, ac debet, sed etiam ex statutis provincialibus anno 1720. editis, in quibus *cap. 9. n. 5.* habentur sequentia formalia: *in absentia Guardianorum, quando isti sunt in civitate vel oppidis (Vicarii) possunt facere, quæ possent Guardiani, si essent præsentes; quia tunc sunt quasi Prælati* &c. atqui Guardiani possunt dispensare ex rationabili causa in præceptis Regulæ ex concessione Pii II. videnda apud nostrum Ker-Kove *in statut. general. cap. 1. §. 15. num. 2.* ergo &c.

Scio equidem quod Pellizarius *tr. 8. c. 2. n. 50.* & Payrinis *tom. 1. privileg. constit. 4. Sixti IV.* teneant, Vicarium dispensare non posse, nisi Guardianus saltem per unum diem absit e Conventu; nihilominus cum hoc privilegium sit favorabile, & eo ipso late interpretandum, in statutis vero requiratur duntaxat absentia Guardiani, non vero absentia per diem vel plures &c. hinc censeo cum eodem P. Kerkove *in statut. general. c. 6. §. 22. n. 83.* quod Vicarius Conventus in quacunque demum Guardiani e Conventu absentia, possit cum subditis dispensare in simili casu, sicut etiam absolvere a peccatis reservatis modo (ut in iisdem statutis cavetur) Guardiani absentia in fraudem non exspectetur. Non possunt tamen Abbatissæ cum suis Monialibus dispensare, cum non gaudeant jurisdictione spirituali, prout jam superius *Confer. 10. n. 281.* animadvertimus. Videantur de hoc P. Sporer *tr. 3. in decal. c. 3. n. 50. & seqq.* vel Kazenberger *in Supplem. secundo P. Sargar. Confer. 65. n. 182.*

515. R. Jam ad secundum. Vicarius bene fecit, quod non præsumpserit consecrare Calicem vel patenam. Ratio est, quia Leo X. concedendo Abbatibus, Prioribus, Guardianis, aliisque Religionum Prælatis potestatem benedicendi paramenta, expresse excepit eas res, in quibus sacra unctio adhiberi debet: at, hæc debet adhiberi in consecratione Calicis: ergo &c. Minime tamen dubito, quin Vicarius in absentia P. Guardiani potuisset reliqua paramenta Ecclesiastica (etiam Ciborium, vel lunulam Monstrantiæ) benedicere. Ratio est: quia Innocentius VIII. Prioribus Ord. S. Hieronymi, & *Vicariis in absentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen cujuscunque Monasterii, posse benedicere corporalia, vestimenta, ceteraque ornamenta Ecclesiastica, ad cultum divinum pertinentia, tam sui Monasterii, quam etiam undecunque sint*, prout videre licet apud Rodriquez *tom. 1. QQ. Regul. q. 19. ar. 2.* Pellizarium, Miranda, & alios plures: atqui in eodem privilegio communicant nostri Superiores, prout ex dictis mox supra *n. 506.* videre licet: ergo. Vide Reiffenstuel *lib. 3. decret. tit. 40. §. 2. n. 52.* vel nostrum A. R. P. Kazenberger *in Supplem. 2. P. Sargar. Confer. 58. n. 163.*

At, inquies: possuntne Superiores Regulares cum suis subditis dispensare in

in irregularitatibus, vel aliis pœnis Canonicis?

516. R. Superiores Regulares, gaudentes prærogativa veri Prælati (quales nedum sunt RR. DD. Præsules seu Abbates, verum etiam Generales, Provinciales, Priores, & Guardiani Conventuum) possunt cum suis subditis dispensare in omni irregularitate, orta ex delicto v. g. homicidii, mutilationis, aut enormis effusionis sanguinis, modo tale delictum sit occultum. Ratio est: quia id concesserunt diversi Pontifices, nominatim Martinus V. prout in terminis videre licet apud Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Reg. q.* 24. *art.* 12. Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 12. *n.* 228. & Sbogar *tr.* 62. *n.* 28. Quin immo Paulus III. Bulla *Exponi nobis* 10. *in Bullario Rodriquez*, concessit Generali, Abbatibus, Prioribus & Præsidentibus Ordinis & Congregationis S. Benedicti Vallisoleti, plenam, & liberam facultatem, singulis annis die lunæ post primam Dominicam quadragesimæ cum suis subditis Regularibus in omnibus irregularitatibus publicis, & occultis in foro conscientiæ dispensandi, prout testantur Sbogar *cit.* Herincx, & alii. Addit insuper Portel. *in dubiis Regularib. V. dispensare*, *addit. n.* 2. dictos Prælatos posse hoc privilegium alteri Confessario delegare.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius sæcularis, Ordini nostro Seraphico multum addictus, ante obitum suum instantissime petiit, ut in nostra (Franciscanorum scilicet) Ecclesia, vel cæmeterio sepeliretur, & quidem indutus habitu S. Ordinis Tertiariorum, quod, dum inaudiit R. D. Parochus loci, illico, & solenniter quidem protestatus fuit: quia (ajebat) non PP. Franciscanis, sed mihi incubuit cura hujus animæ: ergo & jus sepulturæ. Quæritur jam, an non obstante hujuscemodi protestatione Sempronius potuerit de jure sepeliri in nostra Ecclesia?

517. R. Affirmative. Ratio est: quia Sixtus IV. auctoritate & constitutione Apostolica perpetuo valitura indulsit omnibus ac singulis utriusque Sexus personis volentibus cum prædicto habitu sepeliri, prout refert Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Reg. q.* 39. *art.* 6. Idipsum conceditur *Clement. dudum.* 2. §. *hujusmodi de sepultur.* item *Extravag. super Cathedram* 2. §. *hujusmodi eod. tit. ubi* habetur, quod *Fratres Ordinis Prædicatorum & Minorum S. Francisci in Ecclesiis vel locis suis ubilibet constitutis, liberam (ut sequitur) habeant sepulturam; videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, & Ecclesiis memoratis.* Idem privilegium postea concessum fuit Augustinianis & Carmelitis, teste Abba *in cap. certificari de sepult. n.* 8. prout videre licet apud Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 28. *n.* 30.

At, inquies, quænam cautelæ in tali casu a Superioribus nostris sunt observandæ?

518. R. Sequentes quatuor. I. Habitus nulli Sæculari concedi potest, nisi a Guardiano loci, vel alio Superiore Prælato, aut hujus delegato. Ita ex constitutione Sixti IV. tradit Rodriquez *loc. cit.*

II. Sæculares ipsi a Fratribus nullatenus induci debent, ut in nostris Ecclesiis eligant sepulturam, vel jam electam non amplius immutent; secus suadentes graviter peccarent, & electio taliter facta ipso jure nulla foret per *cap.* 1. *de sepult. in sexto.*

III. Fratres nequeunt corpus levare, & ad locum sepulturæ deferre, nisi prius requisito Parocho, eoque præsente. Si tamen is renuat, tunc illud, eo etiam invito possunt deferre ad nostram Ecclesiam, prout decisum fuit in quadam S. Congregatione Rituum videnda apud Barbosam *de offic. & potestate Parochi part.* 3. *c.* 26. *n.* 70.

IV. Singulariter advertendum existimo id, quod sapientissime monet R. P. Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 28. *n.* 34. scilicet, ut in tali casu observetur consuetudo laudabilis loci, vel etiam pacta specialiter erecta. Quare cum in nostra Provincia (quantum mihi constat) consuetudo passim obtinuerit, ut funus a R. D. Parocho perducatur usque ad portam Ecclesiæ nostræ, vel cœmeterii, & in eodem loco primum a Superiore loci excipiatur cum debitis ceremoniis, & hæc consuetudo laudabilis mul-

tum conferat ad conservandam ;pacem, omnimodis consulo, ut fine gravissima causa ab eadem nunquam deflectatur.

At, inquies, nunquid in hoc casu officium vel etiam Missæ pro defuncto, debent legi in Ecclesia Parochiali, & non in Ecclesia Fratrum?

519. R. Quod non, saltem per se loquendo. Ratio est: quia libertas eligendi sepulturam post se trahit, & suo modo involvit libertatem in loco sepulturæ exigendi funeralia, ideoque etiam Officium vel Missas defunctotum; secus enim, ait recte Reiffenstuel *l. cit. num.* 38. libertas nimium læderetur, si hæredes cogerentur ad duplicanda Officia & Missas.

Testatur insuper Barbosa *l. cit. num.* 82. a Sacr. Rituum Congregatione 12. *Martii* 1612. immo sæpius decisum fuisse, *Officium in tumulandis cadaveribus in Ecclesiis Regularium, non per Parochum seu alios Presbyteros sæculares, sed per eosdemmet Regulares fieri debere, non obstante quacunque contraria consuetudine.* Videatur de hoc Antonius a Spiritu S. *in Directorio Regular. tr.* 2. *disp.* 3. *sect.* 4. §. 2. *n.* 130. & 131.

CASUS TERTIUS.

C*Aja uterino fratri suo (nescio qua de causa, vel cujus instinctu) propinavit poculum venenatum, cumque animadvertisset, illud non fuisse satis efficax ad inferendam mortem, eidem denuo sub schemmate pietatis (asserens scilicet esse antidotum & medicinam) propinavit alterum, quo sumpto puer paulo post diem suum obiit, altero vero die sepultus fuit. Cum vero mors tam repentina & inopinata multas concitasset suspiciones; hinc auctoritate publica corpusculum defuncti exhumatum, inque ejusdem stomacho venenum latens repertum fuit: quo facto Caja, utpote sibi male conscia, confugit in quandam Ecclesiam Regularium, ibique Confessario rem totam aperuit, petendo nedum absolutionis beneficium, sed etiam asylum. Quæritur jam, an Confessarius Regularis vi privilegiorum nostrorum potuerit Cajam absolvere?* 2. *an eidem potuetit indulgere beneficium asyli, vel quidnam in tali casu fuerit agendum?*

520. R. ad primum. Confessarius Regularis potuit confessam, & vere contritam absolvere a patrato scilicet (nisi casus homicidii Episcopo loci fuisset specialiter reservatus, prout plerumque reservari solet) Ratio est: quia nos Religiosi Mendicantes (immo & non Mendicantes, gaudentes nostris privilegiis secundum dicta *n.* 507.) possumus pro foro conscientiæ absolvere quoscunque Sæculares, undeunde demum ad nos recurrentes ab omnibus casibus & peccatis, etiam S. Pontifici (extra Bullam Cœnæ) reservatis: atqui casus homicidii, vel etiam fratricidii non est reservatus in Bulla Cœnæ: ergo potuit Caja ab hoc casu absolvi. Quin immo tametsi casus fuisset Episcopo, seu Ordinario loci reservatus, si tamen Caja Ordinarium ipsum, vel alium ab eodem delegatum, seu præditum facultate absolvendi a reservatis Episcopo accedere non potuit moraliter, prout in simili casu fieri potest, tunc potuisset etiam per accidens absolvi ab hoc casu Episcopo reservato, veluti constare potest tum ex communissima DD. tum etiam ex iis, quæ diximus *in Theolog. Sacram. part.* 2. *Confer.* 14. *num.* 369. & *seqq.*

521. R. jam ad secundum quæsitum, Cajæ a Confessario fuit consulendum, ut sibi quantocyus fuga consulat, modo id moraliter loquendo fieri potuit. Idque præsertim dicendum fuisset, si casus supponatur contigisse post constitutionem Benedicti XIII. p. m. *Ex quo Divina*, editam *anno* 1727. 15. *Junii*, & videndam *in appendice* 25. *ad Concil. Lateran. eodem anno*, ubi memoratus S. Pontifex ait: *Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato*: atqui Caja hoc fecit: ergo non potuit gaudere beneficio asyli, & hoc ipso consulendum eidem fuit, quatenus fuga sibi vellet consulere, idque tanto amplius & efficacius, quo minus tales personæ alterius Sexus in Monasteriis Virorum, vel aliis locis piis sine pluribus inconvenientiis conservari possunt, veluti cuivis rem, ut par est, perpendenti, facile constabit.

Ergo-

Ergone, inquies, Caja, utpote privata jure asyli vi præfatæ constitutionis, potuisset illico potestate brachii sæcularis eripi ex Ecclesia Regularium, vel saltem Superior Regularis eo adigi, ut Cajam extraderet?

522. R. Juxta tenorem mox citatæ constitutionis talis persona nequit illico eripi, aut extrahi e loco sacro, neque Superior Regularis vel Ecclesiasticus ad ejusdem extraditionem adigi potestate brachii sæcularis, sed debent observari sequentes cautelæ. 1. si delinquens repetatur a curia sæculari, tunc curia Ecclesiastica cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ tenetur procedere ad extractionem delinquentis ab Ecclesia, extractumque ad suos (Ecclesiæ scilicet) carceres asportare, ibidemque sub tuta custodia detinere, usque dum constet, an criminosus gaudeat immunitate Ecclesiastica, nec ne? Quodsi ex processu informativo desuper instituendo certo constet, crimen esse exceptum, ideoque delinquentem non gaudere jure asyli, tunc primum curia Ecclesiastica extractum Ministris & Officialibus Curiæ sæcularis, tradere & consignare potest ac debet, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione, in forma juris valida, restituendi extractum Ecclesiæ, si is indicia contra se aquisita in suis defensionibus purget ac diluat &c. Vide *Concilium Lateranense loc. cit.* vel P. Kresslinger addit. *ad tr. 12. dist. 2. post n. 55. Theologiæ moralis R. P. Reiffenstuel.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

523. COlliges ex hactenus dictis primo, privilegia concessa Filiis familias v. g. ne mutuo obligentur; sicut & privilegia concessa Regularibus intuitu totius Religionis vel Ecclesiæ, esse realia, ideoque non extingui cum aliqua persona individua, quacunque demum. Ratio est: quia hæc & similia non conceduntur intuitu personæ privatæ, sed potius intuitu boni publici, vel totius Religionis, quæ, quemadmodum exigit durare perpetuo, ita & talia privilegia hujus intuitu concessa.

At quid, inquies, si dubitetur, sitne privilegium reale, vel personale?

524. R. In tali dubio attendendum esse 1. ad formam verborum. 2. Cuinam, vel ex quo fine privilegium fuerit concessum? Nam si privilegium fuit directum ad personam individuam, eam specifice & individualiter exprimendo; ut si Legislator dicat: *Tibi Petre, ob specialia tua merita, scientiam &c. concedimus &c.* reputandum erit privilegium personale. E contra si in privilegio exprimatur perpetuitas, aut facultas diffundendi illud in hæredes, hac vel simili clausula: *Concedimus in perpetuum: hac nostra constitutione perpetuo valitura &c.* censendum erit privilegium reale. Denique si neque ex his satis liquido discerni valeat, oportebit attendere, sitne privilegium odiosum, utpote juri communi vel alterius Tertii contrarium, vel vero mere favorabile? si prius, judicandum est personale, & stricte interpretandum *per c. odia 15. & quæ a jure 28. de R. I. in sexto*. Si secundum, censendum est esse reale, & ample interpretandum; nam *concessum a Principe beneficium debet esse mansurum c. 16. de R. J. in sexto & l. 3. ff. de Constit. Princ.* Videatur Palao *part. 1. tr. 3. disput. 4. punct. 2. §. 1. n. 6.* vel Engel. *lib. 5. tit. 33. n. 4.*

525. Colliges secundo. Subditum privilegiatum uti posse suo favore etiam tunc, dum extra territorium sui Legislatoris existit, modo privilegium sit absolute concessum sine restrictione ad locum, esto ceteroquin esset contrarium legibus particularibus illius loci, ubi peregrinus existit. Ratio est; quia privilegium tali personæ individuæ concessum est privilegium personale: at, hoc ex sua natura comitatur personam, ubicunque demum hæc existit: ergo &c. Secus tamen dicendum foret, casu quo hujusmodi usus vergeret in præjudicium alterius Legislatoris.

Ratio est: quia Legislator indulgens suo subdito privilegium vel specialem favorem, non potuit, consequenter nec debet censeri voluisse præjudicare jurisdictioni alterius Legislatoris independentis.

dentis. Hac de causa v. g. Parochus nequit in aliena Parochia, absque speciali licentia alterius Parochi, baptizare infantem sui Parochiani, prout diximus in *Theolog. Sacram. part.* 1. *Confer.* 6. *n.* 65. Similiter Confessarius in una Dioecesi approbatus, nequit Subditum Dioecesanum in alia Dioecesi absolvere, nisi sit Pastor illius, veluti rursus dictum fuit *part.* 2. *Confer.* 12. *n.* 317. & 318. Videatur Herincx *cit. disp.* 4. *num.* 60. vel Illsung. *tract.* 1. *disput.* 3. *art.* 4. *n.*26.

526. Colliges tertio, potestatem dispensandi & absolvendi a recervatis, concessam sine expressione personae dispensandae, vel absolvendae esse late interpretandam. Ratio est, quia talis potestas conducit ad sublevandas multorum necessitates, neque etiam refragatur juri communi, vel in ullius alterius praejudicium cedit. Secus dicendum foret, si privilegium vel potius facultas dispensandi cuipiam fuisset demandata pro aliqua determinata persona; tunc enim talis facultas dispensandi censetur virtualiter esse inchoata dispensatio, quae stricte interpretari debet, uti bene observant Palao *cit. punct.* 11. *n.* 5. & Suarez *lib.* 6. *de LL. cap.* 17. *n.* 7.

527. Colliges quarto, potestatem eligendi Confessarium, qui tempore Jubilaei v. g. absolvat a reservatis, pariformiter late esse interpretandam. Ratio est: quia talis potestas conceditur ad bonum commune totius Ecclesiae, & hoc ipso censeri debet in favorem Religionis, & piae causae: haec autem privilegia late esse interpretanda, jam constare potest ex dictis *n.* 502. ergo. Adde insuper, quod Pontifices indulgendo hanc potestatem, id faciant eo fine, quatenus fideles certius & efficacius obtineant remissionem suorum peccatorum: atqui talis concessio nec repugnat juri communi, neque vergit in praejudicium Tertii: ergo merito debet late interpretari: Vide Palaum *loc. cit. num.* 7. vel Suarez *de votis lib.* 6. *c.* 16. *n.* 3.

528. Colliges e contrario quinto, stricte interpretandam esse potestatem eligendi Confessarium, in bonum privatum alicujus concessam, qui hunc a casibus reservatis absolvat. Ratio est: quia talis facultas continet exceptionem a jure communi, vi cujus omnes alii fideles tenentur recurrere ad Judicem Superiorem, vel ad hujus delegatum, neque pro hac militat amplius favor boni communis, Religionis, aut piae causae. Magnum itaque (ut ex hactenus dictis constare potest) discrimen est observandum circa interpretationem *dispensationis*, & *facultatem dispensandi*, prout jam alibi annotavimus: nam dispensatio ipsa, eo quod sit quasi quoddam vulnus legis, non debet latius extendi vel interpretari: e contra facultas dispensandi utpote valde necessaria & proficua bono communi, hoc ipso merito censetur favorabilis, & per consequens latioris interpretationis. Ita *DD. cit.*

529. Colliges sexto, privilegia Religiosorum, id est, alicui S. Religioni, Ordini, Provinciae aut Monasterio, sive immediate & directe, sive etiam indirecte & per communicationis viam concessa, late esse interpretanda, & extendenda, quantum tenor & proprietas verborum id permittit. Ratio est: quia hujusmodi privilegia continent merum favorem Principis, Religionis, & piae causae, quo nulli a Summo Pontifice infertur injuria, aut praejudicium, prout (teste Mezger) cum S. Thoma *in* 4. *dist.* 17. *qu.* 3. *a.* 3. *quaest.* 5. *ad* 1. & *opuscuto* 19. *contra impugnatores Religionum prope fin.* tenent Palao, Laymann *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 5. & *alii plures.*

530. Colliges septimo, illam communicationem privilegiorum, quam diximus supra *n.* 506. dari amplissimam inter Religiosos, intelligendam esse cum quadam proportione, ita scilicet, ut privilegia *Praelato* unius Religionis concessa, non eo ipso censeri debeant concessa subdito alterius Religionis, sed Praelato duntaxat. Debet itaque haec communicatio intelligi cum tali proportione, scilicet Praelati ad Praelatum; Vicarii ad Vicarium; Congregationis unius Religionis ad Congregationem alterius; Fratrum privatorum unius ad fratres privatos alterius; Denique festivitatis ad festivitatem alterius, ita scilicet, ut v. g. indulgentiae nobis concessae in Festo, & intuitu SS. P. N. Francisci, via communicationis possint participari ab aliis Religiosis ex. gr. RR.

PP.

PP. Dominicanis in Festo SS. Patriarchæ Dominici, vel a RR. PP. Jesuitis in Festo SS. P. Ignatii. Et ita expresse declaravit *Julius II. Bulla* 18. videnda apud nostrum Rodriquez. Quocirca utiliter videri potest noster Herincx *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 4. *n.* 78. ubi idem Doctor *n.* 77. sapienter notat, privilegia unius Religionis etiam tunc non communicari alteri, quando in hujus malum aut relaxationem cederent. Hac de causa v. g. nos Fratres Minores non possumus communicare privilegiis aliis Religionibus concessis coemendi scilicet, aut possidendi bona temporalia; quia hæc repugnarent nostro instituto ac professioni. Ratio hujus est: quia non licet præsumere de mente S. Pontificis, quod concedendo privilegia & favores speciales uni Religioni, propterea intenderit relaxare aliam, vel aliquid hujus instituto repugnans concedere. Itaque communicatio privilegiorum, tametsi fortassis non exprimatur singulariter, semper intelligi debet cum hac clausula: *Dummodo privilegia observantiæ regulari non sint contraria*. Ita Herincx *loc. cit.*

CONFERENTIA

DECIMA NONA.

De peccatis in genere.

SUMMARIUM.

531. *Peccatum ut sic & generice sumptum, quid?*
532. *Et quid peccatum Philosophicum?*
533. *Peccatum Theologicum est voluntaria transgressio legis divinæ.*
534. *Quod varie dividitur in diversas classes.*
535. *Lex vel præceptum affirmativum censetur illud, quod intendit positionem alicujus actus; e contra illud dicitur negativum, quod intendit omissionem actus.*
536. *Inter quæ notatu dignum, quod affirmativum ex sua natura* semper quidem, *sed* non pro semper *obliget, negativum vero obligat* semper, & pro semper.
537. *Peccatum actuale consistit in actuali transgressione legis divinæ.*
538. *Cujus malitia sita est in privatione rectitudinis debitæ juxta legem.*
539. *Peccatum vero habituale consistit in ipso peccato actuali, physice quidem præterito, at moraliter perseverante in obligatione placandi Deum, Eidemque satisfaciendi &c.*
540. *Distinctio moralis* specifica *peccatorum desumenda est ex privatione diversarum rectitudinum, seu etiam virtutum; quemadmodum.*
541. *Econtra distinctio* physica *peccatorum colligi ac peti debet ex diversitate objectorum.*
142. *Diversitas præceptorum formalium desumi potest & debet ex diversitate finium a Legislatore intuntorum.*
543. & 544. *Satisfit duabus instantiis in contrarium factis.*
545. *Distinctio moralis numerica desumenda est ex pravis actibus voluntatis moraliter completis, & consumatis.*
546. *Pro cujus meliori captu notanda est differentia inter actus* mere internos, & externos; *Nam*
547. *Peccata mere interna toties numero multiplicantur, quoties actus internus voluntarie repetitur: externa vero toties, quoties actus exteriores, peccatum physice, & moraliter complentes repetuntur.*
548. *Resolvitur Casus I. cujusdam hominis scrupulosissimi, qui tandem laboris pertæsus, & lassus ex continuo conflictu contra scrupulos, secum statuit, quod proxime vellet peccare mortaliter.*
549. *Quid cum tali pœnitente Confessario fuerit agendum?*
550. *Et quid judicii de eo, qui quidem minime scrupulosus, nihilominus ex tædio semper honesta, vel id, quod perfectius est, sectandi, sese resolvit, quod vellet amplecti id, quod delectat?*
551. *Resolvitur Casus. II. cujusdam debitoris, qui accusatus loco solutionis debitæ suo Creditori coram Pro-Consule, & debitum negavit, & eidem accusatori varias contumelias intulit.*
452. *Plures contumelias ex eodem impetu iræ seu passionis inferendo, probabiliter non commisit plura peccata distincta.*
553. *Quomodo Confessarius talem pœniten-*

tem debeat examinare, casu quo is se ipsum non satis explicat?

554. *Resolvitur Casus III. de quodam adolescente, qui secum statuit, ducere vitam licentiosam, propterea que quæsivit alium quendam ditiorem se seducere, & in suam pertrahere sententiam.*

555. *Vi hujus resolutionis procul dubio commisit plura peccata etiam specie distincta.*

556. *Satisfit cuidam instantiæ notabili, in contrarium factæ.*

557. *Universim in quovis peccato reperiuntur diversæ deordinationes, non tamen semper necessario exprimendæ in confessione.*

558. *Deus non fit Auctor peccati formalis, tametsi nobiscum concomitanter influat ad materiale peccati.*

559. *Unde malitia formalis in genere moris soli arbitrio humano imputari debet.*

560. *Qui tempore quadragesimæ, incidente simul die cujusdam vigiliæ transgreditur jejunium, non committit duo peccata.*

561. *Secus dicendum foret, si ad idem jejunium vi voti, vel alterius præcepti formaliter distincti fuisset obligatus.*

562. *Ad multiplicationem numericam peccatorum externorum non sufficit quæcunque interruptio voluntatis internæ; sicut e contrario.*

563. *Vi unius duntaxat propositi interni peccata externa non semper fiunt unum numero peccatum.*

564. *Utrum ille, qui Sacrificium Missæ negligit, & tempore Sacrificii studet, aut ludit &c. ludendo, vel studiis vacando peccet?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Peccatis in genere.

QUæres primo, quid sit Peccatum ut sic?

531. R. Nomine peccati ut sic intelligitur actio quædam defectuosa, vel potius ipse defectus: & quia talis defectus nedum reperire est in operibus rationalis creaturæ seu animæ, verum etiam in operibus artis, & naturæ; hinc peccatum in hoc sensu latissime sumptum dividi solet in peccatum naturæ, artis, & animi. Natura quippe dicitur suo modo peccare, quando contra communem ordinem ptoducit monstrum. Similiter ars, vel potius artifex peccare dicitur, quando in suo opere deviat a regulis artis. Denique creatura rationalis peccare dicitur, quando aliquid contrarium agit regulis rectæ rationis. *Communis DD.*

532. Porro hoc peccatum animi rursus considerari potest, vel quatenus præcise importat quendam defectum rectæ rationi contrarium, vel quatenus simul est offensa Dei, prout sapienter observavit Doctor Angelicus *part. 2. q. 71. art. 6. ad quintum*. Hoc posteriori modo considerarum, dicitur peccatum Theologicum (Theologorum quippe est, examinare ea, quæ ad Deum, ceu ultimum finem nostrum nos dirigunt, vel ab eodem avertunt) Priori autem modo consideratum dicitur peccatum Philosophicum, rationi scilicet naturali, cui potissimum innituntur Philosophi, contrarium. Quocirca id unicum nobis occurrit notandum, scilicet, quod Alexander VIII. 24. *Augusti 1690.* damnaverit sequentem propositionem: *Peccatum-Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum:* quæ propositio in eo sensu sumpta uti jacet, procul dubio scandalosa est, temeraria, erronea, & piarum aurium offensiva, ideoque meritissimo jure damnata, prout bene probat Viva *ad dictam proposit. 2.* Et La Croix *lib. 5. num. 49. & seqq.* Nobis proin de solo peccato Theologico erit negotium. Unde

Quæres secundo, quid sit peccatum Theologicum?

533. R. Peccatum Theologicum est voluntaria transgressio legis divinæ. Ita R. D. Michel *in sua Theolog. Canon. moral. tom. 1. tr. 3. q. 3. n. 2.* Busenbaum & alii *DD. communissime*, esto in modo describendi nonnihil varient, & plerique amplectantur illam notissimam de-

scri-

ſcriptionem, quam S. Auguſtinus tradit *lib.* 22. *contra Fauſtum c.* 27. ubi ait, quod peccatum ſit *dictum*, *factum*, *vel concupitum contra legem Dei æternam*, quæ deſcriptio in rei veritate idem dicit, quod noſtra; cujus bonitas vel inde facile colligetur, nam ly *violatio ſeu tranſgreſſio* obtinet locum generis; quippe in quo convenit cum peccato philoſophico &c. *voluntaria* autem eſſe debet; quia juxta celebre effatum D. Auguſt. 1. *retract. c.* 13. & *lib. de vera Relig. c.* 14. *uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*. Additur autem, *legis divinæ*, id eſt, voluntatis divinæ; hæc enim prima & radicalis eſt regula omnis honeſtatis; cui proin omne peccatum, præſertim Theologicum adverſatur. Et licet contra præcepta humana agendo pariter peccemus, v. g. non ſervando jejunium Eccleſiaſticum &c. nihilominus hujuſcemodi tranſgreſſiones omnes ultimate repugnant voluntati divinæ, quippe qua jubemur obedire præceptis Superiorum noſtrorum juxta illud Apoſtoli Petri 1. *c.* 2. *v.* 18. *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis*. Herincx *p.* 2. *tr.* 2. *diſp.* 5. *n.* 3. Sporer & alii *communiter*.

Quæres tertio, quotuplex ſit peccatum theologicum?

543. R. varias patitur diviſiones, ſcilicet novem ſequentes.

I. Solet dividi in peccatum *originale* & *perſonale*. Originale eſt, quod ex Adamo protoparente ceu origine ipſa generationis naturalis propagine contrahimus, perſonale vero eſt, quod in propria perſona quiſque committit.

II. Dividi ſolet in peccatum *actuale* & *habituale*, de quibus mox *num.* 537. & 539. agemus.

III. Dividitur in *mortale* & *veniale*, de quibus *Conferentia proxima a n.* 565. ex profeſſo agetur.

IV. Peccatum ut ſic dividi ſolet in *carnale* & *ſpirituale*. Carnalia dicuntur illa, quæ in delectatione carnali, utputa gula, luxuria &c. Spiritualia vero, quæ in delectatione ſpirituali, id eſt, mentali perficiuntur, eſto talis delectatio capiatur de aliquo objecto ſenſibili v. g. divitiis, officiis, aliiſve bonis temporalibus &c.

V. Dividitur in peccatum *cordis*; *oris* & *operis*, ſcilicet juxta diverſos gradus, per quos tandem devenitur ad conſumationem peccati exterioris: nam plerumque corde, id eſt, animo, ſeu etiam cogitatione concipitur peccatum, quod poſtea ore profertur, ac tandem opere conſumatur, prout fieri amat in eo, qui v.g. adulterium committit &c.

VI. Recte dividi ſolet in peccata contra *Deum*, *proximum*, & *ſeipſum*. Peccata contra Deum dicuntur illa, quæ opponuntur illis virtutibus, quibus in Deum per noſtras operationes attingendum, aut colendum ordinamur, uti ſunt peccata oppoſita virtutibus theologicis, vel Religionis v. g. deſperationis, blaſphemiæ &c. peccata vero contra proximum illa recte vocantur, quæ adverſantur virtutibus nos dirigentibus erga proximum; uti ſunt peccata homicidii, furti, ſcandali &c. & alia hujuſcemodi tum juſtitiæ, tum etiam charitati proximo debitæ adverſantia &c. Denique peccata contra ſe, ſeu etiam nos ipſos, appellari ſolent illa, quæ contrariantur illis, quibus in moderandis paſſionibus noſtris recte dirigimur; uti ſunt peccata luxuriæ, gulæ, timiditatis, & ſimilia, fortitudini ac temperantiæ contraria.

VII. Dividitur in peccatum ex *infirmitate*, *ignorantia*, vel ex *malitia* commiſſum. Ex infirmitate dicuntur illa commiſſa quæ fiunt ex vehementiſſima tentatione, ſeu etiam impulſu appetitus ſenſitivi. Ex ignorantia vero, quæ ſine prævia apprehenſione, eſto non inculpabili, malitiæ committuntur. Ex malitia vero recte cenſentur illa committi, quæ præciſa tentatione gravi vel omni etiam ignorantia ſponte, ac deliberate ex perverſione voluntatis admittuntur; hæc poſteriora prioribus procul dubio tanto ſunt majora, quanto majori libertate & cognitione mali committuntur.

VIII. Recte dividi ſolet peccatum ut ſic in *proprium* & *alienum*. Nomine prioris intelligitur illud, quod quiſ-

que

quē per se ipsum committit? nomine autem posterioris illud, quod quis facit committi ab alio, utputa jussu, consilio, vel dissimulatione &c.

IX. Denique solet peccatum ut sic dividi in peccatum *commissionis* & *omissionis*; illud consistit in actu positivo, præcepto negativo contrario: istud committitur, dum quis voluntarie negligit satisfacere præcepto positivo v. g. de audiendo Sacro; pro quorum meliori intelligentia.

535. Nota, quod lex seu etiam præceptum ut sic communiter soleat distingui in *affirmativum* & *negativum*, quorum differentia minime petenda est ex modo enunciandi seu proponendi affirmativo scilicet vel negativo, quo Legislator utitur, sed potius ex fine, quem intendit: illud enim præceptum dici debet affirmativum, vi cujus præcipitur aliquis actus, seu quo jubemur aliquid facere v. g. audire Sacrum, confiteri &c. econtra negativum censeri debet illud, vi cujus prohibemur aliquid facere, sed potius jubemur aliquid omittere v. g. non mentiri, non furari &c.

536. Rursus inter hæc duo genera præceptorum advertendum hic venit notabile illud discrimen, quod scilicet præceptum affirmativum (idem est de lege) semper quidem obliget, non tamen pro semper, id est, non pro omni, sed pro certa duntaxat temporis differentia, sic enim non omni tempore vel momento tenemur amare Deum, actum fidei elicere, vel audire Sacrum &c. Econtra tamen præceptum negativum obligat semper, & pro semper, seu pro omni temporis differentia, saltem in eo sensu, quo Legislator obligare voluit: sic enim nunquam licet mentiri, nunquam mœchari, vel homicidium injustum committere &c. prout cum communi aliorum bene docet Reiffenstuel *Theolog. moral. tr. 3. dist. 1. n. 11.*

Quæres quarto, quid sit, seu in quo consistant peccatum actuale?

537. R. Peccatum actuale consistit in actuali transgressione legis divinæ, sive dein id fiat contra præceptum affirmativum, utputa omittendo Sacrum &c. sive contra præceptum negativum, v. g. committendo homicidium vel furtum &c. Ex quo facile colligere licebit, in quolibet peccato, præsertim commissionis importari duo, scilicet 1. actum physicum v. g. occisionis &c. quod dicitur *materiale peccati*; & 2. quandam deordinationem seu defectum creaturæ rationalis, vi cujus hæc sese privat rectitudine debita, ponendo v. g. actum homicidii in iis circumstantiis, in quibus novit, eum esse prohibitum: & in hoc consistit malitia moralis seu *formale peccati*; quocirca Theologi Scholastici multum dissident, volentibus nonnullis, præsertim recentioribus, quod hæc malitia formalis consistat in positivo, aliis e contra TT. & Scotistis mordicus defendentibus, quod consistat in mero negativo, seu privativo. Cum vero ad praxin parum omnino, immo nihil prorsus referat, sive unum dicatur, sive alterum; hinc præsentem controversiam operosius examinandam Scholasticis relinquimus. Videatur de hoc Mastrius 2. *sent. disp. 6. q. 1.* Pro aliquali tamen hujus notitia

538. R. breviter secundo. Formalis malitia peccati probabilius non consistit in aliquo positivo, sed in privativo, id est, in carentia seu privatione rectitudinis & conformitatis ad legem. Ita S. Bonaventura 2. *dist.* 37. *art. 2. q.* 1. Scotus *in* 2. *eadem dist. q.* 1. Alensis, Mastrius, Reiffenstuel, & alii Scotistæ *communissime*. Ratio hujus colligi potest ex eo: quia quamprimum actum aliquem concipimus conformiter ad legem esse præstitum, illum dicimus bonum: ergo a contrario, quamprimum illum intelligimus esse dissonum legi, vel potius destitutum rectitudine & conformitate illa, quam juxta præscriptum legis deberet habere, merito illum appellamus formaliter malum; ideoque formalis malitia peccati melius constituitur in negativo, quam in positivo. Id quod satis clare innuit S. Augustinus *in cap. 1. Joan.* super illa verba: *sine ipso factum est nihil*, ubi per ly nihil intelligit Sanctus Doctor peccatum, & ait: *manifestum est, quia peccatum nihil est*. Denique omne ens positivum per se & immediate debet in DEO saltem virtualiter, vel eminenter contineri, & ab Eodem ceu causa prima & operatrice omnis crea-

turæ effici: absurdum vero videtur afferere, quod in DEO virtualiter, vel eminenter contineatur malitia moralis, vel quod hæc ab eodem procedat effective, & sit quædam participatio divinæ naturæ, prout omnis effectus creatus esse debet: ergo melius illa malitia moralis constituitur in privativo, quam in positivo. Videantur de hoc dicta superius *Conf.* 3. *n.* 60.

Quæres jam quinto, in quo consistat peccatum habituale?

539. R. ad hanc quæstionem speculativam breviter. Peccatum habituale probabilius consistit in ipso peccato actuali, physice quidem præterito, moraliter tamen perseverante *in obligatione Deum placandi, eidemque satisfaciendi pro offensa*. Ita contra TT. & multos alios etiam e Scotistis tenet noster Herincx *part.* 2. *tr.* 2. *disp.* 5. *n.* 35. ubi *n.* 36. pro eadem opinione citat Oviedo *tr.* 6. *controvers.* 8. *punct.* 4. & 5. Idipsum tenet Du-Pasquier *de peccat. disp.* 2. *concl.* 3. & Henno *tr. de peccat. disp.* 1. *q.* 5. *a.* 1. *concl.* 3.

Ratio est: quia peccatum habituale *qua peccatum* non differt a peccato actuali: *qua habituale* vero aliud nihil importat, quam moralem perseverantiam ipsius peccati physice præteriti: atqui hæc moralis perseverantia melius explicari non potest, quam per illam obligationem Deum placandi, eidemque satisfaciendi; quemadmodum enim alii contractus v. g. matrimonii, mutui, emptionis &c. in morali hominum existimatione quantumvis physice præteriti, nihilominus moraliter censentur perseverare, idque tamdiu, quamdiu obligatio inde contracta v. g. a creditore non fuit remissa, vel ab ipso emptore extincta mediante pretio promisso; ita fane quamoptime intelligi potest, peccatum physice præteritum tamdiu moraliter perseverare, quamdiu peccator pro culpa admissa Deo non satisfecerit, vel hæc a Deo gratis non fuerit condonata. Et certe, quamprimum peccator huic obligationi satisfecit, vel Deus eandem remisit, sive dein ob contritionem perfectam, sive ob amorem Dei super omnia, sive denique intuitu absolutionis Sacramentalis, tametsi adhuc restet reatus pœnæ, peccatum non amplius perseverat, veluti evidenter colligere fas est ex illa notissima historia Davidica 2. *Reg. c.* 12. ubi, cum David Rex corde vere contrito & compuncto dixisset: *Peccavi Domino*, illico audivit per Prophetam Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum &c.* ergo peccatum habituale qua tale quamoptime constituitur in præfata obligatione. Et hæc sententia, utpote reliquis planior, expeditior & captu facilior, mihi nunquam non placuit, eo præsertim, quod huic insistendo facilius & doctrinæ cohærentius explicari valeat peccatum originale.

Quæres sexto, undenam desumenda, vel colligenda sit distinctio moralis specifica peccatorum?

540. R. Distinctio moralis specifica desumi debet per ordinem ad diversas specie virtutes vel rectitudines, quibus actus peccaminosi opponuntur vel privant, ita scilicet, ut quanto plures hujuscemodi privationes sive in eodem, sive etiam in diversis numero actibus reperiuntur, tanto plura specie morali distincta peccata prudenti Confessario colligi, vel argui debeant. Ita tenet Doctor Subtilis 2. *dist.* 37. *q.* 1. quem sequuntur SS. *communiter*, nominatim Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 3. *dist.* 1. *n.* 41. Sporer *tr.* 1. *proœm. c.* 4. *n.* 11. Henno *ubi supra disp.* 1. *q.* 10. *concl.* 2. Ratio hujus est facilis: quia secundum mox dicta *num.* 538. peccatum qua tale consistit in privatione rectitudinis debitæ: ergo tot specie distincta peccata recte arguuntur, quot sive in eodem, sive etiam diversis numero actibus reperiuntur specie distinctæ privationes: atqui tot specie distinctæ privationes reperiuntur, quot virtutibus, vel rectitudinibus actus peccaminosi opponuntur; quia quævis privatio specificatur a forma, qua privat: quemadmodum ergo recte arguimus, privationem v. g. frigoris specie differre a privatione caloris, eo quod calor, & frigus sint formæ specie physica distinctæ; ita profecto arguere oportet, quod v. g. peccatum odii & furti specie morali differant, eo quod odium privet virtute charitatis, furtum vero virtute, & honestate, seu etiam rectitudine justitiæ.

 541.

541. Dixi tamen, distinctionem *moralem specificam* esse desumendam ex diversis privationibus &c. Non enim hic agimus de distinctione merum physica peccatorum, id est, de illa, vi cujus peccata a se invicem in genere physico noscuntur differre; nam hæc distinctio desumi debet ab objectis specie diversis, in quo genere furtum auri & argenti, vel vestis, aut vini &c. specie dicuntur distincta &c. Verum hæc diversitas peccatorum parum, immo nihil omnino facit in ordine ad judicium Sacramentale, bene vero illa distinctio specifica moralis, quam ex declaratione Concilii Tridentini *ss.* 14. *de Sacram. pœnitent. cap.* 5. *&* *can.* 7. & *communissima* Theologorum opinione in confessione tenemur exprimere, sicut & circumstantias speciem mutantes.

At vero, inquies fortassis, undenam igitur colligendæ sunt illæ diversæ rectitudines?

541. R. Eas esse colligendas partim 1. ex diversis virtutibus, ut jam dictum fuit [quemadmodum enim quælibet virtus habet suum peculiarem finem honestum; ita pariter habet suam peculiarem rectitudinem & honestatem, veluti constat de virtute fidei, spei & charitatis) partim etiam 2. colligi possunt ac debent ex *formaliter diversis* præceptis, id est, talibus, quæ tendunt in formaliter diversos fines. Ex. gr. præceptum jejunii eo tendit, ut per saluberrimam hanc abstinentiam maceremur in corpore & spiritualiter vegetemur in mente, dum caro subjicitur spiritui: e contra præceptum de audiendo Sacro immediate tendit & intendit honorem ac cultum divinum; quam ob rem hæc duo præcepta (idem judicium formandum est de aliis) censentur formaliter inter se distincta, ita ut quodlibet habeat honestatem & rectitudinem ab alterius rectitudine distinctam. Econtra tamen, tametsi idem v. g. ieiunium ex eodem tamen fine, scilicet macerationis &c. a diversis Legislatoribus, vel ab eodem quidem, ast, diversis temporibus supponatur præceptum, huiusmodi præcepta non formaliter, sed materialiter potius censentur distincta, ut proin contrafaciens, & ieiunium frangens, non duo specie distincta, sed unum duntaxat peccatum committat, iuxta *communissimam Doctorum*.

Dices adhuc. Dantur peccata specie distincta, uti sunt vitium prodigalitatis & avaritiæ, quæ tamen privant eadem rectitudine, & opponuntur eidem virtuti, scilicet liberalitatis: ergo distinctio specifica moralis non recte colligitur ex diversis privationibus &c.

543. R. Distinguendo *ant.* Vitium prodigalitatis & avaritiæ privant, eadem rectitudine subalterna, *concedo* eadem rectitudine in specie infima, *neg. ant. cum conseq.* Virtus quippe liberalitatis, utpote consistens in medio, sub se continet duas rectitudines specie infima distinctas; nam recta ratio dictat, quod homo nullatenus debeat excedere limites liberalitatis, & excedendo incurrere vitium prodigalitatis: dictat insuper quod non debeat ab eadem deficere per nimiam tenacitatem, & deficiendo incurrere vitium avaritiæ, quæ duo dictamina in morali hominum existimatione multum inter se differunt, veluti fusius declarat P. Mastrius *in* 2. *l. sent. disp.* 6. *de peccat. art.* 3. *num.* 52. *& seqq.*

Dices iterum. Furtum veniale & mortale specie morali inter se differunt; cum unum sit veniale, alterum vero mortale peccatum, & tamen opponuntur eidem virtuti, & privant eadem rectitudine justitiæ in specie infima: ergo resolutio data non subsistit, neque ex privatione rectitudinum recte arguitur distinctio specifica peccatorum.

R. Quod peccatum mortale differat quidem a veniali specie morali non quacumque, sed Theologica, scilicet in ordine ad confessionale; alia quippe est rectitudo, seu etiam dictamen rectæ rationis, quo jubemur Deum non offendere graviter, neque nos ab eodem similiter avertere per gravem læsionem proximi: aliud vero dictamen, quo recta ratio nos monet, ne Deum leviter quidem offendamus, aut nos ab Eodem secundum quid avertamus, per modicam proximi nostri damnificationem. Et quia species Theologica peccati idem vult dicere, quod facies rei, seu peccati; hinc merito peccatum veniale, & mor-

& mortale qua talia dicuntur differre specie morali Theologica ; quandoquidem Theologus prudens longe aliud judicium ferre debeat de peccato mortali, vi cujus peccator gratia Dei simpliciter excidit, & pœnæ æternæ reatum incurrit, quam de peccato veniali v. g. furti, vi cujus peccator nec se ipsum simpliciter avertit, nec gratia Dei excidit, neque proximum graviter lædit. Quare ad hanc instantiam in forma negari debet minor cum conseq. Videatur R. P. Kresslinger *addit. post.n.* 42.*ad tract.* 3. *dist.* 1. *Theolog. mor. R. P. Reiffenstuel.*

Quæres septimo, undenam desumi possit vel debeat distinctio moralis numerica peccatorum?

545. R. Distinctio moralis numerica (in ordine scilicet ad confessionem, in qua juxta Tridentinum supra tenemur hanc exprimere) desumi debet ex actibus pravis voluntatis, moraliter completis, ac consummatis, ita scilicet, ut tot committantur numero distincta peccata, in confessione necessario explicanda, quot actus pravi voluntarie consummantur, seu etiam repetuntur. Hanc velut regulam universalem ex *communi Doctorum* sententia sapienter tradit Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 3. *dist.* 1. *n.* 51. Ratio est: quia omne peccatum qua tale plenarie dependet, ac procedit a voluntate: ergo recte dicuutur tot committi peccata, quoties ab eadem voluntate actus peccaminosi consummantur, & complentur. Et hæc quidem regula satis plana est: advertendum tamen est, quod notanter

546. Dixi: distinctionem moralem numericam esse desumendam ex *actibus moraliter completis & consummatis*; pro cujus pleniori intellectu notandum venit, alia esse peccata mere interna, alia vero peccata externa. Prioris generis sunt illa, quæ mere intra mentis latebras, seu, ut alii loquuntur, in corde consummari possunt, ac solent, veluti sunt v. g. odium Dei vel proximi, item hæresis, invidia & similia, propterea appellari solent peccata interna; fieri quippe potest, ut aliquis evadat verus ac formalis hæreticus (esto non excommunicatus) modo in intellectu foveat & assentiatur alicui errori contra aliquam veritatem a Deo revelatam; Alia e contra appellantur peccata externa, eo quod præter internam malevolam voluntatem ad sui consummationem insuper requirant opus quoddam externum; nam ad homicidium v. g. aut furtum consummandum non sufficit solus actus internus v. gr. furandi vel occidendi, sed insuper necessum est, ut interveniat actus externus, utputa contrectationis rei alienæ, trajectionis &c. veluti quisque prudentum facile capiet. Idem suo modo tenendum est de actu detractionis, seu etiam diffamationis, fornicationis, adulterii & similium. Hoc notato

547. R. jam secundo. Peccata mere interna toties numero multiplicantur, quoties actus internus repetitur. Econtra 2. peccata externa toties numero multiplicantur, quoties actus exteriores peccatum physice, & moraliter consummantes, atque complentes repetuntur. Ita Reiffenstuel *loc. cit. n.* 55. & 56. Laymaun *l.* 1. *tr.* 3. *c.* 3. *n.* 3. Sporer *tr.* 1. *præm. c.* 4. *sect.* 3. *n.* 15. & *seqq.*

Ratio hujus facile colligetur ex mox dictis: tot enim committuntur numero distincta peccata in confessione necessario explicanda, quot actus maligni seu peccaminosi consummati voluntarie repetuntur: at, quoties peccata mere interna reassumuntur; quoties etiam actus externi idem peccatum moraliter complentes & consummantes iterantur, toties peccata consummantur: ergo totidem numero distincta peccata in confessione necessario exprimenda committuntur. Ex quibus facile liquet, quod toties pecces moraliter peccato interno, quoties odium in Deum, vel proximum conceptum voluntarie renovas intra latebras mentis tuæ. Similiter peccato externo toties peccas, quoties f. v. pollutionem procuras, vel copulam cum aliena consummas &c. quia scilicet hæc peccata semper censentur physice, & moraliter consummata, neque enim una pollutio cum altera, vel una copula cum alia, habet connexionem moralem, vel ullam dependentiam, aut subordinationem ex natura rei.

Verum tota hæc res de distinctione numerica peccatorum, quæ (ut verum fatear) suis difficultatibus non caret; eo

eo quod, ut jam insinuavi *in Theolog. Sacram. part. 2. Confer. 7. n. 195.* potissimum a morali hominum judicio (quod utique inter omnes æquale non est) dependeat: nihilominus ni fallor, captu facilior reddetur persequentes Casus practicos, & Corollaria mox subsecutura. Quare sit

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa speciem, & numerum peccatorum discernendum.

CASUS PRIMUS.

Titius homo optimæ voluntatis, sed continuis scrupulis continuo exagitatus, hactenus totis viribus conatus fuit, ne unquam Deum Ter O. M. offenderet. Quia tamen (sine dubio suggerente diabolo) existimavit, se hactenus ex molestissimo illo & continuo labore non reportasse, nisi continuam conscientia sua inquietudinem & anxietatem; hinc tandem dæmonis tentationibus succumbens, firmiter secum statuit, quod proxima tentatione, vel occasione sibi occursura, velit peccare mortaliter, ut tandem experiatur, & sciat, quomodo homo peccato mortali obnoxius se habeat, vel quidnam tunc sua conscientia esset dictatura. Verum bonus Titius vix tale propositum conceperat, dum ecce! gravioribus conscientiæ stimulis, ac furiis exagitatus, sine mora cucurrit, ut inveniret quempiam, qui se a tam perverso proposito absolveret. Jam ad nostrum propositum quærere licet, an vel quomodo Titius in hoc facto peccarit, & quid eidem fuerit consulendum, vel agendum Confessario, cui retulit casum mox narratum?

548. R. ad primum. Titium, si tamen reipsa voluntarie ac deliberate illud propositum concepit (de quo merito dubitandum videtur, eo ipso, quod semper conatus fuerit resistere, prout constare debet ac potest ex dictis supra *de Conscient. scrupul. Confer. 8. n. 262. & seqq.*) Titium, inquam, sine dubio graviter peccasse, peccato tamen speciei innominandæ potius, quam nominatæ seu determinatæ. Ratio est: quia tale propositum non repugnat cuidam determinatæ virtuti in individuo, prout consideranti patebit, sed potius generali illi principio & regulæ morali, vi cujus jubemur *declinare a malo, & facere bonum*: ergo cum Titius solum sese resolverit ad peccandum mortaliter, non determinando se, in quo genere, vel in qua specie peccati; clarum est, quod nequeat dici peccasse in quadam certa specie, prout jam supra *Confer. 3. n. 71.* cum P. Herincx idipsum tradidimus; Secus tamen dicendum foret, si Titius tentatus contra aliquam virtutem in individuo v. g. contra castitatem, sese resolvisset, quod proxima occasione sibi oblata vellet uti, tunc enim procul dubio determinare posset, & hoc ipso teneretur, an cum hac, vel illa persona, vel quo modo &c. Hac de causa.

549. R. jam ad secundum, a Confessario fuisse in hoc casu indagandum 1. an revera deliberato animo conceperit dictum propositum? sæpesæpius enim vere scrupulosi existimant, immo asserunt, se consensisse, aut succubuisse tentationi, tametsi in veritate rei consensum minime præbuerint, prout jam *loco prox. cit.* animadvertimus: si tamen fateatur, se revera illud propositum deliberato animo concepisse, tunc 2. oporteret eum examinare, an non cogitaverit de aliquo peccato determinato, vel an non in aliqua materia determinata, circa hanc vel illam personam &c. tentatus fuerit? quo supposito Confessarius haud difficulter poterit colligere speciem, & qualitatem peccati commissi a pœnitente. Et adhuc facilius (ni fallor) eidem, utpote homini optimæ mentis, persuadere poterit, ne deinceps unquam amplius concipiat hujusmodi resolutionem, quippe quæ, uti experientia docuit, nihil prorsus confert ad serenandam conscientiam, sed potius ad eam amplius intricandam: non enim succumbendo & aquiescendo diaboli tentationibus, vel inordinatis naturæ passionibus, sed potius viriliter iisdem resistendo, acquiritur vera pax cordis, & tranquillitas mentis.

At, inquies, quid tenendum de eo, qui quidem minime scrupulosus, sæpius tamen a dæmone infestatus ac tentatus, tan-

tandem sese resolvit in hunc modum: *Video, quod semper honesta sectari, perfectiora sequi, vel etiam inspirationibus divinis obtemperare hominem reddat tristem ac melancholicum: admittam ergo etiam in animum meum id, quod delectat*. An, vel qualiter talis censendus est peccasse?

550. R. In hoc casu non illico inferendum esse, quod pœnitens deliquerit mortaliter, sicut neque determinari potest, in quam virtutem impegerit; nam semper perfectiora sectari, aut quibusvis inspirationibus divinis ad virtutis studium excitantibus morem gerere, cum sit procul dubio res valde ardua ac difficillima, merito sub consilium potius, quam sub præceptum cadere, tenetur ab omnibus Theologis, tametsi fateri cogamur, quod resistendo hujusmodi inspirationibus sæpæ sæpius possimus incurrere imperfectiones homine christiano, & præsertim Religioso indignas.

Quia tamen in hoc casu pœnitens fertur proposuisse, quod vellet admittere in animum id, quod delectat; hinc ad dignoscendam speciem, seu etiam gravitatem peccati examinandus erit, quas delectationes intenderit admittere? an scilicet honestas, vel inhonestas? Et si hoc posterius fateatur, ulterius oportebit indagare, quasnam delectationes, cum quibus personis, vel in quo genere illas desideraverit. Tum vero ex ejusdem responsis haud difficile erit gravitatem, & speciem peccati colligere.

Denique si omnibus perpensis maneat dubium, an voluerit admittere delectationem graviter, vel leviter tantum peccaminosam, Vasquez, Thomas Sanchez aliique plures autumant, eum fore condemnandum peccati mortalis: e contra alii, nominatim Perez, & Rodriquez, quos citat, & sequitur R. D. Michel *Theolog. Canon. moral. tom.* 1. *tr.* 3. *q.* 3. *§.* 3. *pu.* 4. *n.* 8. putant, talem peccare venialiter duntaxat. Verum salvo meliore judicio, existimo ego, in tali dubio vel maxime attendendum esse ad indolem & animum pœnitentis, qui, si comperiatur ceteroquin esse homo bonæ mentis, qui non soleat de facili consentire peccatis gravioribus, etiam in hoc casu vel dubio reputandus est, non peccasse graviter: secus procul dubio judicandum foret, si esset homo perversus, pluribus peccatis obnoxius, vel assuetus bibere quasi iniquitatem velut aquam. Videantur de hoc dicta superius *Confer.* 3. *n.* 71.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius hinc inde multa debita contraxerat, quibus solvendis se imparem agnoscit. Cum vero nuper ab aliquo creditore (quem sciverat satis probare non posse) de quodam debito 50. *florenorum coram Pro-Consule fuisset conventus; hinc illud debitum nedum rotunde negavit, verum insuper suum creditorem coram Pro-Consule loco solutionis debitæ multis agnominibus, immo etiam convitiis, & contumeliis ex uno quidem, & eodem impetu iracundiæ affecit. Jam vero ad nostrum propositum dubitatur* 1. *an Sempronius non solvendo, vel etiam differendo solutionem hujus debiti, commiserit unicum duntaxat, vel vero plura peccata mortalia.* 2. *An diversis convitiis, & contumeliis creditorem ex eodem quidem impetu iracundiæ proscindendo, non commiserit plura, numero, & specie distincta peccata; & denique* 3. *Quidnam Confessario cum tali pœnitente fuerit agendum?*

551. R. ad primum. Sempronius ex eo præcise, quod non solverit (nam mentiendo, vel creditorem suum calumniando procul dubio commisit alia peccata) vel quod restitutionem distulerit per integrum annum, etsi citius potuisset restituere, non commisit, nisi unicum peccatum. Ratio est: quia moraliter loquendo censetur unica injusta detentio rei alienæ: esto etiam supponeretur, hoc suum propositum sæpius repetiisse; nihilominus omnes istæ repetitiones, utpote tendentes, & unitæ in eodem moraliter fine, non integrant nisi unicum numero peccatum; quemadmodum intentio v. g. furandi, occidendi, fornicandi &c. sæpius quidem repetita, non facit plura, sed unum numero peccatum v. g. cum furto, vi ejusdem intentionis tandem subsecuto & completo. Secus dicendum foret, casu quo Sempronius suum malignum propositum (scilicet non

solvendi) sæpius interrupisset , se etiam retractasset , & denuo de novo reassumpsisset &c. tunc enim hujusmodi proposita non solvendi , sed etiam non restituendi , manerent peccata numero inter se distincta , & necessario in actu confessionis exprimenda . Ex quo P. Sporer *tr.* 1. *proœm. c.*4. *n.*19. recte infert , posse aliquem integro mense , vel anno perseverare in malo proposito v. g. duellandi cum suo inimico , & tandem eundem in duello occidendo complere unicum duntaxat peccatum externum . E-contra vero alium una eademque hora posse committere centum peccata mere interna , & moraliter interrupta , propterea que per se loquendo necessario exprimenda in confessione .

Nihilosecius cum hujusmodi pœnitentibus plerumque saltem moraliter impossibile accidat exprimere numerum & interruptionem actuum internorum , ideo ordinarie sufficit exprimere moram temporis ; v. g. integro mense , vel anno &c. perstiti in proposito maligno fornicandi , non restituendi &c. quod sæpius renovavi , antequam consummarem illud . Ita Vasquez *disp.* 75. *c.* 2. Layman *lib.* 1. *tr.* 3. *c.* 3. *n.* 4. quos refert , & sequitur Sporer *l. c.* Qua de causa sapienter monet Sabinus Bononiensis *in sua luce morali part.* 1. *tr.* 35. *n.* 17. quod in simili casu Confessarii non debeant esse nimis anxii , aut nimis molesti suis pœnitentibus in indagando numero interruptionum , sed satis esse , quod inquirant , quanto tempore rem alienam non restituerint &c.

552. R. ad secundum . Tametsi quamplures etiam insignes Doctores probabiliter teneant , illum , qui ex eodem impetu iræ plures contumelias infert suo proximo , utpote eundem appellando furem , adulterum , impostorem , homicidam &c. committere tot , & quidem specie distincta peccata , quot specie distinctas contumelias vel calumnias eidem infert ; tum quia quælibet supponitur ab altera specie distincta ; tum etiam quia quælibet est peccatum externum , physice , & moraliter completum ; nihilominus practice loquendo existimo probabilius cum Bonacina *disp. de peccat. q.* 4. *pu.* 2. *n.* 12. Castropalao *part.* 1 *tr.* 2. *disp.* 3. *pu.* 3. *n.* 6. Tambur. *in methodo exped. confess. l.* 2. *c.* 2 *n.* 12. Illsung. & aliis pluribus , talem non committere plura numero , vel specie distincta peccata . Ratio est : quia hæc calumniatio , præsente licet Proconsule , moraliter loquendo non fuit , nisi unicus numero actus , & unica diffamatio . Unde , quemadmodum is , qui a Petro furatus fuit equum , vestem , & arma , non tenetur ea explicare in confessione , sed satisfaceret dicendo , se graviter damnificasse proximum in bonis fortunæ , injuste eidem clam auferendo seu furando ; ita pariter in nostro proposito Sempronius satisfaciet se se accusando , quod coram Proconsule graviter infamarit suum Creditorem , sicut enim in priori casu contrectatio diversarum rerum moraliter adintegrat unum furtum , & unam damnificationem in bonis fortunæ ; ita in posteriori plures contumeliæ aut calumniæ simul ex eodem impetu iracundiæ prolatæ , moraliter adintegrant unam injustam diffamationem : profecto nec praxis Confessariorum fert , ut pœnitentem velint obligare & ad explicanda singula nomina quibus proximum suum dehonoravit , prout sapienter notavit Palao *part.* 2. *Tr.* 2. *disp.* 3. *pu.* 3. *n.* 5. Secus procul dubio dicendum foret , casu quo Sempronius moraliter prævidisset , ex sua diffamatione Creditori emersurum aliud damnum in bonis furtunæ &c. hoc enim velut peccatum physice , & moraliter distinctum ab injusta diffamatione , procul dubio teneretur exprimere in sua confessione . Ex quibus

553. R. Jam ad tertium . Si Sempronius se ipsum non satis explicuit , examinari debuit 1. an ergo semper , & quamdiu perstiterit in eadem voluntate efficaci non restituendi , vel solvendi suo Creditori ? nam si sæpius retractasset hanc suam voluntatem , plura numero peccata saltem interna commisisset secundum dicta . 2. An ex tali dilatione solutionis non præviderit aliud damnum suo Creditori subsecuturum ? tunc enim obligandus foret ad huius recompensationem . 3. An putet , Proconsulem adhibuisse fidem falsis diffamationibus (de quo vix du-

dubitandum, quin saltem aliquid adhæserit) nam in hoc casu tenetur Sempronins modo moraliter possibili retractare sua dicta. 4. Denique vel maxime indagandum est ex tali pœnitente, an de facto saltem efficaciter proponat satisfacere suo Creditori, nedum quoad bona fortunæ, sed etiam quoad bonum famæ, quam primum moraliter potuerit. Ratio est: quia secundum dicta *part.* 2. *Theol. Sacram. Confer.* 18. *n.* 457. *& seqq.* Confessario incumbit, procurare rectitudinem judicii, ideoque etiam explorare, sitne pœnitens rite dispositus, & capax absolutionis, vel non? at, non erit capax, nisi adpromittat serio satisfacere suo Creditori: ergo &c. Ceterum, quomodo restitutio famæ, & recompensatio damnorum inde fortassis subsecutorum fieri debeat, colligi poterit ex iis, quæ diximus *in tr. de Restit. Confer.* 9. *n.* 231. *& seqq.*

CASUS TERTIUS.

C*Ajus juvenis firmiter secum statuit, quod vellet suæ naturæ ad omnem vivendi licentiam frœna laxare: cum vero in hunc finem subsidio pecuniario (quo ipse velut pauperculus destitutus fuerat) necessarium sibi esse bene perspexerit, hinc alium quendam locupletiorem se in suam sententiam pertrahere studuit; quod & feliciter obtinuit, eundem primo inducendo, ut neglecto Sacro tempore matutino secum pergeret in hospitium seu popinam ad sumendum jentaculum; quod dum alter seductus præstitit, & vino paululum incaluit. 2. Eidem Cajus facillime persuasit, ut secum pergeret ad certam quandam domum, in qua noverat latitare quandam mulierem, vel verius loquendo, quoddam Veneris simulacrum &c. Tandem Cajus pœnitentia ductus suppliciter sese accusat de peccatis mox relatis, simul tamen subdit (fortassis ut videretur & ipse doctus vel sapiens) se omnia illa peccata commisisse ex una eademque intentione ac proposito, scilicet licentiose vivendi. Quæritur jam, an Cajus unicum duntaxat, vel vero plura peccata commiserit in hoc casu?*

554. R. Minime dubitandum est, quin Cajus in hac specie facti commiserit plura numero & specie distincta peccata, in confessione necessario exprimenda; & primo quidem propositum illud *laxandi naturæ fræna ad omnem vivendi licentiam*, fuit peccatum gravissimum, etsi in specie innominanda potius, quam nominanda, veluti dictum fuit in casu proxime præcedenti. Secundo, dum ex eodem fine alium se locupletiorem studuit seducere, procul dubio commisit aliud numero distinctum peccatum, scilicet scandali, vi cujus plurium alienorum peccatorum participem sese reddidit, utputa neglectus divini officii, fornicationis &c. &c.

At, inquies fortassis, plures actus externi secundum dicta *n.* 547. ordinati ad eundem finem constituunt unicum duntaxat peccatum mortale, veluti Doctores communiter exemplificant de illo, qui ex intentione occidendi inimicum suum præparat arma, conscendit equum &c. & tandem eundem traiicit, non nisi unicum peccatum commisisse censetur, & satisfacit in confessione sese accusando, quod inimicum suum occiderit: atqui Cajus pariter supponitur prædicta omnia fecisse ex uno, codemque fine, scilicet *vere licentiose vivendi*; ergo non commisit, nisi unicum numero peccatum.

555. R. Negando suppositum majoris: non enim docui *lcc. cit.* quod plures actus externi, qualescunque demum, ad eundem finem ab operante solum ordinati non faciant, nisi unicum numero peccatum: sed hoc solum, quod actus externi peccaminosi seu mali moraliter tot sint numero distincta peccata, quoties physice simul, & moraliter complentur, prout bene exemplificatur in exemplo allato de homicida. Contrarium nihilominus tenendum est de illis actibus, qui aliunde ex suo objecto habent specialem malitiam; esto enim tales etiam plures ab operante referantur ad eundem finem, & vi hujus induant specialem malitiam ipsius finis, in quem referuntur, propterea tamen minime perdunt, vel exuunt illam malitiam specialem, quam habent ex suo objecto. Ex. gr. si Cajus noster supponatur efficiter sibi proposuisse corrumpere virginem, & ex hoc fine eidem blandiatur, inservit, osculetur, tangat, ac

ac tandem opus ipsum perficiat, omnes isti actus, utpote ex natura sua subordinati & ad eundem finem tendentes, eidemque virtuti repugnantes censentur in eodem fine quodammodo uniri, & moraliter compleri, ut propterea Cajus satisfaceret in confessione sese accusando & dicendo: fui semel fornicatus &c. At vero, si idem Cajus animadvertisset, hanc Virginem solis blanditiis non posse permoveri ad concedendum usum corporis, nisi simul trahatur vinculis aureis, vel saltem argenteis, propterea que utpote propriis mediis destitutus in eundem finem suo Domino abstulisset v. g. decem florenos, profecto minime satisfaceret præcepto Confessionis præcise se accusando, quod fuerit semel fornicatus &c. sed insuper teneretur fateri illud furtum ex tali fine commissum. Ratio est: quia tametsi medium de se malum (uti est furtum) contrahat malitiam finis, in quem ab operante ordinatur & intenditur, propterea tamen non amittit propriam suam malitiam, v. g. injustæ damnificationis proximi, quæ, cum sit prorsus aliena a malitia fornicationis, hinc necessario debet in confessione distinctim exprimi, prout facile constare potest ex iis, quæ diximus superius *Confer.* 3. *a numer.* 83.

Dices. Si Cajus ex eodem proposito & intentione abstulisset integram bibliothecam constantem pluribus libris, non commisisset, nisi unicum peccatum, esto etiam pluribus & interpolatis vicibus libros furtim asportasset: ergo similiter non committit, nisi unicum numero peccatum, esto Cajus ex eodem fine licentiose vivendi alterum seduxerit ad negligendum sacrum, & ad fornicandum &c.

556. R. Negando hanc pessimam consequentiam, & paritatem. Quemadmodum enim integra bibliotheca non ex uno, sed necessario ex pluribus libris integratur, & his non obstantibus unica duntaxat bibliotheca censetur; ita ablatio totius bibliothecæ potest intendi per modum unius furti, ad quod illæ successivæ ablationes ordinantur; quæ, cum aliunde non supponantur habere singularem malitiam, merito reputantur in morali hominum existimatione unicum furtum consummatum ac completum: econtra vero ad illum pessimum finem, *licentiose scilicet vivendi*, per se non ordinatur seductio alterius &c. & licet per accidens saltem, ex fine operantis scilicet, eo fuerit ordinata, quia tamen hujusmodi media in se habent diversas malitias specie distinctas; hinc juxta Concilium Tridentinum supra *n.* 541. citatum, & *communissimam* DD. in confessione necessario debent exprimi.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

557. Colliges ex hactenus dictis primo, in quolibet peccato reperiri diversas deordinationes; nam, 1. in quantum repugnat Deo ut supremo Legislatori, continet quandam inobedientiam. 2. in quantum Eidem velut Supremo & absoluto Domino nostro repugnat, continet injustitiam. 3. in quantum Deo ceu supremo Benefactori nostro & communi Parenti omnium adversatur, continet nedum ingratitudinem, sed etiam quandam impietatis speciem. Denique 4. in quantum Deo ceu ultimo fini nostro repugnat, continet aversionem a Deo, & conversionem ad creaturam. Verum hoc ipso, quod omnes ac singulæ deordinationes mox relatæ in quolibet peccato involvantur, & ipsius naturam velut quædam proprietates transcendentales consequantur, necessum non est, ut pœnitens de his singulariter sese accuset: quandoquidem a quovis Confessario aliunde possint, ac debeant intelligi. Secus dicendum foret, si pœnitens tam fuisset perversus, ut ex professo intendisset Deum velut Parentem, aut supremum Dominum &c. offendere, quo casu utique hujusmodi impietatem, utpote aliunde non perceptibilem a Confessario, teneretur in confessione singulariter exprimere, juxta communissimam DD. apud Herincx *disp. cit. de peccatis n.* 5. *& seqq.* Sporer *tr.* 1. *c.* 4. *a n.* 5. & alios.

558. Colliges secundo. Deum non fieri auctorem peccati, neque eidem mali-

malitiam formalem ceu causæ morali hujus imputari posse, tametsi cum homine ceu causa secunda concurrat simultanee juxta Scotistarum opinionem, ad materiale peccati, utputa ad contrectationem rei alienæ in furto, ad trajectionem physicam &c. in homicidio &c. Ratio fundamentalis hujus corollarii est: quia ille duntaxat dicitur formaliter peccare, qui voluntarie agit contra legem justam sibi positam: atqui Deus concurrendo simul cum creatura ad materiale peccati, v. g. ad contrectationem rei alienæ &c. non agit contra legem sibi positam, quin potius velut causa universalis debet simul influere cum causa secunda ad quemlibet effectum positivum, quippe qui sine concursu causæ primæ prorsus impossibilis foret: ergo proposito semel justissimo suo decreto, quod velit causis liberis relinquere arbitrii libertatem atque indifferentiam, tenetur ad hujus determinationem in malum simul concurrere & se condeterminare; consequenter non Deo, sed soli creaturæ utpote prævaricanti legem justam, malitia formalis peccati debet imputari. Videatur Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 3. *dist.* 1. *n.* 24. Kresslinger *addit. ad eundem numerum*, vel Henno *disp.* 1. *de peccat. quest.* 4. *conclus.* 1.

559. Colliges tertio, solum arbitrium humanum esse immediatam & proximam causam omnis peccati & malitiæ moralis. Ratio est: quia lex soli agenti libero imponitur, atqui solum arbitrium humanum est agens liberum: & licet dependenter ab arbitrio humano etiam aliæ potentiæ exteriores, utputa oculus, lingua, auris &c. dicantur operari libere, nihilominus hæc denominatio tota quanta originatur & derivatur ab arbitrio humano ceu prima radice libertatis, cui proin quemadmodum omnis moralitas, ita etiam omnis bonitas, vel malitia moralis merito imputatur, esto negari non possit, quin & aliæ potentiæ humanæ tum in tum exteriores etiam, utputa visus, auditus, intellectus &c. causa, vel potius occasio peccati dici valeant, in quantum sæpe sæpius voluntati nostræ proponunt delectabilia, & illicias, quibus hæc tandem pertrahitur ad assentiendum & peccandum, prout cum *Communi* aliorum recte docet Henno *loc. cit. concl.* 2.

560. Colliges quarto. Eum, qui non jejunat tempore quadragesimæ, & quidem in tali die, in quem incidunt quatuor tempora, vel vigilia alicuius Sancti v. g. Matthiæ &c. non committere duo sed unum duntaxat specie & numero peccatum. Idipsum dicendum est de eo, qui violat duo vota simplicia, vel duo iuramenta circa eandem materiam. Ratio est: quia huiusmodi præcepta & obligationes, esto fortassis a diversis legislatoribus, aut certe diversis temporibus contractæ, prorsus ad eundem finem, utputa macerationem carnis &c. tendunt, ideoque non sunt præcepta formaliter, sed materialiter duntaxat diversa; qui vero violat præcepta materialiter tantum diversa, non committit propterea plura numero vel specie distincta peccata, sed unicum, esto fortassis gravius: ergo &c.

561. Colliges tamen e contrario quinto, eum, qui non exequitur opus diversis formaliter præceptis debitum, ut si quis ad jejunandum, confitendum, communicandum &c. nedum ex præcepto Ecclesiæ, verum etiam ex voto, vel ex præcepto Confessarii pœnitentiæ causa fuit obligatus, plura committere peccata specie distincta, & in actu confessionis necessario exprimenda. Ratio est: quia talis se privat diversis rectitudinibus ac virtutibus; alia quippe est honestas jejunii secundum se præcise, alia honestas voti, aut pœnitentiæ a Confessario intentæ: ergo qui violat non solum præceptum Ecclesiæ, sed etiam votum &c. committit plura specie distincta peccata, juxta *communissimam DD.* videndam apud Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 3. *a.* 2. *n.* 19.

562. Colliges sexto, ad multiplicanda numerice peccata externa non sufficere quamcunque interruptionem voluntatis internæ, utputa mere naturalem, vel involuntariam, qualis potest intervenire v. g. ob distractionem naturalem, comestionem, conversationem cum aliis, aut propter somnum necessarium; ut si hodi peroposuisti, quod crastina die ve-

lis

lis occidere inimicum tuum (loquimur enim de peccatis externis) & in hac voluntate firmiter perseverans interea dormias, cibum capias, cum aliis converseris, quantumvis immemor hujus propositi, craftina vero vi hujus exequaris homicidium, unicum duntaxat peccatum committes, & in confessione satisfacies temet accusando, quod homicidium commiseris. Ratio est: quia actus internus ad exteriorem ordinatus physice quidem, non vero moraliter fuit interruptus, quod tamen omnino fuisset necessarium ad multiplicanda numerice peccata, prout recte docent Moya *tr.* 3. *de pœnitent. disp.* 2. *q.* 1. *n.* 13. ConincK, Navarrus, Tamburinus & alii plures, quos refert, & sequitur Illsung *tr.* 2. *a.* 5. *n.* 62.

563. Colliges rursus e contrario septimo, ex eo præcise, quod plures actus externi ordinentur ad eundem finem externum, seu etiam unica intentione simul intendantur, minime sequi, quod unicum duntaxat peccatum in executione committatur, nisi actus externi tales sint, ut de se ad eundem finem tendant; & sibi subordinentur, prout fieri potest in pluribus successivis ablationibus ad auferendam v. g. integram bibliothecam, veluti diximus *n.* 556. Unde tametsi v. g. ad initium quadragesimæ proponas, quod nunquam velis servare jejunium, vel nunquam recitare breviarium, & vi hujus intentionis singulis diebus jejunium frangas, aut breviarium negligas, non committis unicum duntaxat, sed plura numero distincta peccata, tot scilicet, quot diebus jejunium fregisti, aut breviarium neglexisti. Ratio est: quia ex ordinatione Ecclesiæ, & morali hominum existimatione, cuilibet diei affixa est specialis obligatio breviarium recitandi, & jejunium servandi; quo fit, ut quocunque demum die jejunium frangis, censearis peccatum physice & moraliter consummatum commisisse, in confessione necessario explicandum, nec penes te stat, ut vi unius intentionis ex pluribus illis peccatis externis unicum duntaxat fiat, vel ut singula in unum coalescant.

Econtra vero si vi ejusdem intentionis omittas integrum breviarium unius diei, id est, omnes horas canonicas, committis unicum duntaxat peccatum, etsi gravius, quam si unicam tantum horam canonicam neglexisses. Ratio est: quia ex septem horis Canonicis simul, ex ordinatione Ecclesiæ adintegratur solum unicum officium unius diei, consequenter potest per modum unius intendi, ita, ut quemadmodum is, qui in unico convivio comedit plures cibos carnales die veneris, non nisi semel censetur fregisse jejunium, ita etiam talis Clericus non censetur omisisse, nisi unicum breviarium. Ceterum an illa voluntas seu propositum, per integram quadragesimam nunquam jejunandi &c. præscindendo ab executione seu fractione jejunii, sit unicum duntaxat peccatum, vel vero plura numero diximus satis *in Theolog. Sacram part.* 2. *Conf.* 7. *numer.* 185. *& seqq.* Videatur de hoc P. Stoz *tribun. lib.* 1. *part.* 3. *n.* 592. Gobat. *theolog. exper. tr.* 6. *num.* 385. vel Illsung. *tr.* 2. *disp.* 2. *num.* 67.

564. Colliges denique octavo, Eum, qui post conceptum firmum propositum de negligendo v. g. Sacro, domi manens, tempore Sacrificii audiendi studiis, lusuive vacat, non peccare studendo præcise vel ludendo: neque alii eidem colludentes peccant. Ita cum *communi* DD. tenet P. Mezger *tom.* 2. *tr.* 6. *disp.* 18. *art.* 1. *n.* 6. eumque secutus Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 3. *a.* 3. *n.* 7. *&* 11. Ratio est: quia tale studium de se non est malum: similiter lusus, uti supponitur de se est indifferens: esto etiam sit incompatibilis cum auditione Sacri, nihilominus tamen non est causa omissionis: ergo vi studii vel lusus præcise non peccat is, qui Sacrum negligere jam prius efficaciter statuit: & hoc ipso neque alii colludentes peccant. Secus dicendum foret, casu quo talis lusus fuisset causa committendi Sacrum; quia tunc tale medium, quantumvis de se indifferens, inducere malitiam finis, proptereaque lusus vel studium evaderet peccaminosum, licet non contraheret aliam malitiam diversam ab omissione Sacri, cuius supponitur causa exstitisse, ita ut pœnitens accusando se præcise de omis-

omissione seu negligentia Sacri, adhucdum satisfaceret præcepto Confessionis. An vero possibilis sit *pura omissio libera?* Scholasticis disputandum consulto relinquimus, cum huius decisio prorsus nihil conferat ad praxim.

CONFERENTIA VIGESIMA.

De Peccato mortali, & veniali in specie.

SUMMARIUM.

565. *Quid sit peccatum mortale ex genere suo?*
566. *Ex quid mortale ex accidente duntaxat?*
567. *Ad omne peccatum necessario requiritur 1. ut sit voluntarium, 2. liberum, & 3. cum advertentia malitiæ commissum.*
568. *Insuper ad peccatum mortale debent necessario concurrere tam plena advertentia malitiæ gravis, quam etiam deliberatio perfecta.*
569. *Quandonam plena advertentia; &*
570. *Quando perfecta deliberatio ad peccatum mortale sufficiens concurrisse, colligi vel præsumi valeat?*
571. *Quid sit peccatum veniale ex genere suo?*
572. *Et quid peccatum veniale ex accidente?*
573. *Peccatum ex genere suo mortale fieri potest veniale ex triplici capite 1. ratione ignorantiæ, 2. ratione indeliberationis, & 3. ob parvitatem materiæ.*
574. *Econtra peccatum veniale fieri potest mortale ex quinque capitibus, quæ breviter explicantur.*
575. *Quid sit contemptus materialis & quid formalis, & quid, agere cum vel ex contemptu?*
576. *Undenam desumenda sit gravitas peccatorum ex suo genere mortalium?*
577. *Et unde levitas ex suo genere venialium?*
578. *Quibus ex capitibus in dubio colligere liceat, an pœnitens mortaliter, an vero venialiter tantum peccaverit?*
579. *Resolvitur Casus I. cujusdam pœnitentis multum afflicti ex eo, quod in somno s. v. pollutionem sæpe nedum sentire, sed etiam procurare soleat.*
580. *Quid si dicat, quod in tali actu excitatus, delectationem carnalem plenarie sentiat?*
581. *Et quid consilii tali pœnitenti a Confessario suggerendum sit?*
582. *Qui in peccatum consentit sub conditione duntaxat, & quidem tali, quo excludit malitiam, non peccat.*
583. *Modo non habeat actualem complacentiam in actum intrinsece malum.*
584. *Resolvitur Casus II. cujusdam Sponsæ, quæ ex familiariori, honesta tamen conversatione cum suo Sponso, animadvertit ex utraque parte periculum gravioris lapsus.*
585. *Satisfit cuidam instantiæ contra datam resolutionem.*
586. *Quidnam tali personæ a Confessario consulendum sit?*
587. *Resolvitur Casus III. cujusdam Sartoris, qui die dominica demandavit quatuor famulis suis, ut post auditum Sacrum una hora secum laborarent.*
588. *An dicti famuli intuitu hujus laboris extraordinarii aliquid de segmentis aureis & argenteis subtrahendo graviter deliquerint?*
589. *Et an, vel ad qualem restitutionem propterea teneantur?*
590. *Peccatum mortale & veniale in aliquibus conveniunt, in aliis vero multum differunt.*
591. *Illa peccata, quibus immediate læditur aliqua perfectio divina, nunquam evadunt venialia ob parvitatem materiæ, bene vero ob imperfectionem actus.*
592. *Ad mortaliter peccandum sufficit materia respective gravis.*
593. *Venialia quantumvis multiplicata formaliter non constituunt peccatum mortale.*

594

594. *Fieri tamen amat, ut quis multiplicando venialia mortaliter peccet ob coalescentiam, & unionem materiæ.*
595. *Quænam peccata venialia moraliter coalescant, & quænam non?*
596. *Qui proponit nullum prorsus peccatum veniale vitare, potest saltem per accidens vi hujus propositi peccare mortaliter.*
597. *Scienter auferens unum solidum, vi cujus prævidet se completurum grave damnum, peccat mortaliter.*
598. *Secus dicendum, si ignoranter, & sine omni reflexione ad priora furta id faciat.*
599. *Et quid, si talis interim in confessione priora furta retractavit?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa peccatum mortale, & veniale in specie.

QUæres primo, quid sit peccatum mortale?

565. R. Peccatum mortale ex genere suo est voluntaria transgressio legis divinæ graviter obligantis. Ratio hujus descriptionis facile colligetur ex dictis supra n. 533. Dicitur autem hoc peccatum mortale, propterea, quod inducat privationem gratiæ sanctificantis, in qua consistit mors spiritualis animæ, quemadmodum vita spiritualis *secundum omnes* sita est in ipsa gratia sanctificante. Quin etiam ultra hanc privationem gratiæ insuper reddit hominem obnoxium suppliciis æternis, si is in tali statu disgratiæ decedat ex hac vita.

566. Dixi tamen: peccatum mortale *ex genere suo*; pro cujus pleniori captu advertendum hic est, *ex communi* Theologorum doctrina, aliud dici peccatum mortale *ex suo genere*, & aliud *ex accidente*, prout ex paulo infra dicendis amplius constabit. Illud dicitur mortale ex suo genere seu etiam ex sua specie; (nam genus & species hic sumantur pro eodem) quod præcise ex suo objecto tantam habet malitiam & deordinationem, ut præcisa etiam omni alia malitia v.g. ex fine vel circumstantiis, merito reputetur gravis offensa Dei, veluti sunt blasphemia, odium Dei, & alia plura, præsertim ex capitalibus, prout inferius dicemus. Econtra vero illud appellatur mortale ex accidente, quod quidem spectato præcise objecto non involvit tam gravem deordinationem contra rectam rationem; nihilominus ex alio accidente, utputa fine extrinseco; aliisve circumstantiis, graviter offendit Deum; ut si quis mentiatur, vel etiam eleemosynam largiatur, sed ex eo fine, ut puellam pauperem inducat in fornicationem &c. Videatur Michel *tom. 1. Theolog. Canon. moral. tr. 3. q. 3. §. 1. pu. 3. n. 1.*

Quæres secundo, quænam conditiones necessariæ sint ad peccandum, præsertim graviter seu mortaliter?

567. R. 1. Ad omne peccatum, nedum mortale, sed etiam veniale necessario debent concurrere sequentes tres conditiones, scilicet 1. ut sit voluntarium 2. liberum libertate indifferentiæ, & 3. ut fiat cum advertentia malitiæ; e quibus, si vel unica deficiat, pariter cessabit peccatum formaliter tale. Ratio horum est ista: quia omne peccatum formale, utpote imputabile ad pœnam & vituperium, necessario importat actum humanum: atqui ad omnem actum humanum necessario requiritur 1. ut sit voluntarius 2. liber libertate indifferentiæ; & si malus sit, 3. ut fiat cum advertentia malitiæ; secus enim hæc non foret imputabilis ad vituperium &c. veluti diximus *Confer. 1. superius de nat. act. hum.* Inde fit, quod defectu primæ conditionis peccaminosæ non sint, vel certe *juxta communissimam Theologorum*, a peccato formali excusentur turpes incidentiæ contra fidem, Deum, Sanctos &c. nec non motus carnis, etiamsi fiant usque ad effusionem feminis, inquit Reiffenstuel *theol. mor. tr. 3. dist. 2. n. 5.* modo non sint voluntarii &c. Defectu secundæ conditionis excusantur motus primo - primi iræ, concupiscentiæ ac sensualitatis, prævenientes libertatem nostram, rationemve perturbantes &c. Denique defectu tertiæ conditionis excusatur a peccato formali Jacob accedens ad Liam: excu-

fatur insuper, qui immemor diei esurialis carnes comedit &c. veluti jam dictum fuit *loc. cit.*

568. R. jam secundo. Ad omne peccatum mortale necessario insuper debent concurrere tria, scilicet 1. ex parte intellectus plena advertentia & deliberatio. 2. ex parte voluntatis perfectus consensus, & 3. gravitas materiæ. Ita Michel *ubi supra* §. 2. *per totum*. Et *ex communi DD.* Reiffenstuel *cit. n.* 8. Henno noster *de peccat. disp.* 1. *q.* 3. *a.* 3. *conclus.* 5. Ratio est: quia cum peccatum mortale tam enormes post se trahat pœnas, scilicet æternas & infinitas saltem extensive, minime sane præsumendum est de infinita bonitate & clementia Dei, quod is propter actum aliquem imperfectum duntaxat, vel indeliberatum hominem aliunde satis fragilem & infirmum æternis velit addicere suppliciis.

At inquies, quandonam censendum est, quod intervenerit plena advertentia, & plena deliberatio, sufficiens ad mortaliter peccandum?

569. R. 1. Tunc censendum ac judicandum est, intervenisse plenam advertentiam, quando quis nedum apprehendit materiale, sed etiam formale peccati, id est, quando v. g. comedens carnes die prohibito, nedum apprehendit actum ipsum comestionis, sed etiam scivit prohibitionem Ecclesiæ, vel certe dubitavit practice, an comestio carnium tali die non fuerit interdicta, & nihilominus sine rationabili causa carnes comedit. Ratio est: quia hoc ipso, quod sciverit, vel saltem rationabiliter dubitarit, an talis actus non sit prohibitus, & nihilominus eundem posuit, convincitur, quod saltem indirecte & interpretative consenserit in ipsam malitiam, veluti dictum fuit superius *Confer.* 3. *n.* 67.

570. R. jam ad secundum. Deliberatio plena, perfecta, & sufficiens merito præsumitur intervenisse tunc, quando quis perspecta etiam malitia modo mox dicto, nihilominus ponit actum, tametsi non examinaverit ulterius rationes *pro*, & *contra*, id est, an esset ponendus potius, quam non ponendus &c. Ita *communissime* tenent Theologi apud Sanchez *in decalog. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 10. Ratio hujus peti debet ex dictis superius *Confer.* 1. *n.* 22. quia ad actum humanum, etiam perfectum, non est necessaria deliberatio formalis (id est, consultatio, & ponderatio rationum *pro*, & *contra*) sed sufficit etiam virtualis, quippe per quam voluntati sufficienter ostenditur malitia latens in tali actu, seu objecto: ergo si hac semel perspecta, nihilominus amplectitur objectum malum, ipso facto convincitur, voluisse malitiam, & offensam Dei. Unde P. Henno noster *loc. prox. cit.* cum aliis sapienter advertit, ad peccandum formaliter circa talia objecta vel actus, qui sunt intrinsece mali, uti est v. g. odium Dei, blasphemia &c. multo minori deliberatione vel consultatione opus esse, eo quod lumen naturale cuivis rationis usu prædito facile dictet, hujuscemodi actus utpote repugnantes primis principiis & regulis honestatis &c. esse malos, & creaturæ rationali disconvenientes.

Quæres tertio, quid sit peccatum veniale?

571. R. Peccatum veniale ex genere suo est violatio legis divinæ leviter obligantis. Ita Felix Potestas *in Exam. Confess. tom.* 1. *part.* 4. *c.* 6. *n.* 3700. Ratio autem hujus descriptionis facile constabit ex hactenus dictis. Id unum observandum hic venit, quod quemadmodum peccatum dicitur mortale ex eo, quod animæ mortem post se trahat, juxta illud *Rom.* 6. *Stipendia peccati mors*; ita etiam veniale appelletur tale eo, quod sit levis offensa Dei, & propterea venia tanto sit dignius, quanto minus hominem a Deo avertit, vel Dei amicitia excludit.

572. Dixi tamen rursus: peccatum veniale ex *genere suo* &c. Nam, quemadmodum juxta dicta *n.* 566. aliud est peccatum mortale ex genere suo, aliud ex accidente: ita vicissim aliud appellatur veniale ex genere suo, aliud veniale per accidens. Prius est illud, cujus genus, vel potius species de se non est capax malitiæ mortalis, in quacunque demum materia, vel quantumvis deliberate tale peccatum fiat, nisi alia circumstantia vel species malitiæ accedat

v. g.

v. g. ex fine extrinseco. Sic mendacium ex genere suo, id est, quatenus præcise importat locutionem contra mentem, dicitur veniale peccatum; quia tametsi quis cum summa deliberatione mentiatur v. g. quod integrum Regnum terræ motu fuerit absumptum, tam parum peccat mortaliter, ac si dixisset, se occidisse muscam vel culicem, quem tamen non occidit. Secus dicendum foret, si mentiretur ex alio fine malo v. g. occidendi, fornicandi, aut furti committendi &c. Posterius, id est, veniale per accidens, illud peccatum recte appellatur, quod quidem de se, & ex suo objecto est graviter offensivum Dei, uti est v. g. gravis detractio, perjurium assertorium &c. quia tamen contigit absque sufficienti deliberatione vel apprehensione malitiæ, ideo non imputatur a Deo ad peccatum grave formaliter, sed ad leve, seu veniale duntaxat.

Dices. Quot igitur modis, vel quibus ex capitibus peccatum mortale fieri potest veniale, ac vicissim veniale, quot modis transire potest in mortale?

573. R. ad primum. Peccatum ex genere suo mortale, fieri potest veniale per accidens ex triplici capite, scilicet 1. propter ignorantiam, quando nimirum gravis malitia inculpabiliter non fuit cognita vel apprehensa. 2. propter indeliberationem, ut si quis blasphemet aut perjuret ex motu primo-primo &c. 3. denique propter parvitatem seu exiguitatem materiæ, ut si quis leviter duntaxat diffamet proximum, vel in bonis fortunæ leviter tantum eundem damnificet. Ita *cum Communissima DD.* Michel *tom.* 1. *tr.* 3. *q.* 3. §. 1. *pu.* 3. Ratio horum facile colligetur ex hactenus dictis; ignorantia enim invincibilis, sicut & indeliberatio tollunt plenam advertentiam & deliberationem requisitam ad mortaliter peccandum, juxta dicta *num.* 569. & 570. Similiter ubi charitas vel jus proximi leviter tantum læditur, eo ipso nec proximus graviter offenditur, neque Deus, ut de se liquet.

574. R. jam ad secundum. Peccatum veniale fieri potest mortale per accidens quinque, vel potius sex modis sequentibus. 1. Ratione conscientiæ erroneæ. 2. Ratione mali finis intenti. 3. Ratione finis ultimi, vel, ut alii loquuntur, ratione nimii affectus. 4. Ratione scandali. 5. Ratione periculi, & denique 6. Ratione contemptus. Explico breviter singula membra.

I. Ratione conscientiæ erroneæ fit mortale tunc, quando quis erronee existimans, se hoc vel illud leve peccatum committendo, utputa parum aliquid in Ecclesia auferendo &c. peccare mortaliter, vel certe practice dubitans, & suspicans de gravi peccato, nihilominus illud committit; quia hoc ipso convincitur, voluisse consentire in peccatum mortale, cujus periculo voluntarie sese exposuit, veluti ex proxime dictis constare potest, & amplius ex iis, quæ superius *Confer.* 5. & 6. *a n.* 137. diximus.

II. Ratione finis mortaliter malum fit v. g. mendacium, dum quis per hujuscemodi medium intendit v. g. mulierem inducere ad fornicandum &c. Ratio est: quia medium induit malitiam finis: ergo si is sit mortaliter malus, etiam medium inficit sua malitia, tametsi finis non fuisset obtentus.

III. Ratione finis ultimi, aut nimii affectus tunc evadit mortale, quando quis erga materiam vel rem de se levis, & exigui momenti tantum gerit affectum, aut paratus sit eam prosequi, tametsi sciret, se propterea mortaliter peccaturum & gratia excisurum, qua de causa dicitur in tali creatura finem suum ultimum collocare, utique non sine maxima deordinatione contra rectam rationem, & gravi offensa Dei.

IV. Ratione scandali peccatum de se veniale evadit mortale, quando quis prævidet se ex tali peccato v. g. levitate aut irreligiositate huic vel illi personæ præbiturum occasionem gravissimæ indignationis, vel ruinæ spiritualis, tametsi hanc minime intendat. Quocirca ii vel maxime impingere solent, qui coram juventute verba inhonesta aut facta &c. incaute narrant, esto per hæc non nisi jocum intendant &c.

V. Ratione periculi peccatum de se veniale vergit in mortale, quando quis advertit se ex tali conversatione, manuum compressione, osculo personæ alterius sexus &c. exponi periculo proximo,

mo, eo quod v. g. experimento didicerit, se intuitu talium jam sæpius quam par est, & frequentius in peccatum, grave consensisse, quam incolumem evasisse ex eodem periculo. Quocirca personæ aliunde labiles vel inamoratæ vel maxime cavere sibi debent.

VI. Denique ratione contemptus veniale peccatum fieri amat mortale, dum quis in re de se levi & exigui momenti legem vel præceptum transgreditur ex formali contemptu non ipsius materiæ, quia scilicet levis est & exigui momenti, sed potius ex contemptu formali potestatis legislativæ. Ratio est, quia talis contemptus redundat in ipsum Deum, a quo omnis potestas legislativa derivatur juxta illud *Luc.* 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*, at, Deus vel potestas Dei sine gravi culpa nequit contemni, prout innuit Apostolus *ad Rom.* 13. sequentibus verbis: *non est potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem aquirunt.*

575. Verum pro pleniori hujus materiæ intelligentia advertendum hic venit, alium esse contemptum generalem, seu etiam materialem, alium vero specialem, seu formalem. Prior in omni peccato imbibitur; quicunque enim agit contra legem, suo modo saltem virtualiter convincitur, voluisse contemnere legem: talis autem contemptus non est speciale peccatum, neque specialiter in confessione exprimendus. Posterior, sive formalis contemptus est, qui procedit ex formali, ac directa intentione despiciendi, & vilipendendi (nam hoc importat natura contemptus formalis) personam aliquam, vel potius ejusdem præceta, & mandata. Rursus bene advertendum est, aliud esse peccare *cum contemptu*, & aliud, peccare *ex contemptu*. Cum contemptu peccare dicitur ille, qui v. g. vehementi passione concupiscentiæ, vel iræ inductus movetur ad transgressionem legis: Ex contemptu vero dicitur peccare ille, qui ex vilipensione ipsius potestatis legislativæ vel præceptivæ, vel Superioris qua talis, & non quatenus est persona defectibilis &c. movetur ad transgressionem mandati: de hoc postremo contemptu formali Superioris qua talis intelligi debet resolutio data *n. præcedente*.

Quæres quarto, undenam generaliter loquendo colligenda sit gravitas, vel etiam levitas peccatorum?

576. R. Generaliter loquendo illa peccata censeri debent gravia, & ex suo genere mortalia, quæ vel 1. directe sunt contra Deum, vel aliquam Ejus perfectionem; uti est blasphemia, perjurium, odium Dei, desperatio &c. vel 2. quæ in gravissimum præjudicium humani generis vergunt; veluti est homicidium injustum, nec non illa peccata, quæ extra statum matrimonialem committuntur in materia venerea; vel denique tertio, quæ committuntur circa objectum, vel præceptum, cujus transgressio in quacunque materia æqualiter repugnat fini, a Legislatore sub gravi culpa intento: uti est v. g. fractio jejunii naturalis ante sumptionem Eucharistiæ, vel fractio sigilli Sacramentalis. Hac de causa bene notarunt Thom. Sanchez *in decalog. lib.* 1. *c.* 4. *num.* 1. Suarez *lib.* 3. *de leg. c.* 28. *num.* 23. Illsung. *tr.* 2. *disp.* 2. *n.* 9. & la Croix *lib.* 5. *n.* 200. *& seqq.* in peccatis mox recensitis non dari parvitatem materiæ. Denique 4. illa etiam peccata (generaliter loquendo) debent reputari gravia, quæ in communi hominum piorum & doctorum existimatione habentur ut talia; vel propter quæ Scriptura Sacra transgressoribus intonat væ; vel denique quæ justitiæ, aut charitati sibi, vel proximo debitæ graviter repugnant; uti est v. g. Scandalum, furtum, detractio &c. tametsi in his non raro parvitas materiæ, a peccato mortali excusans inveniri queat, veluti post S. Thomam recte tradit La Croix *l. cit. num.* 204.

577. R. secundo. Illa peccata, quæ 1. nec sunt contra Deum immediate, neque 2. bono communi, nec 3. justitiæ, aut charitati sibi, vel proximo debitæ graviter adversantur, reputari debent ex suo genere venialia. Talia sunt prodigalitas, tenacitas, hypocrisis, simulatio, mendacium, nimia cura, vel

vel etiam neglectus vestium honestarum, ingratitudo, adulatio, inconstantia &c. & alia hujusmodi plura, videnda apud la Croix *lib.* 5. *n.* 205.

Quæres adhuc quinto, undenam in dubio sese quis resolvere valeat, vel Confessarius colligere, an pœnitens plene consentiendo peccaverit mortaliter, an vero defectu consensus & advertentiæ venialiter tantum deliquerit?

578. R. Id colligi posse ac debere a Confessario ex sequentibus capitibus. 1. quidem *defectu sufficientis advertentiæ* venialiter tantum, aut certe non mortaliter peccasse censendus est, si dicat, quod valde tenuiter, & quasi semidormiens apprehenderit malitiam actus; vel si dicat, se certe hoc vel illud non fuisse facturum, si apprehendisset tantam malitiam, aut gravem Dei offensam &c. vel denique si fateatur, se vehementissima passione v. g. iræ &c. apprehensione, vel etiam distractione fuisse præoccupatum, ita, ut fere nescivérit, quid ageret, secundo a fortiori *defectu sufficientis consensus* præsumi potest ac debet, non peccasse mortaliter, si advertatur esse homo conscientiæ valde timoratæ, ita scilicet, ut nunquam, vel admodum raro soleat consentire in peccatum mortale: vel si fateatur, quod erga tale peccatum v. g. pollutionis, semper habeat aversionem, ita ut, tametsi facile potuisset eam procurare, certo tamen nunquam fuisset facturus &c. vel si soleat sæpius protestari contra quodcunque peccatum grave, aut certe contra illud, quod defacto sese incidisse fatetur &c. Plura hujusmodi indicia semipleni consensus vel insufficientis advertentiæ, ad ea, quæ mox recensuimus, reducibilia videri possunt apud P. Herincx *part.* 2. *tr.* 2. *disp.* 7. *n.* 41. Sporer *tr.* 1. *proœm. c.* 5. *sect.* 2. *n.* 12. & alios passim.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de peccato mortali, & veniali in specie.

CASUS PRIMUS.

Titius multum consternatus & anxius de salute animæ suæ Confessarium alloquitur sequentibus verbis: Pater R. ait: nescio jam juvare meipsum, & quidem in puncto gravissimo, concernente salutem animæ meæ; enim vero (ait idem) soleo non raro pollui in somno, immo vero, quod me summopere affligit, & caput rei est, aliquoties jam e somno evigilans animadverti, quod contactu proprii corporis pollutionem procuraverim, aut certe in proximum ejusdem periculum memet conjecerim: & licet plene mihi præsens, & advertens hanc turpitudinem, illico destiterim, nihilominus aliquoties mihi contigit, ut fluxum seminis amplius impedire non potuerim, sed potius voluptatem inde consequentem plene senserim. Nescio plane quo fato hoc mihi eveniat; licet enim in juventute mea olim aliquoties voluntarie procuraverim pollutionem, modo tamen summopere abhorreo hanc turpitudinem. Quid quæso Reverentia V. censet de statu animæ meæ, vel quid consilii mihi donat? Hactenus Titius. Cui ego existimo*

579. R. quod probabilissime in hoc casu, & specie facti ne venialiter quidem peccaverit Titius. Ratio est: quia secundum dicta *nu.* 567. & 568. omne peccatum debet esse voluntarium & liberum: at, quod in somno accidit vel fit, nec voluntarium est, nec liberum; tum quia dormientibus ex parte intellectus deficit consultatio in utramque partem necessario prærequisita ad plenam & perfectam libertatem; tum etiam, quia ex parte voluntatis deficit expedita facultas, hoc vel illud eligendi, prout bene ex S. Thoma 2. 2. *q.* 154. *art.* 5. probat & demonstrat P. Claudius la Croix *lib.* 5. *n.* 65. ubi recte ait, id probari communi consensu omnium hominum, qui aliquid in somno factum non imputant ad culpam, vel pœnam, neque ad meritum, vel demeritum, nisi

nisi forte propter causam ante positam: ergo stante etiam, & non obstante, quod Titius semetipsum in somno tetigerit, vi hujus tamen in somno æque parum peccavit, quam si hominem occidisset in somno. Adde insuper, quod omne peccatum debeat ita esse positum in arbitrio hominis, ut is valeat illud libere evitare, & emendationem, seu etiam evitationem illius efficaciter proponere: at Titius nequit efficaciter proponere, quod nolit deinceps se ipsum tangere in somno, vel contrectando polluere &c. ergo per hoc non peccavit hactenus, nec deinceps peccabit. Profecto hæc ratio mihi videtur nedum palpabilis, sed omnimo convincens.

580. Neque obstat, quod Titius jam aliquoties sibi plenarie præsens, posteaquam scilicet evigilavit, senserit voluptatem naturaliter consequentem ad fluxum seminis; nihil inquam obstat; non enim sensus, sed solus consensus in talem voluptatem peccaminosus est. Neque etiam refert, quod Titius fateatur, se olim assuetum fuisse pollutionibus voluntarie procurandis, propterea que videatur dubium, an hujusmodi tactus, etiam in somno facti, non sint voluntarii, saltem in sua causa, id est, in pessima illa consuetudine & habitu vitioso olim contracto.

Contra enim est, quod Titius fateatur, se illam consuetudinem jam pridem retractasse immo defacto summopere ab eadem abhorrere: ergo hujusmodi tactus in somno facti propterea dici nequeunt voluntarii, vel ad culpam imputabiles. Hinc ad illud alterum quæsitum, quidnam scilicet Titio fuerit consulendum a Confessario?

581. R. Huic pœnitenti ex rationibus mox allegatis breviter fuisse persuadendum, quod in his circumstantiis non peccaverit, neque deinceps peccaturus sit, dummodo tamen (quod bene notandum est) quamprimum e somno excitatur, sibique plene præsens, consensum illico excludat, nec positive cooperetur ad promovendum seminis fluxum, sed ad hunc merum permissive se habeat. In hunc vero finem vel maxime juvabit eidem consulere 1. ut de die aliquoties, saltem tunc, cum eidem inciderit cogitatio hujus periculi, conetur illico concipere aversionem ab hac turpitudine. 2. ut ante cubitum contra eandem pr[...]tetur, suumque corpus, & animam [...]edum in Sacratissima quinque vulnera Jesu Christi, sed etiam patrocinio, ac tutelæ B. Virginis, S. Angeli sui Custodis, aliorumque suorum Patronorum commendare studeat, tum vero rem totam sine scrupulo Deo relinquat.

At quid (inquies) tenendum de illo, qui sub conditione duntaxat consentit in peccatum, quodcunque demum?

581. R. Etiam consensus conditionatus in peccatum, vel potius objectum peccaminosum, quodcunque demum, peccaminosus est, nisi conditio malitiam excludat. Unde secundum omnes peccat mortaliter is, qui dicit v. g. vellem fornicari, adulterari, furari &c. nisi timerem infamiam inde incurrendam coram hominibus, vel certe coram Confessario.

Ratio est: quia, ut de se liquet, hujuscemodi conditiones non excludunt malitiam, sed solam infamiam; & hoc ipso, quod hæc sola a peccato absterreat, haud obscure manifestat peccator, quod ad peccandum actualem & inordinatum affectum portet. Econtra tamen non peccat, qui v. g. die veneris dicit: hodie vellem comedere carnes, nisi ab Ecclesia esset prohibitum: hodie non audirem Sacrum, nisi ab Ecclesia esset præceptum &c. vel, voto castitatis adstrictus diceret: inirem hodie matrimonium, nisi obstaret meum votum &c. Ratio horum est: quia, ut perpendenti facile constabit, hujusmodi conditiones excludunt, & abstrahunt omnem malitiam objecti, sin minus realiter, saltem intentionaliter.

583. Nihilominus hæc doctrina limitanda est nonnihil, & intelligenda sic: modo excludatur omnis affectus & complacentia de objecto, quando hoc intrinsece malum est. Nam qui v. g. de fornicatione carnaliter sibi complacens dicit: nisi fornicatio esset prohibita, corrumperem hanc puellam &c. vel qui dicit: si hæc esset mea Uxor, hodie eam cognoscerem &c. portando scilicet actua-

actualem affectum carnalem, procul dubio peccat; esto enim supponatur excludere, nolle ipsum concubitum velut illicitum, non tamen excludit actualem complacentiam & delectationem morosam de concubitu, quæ utique hic & nunc illicita, immo mortaliter peccaminosa est, prout sapienter advertit Henno *tr. de pecc. act. disp.* 1. *q.* 3. *a.* 2. *concluf.* 3. *num.* 1. Videatur de hoc Sporer *tr.* 1. *procem. cap.* 6. *num.* 35. *&* *seqq.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronia non raro cum suo sponso familiariter conversari assuevit, at sine omni sinistra vel mala intentione: quia tamen ex hujusmodi conversatione jam sæpius passa fuit stimulos carnis, eo vel maxime, quod subinde de futuro statu & negotio conjugali discurrere cœperint: immo vero aliquoties ex modo discurrendi, aliisque gestibus sponsi, præsertim vero ex osculis ab eodem sibi intentatis satis liquide collegit, eum pariter flammis venereis actu succensum; hinc vehementer angitur in sua conscientia: partim quia ex ulteriori conversatione, præsertim sub crepusculo (uti hactenus assueverant) continuanda, timet graviorem lapsum & offensam Dei; partim vero quia metuit, ne familiaritatem hactenus assuetam subterfugiendo aut recusando, gravem offensam sui sponsi incurrat, immo ne ab eodem, non sine graviori periculo fortunæ ex matrimonio tam favorabili sibi arridentis repudietur. Quærit proin, an in his circumstantiis tuta conscientia possit continuare familiaritatem illam hactenus assuetam? Quid judicii?

584. R. ad hunc casum vere, immo nimis practicum, Semproniam non posse tuta conscientia protinus continuare dictam familiaritatem cum suo sponso. Ratio est, quia tametsi hæc conversatio aut collocutio ex parte Semproniæ hactenus semper contigerit absque malo fine, & intra terminos honestatis, nihilominus si bene ponderare velimus circumstantias hujus casus, hinc personarum libidine ardentium, illinc temporis, scilicet crepusculi, utpote aptissimi ad hujusmodi impudicitias exercendas &c. & alias plures in hac specie facti recensitas, quisque prudentum facile colliget, Semproniam ex ulteriori conversatione sese expposituram certo periculo, & quidem proximo, formaliter peccandi, id est, consentiendi, sin minus in ipsam copulam, saltem in delectationem veneream, ex conversatione, osculis &c. captandam, aut certe cooperabitur peccatis sui Sponsi, quippe quem advertit ex tali conversatione flammis venereis succendi &c. atqui non licet se exponere periculo formaliter peccandi; nam qui voluntarie vult tale periculum, merito præsumitur velle peccatum juxta illud *Eccli.* 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Qua de causa Innocentius XI. justissime damnavit sequentes propositiones, e quibus prior *n.* 62. ita sonat: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit;* posterior *n.* 63. sic habet: *licitum est, quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi.*

At, inquies, hoc periculum formaliter peccandi ex parte Semproniæ non est certum, sed probabile duntaxat: atqui juxta P. Gobat, Sporer & alios plures haud illicitum est, sese exponere periculo probabili, ubi suppetit rationabilis causa, veluti contingit in nostro casu: ergo Sempronia non peccat &c.

585. R. Negando Majorem; nam in hoc casu periculum formaliter peccandi nedum est probabile, sed omnino certum, esto lapsus ipse, seu consensus in peccatum certus non sit. Fere, quemadmodum si conversareris cum pestifero, periculum infectionis foret nedum probabile, sed omnino certum, licet certum non sit, quod ex tali conversatione sis inficiendus, & moriturus.

Et quis, amabo! si tamen rem lumine fidei & sanæ rationis, uti par est, considerare velimus, quis, inquam, non videat, periculum illud animæ, quod ex tali conversatione Semproniæ imminet, longe maius esse, & hoc ipso præponendum illi alteri, quod ex fuga hujus conversationis eidem imminere

videtur in bonis fortunæ? Profectò si in ullo alio, vel maxime in hoc casu timenda est fraus diabolica, qua is, nescio quibus coloribus solet delineare ingentia honoris, fortunæ, immo etiam culpæ politicæ, & offensionis humanæ duntaxat pericula, ut horum intuitu hominem eo pertrahat, ne vereatur offendere Deum. Fallitur sane, quisquis cum offensa Dei nititur conscendere altiorem fortunæ suæ gradum; quia dum hac via temporale emolumentum quærit, Dei gratia, amicitia, immo etiam benedictione cœlesti excidit.

Quid ergo, inquies, consulendum est Semproniæ: quæ rationabiliter timet, ne subterfugiendo & declinando conversationem hactenus assuetam, repudietur a suo sponso, non sine ingenti fortunæ arridentis discrimine & jactura?

586. R. A Confessario in hoc casu eo conandum esse, ut Semproniæ præprimis exponat & declaret periculum animæ, eidemque demonstret periculum fortunæ huic longe postponendum esse. 2. Singulariter eidem inculcet, ut satagat illud periculum proximum vertere in remotum, ita scilicet, ut si absque graviori offensa, aut discrimine fortunæ suæ nequeat declinare conversationem cum Sponso, saltem fugiat conventicula sub crepusculo, vel tempore nocturno, utpote magis periculosa. 3. Sola non converfetur cum solo. 4. Sæpius obfirmet animum contra omnem impudicitiam. 5. Roget etiam sponsum, quatenus velit sibi parcere, & ab omni actu illicito, seu venereo abstinere, ne forte connubium (uti sæpe sæpius inter tales fieri assolet) malum sortiatur exitum. Si hæc promittat serio, procul dubio erit capax absolutionis; nam ex rationabili causa haud illicitum est, se exponere præcise periculo tentationum, aut turpium motuum, ait la Croix *lib.* 5. *num.* 274. modo absit periculum consensus: ergo si Sempronia efficaciter adpromittat, quod velit omni possibili modo declinare occasionem proximam, & consensum in peccatum carnale, potest absolvi, tametsi prævideatur subesse periculum saltem materialiter peccandi. Videantur ea, quæ de hac materia diximus *in Theolog. Sacram. part.* 2. *Conf.* 4. *num.* 100. *& seqq.*

CASUS TERTIUS.

Cajus Sartor suos famulos (quorum quatuor habuit) adstrinxit, ut die Dominica post auditum Sacrum hora integra laborarent, quos etiam ipsemet fideliter adjuvit eo fine, ut pro aliquo Magnate vestem conficerent: quod & factum.

At vero Senior ex illis famulis, ratus se hunc extraordinarium suum laborem nemini gratis debere, tacite compensandum duxit, unde etiam inscio suo Magistro aliquid de Segmentis aureis, & argenteis clepsit: quod dum reliqui conservi animadverterunt singuli sequentes exemplum senioris, suas partes clam præsciderunt. Tametsi vero singulorum furta seorsim considerata respectu illius Magnatis non videantur materia sufficiens ad mortale peccatum, minime tamen dubitandum est, quin materia ab omnibus collective sumpta, & furtive ablata, adintegret materiam notabilem, utpote ultra 6. vel 7. florenos sese extendentem. Jam vero ad nostrum propositum dubitare licet 1. *an Cajus peccaverit mortaliter adigendo famulos suos ad præfatum laborem servilem per integram horam.* 2. *An singuli famuli laborando, vel etiam clependo &c. peccarint venialiter vel vero mortaliter.*

587. R. ad primum. Caius non peccavit mortaliter ex eo, quod per integram horam adegerit suos famulos ad laborem die Dominica, esto etiam supponatur id fecisse sine necessitate, modo abfuerit omne Scandalum, vel contemptus formalis præcepti Ecclesiastici &c. Ratio est: quia talis labor ab omnibus simul per integram etiam horam continuatus, non reputatur (secluso Scandalo &c.) gravis, sed levis duntaxat dehonoratio diei Dominicæ. Secus dicendum foret, si Cajus adegisset famulos suos, ut singuli per singulas horas successive laborarent; quia tunc talis labor servilis, utpote per quinque horas continuatus (& quidem absque necessitate, uti supponitur) in

in morali prudentum existimatione censetur graviter præjudicare reverentiæ debitæ diei festivo.

Scio, quidem, Sanchezium, Bonacin. Castropalaum, Herincx, Illsung, & alios velut probabile agnoscere, hujusmodi Dominum, aut Patrem-familias mandando pluribus sibi subjectis, ut successive per notabile tempus die festivo serviliter laborent, non peccare, nisi venialiter, eo quod singuli non peccent, nisi venialiter, neque eorum labor coalescat in unum moraliter; censeo nihilominus oppositum de tali mandante esse probabilius; nam talis labor, utpote continuatus per plures horas ex parte mandantis censetur saltem coalescere: ergo ipse probabilius peccat graviter, quemadmodum graviter peccasset, si demandasset ut singuli de segmentis aureis, & argenteis aliquid cleperent, esto singulorum furta seorsim considerata non sufficerent ad damnum grave inferendum. Plures rationes pro hac opinione videri licet apud Arsdeckin *tom.* 2. *part.* 2. *tr.* 5. *cap.* 3. §. 1. *q.* 4. & la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 581.

588. R. jam ad secundum. Si materia singulorum seorsim sumpta non sit gravis, aut sufficiens ad grave damnum; esto tota simul ab omnibus ablata ad grave damnum, vel notabilem summam conscendat, probabiliter nullus ex præfatis famulis peccavit mortaliter contra justitiam. Ita contra Filliuc. Navarrum, & alios plures tenet Lessius *l.* 2. *de just.* *c.* 12. *dubit.* 9. Sanchez *lib.* 7. *mor.* *c.* 21. *n.* 22. Tannerus *tom.* 3. *disp.* 4. *q.* 6. *dub.* 9. aliique plures, quos sequitur P. Sporer *tr.* 1. *proœm.* *c.* 5. *n.* 49. Ratio est: quia singuli seorsim sumpti non intulerunt grave damnum secundum se; neque ratione furti ut conjuncti cum furto alterius; quia ut supponitur, nullus vi sui furti exstitit causa, ut alter similiter aliquid cleperet: ergo singuli non peccarunt contra justitiam, nisi venialiter. Secus dicendum foret, si communi consensu & consilio abstulissent illa segmenta aurea & argentea; quia tunc quivis exstitisset causa moralis totius damni illati.

Dices contra hoc. In casu mox relato quilibet ex famulis influxit, & quidem scienter in grave damnum illius Magnatis: at, qui scienter influit in grave damnum proximi, peccat graviter, cum obligatione restituendi: ergo &c.

589. R. Distinguendo minor. qui scienter influit, ita ut sit causa moralis totius damni, utputa jussu, consilio, auxilio &c. *con.* ita, ut non sit causa moralis totius damni, prout supponitur in hoc casu, *neg. min.* *cum conseq.* Et licet fortassis malo exemplo famuli senioris, reliqui juniores fuerint inducti suo modo ad surripiendum suas partes; quia tamen hoc malum exemplum, seu Scandalum qua tale, non fuit contra justitiam, sed potius contra charitatem; hinc neque iste peccavit mortaliter contra justitiam; ac per consequens non tenetur sub mortali ad compensationem, seu refusionem totius damni illati; quandoquidem obligatio restituendi non oritur ex læsione solius charitatis, veluti diximus *de Restitut.* *Confer.* 1. *n.* 5. & *Confer.* 5. *n.* 127. Videatur Sporer *loc. prox. cit.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

590. COlliges ex hactenus dictis primo, peccatum mortale cum veniali in nonnullis convenire, in multis vero per omnem modum differre; nam in primis conveniunt per hoc, quod tam mortale, quam veniale etiam, sit actus moraliter malus, Deo displicens, Eundemque vere offendens, proptereaque dignus pœna a Deo infligenda. 2. conveniunt in eo, quod utrumque velut actus humanus, debeat esse voluntarium ac liberum, tametsi major libertas necessaria sit ad mortaliter, quam ad venialiter peccandum, prout ex dictis *a num.* 568. constare debet: prætereo insuper nonnullas alias convenientias minus notabiles. Econtra tamen multum per omnem modum inter se differunt, eo vel maxime, quod 1. homo per peccatum mortale simpliciter sese avertat a Deo, non item per veniale; secundo per prius amittitur gratia Dei,

Dei, & incurritur reatus pœnæ æternæ, non item per posterius, veluti animadvertimus supra *num.* 565. aliæ plures con- & disconvenientiæ inter utrumque videri possunt apud Reiffenstuel *Theolog. moral. tr.* 3. *dist.* 2. *n.* 3. & 4.

591. Colliges secundo, quod, licet in illis peccatis, quibus immediatæ læditur aliqua perfectio Dei; uti sunt infidelitas, desperatio, blasphemia, vel odium Dei &c. non detur parvitas materiæ; nihilominus hujusmodi peccata aliquando saltem (licet non frequenter; ob nimis evidentem eorum enormitatem) fieri possunt venialia per accidens; idque ob solam imperfectionem actus, seu indeliberationem, aut nimiam rationis perturbationem. Ratio facile deducitur ex dictis num. 568. quia scilicet ad omne peccatum mortale necessario requiritur plena advertentia, & consensus perfectus, ita, ut si alterutrum deficiat, pariter actus deperdat malitiam formalem peccati mortalis: at minime dubitandum venit, quin ratio humana in tantum perturbari valeat, ut hujusmodi actum, vel malitiam actus non plenarie advertat, prout recte advertit S. Thomas 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 6. & alii *DD. communiter;* ergo &c.

592. Colliges tertio, ad mortale peccatum incurrendum minime necessum esse, ut materia sit semper in se, & absolute gravis, sed sufficere, materiam respective gravem, id est, respectu finis gravis a Legislatore intenti, ad quem talis materia vel simpliciter necessaria est vel certe multum conducere nata. Ita *ex communi* DD. tenent Castropalao *tr.* 2. *disp.* 2. *pu.* 7. *num.* 4. Laymann *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 14. Sporer *tr.* 1. *c.* 5. *num.* 27. Qui propterea unanimiter tenent, graviter deliquisse Proto-Parentes nostros comedendo de fructu vetito: graviter item peccaturum Sacerdotem, qui scienter & voluntarie intermitteret mixtionem aquæ modicæ cum vino in SS. Missæ Sacrificio: denique etiam graviter peccaturum Religiosum, qui contra gravem prohibitionem sui Prælati domum v. g. suspectam alicujus sæcularis ingrederetur, vel in tali domo præsumeret bibere vitrum vini, non obstante gravi prohibitione, vel periculo Scandali &c. Ratio est: quia tametsi materiæ mox recensitæ utputa esus pomi, neglectus guttulæ aquæ calici admiscendæ &c. in se revera sint materia levis; nihilominus ratione finis a Deo intenti sunt materia gravis, prout vel inde colligere licet, quod Deus Protoparentes nostros ob esum pomi vetiti Paradiso expulerit. Videantur dicta superius *Confer.* 12. *n.* 327. & *seqq.*

593. Colliges quarto, peccata venialia, quantumvis multiplicata, *formaliter* nunquam constituere, vel ascendere ad gravitatem peccati mortalis. Ita *Communissime* DD. Ratio fundamentalis hæc est: quia individua ordinis essentialiter inferioris, quantumvis multiplicentur, nunquam possunt attingere ad rationem individui superioris: sic v. g. accidentia quantumvis multiplicata, nunquam fiunt, nec fieri possunt substantia: at peccatum mortale & veniale specie differunt, & illud prius in morali hominum existimatione merito reputatur ordinis essentialiter superioris: ergo &c. Hinc etiam DD. *communiter* inferunt, propositum plura, immo omnia peccata venialia committendi, vel nullum evitandi, *per se loquendo* non esse mortaliter malum. Ratio est: quia si quis reipsa committeret peccata venialia, quantumcumque demum multiplicata &c. reipsa non peccaret mortaliter, eo ipso, quod supponatur se continere intra limites peccatorum venialium: ergo a fortiori *saltem per se loquendo* non peccat mortaliter is, qui duntaxat proponit, quod velit nullum peccatum mere veniale effugere.

594. Dixi tamen primo, quod peccata venialia quantumvis multiplicata, *formaliter* non constituant peccatum mortale, neque ad hujus gravitatem ascendant; Negari enim minime potest, quin ob venialia multiplicata possit incurri peccatum mortale, idque toties, quoties materia hujusmodi venialium inter se, vel certe in aliquo effectu moraliter coalescit; pro cujus pleniori notitia

595. Notandum hic venit, duplex reperiri genus venialium, unum quorum mate-

ria in morali hominum existimatione quodammodo concrescit, vel inter se, vel in aliquo effectu; alterum, quorum materia non coalescit. Prioris generis sunt v. g. furta levia, præsertim eidem facta, quibus tandem procul dubio infertur grave damnum. Similiter multæ de se leves detractiones graviter præjudicant famæ: multæ leves percussiones aut vulnerationes causant grave damnum corporis: multæ comestiones modicæ præjudicant graviter jejunii præcepto, sicut & multæ comestiones rerum noxiarum, vel immodicæ potationes repetitæ tandem confluunt in non modicum damnum naturæ humanæ. Posterioris vero generis venialia sunt v. g. otiosa verba, mendacia non perniciosa &c. & omnia illa, quæ sunt circa res præceptas diversis determinate temporibus, ita, ut cum tempore obligatio finiatur; uti sunt venialia circa auditionem Missæ, horas Canonicas, aut jejunia plurium dierum, quippe quorum obligatio singulis diebus finitur, ita, ut unum non censeatur habere connexionem moralem cum altero, prout jam alibi notavimus, & bene advertit la Croix *l.* 5. *n.* 284.

596. Dixi secundo, propositum committendi quæcumque demum venialia *per se loquendo* non esse mortaliter malum: nam *per accidens* fieri potest, ut tale propositum conscendat gravitatem peccati mortalis; vel quia tale propositum concipiens prævidet, certum aliquod veniale in individuo sibi fore occasionem proximam ad mortale: vel quia advertit, se vi hujus laxitatis sensim diffluere, immo properare ad graviorem lapsum & ruinam spiritualem animæ; vel denique quia vi suæ professionis sese singulariter sub gravi culpa adstrinxit ad sectanda perfectiora &c. Qua de causa Doctores communissime tradunt, propositum illud, *nullum scilicet peccatum veniale vitandi*, in Religioso, vel a Religioso conceptum, esse mortaliter peccaminosum; non quidem ea de causa, quod is nullum veniale velit evitare, aut quodlibet committere, sed quia hoc proponendo convincitur, quod non velit tendere ad perfectionem Religiosam, ad quam sub mortali peccato vi suæ professionis præsumitur se voluisse adstringere; vel certe quia propterea merito reputatur contemnere Regulam, seu etiam constitutiones; vel denique, quia talis procul dubio suæ Religioni evaderet petra Scandali, & lapis offensionis. Vid. Sanchez *lib.* 6. *decalog. c.* 4. *num.* 18. Castropalao ubi supra *pu.* 9. §. 4. *numer.* 3. Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 3. *a.* 4. *numer.* 50. la Croix *lib.* 5. *numer.* 288.

597. Colliges quinto, in supposito quod 20. solidi, vel si mavis, 20. paccii respectu alicujus sint materia gravis, eum, qui successive aufert 19. semper peccare venialiter (nisi ab initio statim habuisset intentionem graviter damnificandi Dominum) Si tamen postea scienter auferat vigesimum solidum, peccabit mortaliter, non quidem eo ex capite, quod furtum unius solidi sit mortaliter malum, sed, quia hic ultimus solidus cum prioribus simul conjunctus, conficit materiam gravem, & complet grave damnum proximo inferendum. Unde scienter auferens hunc solidum vigesimum, ipso facto convincitur, voluisse dominum injuste, & graviter quidem damnificare, atqui voluntas hæc est mortaliter peccaminosa secundum omnes: ergo &c.

598. Dixi rursus: si scienter, id est, haud immemor priorum ablationum auferat vigesimum solidum, ita scilicet, ut advertat gravitatem formalem damni inde inferendi; secus enim dicendum foret, si vel 1. nullatenus, nequidem in ultimo furto animadvertisset malitiam gravis peccati, seu etiam damni inferendi: 2. aut si priores solidos, vel saltem partem eorum jamjam restituisset; vel denique si rationabiliter posset præsumere, Dominum jamjam condonasse priora furta, aut certe non esse graviter invitum respectu hujus furti, vigesimi scilicet solidi; de quo in ordine ad dignoscendam gravitatem peccati (saltem per se loquendo, nisi ipsemet exprimat) pœnitens examinandus est. Videatur la Croix *lib.* 5. *nu.* 293.

Ergone, inquies, si Titius hodie sese accusavit, quod 19. solidos abstulerit,

rit, postea vero etiam vigesimum, vel plures adhuc auferat, non amplius peccat graviter, eo, quod priora furta jamjam detestando in confessione, efficaciter retractaverit?

599. R. Negando conseq. Nam qui jam semel complevit materiam notabilem, & graviter damnosam, & hoc non obstante denuo aliquid aufert de novo, quod cum priori materia facit aliquid unum, procul dubio committit novum peccatum mortale; fere quemadmodum si hodie proximo tuo multa, etsi de se levia vulnera inflixisses, & de hoc efficaciter doluisses, postea vero aliud vulnus, utut de se leve, ex quo eum graviter infirmatum, aut damnificatum iri animadverteres, denuo infligas, procul dubio graviter peccabis, non obstante priori dolore, vel retractatione: sicut enim retractatio prior non impedit, quin posterius vulnus compleat grave damnum in bono corporis, vel vitæ; ita pariter retractatio, aut sola detestatio priorum ablationum minime impedit, quin illud posterius furtum compleat, seu etiam augeat grave damnum in bonis fortunæ.

Ceterum an talis semper committat novum peccatum a priori numerice distinctum, an vero idem numero peccatum duntaxat aggravet, poterit de facili colligi ex dictis supra *num.* 545. *& seqq.* Videri etiam potest de hoc la Croix *lib. cit. numer.* 294. vel *lib.* 3. *pu.* 1. *n.* 1007.

CONFERENTIA
VIGESIMA PRIMA.
De Superbia, & Avaritia.

SUMMARIUM.

600. *Dantur septem peccata capitalia, scilicet superbia, avaritia &c.*

601. *Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ supra alios &c.*

602. *Superbia completa, & perfecta per se loquendo est mortaliter peccaminosa;*

603. *Imperfecta autem de se non excedit gravitatem peccati venialis.*

604. *Enumerantur breviter undecim filiæ superbiæ;*

605. *Quæ, licet de se non videantur excedere limites peccati venialis; nihilominus non raro conscendunt gravitatem peccati mortalis.*

606. *Recensentur breviter nonnulla remedia generalia contra superbiam.*

607. *Avaritia consistit in appetitu inordinato habendi;*

608. *Quæ quatenus præcise opponitur virtuti liberalitatis, non excedit limites peccati venialis.*

609. *Recensentur breviter septem filiæ Avaritiæ.*

610. *Præscribuntur media contra avaritiam.*

611. *Resolvitur Casus I. cujusdam militis emeriti, ambientis reliquis suis Commilitonibus præfici, & ad altiora promoveri.*

612. *Qui tamen pessime sese solet jactitare, & gloriari de suis vitiis, olim in statu militari commissis.*

613. *Hujusmodi jactantia vana subinde quidem, sed admodum raro fieri solet absque peccato gravi.*

614. *Resolvitur Casus II. de quodam Mercatore avarissimo, qui alterius litteras subdole apertas legit, eidemque propterea ingens lucrum surripuit. Hinc*

615. *Obligandus est ad restitutionem & refusionem damni.*

616. *Aperiens litteras, quas in sui præjudicium, vel damnum scriptas probabiliter & fundate existimat, per se loquendo non peccat.*

617. *An, vel quomodo peccet subditus Religiosus aperiens litteras alterius, ad Superiorem majorem directas?*

618. *Resolvitur Casus III. de quodam Viro ditissimo simul & avarissimo, qui ne micam quidem panis assueverat dare pauperibus.*

619. *Occurritur cuidam instantiæ, vel potius frigidæ excusationi, quam avari communiter solent prætendere.*

620. *Homines rudiores ratione superbiæ raritus*

rius solent peccare mortaliter; bene tamen subinde ratione avaritiæ.

621. *Jactitans se cum complacentia de aliquo gravi crimine commisso, committit duplex peccatum, necessario exprimendum in confessione.*

622. *Idque verum est, sive sese jactaverit de crimine vero, sive de falso.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Superbia, & Avaritia.

QUæres primo, quot sint peccata capitalia?

600. R. Sunt septem, scilicet 1. Superbia. 2. Avaritia. 3. Luxuria. 4. Ira. 5. Gula. 6. Invidia. 7. Acedia. Ita *communissime DD.* nominatim D. Gregorius *lib.* 31. *moral. cap.* 31. Non abs ratione autem appellari solent peccata capitalia; eo, quod ex his velut quibusdam fontibus & capitibus soleant profluere alia quamplurima vitia, veluti patebit ex dicendis proxime. Et hoc de Superbia ceu primo peccato capitali innuit Propheta Tobias *cap.* 4. ubi ait: *in ipsa* (superbia scilicet) *initium sumpsit omnis perditio*. Superbia scilicet & Angelos apostatare, & Protoparentes nostros e Paradiso exulare fecit, prout ex Sacris paginis abunde constat.

Quæres secundo, quid sit Superbia, & quale peccatum?

601. R. ad primum. Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ super alios. Ita *cum communissima DD.* tenent Mastrius *Theolog. moral. disp.* 15. *num.* 137. Et Sporer *tr.* 1. *Theolog. decalog. cap.* 7. *n.* 64. Dicitur autem appetitus inordinatus; nam appetitus ordinatus cujuscunque demum rei, eo ipso quod supponatur esse talis, nequit esse peccaminosus. Dicitur 2. propriæ excellentiæ *supra alios*; enimvero in hoc propriissime fundatur, & dignoscitur natura superbiæ, quod scilicet superbientem faciat sese super alios extollere, aut certe inordinate ambire, vel desiderare supra alios extolli; quo fit, ut superbus alios soleat suo modo contemnere, & longe infra se positos reputare, prout vel ex ipso vocabulo *superbire* datur haud obscure intelligi, quippe quod interpretatum idem sonat, ac *super* alios *ire*. Hinc tametsi is, qui in propriis talentis, donis, vel gratiis sibi inordinate complaceat, sine respectu tamen, vel potius despectu aliorum, quibus præferri, aut certe major videri ambit, possit deliquere, ut de se clarum est, non tamen dici potest superbus proprie loquendo, sed improprie duntaxat; licet hæc inordinata complacentia (quam Scotus, & alii DD. non immerito vocant Philautiam, id est, quandam quasi luxuriam spiritualem) plerumque soleat inclinare, & proxime disponere ad superbiam formalem, prout nedum Casus Luciferi, sed etiam aliorum multorum nos docent.

602. R. jam ad secundum. Superbia completa, & perfecta, id est, illa, vi cujus aliquis ita vult excellere, ut nec Deo, neque aliis Superioribus, eorumve legibus velit subjici, est peccatum ex genere suo mortale. Ita *omnes*. Ratio est: quia hoc vitium, ut de se liquet, involvit maximam deordinationem, vi cujus homo, quantumvis vilissimus terræ vermiculus, abjecta DEI ipsius, aliorumque DEI loco præcipientium regula, vult esse suis juris, suumque, ut ita dicunt, capricium sequi. Hac de causa Doctor Gentium Rom. 1. superbos ait, *dignos esse morte*. Et Jacob. *c.* 4. *v.* 6. *Deus* dicitur *superbis resistere*. Videatur de hoc S. Bonavent. *in diæta salutis tit.* 1. *c.* 3. ubi hoc vitium graphice depingit.

603. Dixi tamen, *superbiam completam, & perfectam* esse mortaliter peccaminosam &c. Nam superbia imperfecta duntaxat, id est, illa, qua quis in sua duntaxat opinione sese magnifacit &c. licet non detrectet obedientiam Deo, aliisve Superioribus debitam, non est, nisi peccatum veniale; esto enim in hoc aliqua, non tamen adeo gravis deordinatio apparet, veluti communiter fatentur Doctores hactenus allegati. Reiffenstuel *Theolog. mor. tract.* 3. *dist.* 3. *num.* 4.

Quæ-

Quæres tertio, quænam sint filiæ Superbiæ?

604. R. Sunt undecim sequentes, scilicet 1. *Præsumptio*; vi cujus superbus animo elato præsumit obtinere aliquid temere, id est, tale, quod est supra suas vires. 2. *Ambitio*, id est, inordinata cupiditas dignitatis, & honoris indebiti, vel debito majoris. 3. *Vana gloria*, hoc est, inordinata delectatio humanæ laudis, vel vana cupiditas æstimationis propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ, seu imaginariæ. 4. *Jactantia*, qua scilicet quis sese extollit, dicendo de se aliquid supra se, utputa, quod sit nobilis, dives, doctus, vir tanti vel tanti meriti &c. 5. *Hypocrisis*, qua Superbus se justum simulat; vel justiorem, quam a parte rei est. 6. *Inobedientia*, qua Superbus dedignatur aliis subesse, propttereaque solet contemnere auctoritatem præcipientis, certe eandem parvi pendere. 7. *Pertinacia*, vi cujus superbus nimis tenaciter adhæret suo judicio, vel opinioni, nolens cedere meliori sententiæ, aut saniori consilio. 8. *Curiositas*, qua superbi assolent intendere altioribus studiis, statum suum & capacitatem transcendentibus. 9. *Ingratitudo*, vi cujus beneficia accepta parvi pendere, vel contemnere, aut certe oblivioni dare assueverunt. 10. *Arrogantia*, per quam Superbus sibi attribuit, quod non habet. 11. Tandem *Discordia*, seu voluntatum divisio; inter superbos enim semper solent esse jurgia. Videatur Clericatus *decis. miscellan. decis.* 136. *n.* 6. ubi plura adhuc mala ex Superbia oriri nata recenset.

605. Quocirca tamen illud animadvertendum reor, quod, tametsi peccata mox recensita, velut quidam partus infausti pessimæ Matris, de se non videantur excedere limites peccati venialis; nihilominus non raro, & fortassis sæpius, quam par est, evadant peccata mortalia per accidens, idque vel ratione materiæ gravis, vel ratione finis mali, vel denique ratione damni; ut si quis præsumeret agere officium medici spiritualis, vel corporalis, aut advocati &c. cum gravi detrimento sui Clientis &c. Vel si quis inordinate ambiat beneficium, cum prævifo gravi damno, proximo propterea inferendo, prout bene advertunt Doctores communiter, nominatim Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 3. *dist.* 3. *num.* 7. & 8. item Henno *tr. de peccat. act. disp.* 4. *qu.* 1. *concl.* 3. Et amplius constabit ex resolutione Casuum.

Quæres quarto, quænam dentur, aut præscribenda sint remedia contra superbiam?

606. R. In primis generaliter loquendo omnia illa remedia pugnare contra superbiam, quæ fovent humilitatem, proptereaque a Confessario haud inconvenienter, proportionate tamen ad conditionem, statum, ac dispositionem pœnitentis posse præscribi. Præcipue tamen juvabunt sequentia tria a Doctore Angelico 2. 2. *q.* 162. *art.* 6. *ad* 1. præscripta, ad quæ cetera, ab aliis Doctoribus fusius assignata, haud difficulter reduci poterunt: primo scilicet jubeatur superbus considerare, & sæpius ac seriose quidem considerare illud *Ecclesiastici* 10. *quid superbis terra, & cinis?* 2. Jubeatur etiam pensare magnitudinem Excellentiæ Divinæ, juxta illud *Job.* 15. *quid tumet contra Deum spiritus tuus?* 3. denique juvabit considerare fragilitatem, miserias, & defectuositates proprias juxta illud *Psalm.* 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*. Plura adhuc alia videri possunt apud Henno *loc. cit. conclus.* 6. Et apud Ludovicum Granatens. *part.* 2. *lib.* 2. *c.* 4.

Quæres quinto, quid sit avaritia, & quale peccatum?

607. R. Avaritia est inordinatus appetitus habendi, bona scilicet temporalia, utputa pecunias, possessiones, aliasve divitias. Ita *DD. communissime*. Dicitur autem: appetitus *inordinatus &c.* Nam ordinate appetere divitias, utpote ad vitam honeste, & conformiter suo statui traducendam, ad proles debite educandas, vel familiam conservandam &c. non est peccatum, quin potius multum conveniens æquitati naturali, modo cor & animus iisdem non affigatur cum offensa Dei juxta monitum Regii Psaltis *Psalm.* 61. *divitiæ, si affluant, nolite cor apponere*.

608. R. Jam ad secundum. Avaritia in quantum opponitur virtuti liberalitatis

tis, est peccatum ex suo genere veniale duntaxat, juxta *communem DD.* apud Sporer *tr. 1. c. 7. n. 65.* Ratio est: quia excessus in re de se indifferenti ex suo genere non est, nisi venialiter peccaminosus: atqui avaritia, in quantum præcise opponitur virtuti liberalitatis, est talis excessus: ergo &c.

Fatendum nihilominus est, quod Avaritia sæpius evadat mortaliter peccaminosa, saltem per accidens, quando scilicet jungitur cum gravi læsione justitiæ, aut charitatis proximo debitæ, id est, quando avarus ob nimium appetitum divitiarum non veretur invadere alienum, aut illud detinere injuste, vel non restituere &c. Vel denique, quando ob nimium amorem divitiarum suarum renuit succurrere proximo, in extrema, vel certe gravi necessitate constituto. Uno verbo: quando Avarus eo deflectit, ut in suis divitiis & bonis temporalibus quasi ponat ultimum suum finem, ita, ut sit paratus quamlibet Dei legem violare, modo valeat acquirere bona temporalia, vel quomodocunque demum adepta non amplius cogatur expendere, prout reipsa a multis fieri amat, juxta illud Christi Domini effatum apud *Matth.* 19. *cap. quam difficile est, confidentes in pecuniis in Regnum Dei introire! facilius est, Camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum* Dei. Et Apostolus *ad Coloss.* 3. *avaritiam idolorum servitutem appellat;* qua de re egregie scribit Innocentius III. *lib. de vilitate conditionis hum.* videndus apud nostrum Henno *l. cit. q. 2. conclus.* 2.

Quæres sexto: quænam, & quot sint filiæ Avaritiæ?

609. R. Sunt septem sequentes. 1. Proditio. 2. Fraus. 3. Fallacia. 4. Perjurium. 5. Inquietudo. 6. Violatio. 7. Obduratio cordis contra misericordiam. Ita S. Gregorius *lib.* 31. *mor. cap.* 31. quem alii Doctores *communiter* sequuntur: Rationem horum sapienter reddit P. Reiffenstuel ubi supra *tr. 3. dist.* 3. *n.* 14. Avarus, inquit, excedit in duobus, videlicet in *retinendo*, & in *acquirendo*: nimius affectus retinendi parit obdurationem cordis erga miseros, & egenos: nimius autem affectus acquirendi, parit animi inquietudinem, & inducit ad reliqua peccata mox recensita. Videatur Doctor *loc. cit.*

Quæres denique septimo, quænam remedia avaro sint præscribenda a Confessario?

610. R. Haud inconvenienter (servata tamen proportione & conditione statuum, vel potius pœnitentium) præscribi possunt sequentia, scilicet 1. jubeatur considerare caducitatem bonorum temporalium, quæ plerumque non acquiruntur sine magno labore, majori sollicitudine custodiuntur, & nihilominus in morte debent derelinqui hæredibus, sæpe sæpius ingratis &c. 2. Jubeatur considerare damna, & pericula ex avaritia, seu nimio affectu bonorum temporalium sibi imminentia, scilicet quod per hujusmodi tenacitatem omnibus hominibus sese reddat exosum, & abominabilem &c. 3. Juvabit considerare bona, quæ ex moderata, & christianæ charitati accommoda (plus enim de jure non exigitur) liberalitate, & communicatione bonorum temporalium sibi sint obventura in altera vita &c. 4. Proderit considerare paupertatem Christi, qui, ut pretium paupertatis nos doceret, ait D. Bernardus, voluit pauperrimus nasci; pauperrime vixit, & denique pauperrime, utpote non habens, quo SS. Caput suum reclinaret, pro nobis in cruce obiit. Plura hujusmodi media passim præscribunt alii Doctores, prout videre licet apud Clericatum *loc. mox cit. decis.* 137. *n.* 10.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa Superbiam, & Avaritiam.

CASUS PRIMUS.

Titius Veteranus *miles, eo tempore, quo Castra secutus fuerat, reliquis suis commilitonibus præfici, vehementer ambiit; eo quod firmiter sibi persuaserit, se ceteros omnes, tum animi fortitudine, tum etiam belli peritia, dexteritate, ac prudentia excedere, aut certe nulli esse secun-*

cundum. Posteaquam autem Minervam minus sibi faventem longo tempore fuit expertus, tandem eidem valedixit. At vero hodiedum heroica sua facta mirum in modum extollit, & sæpissime coram aliis gloriari solet 1. *quod frequenter cum aliis sibi similibus duellaverit*. 2. *quod nullam prorsus occasionem agendi, seu etiam habendi rem cum altero sexu, cujuscunque demum conditionis fuerint, excluserit, immo vero ex professo quæsiverit*. 3. *Quod de Deo, rebusve divinis nihil unquam cogitarit, quin etiam toto illo tempore, quo miles audiit, vix unquam divinis interfuerit, & absolute nunquam confessus, aut Sacra communione fuerit refectus. Hæc, & alia plura, e quibus ne medietas quidem homini prudenti videretur vera, aut verosimilis, Titius continue quasi, & plenis quidem buccis decantare assolet. Dubitare proin jure merito licet* 1. *an, vel qualiter peccaverit ambiendo propriam excellentiam & præfecturam super reliquos Commilitones?* 2. *an, vel qualiter peccet, narrando illa sua heroica (scilicet) facta?*

611. R. ad primum. Si Titius revera fuit habilis ad altiora officia publica, ambiendo promotionem, seu etiam præfecturam non peccavit. Ita cum *Communi DD.* Felix Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *part.* 4. *cap.* 7. *num.* 3773. Et ratio hujus est: quia appetere propriam excellentiam, promotionem &c. res est de se prorsus indifferens; quod si fiat ex bono fine; culpa vacat, & laudabile efficitur. Itaque solus inordinatus appetitus propriæ excellentiæ vitiosus est, & peccaminosus: ergo si Titius fuit re ipsa capax & dignus ulteriori promotione, eandem appetendo nullatenus peccavit, immo potuit mediis de se honestis, ac licitis eam procurare, prout nemo prudentum facile dubitabit; eo præsertim, quod in omni statu nedum Civili, verum etiam Ecclesiastico passim id fieri videamus. Esto fortassis hujusmodi homines, proprio amore excæcati, sibi videantur capaces & digni ad talia officia, ad quæ revera prorsus inepti, & inhabiles sunt.

612. R. ad secundum. Titius per se loquendo graviter peccat enarrando hujusmodi facta Scandalosa, & peccaminosa. Ratio est: quia, ut ex ipsa specie facti liquet, solet gloriari de talibus, de quibus revera deberet potius coram homine prudente & christiano erubescere, tales autem acriter reprehendit Spiritus Sanctus, velut *qui lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: quorum viæ perversæ sunt, & infames gressus eorum. Proverb. c.* 2. *vers.* 14. & 15. Accedit insuper, quod similes discursus nati sint, aliis audientibus præbere Scandalum, & pessimæ imitationis exemplum: hujuscemodi autem hominibus expediret, ut *suspendatur mola asinaria in collo eorum, & demergerentur in profundum maris*, juxta infallibile effatum Christi Domini *Matth.* 18. *vers.* 7. & 8. ubi talibus intentatur *væ*! quod est signum gravis offensionis seu peccati mortalis, juxta dicta superius *n.* 576. & *Communissimam Theologorum*.

Liquet proin, quod Confessarius talem pœnitentem serio debeat dehortari, ac monere, quatenus deinceps velit a similibus discursibus abstinere, ne aliis præbeat scandalum, aut complacendo de similibus Deum de novo graviter offendat. Videatur Busenbaum apud la Croix *l.* 5. *n.* 298.

613. Dixi etiam, Titium *per se loquendo peccare graviter &c.* ut innuerem, subinde (etsi procul dubio rarius) ab hujusmodi vaniloquis & carnalibus hominibus similia enarrari absque peccato gravi; idque propterea; vel quia non apprehendunt malitiam; vel quia nullum advertunt periculum Scandali; vel denique, quia non intendunt se jactitare de operibus malis qua talibus, seu quatenus erant peccaminosa, sed potius de sua fortitudine, ingenio, dexteritate, vel etiam humana fragilitate in similibus monstratis, quod secluso Scandalo aut malo exemplo, vel omni, vel certe gravi culpa vacat, prout bene animadvertunt Sanchez *lib.* 1. *moral c.* 3. *n.* 12. Sporer *part.* 1. *procem. c.* 6. *n.* 45. & la Croix *ubi supra n.* 299.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius Mercator non minus avarus & lucri cupidus, quam opulentus, alterius cujusdam litteras subdole intercepit, & aperuit, quibus certum quoddam mercium genus in permagna quantitate ab alio (uti vocare solent) amico, postulari intellexit; idcirco, ut hoc revera ingens lucrum alteri Mercatori præriperet absque mora scribendo, amico postulanti suas merces, & quidem diminuto nonnihil pretio obtulit, quo & intentum suum feliciter obtinuit, & alteri satis notabile & amplum lucrum avaritia duce præripuit. Quæritur jam 1. an Sempronius hoc faciendo peccaverit? & secundo, an, vel ad qualem restitutionem a Confessario sit obligandus?

614. R. ad primum quæsitum. Sempronius graviter deliquit subdole aperiendo alterius litteras, eidemque lucrum justum præripiendo. Ratio est clara: quia hoc modo graviter læsit justitiam cum damno proximi: atqui talis læsio fieri nequit sine gravi peccato, nt de se liquet. Hinc bene docet Laymann *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 2. eum, qui dolose alterius litteras aperit, & legit cum ipsius injuria vel damno, crimen falsi committere.

615. R. jam ad alterum quæsitum breviter ex dictis *in tr. de restit. Confer.* 4. *n.* 97. Sempronium propterea teneri ad aliquam restitutionem, seu etiam refusionem damni, vel potius lucri cessantis: non tamen teneretur resarcire totum lucrum, sed ratam spei duntaxat, quam ille alter habuit ob obtinendum idem lucrum. Ratio prioris est clara ex dictis *loc. cit.* quisquis enim alterius jus cum damno scienter lædit, tenetur ad refusionem damni, & ad reparationem injuriæ; atqui Sempronius supponitur id fecisse: ergo &c. Ratio autem posterioris inde desumitur: quia injustus damnificator non tenetur restituere ultra illud quantum, quod necessarium est ad introducendam æqualitatem, & compensationem damni: at si restituat alteri pro rata spei, utique fiet æqualitas: quia ut supponitur, ille alter nondum obtinuit lucrum in re, sed tantum in spe: certum autem est, & omnibus persuasum, quod lucrum in spe non sit tanti æstimabile, quanti habetur lucrum in re, veluti bene docent Molina *de justit. tom.* 3. *tr.* 2. *disp.* 727. *n.* 7. Sporer *tr.* 4. *in decalog. c.* 2. *n.* 201 & 210. ergo &c. Quantum vero rata spei restituendum sit, videri potest *loc. prox cit. n.* 107.

At quid, inquies, de illo tenendum, qui aperit litteras alterius, eo quod probabiliter, immo moraliter certo judicet, fuisse scriptas in sui præjudicium aut damnum?

616. R. Talem per se loquendo non peccare. Ratio est: quia hoc non supponitur facere ex avaritia, vel animo decipiendi, seu etiam circumveniendi alterum, illiusve juri præjudicandi, sed potius animo a se avertendi, aut præoccupandi injustum gravamen sibi imminens: at cuivis licet de jure naturæ prævertere damnum injustum sibi inferendum a quocunque demum: ergo. Hac de re Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 2. bene ait: " Interdum autem „ justa est aperiendi (*litteras scilicet*) „ causa, etiam invito eo, ad quem „ mittuntur, puta, si id fiat jure belli, „ aut justæ defensionis causa, contra „ inimicum insidias molientem, vel si „ Prælatus, Paterfamilias &c. suspicen- „ tur, aliquid mali patrandi in litteris contineri. Hactenus Doctor *l. cit.*

617. Dixi tamen, *per se loquendo non peccari* aperiendo aut legendo litteras alienas, de quibus rationabiliter timetur injusta delatio, vel damnnm &c. Enimvero Escobar, Peyrinis *de Relig. tom.* 1. *q.* 2. *c.* 1. & Diana *part.* 3. *tr.* 6. *resolut.* 55. hanc doctrinam limitant in hunc modum, *nisi scilicet apertio talium litterarum specialiter sit interdicta* v. g. vi instituti Religiosi, prout etiam in nostro S. Ordine per statuta generalia *c.* 6. §. 22. sub pœna reservationis, seu casus reservati interdicitur, *malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum a Superioribus ad inferiores, aut ad inferioribus ad Superiores &c.* His tamen non obstantibus satis probabile existimo, non peccaturum graviter illum, neque propterea incursurum pœnam reservationis, qui, sive subditus sit, sive Superior, moraliter certus est, in hujusmodi litteris contineri falsam, aut injustam quærelam, propptereaque duntaxat

taxat illas aperiret, vel retardaret; quatenus iniustam infamiam, delationem, aliudve damnum a se avertat. Hujus sanæ opinionis pariter sunt Portel *dub. Regul. V. litteræ Prælatorum. n.* 10. Molina *t.* 4. *de justit. d.* 36 *n.* 6. Bassæus *V. Casus reservatus* §. 11. quos refert & sequitur Kerckove *in statu. gener. c.* 6. §. 22. *n.* 44. hac ratione: quia talis Religiosus retardando aut aperiendo litteras, utitur defensione jure naturali sibi concessa: atqui hæc defensio vacat culpa, præsertim gravi: ergo nec potest pœna reservationis affici. Unde statuta nostra generalia noluerunt reservationis pœna afficere quodcunque demum, sed *malitiosum duntaxat impedimentum &c.* quale non debet censeri illud, quod fit justæ defensionis causa. Quocirca tamen bene notari debet id, quod *l. cit.* sapienter advertit Kerckove, scilicet hujusmodi retardationem, seu etiam apertionem litterarum, non imprudenter, vel passim, sed quam rarissime attentandam, aut præsumendam esse tunc scilicet, quando ex una parte moraliter certo timetur injusta delatio, aut damnum imminens ex hujusmodi litteris, ex altera vero parte illud aliter declinari non potest &c.

CASUS TERTIUS.

Vir quidem ditissimus (quem Cajum baptizare lubet) olim Sanctissimo Patriarcha nostro Francisco fuerat delatus, quod, quantumvis opulentus, ob nimiam tamen tenacitatem ne unicam quidem micam fratribus nostris Dei amore soleat dare in eleemosynam. Jussit propterea idem Sanct. noster Patriarcha fratribus suis, satagerent, quocunque demum modo licito a Cajo obtinere Sacram eleemosynam: qua obtenta eandem (panem scilicet in frusta concisum) voluit fratribus apponi in mensa & a singulis pro eodem Benefactore specialiter orari. Et ecce! vixdum oratione ad Deum fusa animus ejusdem divinitus ita immutatus fuit, ut deinceps sese monstraverit singularissimum Fratrum fautorem & benefactorem. Teste P. Marco de Lysbona part. 1. *l.* 1. *c.* 82. *vita S. P. Franc. Jam vero ad nostrum propositum juvet disquirere, an Cajus sub tenacitate prius assueta peccaverit, vel quommodo?*

618. R. ad hanc speciem facti cum distinctione. Nam si Cajus ob suam avaritiam solis fratribus nostris, non tamen aliis pauperibus necessarium charitatis subsidium denegavit, videtur excusandus saltem ab avaritia graviter mala: quia hoc supposito videtur certum & exploratum, quod hoc non fecerit nimio affectu divitiarum, sed potius ex alio fine aut aversione erga fratres nostros, charitati potius, quam liberalitati contraria. At vero si Cajus supponatur fuisse ita tenax rerum suarum, quantumcunque opulentus, nedum fratribus nostris, sed etiam aliis quibusvis demum pauperibus denegaverit eleemosynam non video, qua ratione a peccato mortali excusari valeat. Ducor hac ratione: quisquis enim tam inordinatum erga divitias vel opes temporales gerit affectum, ut propterea non vereatur prævaricari legem Dei graviter obligantem, procul dubio peccat mortaliter peccato avaritiæ, veluti ex hactenus dictis de facili constare potest; nam reipsa talis homo, quicunque demum sit, convincitur in suis opibus ultimum sibi posuisse finem: at, ex hac suppositione Cajus hoc fecit; qui enim de sibi superfluis non vult succurrere pauperibus in extrema, vel certe gravi necessitate constitutis, graviter impingit in legem Dei: atqui minime dubitandum est, quin e pauperibus illo tempore, SS. scilicet Patris Francisci, Cajo plures obtigerint, sin minus extrema, saltem vere gravi necessitate pressi: ergo si supponatur ex nimio bonorum temporalium affectu omnibus ac singulis pauperibus denegasse charitatis subsidium, absque dubio graviter deliquit. Juste proin S. Basilius in persona Christi Judicis *hom.* 7. *variorum argum. ad populum. circa medium* in hujusmodi avaros denotat sequentibus omnino verbis: *non te miseret, misericordiam non invenies: non aperuisti domum tuam* a Regno Dei excluderis, *non dedisti panem, non vitam recipies æternam.* Videatur Henno noster *tr. de peccat. act. disp.* 4. *q.* 2. *concl.* 3.*n.*2.vel Clericat. *decis. miscellan. decis.* 137. *n.* 2.

At

At inquiet fortassis Cajus, ratio naturalis dictat, prospiciendum potius esse bono proprio, filiorum, aut familiæ &c. quam bono alieno v. g. pauperum, præsertim cum habeam proles nondum emancipatas &c.

619. R. Utique prospiciendum esse bono proprio, liberorum &c. servata tamen charitate proximi, cui in extrema vel certe gravi necessitate constituto tenemur succurrere: minime tamen cum læsione charitatis fraternæ seu etiam proximi. Non jubet Deus, ut tibi, prolibus tuis, aut tuæ familiæ necessaria expendas, sed ut de superfluis tuo statui tribuas pauperibus indigentibus, quo facto & tibi & tuis prospicies, utpote promeriturus cœlestem benedictionem, æternamque retributionem, juxta illud infallibile promissum Domini *Luc. 6. vers. 38. date, & dabitur vobis*. Qui rursus apud Matth. *c.* 10. *v.* 42. *ait*: *quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam*. Ceterum minime dubitandum est, quin quamplures divites habeant bona, suo statui, sin minus absolute, saltem respective superflua; qua ratione Innocentius XI. procul dubio *ductus Spiritu S.* damnavit sequentem *n.* 12. propositionem: *vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui*. Verum ea noscitur avarorum indoles, ut quantumvis bonis omnibus abundent, nihilominus amore temporalium bonorum excæcati, sibi nunquam non videantur minus habere. Hinc recte ait Clericatus *loc. cit. decis.* 137. *n.* 6. *plurimi ab avaritia moventur in retinendo, acquirendove opes inordinate; & tamen suis excusationibus vitium hoc tutantur: videlicet: quilibet debet custodire res suas: neminem oportet deserere domus suæ providentiam, & ita a minore usque ad majorem omnes avaritiæ student &c. Vid. D. l. cit.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

620. Colliges ex hactenus dictis primo homines plebejos saltem, ac rudiores raro peccare mortaliter ratione superbiæ, esto fortassis non ita raro ratione avaritiæ. Ratio prioris est: quia in hujusmodi hominibus plebeis de raro contingenti invenitur superbia completa & perfecta; quæ sola, secundum dicta *n.* 602. est mortaliter peccaminosa. Et licet non raro hujuscemodi homines, præsertim alterius sexus, quantumvis de infima plebe, sese accusare soleant, quod habuerint cogitationes superbas, vel superbierint &c. revera tamen, re melius examinata, Confessarius experietur, quod aliud nihil voluerint dicere, quam, quod sese reputaverint aliis meliores, aut majores, sive in divitiis, sive in ornatu vestimentorum, sive denique in aliis, nescio quibus, etiam levissimi momenti crepundiis, ita, ut inter triginta & plures etiam, vix ullus reperiatur, qui superbiendo tam altum conscenderit gradum in sua opinione, ut propterea nec Deo, neque aliis Superioribus a Deo sibi præfixis putaverit esse obediendum. Ratio autem posterioris est: quia etiam inter plebem communem non raro invenire est tales, qui ob nimiam tenacitatem & affectum ad bona temporalia renuunt succurrere aliis in vera necessitate constitutis, aut certe aliis criminibus sese propterea implicant. Unde Clericatus *loc. cit. decis.* 137. *n.* 6. non sine ratione ait: *pauperes ex avaritia furantur: divites vero fraudant pauperes: mercatores ex avaritia fœnus patrant: Venditor infert fraudem in re, & Emptor in pecuniis &c.* Videatur Doctor *l. cit.*

621. Colliges secundo, vanos illos gloriatores, qui de peccatis perpetratis sese ineptissime & iniquissime jactitare solent, vi hujus jactantiæ, qua ex re pessima gloriam sibi comparare attendant; præter ignominiam coram prudentioribus contractam novum insuper incurrere peccatum. Quin immo, si in actu malo olim perpetrato sibi complacue-

cuere, tenebuntur in confessione nedum substantiam ipsam peccati v. g. luxuriæ, verum insuper circumstantias objecti speciem mutantes exprimere, utputa quod gloriati sint v. g. de percussione Clerici, vel de concubitu cum consanguinea aut conjugata.

Ratio est: quia hæc complacentia sumit suam specificationem seu malitiam specificam ab objecto: ergo ubi objecta specie morali distinguuntur, uti revera differt v. g. concubitus cum soluta a concubitu cum consanguinea vel conjugata &c. committuntur peccata specie morali distincta, præsertim cum talis jactator inanis ipso facto censeatur approbare factum infame!, & graviter offensivum Dei, quod, cum Confessarius non aliunde, quam ex sola confessione pœnitentis intelligere possit, fatendum necessario est, quod is teneatur confitendo exprimere circumstantias mox commemoratas. Videantur de hoc dicta *in theologia Sacrament. part.* 2. *Conferent.* 7. *num.* 168. *& seqq.* Vel ea, quæ habet P. Sporer *tr.* 1. *theolog. decalog. cap.* 6. *num.* 45.

622. Colliges tertio, in ordine ad peccatum perinde esse, sive quis se jactet seu glorietur de crimine vero, seu vere commisso, sive de crimine falso. Ratio est: quia gloriando merito censetur approbare actum malum qua talem, nisi oppositum aliunde colligi possit: at, sine peccato nemo potest approbare peccatum commissum: ergo. Idipsum dicendum est de iis, qui vel alium laudant de peccato; vel qui audientes alium sese jactitantem de peccato perpetrato, sibi in eodem complacent; vel denique, qui dum de peccato v. gr. furti, fornicationisve &c. a se commisso, ab aliis laudantur, in eodem sibi de novo complacent. Ratio semper manet eadem, veluti rem ponderanti facile apparebit.

CONFERENTIA
VIGESIMASECUNDA.
De Luxuria, & Invidia.

SUMMARIUM.

623. *Luxuria consistit in appetitu inordinato venereorum.*
624. *Estque ex suo genere peccatum mortale, merito inter peccata capitalia recenseri solitum.*
625. *Enumerantur breviter principales luxuriæ species.*
626. *Quibus superadditur impudicitia &c. Et*
627. *Morosa delectatio, consistens in complacentia &c.*
628. *Quæ communiter distingui solet in rationalem, sensibilem, ac veneream.*
629. *Explicatur breviter progressus, seu modus, quo homo solet pervenire a delectatione rationali ad sensibilem, & ab hac ad veneream.*
630. *Quale peccatum sit delectatio morosa; præsertim venerea?*
631. *Filiæ luxuriæ communiter recensentur octo.*
632. *Remedia contra luxuriam breviter præscribuntur.*
633. *Invidia est tristitia de bono proximi &c.*
634. *Quæ per se loquendo est mortaliter peccaminosa.*
635. *Filiæ invidiæ reperiuntur quinque.*
636. *Remedia a Confessario præscribendæ contra invidiam, breviter enarrantur.*
637. *Resolvitur Casus I. cujusdam personæ valde luxuriosæ, quæ post varia media in ordine, ad Sacerdotem seducendum frustra tentata, tandem ab eodem petiit extremam unctionem, eo duntaxat fine, ut ab eodem tangeretur &c.*
638. *An propterea incurrerit casum reservatum?*
639. *Et quid, si Sacerdos reservationis immemor eandem absolvisset sine ulterio-*

riori indagine in numerum peccatorum?

640. *Esto talis persona diversa media tentaverit ex eodem fine, nihilominus minime dubitandum, quin diversa tum specie, tum numero etiam distincta peccata commiserit.*

641. *Resolvitur Casus II. de quodam lascivo Juvene, qui certis quibusnam reliquiis seu particulis de corpore suæ amasiæ obtentis, eandem mirum in modum fascinavit amore venereo.*

642. *Etiam Amasia easdem reliquias tradendo, licet ex alio fine superstitioso, gravissime, & multipliciter quidem deliquit.*

643. *Quænam remedia huic peccatrici a Confessario fuerint præscribenda?*

644. *Resolvitur Casus III. de quodam Mercatore, qui alteri suo Vicino gravissima mala imprecari assueverat.*

645. *Hic videtur probabilius graviter deliquisse peccato invidiæ.*

646. *Occurritur cuidam instantiæ in contrarium.*

647. *In delectatione venerea directe voluntaria non datur parvitas materiæ.*

648. *Secus tamen probabiliter dici potest, ubi talis commotio non est, nisi indirecte voluntaria, & quidem secluso periculo consensus.*

649. *Conjugibus per se loquendo haud illicitum est delectari de actibus venereis &c.*

650. *Per accidens tamen in certis quibusdam casibus etiam ipsi possunt peccare delectando de similibus.*

651. *Neque Viduis de præterita, neque Sponsis de futura copula fas est captare delectationem sensibilem.*

652. *Nihilominus licet gaudere de actu malo præterito v. g. pollutionis &c. non quidem quatenus malus, seu etiam delectabilis fuit, sed potius de affectu bono (v. g. Sanitatis) inde obtento &c.*

653. *Qui orta tentatione, & motuum carnalium procella nullo modo resistit, peccat mortaliter.*

654. *Nisi causa rationabilis illum excuset: & quænam sint tales?*

655. *Qui de bono alterius tristatur ideo præcise, quod ipse tali bono non gaudeat &c. non potest dici invidus.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Luxuria, & Invidia.

Quæres primo, quid sit Luxuria; & quale peccatum?

623. R. Ad primum, Luxuria est inordinatus appetitus, vel usus venereorum. Ita *Communissime DD.* apud Clericatum *decis. miscellan. decis.* 138. *n.* 1. Recte autem appellatur *appetitus vel usus inordinatus* venereorum; cum enim hæc a Deo Auctore naturæ non sint instituta, nisi ad convenientem humani generis propagationem, quæ convenienter fieri nequit, nisi in statu matrimoniali: hinc quisquis extra hunc statum appetit, seu etiam utitur venereis, gravem infert injuriam nedum soli Deo, sed insuper toti generi humano. Unde

624. R. Jam ad secundum. Luxuria est ex suo genere peccatum mortale, & merito computatur inter peccata capitalia. Ita rursus *DD. unanimiter*. Ratio prioris est: quia actus luxuriæ (id est venereus & carnalis, cum commotione spirituum generationi servientium, ut proxime dicetur) extra matrimonium exercitus vel acceptatus &c. opponitur virtuti castitatis, quæ sub mortali prohibet hujusmodi impudicitias extra connubium exercendas, eo præsertim, quod si semel hujusmodi actus permitterentur procul dubio ingens damnum habituale immineret toti Generi humano; nam quilibet hac delectatione venerea v. gr. ex pollutione aut fornicatione simplici captanda contentus, perpetraret nescio quæ nefanda, ceteroquin parum sollicitus de humani generis propagatione, prout Doctores nostri communiter, & sapienter quidem advertunt: ergo luxuria merito dicitur ex suo genere peccatum mortale. Ratio autem posterioris de se liquet, nec indiget alia probatione, quam quotidiana experientia, vi cujus constat, ex luxuria, seu inordinato venereorum appetitu, vel usu innumera quasi alia peccata committi, veluti ex proxime dicendis amplius constabit.

Quæres secundo, quænam sint principales species luxuriæ ut sic?

625. R. Sunt sequentes 1. *fornicatio Simplex*. 2. *adulterium* 3. *incestus*. 4. *stuprum*. 5. *raptus*. 6. *peccatum contra naturam*, quibus merito superaddi potest. 7. *Sacrilegium*. Explico breviter singulas species; vel enim copula carnalis habetur inter duas personas solutas; & est simplex fornicatio. vel 2. inter duas ligatas, vel unam ligatam & alteram solutam, & est respective simplex, aut duplex adulterium. 3. si habeatur cum consanguinea vel affine, dicitur incestus. 4. si cum virgine invita, seu oppressa, est stuprum. 5. cum muliere violenter abducta de uno loco in alium ad commodiorem coitum, erit raptus. 6. si fiat cum effusione seminis extra concubitum dicitur pollutio seu etiam mollities, vel intra concubitum quidem, sed cum dispersione ejusdem extra vas &c. & est peccatum contra naturam, quo etiam reduci debet congressus cum bestia, vel dæmones, & dicitur *bestialitas*, nec non congressus cum persona ejusdem sexus; & appellatur *Sodomia*, sive dein perfecta, sive imperfecta &c. Denique septimo si peccatum carnale fiat a - vel inter personas Deo consecratas, sive per ordinem Sacrum, sive etiam per votum castitatis; sive denique a laicis, sed in loco Sacro &c. dicitur Sacrilegium carnale. Videantur de his Sporer *tract.* 1. *in decalog. cap.* 7. *num.* 66. Matthæucci *lib.* 2. *Cautel. cap.* 28. *num.* 4. vel la Croix *l.* 6. *p.* 2. *a n.* 1022. ubi hanc materiam fusius tractat.

626. Porro mox enumeratis speciebus Luxuriæ accenseri debet impudicitia, quæ, uti sapienter advertit Matthæucci *l. c. num.* 8. versatur circa tactus impudicos, oscula, verba obscœna, & aspectus libidinosos, quæ omnia in personis non conjugatis ob delectationem veneream in eis repertam, & voluntarie quæsitam vel acceptatam merito reputantur peccata mortalia; tum quia ex his imminet grave damnum, aut præjudicium humano generi, secundum dicta *num.* 624. tum etiam, quia hujusmodi actus impudici stare nequeunt cum charitate, prout satis clare innuit Doctor Gentium 1. *Cor.* 6. Nam, ut recte observat Matthæucci *l.* 2. *c.* 28. *num.* 8. præfati actus pertinent ad speciem coitus, utputa ad quem ex sua natura disponunt, ita scilicet, ut si fiant cum soluta, habeant malitiam fornicationis: si cum uxorata, malitiam adulterii; si cum consanguinea, malitiam incestus; si cum persona ejusdem sexus, malitiam sodomiæ &c. tametsi ex intentione operantis non ordinentur ad copulam; satis enim est, quod ex sua natura ad eandem ordinentur, velut quædam dispositiones præviæ.

Quæres tertio, quid, & quotuplex sit morosa delectatio?

627. R. Ad primum. Morosa delectatio describi solet communiter, quod sit *voluntaria complacentia de objecto cogitato, ex gr. de copula carnali &c. absque intentione perficiendi illud opus*. Et in hoc differt a desiderio; nam qui aliquid desiderat, semper intendit, seu etiam nititur illud in effectu assequi, idque tanto efficacius, quo ardentiori desiderio fertur in illud opus. Illud tamen bene notandum hic venit, quod morosa delectatio non dicatur talis a *mora temporis*; certum quippe est, quod etiam fieri possit in instanti: sed dicitur morosa a *mora voluntatis*; dum enim hæc advertit malitiam cogitationis, tunc vel illam cogitationem, seu etiam commotionem aversatur &c. & tunc non peccat, sed potius meretur a Deo gloriam; vel non aversatur illam, sed potius ulterius immoratur cogitando, delectando, seu etiam complacendo, in hujuscemodi objecto, velut intentionaliter sibi præsente &c. & tunc delectatio in primo instanti appellatur morosa, veluti communissime tradunt DD. Sporer, Reiffenstuel, Matthæucci *loc. cit.* Felix Potestas *Exam. Confessar. Tom.* 1. *p.* 2. *num.* 2268.

628. R. Jam ad secundum. Delectatio morosa ut sic communiter dividi solet in rationalem, & sensibilem. Rationalis consistit in quodam gaudio & complacentia exurgente ex apprehensione cujusdam rei delectabilis v. gr. lusus, potus, commestionis, promotionis &c. Sensibilis autem appellatur illa, quæ ex imaginatione phantastica rei

rei aut actionis delectabilis exurgit in appetitu sensitivo, seu sensualitate; & hæc potest esse vel *mere sensibilis*, vel *sensibilis simul & venerea*. Mere sensibilis dicitur illa, quæ quidem sensum exteriorem movet, sed non allicit ad venerem, uti est delectatio captata ex auditu Musicæ, ex odoratu rosæ &c. Venerea autem dicitur illa, quæ ex apprehensione phantastica alicujus objecti carnaliter delectabilis & allectivi, utputa coitus &c. consurgere solet in partibus genitalibus ex commotione seminis, vel spirituum generationi servientium, qui spiritus (ait la Croix *l.* 5. *num.* 93.) sunt sanguis subtilis, velut in aerem attenuatus, ideoque facillime moventur. Dicitur autem hæc delectatio ideo *venerea*, quia a natura ordinata est ad generationem, cui Venerem, tanquam Deam statuere Ethnici.

629. Verum pro meliori intellectu istorum juvabit bene notare progressum, quo a delectatione rationabili, & sensibili deveniri solet ad veneream: id, quod fere sequenti modo fieri assolet. 1. voluntas permittit intellectum cogitare de aliquo objecto turpi v. gr. copula &c. 2. de copula sic apprehensa & cogitata sibi complacet quodammodo & gaudet, absque ulla commotione venerea. Ex hujusmodi tamen imaginatione seu etiam repræsentatione phantastica. 3. naturaliter solet consequi quædam commotio in appetitu sensitivo, scilicet per commotionem spirituum vitalium circa pectus, vel membra genitalia &c. 4. Voluntas denique consentit, seu etiam permittit appetitum sensitivum ita delectari, eamque delectationem acceptat, approbat, complacet &c. & hoc est delectatio morosa nedum sensibilis, sed etiam venerea. Ex quibus prudens lector facile noverit distinguere inter delectationem mere rationalem, mere sensibilem, & sensibilem simul, ac veneream. Videatur de hoc Sporer *tr.* 1. *proœm. c.* 6. *sect.* 4. *n.* 22. *fin.* vel la Croix *lib.* 5. *num.* 95.

At, inquies, quale peccatum est delectatio morosa?

630. R. 1. Omnis delectatio morosa de re mala est peccaminosa, pro qualitate objecti graviter, vel leviter mali. 2. Delectatio autem morosa venerea, extra statum matrimonialem voluntarie admissa vel captata, semper est peccatum mortale. Ita quoad utramque partem tenent Doctores *communissime*, prout videre licet apud Sporer *loc. cit. num.* 23. & 39. la Croix *cit. num.* 96. & Babenstuber *tract.* 2. *disp.* 3. *art.* 9. *num.* 15. & 16.

Ratio prioris est: quia omnis actus humanus desumit suam bonitatem, vel malitiam per se primo ab objecto, ita scilicet, ut si objectum sit malum, & ut tale cognitum, actus infallibiliter participet ejusdem malitiam juxta dicta *superius Confer.* 3. *num.* 61. atqui delectatio morosa est actus humanus: ergo &c. Ex quo clare & palpabiliter sequitur, quod non solum is, qui de peccato v. gr. fornicationis morose delectatur, graviter peccet contra castitatem, sed etiam ille, qui morose delectatur de peccato v. gr. homicidii injusti, mutilationis, furti &c. peccet graviter respective contra virtutem charitatis, seu etiam justitiæ. Ratio autem posterioris est: quia delectatio venerea est causa ordinata ad venerem, immo ex sua natura involvit commotionem spirituum genitalium, veluti ex proxime dictis constat: atqui hæc commotio voluntarie procurata, vel etiam acceptata ab homine soluto, est mortalis; cum sit gravis deordinatio contra sanam rationem, & quædam inchoata profusio seminis humani juxta Gallenum: ergo est mortaliter mala. Quin etiam illa delectatio, quæ ex apprehensione rei delectabilis seu allectivæ ad venerem in sola voluntate admittitur deliberate, juxta *communissimam & receptam Doctorum sententiam* teste Babenstuber *loc. cit. num.* 16. est mortaliter peccaminosa; eo quod sit de se nata, immo causa proxima motuum libidinosorum: ergo illam deliberate admittere, eiusdemve periculo proximo sine rationabili causa necessitatis vel utilitatis sese exponere, merito reputatur graviter illicitum. Videantur *DD. ll. cit.*

Quæres quarto, quæ, & quot sint filiæ luxuriæ?

631. R. Communiter a DD. enumerantur octo sequentes, e quibus priores

quatuor se tenent ex parte intellectus, posteriores vero quatuor ex parte voluntatis. Itaque prima est *Cæcitas intellectus* & excæcatio quædam mentis, quia hujuscemodi homines videmus nedum sua bona temporalia, verum insuper bona spiritualia animæ, utputa gratiam Dei, famam, & honorem proprium mirum in modum dilapidare. Hac ratione fortassis pictores solent libidinem exprimere coloribus in forma cujusdam pueruli, velatos habentis oculos.

Secunda est quædam mentis *præcipitatio*, qua luxuriosi absque consilio vel deliberatione non raro apprehendunt, quæ vel maxime sunt nociva, & ab omni ratione vel sano judicio aliena, modo putent se consecuturos suum intentum.

Tertia filia est, *Inconsideratio*, vi cujus luxuriosi minime solent attendere ad ea, quæ statum suum, & honorem concernunt, immo apprehendunt ea, quæ maxime dedecent, unde & ludibrio, & fabulæ aliis semetipsos reddunt.

Quarta filia est, *Inconstantia* animi, vi cujus homo luxuriosus facile deserit sana proposita vel consilia, & ad pristinum cœnum revertitur, velut sus lota ad volutabrum, aut canis ad vomitum: unde tales peccatores (inquit) Reiffenstuel *theolog. mor. tr.* 3. *dist. n.* 23. sunt difficilis curationis.

Quinta est *Amor sui*; nam homo huic vitio subjectus ob captandas voluptates inordinatas seipsum (Deo neglecto) constituit quodammodo finem actionum suarum.

Sexta est *Odium Dei*: lascivus quippe solet nedum a Deo, verum etiam a rebus divinis, utputa confessione, communione sacra &c. absterreri, & studiose abstinere, ne forte cogatur inordinatis, & effrænibus desideriis suis ponere metam.

Septima est *Affectus præsentis sæculi*; amor quippe voluptatum carnalium usque adeo fascinare solet homines, ut spretis etiam omnibus cœlestibus deliciis & consolationibus spiritualibus (quibus obicem ponunt sectando vitiosas naturæ corruptæ inclinationes) immo neglecta beatitudine audiantur cantare illud *Ps.* 113. *cœlum Cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum &c.*

Octava denique est *horror futuri sæculi*; luxuriosus enim homo utpote voluptatibus carnis totus quantus immersus, tanto amplius timet deserere hoc sæculum, quanto magis horret sæculi hujus voluptatibus privari: & quanto horror inferni ob gravitatem criminum magis affligit cor, tanto amplius timet comparere coram Christo Judice, & facilius permovetur ad omnimodam & finalem desperationem, prout multorum tragica exempla nos docent. Videatur la Croix *l.* 5. *n.* 301. vel Reiffenstuel *loco prox. cit.*

Quæres quinto, quænam sint remedia contra luxuriam præscribenda a Confessario?

632. R. Sequentia. 1. Luxuriosus jubeatur ante omnia fugere occasiones, quibus solet pertrahi ad peccata carnalia, juxta illud Augustini *Serm.* 250. *de tempor. Apprehende fugam* (ait) *si vis obtinere victoriam; nec tibi sit verecundum fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.* 2. fugiat & declinet otium, quippe quod est pulvinar diaboli, & omnium libidinum seminarium. 3. Exurgente hujusmodi tentatione carnis studeat mentem occupare in rebus seriis, vel certe intendat occupationi, quam actu præ manibus habet; vel si actu non sit occupatus quodam labore, uti solet contingere tempore nocturno &c. reflectat se ad contemplationem passionis dominicæ, & sese quodammodo abscondere nitatur in vulneribus JESU CHRISTI, quod certo certius semper experietur velut medium quoddam efficacissimum & præsentissimum contra insultus diaboli. Vel 4. consideret quatuor novissima, juxta illud *Eccli. c.* 7. *vers.* 40. *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* 5. Imploret auxilium divinum, signando sese devote signo Sanctæ crucis. 6. confugiat ad patrocinium B. Virginis Mariæ, velut singularissimæ Patronæ, orando v. g. *sub tuum præsidium &c.* vel illud ex hymno Mariano: *Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac & castos &c.* 7. Invocet Angelum suum tutelarem, dicendo: *Angele Dei, qui Custos es mei &c.* aliosve suos Sanctos Patronos &c. 8. vigilet præsertim ad initium tentationis, ne finat hostem ca-

castrum cordis sui ingredi, sed ocyus in limine eidem occurrat, & generose repellat; nam quanto diutius torpendo distulerit, tanto graviores experietur inimici insultus, tantoque evadet ad resistendum debilior, inimicus vero ad vincendum validior. 9. Denique juvabit etiam hujusmodi Clienti (juxta capacitatem tamen subjecti, & aliarum circumstantiarum) moderata jejunia, mortificationes externas, præsertim gustus & oculorum &c. vel etiam disciplinas &c. consulere. Videantur de his la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 914. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 2265. Clericatus *decision. miscellan. decis.* 110. *apud* quem plures adhuc Doctores, & Ascetas hac de re scribentes invenientur citati.

Quæres sexto, quid sit Invidia, & quale peccatum?

633. R. ad primum. Invidia est tristitia inordinata de bono proximi, in quantum illud apprehenditur velut malum proprium, diminutivum propriæ gloriæ & excellentiæ. Ita ex communi DD. Reiffenstuel *theolog. mor. tr.* 3.*dist.* 3. *n.* 27. Recte autem dicitur tristitia *de bono proximi in quantum &c.* Hæc enim præcipue versatur circa talia bona, ex quibus, fortassis etiam falso & sinistre, existimamus fortunam, gloriam & excellentiam proximi augeri, nostram autem inde deprimi. Unde per invidiam volumus & desideramus alium carere tali bono, quia per illud nos excellit, aut credimus excellere, ita, ut *proprie invidus* dicendus sit ille, qui non præcise de suo dolet infortunio, sed etiam de bono alterius, putans inde proprium suum interesse, aut propriam excellentiam diminui, veluti bene tradit Tamburinus *lib.* 5. *in decalog. c.* 1. §. 3. *num.* 39.

634. R. ad secundum. Invidia ex genere suo est peccatum mortale *secundum omnes*, teste Sporer ubi supra *c.* 7. *n.* 67. Ratio est: quia in primis graviter repugnat charitati proximi, quippe quæ nos jubet potius gaudere, quam tristari de bono proximi nostri; secundo, insuper repugnat contra voluntatem Dei, ex qua velut causa distributiva omnium bonorum, proximus possidet talia bona. Fatendum nihilominus est, invidiam sæpe sæpius excusari a peccato mortali, idque vel ob imperfectionem actus, seu inadvertentiam, & defectum pleni consensus, prout subinde fieri amat in hominibus natura sua valde inclinatis, & pronis ad invidiam, vel etiam ob materiæ levitatem, uti fieri assuevit in pueris, qui de quantumvis exiguis aliorum sibi similium bonis subinde tristari solent inordinate, & moveri ad invidiam. Reiffenstuel *lib. cit. num.* 29. *&* *alii*.

Quæres septimo, quæ, & quot sunt Filiæ invidiæ?

635. R. Sunt quinque sequentes, quas recenset S. Gregorius *lib.* 31. *moral. c.* 31. *scilicet* 1. *Odium*. 2. *Susurratio*. 3. *Detractio*. 4. *Exultatio in adversis proximi*, *&* 5. *Afflictio in casibus prosperis eidem contingentibus*: invidus namque, inquit Reiffenstuel *cit. n.* 31. dum de bono proximi tristatur, putans inde suam excellentiam diminui, movetur ex hac tristitia 1. ad desiderandum, ut proximus illo bono careat. 2. incipit suo conatu gloriam alterius diminuere, idque vel susurrando, vel detrahendo &c. Et cum invidus nullatenus sufferre valeat, ut alter videatur se major; hinc fit, ut & de illius malo gaudeat, de prosperis vero successibus tristetur. Videatur de his S. Bonaventura *in Diæta salutis tit.* 1. *c.* 4.

Quæres denique octavo, quænam remedia a Confessario sint præscribenda contra invidiam?

336. R. Sequentia. 1. Jubeatur considerare propriam infelicitatem ex tali invidia sibi orituram; *invidus* enim, ait D. Bonaventura *l. cit. de bonis aliorum affligitur, de melioratione deterioratur, de profectu deficit, de pinguedine marcescit, de sanitate infirmatur, de vita moritur &c.* 2. singulariter eidem inculcetur, quod invidia ad nihil prorsus deserviat, nisi ad proprium cruciatum invidi; nam per hanc præcise proximo nihil nocebit, bene autem sibimet. 3. Insuper utiliter consuli poterit, ut subinde conetur erga eundem proximum suum elicere actum charitatis, in-vel etiam externum, quo fiet, ut declinet odium, rancorem, & arrosiorem proprii cordis &c. Vide, si placet Henno

no *tract. de pec. disput. 4. quæst. 3. conclus.* 4.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Luxuria, & Invidia.

CASUS PRIMUS.

T*Itia lascivo amore fascinata, longo tempore nixa est quemdam Sacerdotem in suam pertrahere sententiam; quam ob rem sæpe sæpius quæsivit occasiones cum eodem familiarius conversandi, seu etiam colloquendi: porro inter conversandum eidem blandiri, licentiosius loqui, nec non circa pectus & ubera minus honeste tecta, ausa fuit comparere. Cum vero animadvertisset mox dicta media minime sufficere ad succendendas in ejusdem corde venereas flammas; hinc (suggerente procul dubio diabolo) in lectum decumbens, fecit ad se vocari eundem, depositaque, nescio qua cum specie pietatis, confessione Sacrilega, & simulata gravissima infirmitate, postulavit ab eo inungi, revera nullum alium finem intendens, quam ut ab eodem tangeretur &c. &c. Hinc etiam durante actuali unctione nedum partem inferiorem corporis, pedes scilicet, ultra omnem honestatem & necessitatem discooperuit, sed insuper pectus & ubera liberalissime denudavit, postulans ab eodem etiam in hac parte inungi. Verum Sacerdos animadvertens malignam & Sacrilegam intentionem, impostricem peracriter reprehendit, illicoque prætermissa ulteriori unctione domum sese recepit. Tandem Titia partim invicta Sacerdotis & Pastoris devotissimi constantia, partim etiam peracri Ejusdem reprehensione excitata, cœpit criminum suorum fœditatem nedum agnoscere, sed etiam nixa est eadem multis cum lacrymis pœnitendo diluere. Placuit hunc casum non fictum, sed vere factum proponere, quippe qui bene ponderatus nobis servire poterit nedum ad eruditionem nostram, verum insuper ad cautelam & piissimi Pastoris sequelam. Unde jam ad nostrum propositum quæri potest, an, qualiter, vel quoties etiam Titia in hoc facto peccaverit?*

237. R. Minime ambigendum est, quin Titia gravissime, & multipliciter quidem peccaverit, veluti cuivis prudentum, hanc speciem facti perpendenti facile patebit; nam 1. gravissime peccavit, saltem in affectu, contra castitatem. 2. insuper contra virtutem Religionis, utpote volendo habere rem cum persona Deo consecrata. 3. Peccavit peccato Scandali activi toties, quoties sive blandiendo, sive licentiosius loquendo, sive denique minus honeste tectam sese præsentando nixa fuit Sacerdotem seducere. 4. denique gravissimum commisit Sacrilegium, dum unctione Sacra, ceu remedio salutis a Christo instituto, non sine gravissima injuria ejusdem Institutoris abusa fuit ad lasciviam, & ad animæ suæ perniciem.

Neque etiam dubitandum ullatenus est, quin peccata mox recensita specie inter se differant, propptereaque in confessione necessario fuerint exprimenda. Ratio horum de facili poterit colligi ex dictis supra *Conf.* 3. *n.* 61. *& seqq.* quia scilicet actus humani suam bonitatem, vel etiam malitiam desumunt nedum ab objecto, verum etiam a fine extrinseco, nec non a circumstantiis, prout *Conferent. quarta per totam* fuit dictum. Insuper ex ibidem dictis constare debet, quod media de se mala non amittant propriam malitiam ex eo, quod ad alium malum finem ordinentur: quin potius inde novam contrahunt, prout dictum fuit *Confer.* 3. *n.* 65. *& seqq.* atqui Titia intendit finem pessimum, & in hunc finem apprehendit media prorsus inordinata, veluti rem consideranti facile patebit: ergo &c.

638. R. Minime dubito, quin possit absolvi a quolibet in hac Archi-Diœcesi Salisburgensi, utpote in qua casus mox enarratus non fuit reservatus. Dubito tamen vehementer, immo moraliter certum existimo, quod, si idem casus supponatur contigisse in Diœcesi Passaviensi, non posset in eadem absolvi a quolibet, saltem per se loquendo; nisi scilicet ignorantia reservationis, vel necessitas aliud suadeat. Ratio est: quia in eadem Diœcesi præter alia peccata primo loco reservatur usurpatio SS. Eucharistiæ, & etiam aquæ baptismatis, sicut

ſicut & *Sacrorum liquorum* ad artes magicas ſeu veneficia, *aliosque nefarios uſus* : atqui certum eſt, quod Titia uſurpaverit unctionem Sacram ad uſum, vel potius abuſum nefarium, & finem peſſimum, veluti ex ſpecie facti liquido conſtat: ergo &c.

Dices adhuc. At ego Confeſſarius excipiendo confeſſionem Titiæ, equidem bene apprehendi, quod ſit graviſſima peccatrix, nihilominus durante confeſſione non me ita diſtincte reflexi ad ſingulas ſpecies, aut circumſtantias peccatorum ab eadem recenſitorum; multo minus examinavi numerum, quoties ſcilicet tentaverit ſeducere Sacerdotem, & nihilominus eandem abſolvi: quid ergo de valore hujus abſolutionis tenendum, aut, quid mihi agendum eſt?

639. R. De valore abſolutionis minime dubitandum eſt: tum quia Titia ſupponitur fuiſſe vere contrita, & debite diſpoſita; tum etiam quia ſtatum hujus peccatricis nedum intellexiſti, verum inſuper præditus fuiſti poteſtate eandem abſolvendi. (Quin immo, tametſi Titia incurriſſet Caſum reſervatum, ſi tamen Confeſſarius ceteroquin poteſtate abſolvendi a reſervatis deſtitutus, bona fide procedat, nedum valide, ſed etiam licite aget, abſolutione immediate & directe cadente in peccata non reſervata, mediate vero & indirecte etiam in reſervata, veluti *ex communi* DD. tradidimus *in theolog.Sacram. part.* 2. *Confer.* 14. *n.* 372.) Minus tamen bene egiſti non indagando numerum, quem Titia procul dubio potuiſſet, ac debuiſſet exprimere, & in hujus defectum Confeſſarius diligentius inquirere, propterea que etiamnum, per ſe loquendo ſaltem, teneris id ſupplere in proxima confeſſione; prout rurſus diximus eadem *part.* 2. *Confer.* 7. *n.* 172. nec non *Confer.* 17.

At inquies fortaſſis, quando plures actus per modum mediorum ordinantur ad eundem finem, v. g. fornicationis, homicidii &c. tunc omnes cum homicidio, aut fornicatione cenſentur unicum duntaxat peccatum adimplere, ita ut pænitens ſatisfaciat in confeſſione ſeſe accuſando & dicendo v. g. ſemel fornicatus ſui, vel: commiſi homicidium &c. veluti rurſus *communiſſime* tradunt Doctores, uti videre licet apud P. Sporer *tr.* 1. *in decalog. c.* 4. *n.* 21. & nos ipſimet diximus *d. p.* 2. *Confer.* 17. *n.* 196. & 197. atqui Titia prædictos actus omnes exercuit ex eodem fine, ſcilicet perducendi Sacerdotem ad peccatum carnale ſeu concubitum: ergo non commiſit, niſi unicum peccatum mortale, ad quid ergo opus clariori indagine, aut expreſſione numeri?

640. R. diſtinguendo, & explicando Majorem. Actus ordinati per modum mediorum ad eundem finem, adintegrant unicum peccatum, caſu quo actus principalis v. g. fornicationis ſubſequitur, & cum iiſdem moraliter conjungitur, *concedo*. Si actus principalis non ſubſequatur, quacunque demum ex cauſa, neg. Tunc enim blanditiæ, oſcula, verba obſcæna & ſimilia, manent in ſe peccata numerice diſtincta, juxta *Communem Doctorum* apud Sporer *lib. cit.* Laymann *lib.* 1. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 8. Azorium, Navarrum, & alios: jam vero in noſtro Caſu ſupponitur Titia nunquam obtinuiſſe finem ſuum, ſeu actum principalem, quin potius ſemper repulſam tuliſſe: ergo per ſe loquendo tenetur explicare numerum ſuorum peccatorum, quoties ſcilicet, & quibus mediis intenderit ſeducere Sacerdotem. Item, an nunquam, vel quoties hanc malignam intentionem revocaverit.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius ſat longo tempore rem habuit cum quadam puella: quia vero neſcio qua de cauſa alio proficiſci debuit; hinc ab eadem certas quaſdam corporis reliquias (certe non Sacras) poſtulavit, ſub prætextu, quod iis mediantibus ſeſe poſſit, ac velit reddere invulnerabilem, germanice: gefroßren machen: *iis vero vix dum obtentis, amaſia illico ſe ſenſit flammis venereis mirum in modum accenſam, ita quidem, ut quaſi diu noctuque aliud nihil in mente habuerit, quam ſuum Amaſium, ſcilicet Sempronium, & alia, quæcunque demum impudica immo nefanda hactenus cum eodem perpetrata, ita quidem, ut vehementia hujus paſſionis, & in-*

& inordinati desiderii vix non a sensibus fuerit alienata. Jam vero ad nostrum propositum dubitare licet 1. *quomodo Sempronius peccaverit, exigendo illas reliquias ad perversum hunc finem, scilicet amoris venerei, quem revera solum, & nihil aliud intendit?* 2. *Quomodo peccaverit Amasia, eidem præbendo reliquias de suo corpore? tertio denique, quidnam huic personæ a Confessario fuerit consulendum?*

641. R. ad primum. Sempronius procul dubio gravissime peccavit, nedum 1. peccato Scandali; verum insuper 2. peccato superstitiosæ, vanæ, immo magicæ observantiæ, dum prædictis reliquiis usus fuit ad conciliandum, vel etiam inflammandum in sua Amasia amorem venereum vix non ad insipientiam usque. Ratio prioris inde patet: quia per hæc media intendit dare, immo actu dedit suæ amasiæ causam innumerabilium peccatorum: quis enim amabo? horum numerum ex recensita facti specie enumerare sufficiat? Ratio autem posterioris ex eo facile suadetur, quod prædictæ reliquiæ corporis neque ex sua natura, neque etiam ex alia ordinatione divina, aut humana habuerint effectum conciliandi illum amorem lascivum & insanum, neque etiam vim reddendi hominem invulnerabilem: ergo hujusmodi effectus debuerunt peti & exspectari ab alia causa altiore, & quidem rationali: atqui non ab homine, multo minus a Deo, vel Angelo bono: ergo a Diabolo tantum: hoc vero nil aliud est; quam cum eodem quærere commercium saltem tacitum seu implicitum: quod sine gravissimo delicto fieri nequit.

Liquet insuper ex his, nedum Sempronium, sed etiam Amasiam incurrisse casum veneficii, qui passim reservari solet ab Episcopis, veluti constabit legenti casus reservatos, quos *theolog. Sacrament. part.* 2. *Confer.* 13. *a num.* 336. recensuimus. Videantur, si placet, ibi dicta *n.* 354.

642. R. ad secundum. Semproniam pariter gravissime peccasse, tum quod reliquias sui corporis ex superstitioso fine Sempronio præbuerit; tum etiam vel maxime, quod diu quasi noctuque nonnisi de nefandis impudicitiis cogitaverit, & in iisdem sibi complacuerit &c. Et licet hæc phantasmata, ac turpissimæ incidentiæ eidem fortassis non fuerint voluntariæ in sua causa, eo quod non sciverit, Sempronium iisdem abusurum in ordine ad conciliandum amorem venereum; quia tamen in hujusmodi phantasmatibus, & impudicis repræsentationibus (procul dubio a dæmone excitatis) sibi complacere, iisdem delectari, immo quam ardentissime desiderare solebat, nescio quæ nefanda cum eodem perpetrare; hinc procul dubio nedum frequentissime, sed & gravissime peccavit: proindeque tenetur hujusmodi peccata, quantum moraliter potest, subjicere clavibus, veluti ex hactenus dictis quisque prudentum facile colliget.

643. R. jam ad tertium quæsitum, huic personæ ante omnia consulendum fuisse, ut satagat conscientiam suam sincera, ac vere dolorosa confessione purgare. 2. ut, si sciat, ubinam defacto Sempronius moretur, ab eodem illico repetat reliquias sui corporis: sin vero id fieri nequeat, vel quia ignorat, ubinam moretur, vel quia jam desuper rogatus, non vult, aut non potest amplius easdem restituere; tunc 3. recurrendum erit ad præsidium mediorum spiritualium: juvabit proin hujusmodi personam exorcizare, si hoc absque periculo diffamiæ, aut admirationis, sinistræve suspicionis fieri non possit, jubeatur vere humili, ac contrito corde divinam exorare Clementiam, nec non Angeli sui tutelaris, aliorumque Patronorum, præsertim vero B. Virginis, ceu singularissimæ Patronæ Generis humani, patrocinium implorare, facto etiam voto v. g. singulis Ejusdem B. V. festivitatibus per annum recurrentibus sumendi Sacram Synaxin &c. Insuper ex hoc fine eidem poterunt præberi alia nonnulla remedia spiritualia, Reliquiæ scilicet sacræ, vel etiam Schedulæ Lucanæ (uti vocant) vel potius immacultatæ conceptionis B. Virginis Mariæ, cum pio erga Eandem affectu, & confidentia in Ejusdem patrocinium sumendæ, vel e collo gestandæ &c. Novi ego Confessarium, qui idipsum in hoc casu consulit, idque

que effectu tam felici, ut persona facta confessione, & percepta S. Communione, depositoque voto penitus sese liberatam senserit ab hujuscemodi turpissimis phantasmatibus, & pristinæ tranquillitati restitutam, haud aliter, ac si cæcus (ajebat ipsa) remoto oculorum velamine lumen pristinum recuperasset, proptereaque sine mora ad Confessarium regressa, multis cum lacrymis pro tam salubri consilio gratias egit.

CASUS TERTIUS.

Cajus mercator jam a multis annis multo cum fœnore suam mercaturam nedum hinc inde in diversis nundinis, verum etiam domi in propria sua taberna exercuit. At vero nuper alius quidam Mercator in vicina tabernam e Regione sibi oppositam iisdem mercibus instructam erexit, & quia is transeuntes singulari quadam humanitate invitare solet, & invitando allicere, ut apud se emant; hinc non modicum lucrum præripit Cajo, qui properea nimium quantum exacerbatus fatetur, se non posse suo Vicino illud lucrum sibi præreptum non invidere, immo jam sæpius optasse, ut mille diaboli illum abripiant, aut ut fulmine percussus intereat, idque toties, quoties videt aliquem emptorem ingredi tabernam alterius. Insuper contra eundem suum vicinum hinc inde conqueri, seu etiam murmurare solet. Quæritur jam, an, vel quomodo Cajus in his deliquerit?

644. R. Certum videtur, quod Cajus graviter deliquerit contra charitatem proximo suo debitam, eidem imprecando tam grandia mala: & licet similia plerumque (saltem inter illos, qui se amant) fiant ex motu primo, aut secundo primo, ideoque defectu sufficientis voluntarii videantur excusabilia a peccato mortali: plerumque enim tales homines interrogati, an serio optarint, ut proximo similia mala eveniant &c. quantocyus respondere solent, quod non &c. Nihilominus in nostro casu Cajus vel ideo minus excusari potest a gravi peccato, quia supponitur id facere ex odio inveterato, & quotidie, & quidem in vindictam injustam: ergo ob indeliberationem minime excusandus videtur a gravi culpa.

645. Dixi, tamen, Cajum graviter peccare *contra charitatem imprecando mala*, suo vicino &c. Nam utrum etiam graviter peccet invidendo eidem fortunam & commercium &c. est alia quæstio; ad quam (salvo meliori judicio) mihi videtur verosimilius affirmative respondendum, quandoquidem imprecationes tam vindicativæ, & frequenter factæ, satis patenter manifestent inordinatam invidiæ passionem in animo Caji latentem, immo & odium grave erga eundem conceptum. Nihilominus pro discernenda omnimoda gravitate invidiæ qua talis juvabit practice interrogare ex Cajo, an revera invideat alteri lucrum juste obtentum, an vero solum doleat propterea, quod ipse Cajus lucro tam multis annis juste acquisito carere cogatur, ita, ut ceteroquin minime foret invitus, immo & bene contentus de lucro alterius, modo sibi exinde nihil decederet? Si primum: infallibiliter concludendum erit, quod graviter peccet peccato invidiæ. Si secundum: probabiliter licebit concludere, quod non peccet graviter peccato invidiæ; quia revera non tristatur de bono alterius, sed potius de damno proprio, seu carentia lucri, quod alioquin juste obtinuisset, nisi ab altero suo Vicino sibi fuisset præreptum; in quo sane non reperitur gravis deordinatio, prout bene observant Burghaber, la Croix, Henno *tr. de peccat. disp.* 4. *q.* 3. *conclus.* 1. eosque secutus R. P. Kresslinger *addit. ad tr.* 3. *dist.* 3. *n.* 28. *ad theolog. mor. R. P. Reiffenstuel.*

At, inquies, si Vicinus ille Mercator non venderet, aut lucrum vendendo præriperet, Cajus profecto non tristaretur, neque moveretur ad hujusmodi imprecationes pessimas: ergo revera tristatur de bono sui proximi.

646. R. Negando conseq. Quia ex hoc non sequitur, bonum vel lucrum alterius esse causam tristitiæ a Cajo conceptæ, sed solum, quod sit occasio hujus: causa autem tristitiæ est cessatio boni seu lucri, quæ procul dubio est verum malum respectu Caii, prout bene perpendunt Henno, & Kresslin-

ger

ger *ll. citt.* nec non Tamburinus *in decalog. l.* 5. *c.* 1. §. 3. *n.* 37. Fateor nihilominus cum P. la Croix *l.* 5. *num.* 304. hanc rem in praxi valde periculosam esse, eo quod admodum raro contingat aliquem de proprio damno ita tristari, ut non simul tristetur de alterius lucro, quod apprehendit velut causam proprii damni: id, quod vel maxime in præsenti casu suspicari licet, prout consideranti speciem facti facile patebit. Et hanc fortassis ob causam Innocentius XI. præter alias, etiam damnavit illas *num.* 13. *&* 15. propositiones, in quibus asserebatur, quod liceat tristari de vita alterius ob emolumentum temporale, vel gaudere de morte Parentis, propter hæreditatem inde adeundam &c. Vide, si placet Matthæucci *in Cautela Confess. l.* 2. *c.* 10. vel Viva *ad easdem propositiones*.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

647. COlliges ex hactenus dictis primo, delectationes circa materiam veneream directe quæsitas, & voluntarie captatas semper esse mortaliter malas, ita, ut in hac re non detur parvitas materiæ. Ita cum Sanchezio *l.* 5. *moral. c.* 6. *n.* 12. Laymanno *lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 8. *n.* 2. Lessio, Diana & aliis pluribus Sporer *tr.* 1. *proœm. c.* 5. *n.* 18. Quibus accedunt Matthæucci *in cautela Confess. l.* 2. *c.* 28. *n.* 25. & la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 910. *qui mox sequenti n.* 911. producit decretum *Rev. P. Claudii Aqua Viva*, Generalis meritissimi de eadem Inclyta Societate, vi cujus is omnibus ac singulis suis subditis in virtute S. obedientiæ prohibuit, *ne quis oppositam sententiam ut veram, vel probabilem, aut etiam tollerabilem doceat &c.*

Ratio autem hujus opinionis est: quia omnis delectatio venerea & libidinosa ex sua natura ordinatur ad copulam, seu seminationem, immo vero juxta Galleni, aliorumque Medicorum opinionem est ipsissima inchoatio pollutionis, utpote consistens in quodam motu humoris spermatici, per spiritus generationi inservientes incalescentis, & per certas arterias ad instrumentum generationis tendentis &c. quemadmodum ergo voluntas habendi copulam, aut seminationem illicitam (scilicet extra matrimonium) semper est mortaliter mala; ita pariter delectatio venerea directe quæsita & intenta, nequit non esse mortaliter peccaminosa, prout bene probat noster P. Sporer *l. cit.*

648. Dixi tamen, non dari parvitatem materiæ in delectatione venerea *directe quæsita &c.* Enimvero subinde, immo satis frequenter dari posse materiæ parvitatem in materia impudica, vel delectatione, aut potius commotione venerea *indirecte duntaxat* voluntaria, id est, in causa de se levi posita, aut non ablata, ex qua prævidetur consecutura hujusmodi commotio. NB. absque consensu tamen, aut periculo consensus in ipsam delectationem veneream, hodiedum tenent multi, & quidem probatissimi & Classici Doctores, nominatim Vasquez *t.* 2. *disp.* 108. Uterque Marchantius, Busenbaum, Sporer *loc. cit. n.* 19. Kresslinger *addit I. post n.* 18. *ad tr.* 9. *dist.* 7. *q.* 2. *theolog. moral. R. P. Reiffenstuel*. Ratio hujus est: quia valde rationabile, & consonum fragilitati humanæ videtur quod divina clementia noluerit hominem sub reatu pœnæ æternæ adstrictum, ad vitandam omnem actionem levem (id est, de se leviter incitantem ad venerem) ex qua prævidetur periculum alicujus commotionis, aut delectationis venereæ, præsertim, cum hujusmodi motus facillime soleant concitari. Accedit, quod isti motus non supponantur in se voluntarii, sed duntaxat in sua causa, in quantum scilicet voluntarie supponitur fuisse posita: ergo si causa non est, nisi leviter mala seu venialiter peccaminosa, profecto prudenter asseritur, etiam delectationem inde consequentem, non esse, nisi ad summum venialiter malam; secus enim, ait Sporer, oportet condemnare peccati mortalis omnem conversationem non necessariam Virorum cum fœminis, aut juvenum cum puellis; item colloquia familiaria, choreas, aliasque recreationes etiam honestas: cum in iis facillime intervenire soleant aspectus blandi, verba lenia, tactus

manuum, oscula &c. ex quibus plerumque oriuntur motus aliqui venerei, quod tamen videtur minus verosimile. Hanc opinionem etiam P. la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 893. *in fine* agnoscit probabilem, attamen periculosam in praxi; id, quod meo judicio nemo prudentum inficias ibit; eo quia hujusmodi actiones solent disponere ad delectationem veneream; hæc vero ad consensum: propereaque a Confessario gravitas peccati in similibus dimetienda erit a gravitate periculi, in ordine ad consensum dandum, vel non dandum ab hoc subjecto.

649. Colliges secundo, Conjugibus per se loquendo haud illicitam esse delectationem morosam de copula carnali inter se habita vel habenda, vel de actibus, contactibus, aspectibus impudicis &c. Ita *Communissime DD.* Sanchez *lib.* 9. *de Matr. disp.* 45. *n.* 33. Sporer *l. cit. n.* 43. Sayrus *in clav. reg. lib.* 8. *c.* 7. *n.* 32. Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 3 *a.* 6. *n.* 18. Ratio: quia delectatio de rebus licitis, haud est illicita, velut de se liquet: atqui copula carnalis, & reliqua mox commemorata sunt licita conjugatis; ergo & delectatio inde captata erit eisdem licita per se loquendo.

650. Dico: *per se loquendo*; per accidens enim talia etiam Conjugibus possunt fieri illicita, idque sequentibus in casibus vel circumstantiis. 1. quando uterque, vel alteruter Conjugum vovit castitatem. vel 3. quando præscindendo etiam a tali voto hujusmodi actus ob meram & solam voluptatem exercent; tunc enim saltem venialiter erunt peccaminosi. 3. quando ex tactu &c. prævidetur periculum manifestum pollutionis, quo casu erit mortaliter malus; sicut & 4. quando Conjuges practice dubitant de valore sui matrimonii. Babenstuber *l. cit n.* 20. videantur ea, quæ diximus *in theolog. Sacram. p.* 3 *Conf.* 16. *a. n.* 392.

651. Colliges tertio, Viduis econtra non esse licitum delectari morose, & veneree de copula olim habita; neque sponsis de copula carnali aliquando habenda in matrimonio. Ita Castropalao *tr.* 2. *disp.* 2. *qu.* 10. §. 2. *n.* 7. Paulus Mezger *tom.* 2. *tract.* 6. *disp.* 21. *a* 4. *n.* 16. Sporer, la Croix & alii *communiter*. Ratio est: quia objecta hujus delectationis (esto olim fuerint licita) defacto tamen, seu de præsenti excitare solent commotionem veneream, & sunt quasi quædam inchoatio actus generationis: atqui talis actus tam viduis, quam etiam sponsis de futuro, est graviter illicitus pro præsenti statu: ergo & actualis delectatio.

Esto etiam sponsis haud illicita videatur delectatio mere rationalis aut spiritualis (id est, præcise subsistens in voluntate, absque commotione venera &c.) Nunquid enim, inquit Sporer *tr.* 1. *c.* 6. *n.* 41. de ea (copula scilicet aliquando exercenda) deberent tristari, vel eam aversari? Fatendum nihilominus est, rem hanc esse plenam periculo, eo quod hujusmodi homines exinde de facili soleant commoveri ad actualem libidinem, proptereaque a Confessario serio sunt dehortandi &c.

652. Colliges quarto, quod, tametsi non sit licitum delectari de ipsa pollutione facta v. g. in somno, amentia, ebrietate &c. nihilominus haudquaquam illicitum esse delectari de effectu bono inde obtento, utputa de exonerata natura, & recuperata valetudine, aut de filio v. g. ex fornicatione suscepto. Ratio est: quia delectatio sumit suam bonitatem, aut malitiam moralem ab objecto, in quod tendit: ergo cum objectum hujus delectationis non sit ipsa pollutio, aut concubitus &c. sed tantum sanitas, vel etiam filius inde obtentus, prorsus nulla ratio est, cur hujusmodi delectationem condemnemus, modo tamen non sit adeo vehemens & efficax, ut influat, aut provocet ad novam pollutionem, motusve venereos inde consecuturos, uti bene limitant Castropalao *l. cit. n.* 10. Sporer *l. cit c.* 6. *n.* 34. Bonacina *de Matrim. q.* 4. *pu.* 8. *n.* 8.

At, inquies, quid de illo tenendum, qui exorta tentationum, aut libidinosæ commotionis procella, merum negative se tenet, ita, ut nec contra protestetur per positivum actum voluntatis, vel displicentiam, neque alia via, vel medio conetur impedire, seu etiam sedare fluctus?

653. R. Cum distinctione. Nam si voluntas hujuscemodi motibus periculosis

ſis plene animadverſis nequidem per ſimplicem averſionem de iiſdem conceptam reſiſtat, probabiliſſime peccat mortaliter, ſaltem per ſe loquendo. Si vero reſiſtat in tantum, ut ſaltem per ſimplicem averſionem ſeu etiam poſitivam nolleitatem eaſdem averſetur, tunc non peccat, ſed potius meretur a Deo præmiari.

Ita quoad utramque partem tenent *DD. ſatis Communiter*, Laymann, Sporer, Leſſius, Mezger, Vaſquez, Sayrus, & alii plures videndi apud Babenſtuber *tr.* 2. *diſp.* 3. *a.* 6. *n.* 53. *&* 54. la Croix *lib.* 5. *de peccat. n.* 111. Ratio eſt: quia, ſi voluntas nullum prorſus eliciat actum contrarium hujuſcemodi motibus impudicis &c. moraliter ſemper erit expoſita proximo periculo conſentiendi in delectationem veneream: & contrarium credere (inquit P. Sporer *cit. c.* 6. *n.*14.) nimia foret ſui confidentia, & præſumptio, ut proin Deo ita in ſuperbiæ pœnam permittente certior lapſus timeri debeat: ergo ad evadendum morale periculum lapſus & conſenſus in turpitudinem veneream, tenemur ad minimum elicere actum contrarium nolleitatis, ſive ſimplicis diſplicentiæ, vel averſionis a tali motu. Ratio autem poſterioris eſt: quia voluntas concipiendo actum diſplicentiæ vel averſionis ſimplicis ab hujuſmodi turpitudinibus, eo ipſo excludit conſenſum, quippe qui cum averſione ad tale objectum ſtare nequit; nam impoſſibile eſt, idem ſimul placere, & diſplicere: atqui ſecluſo omni conſenſu & periculo conſenſus merum permiſſive ſe habere in ordine ad delectationem, ſeu etiam concitationem motuum carnalium, non eſt grave peccatum; quia voluntas in illos hoc modo non influit ſimpliciter, & aliunde periculum conſenſus excluſum manet per ſimplicem averſionem: ergo propterea non peccat, nec digna eſt ſupplicio, ſed potius præmio, & tanto majori, quanto frequentius & efficacius reſiſtit infrænis naturæ corruptæ deſideriis.

654. Dixi tamen rurſus, eum, qui nullo modo reſiſtit, *per ſe loquendo peccare mortaliter &c.* Secus enim dicendum eſt, caſu quo rationabilis cauſa non reſiſtendi poſitive, ſed potius permiſſive ſeſe habendi ſuppetit. Hujuſmodi autem cauſæ poſſunt eſſe ſequentes. 1. Si impetitus aut obrutus inordinatis ſeu laſcivis naturæ motibus probabiliter timeat, ne reſiſtendo poſitive, magis augeat periculum, aut certe tentationis procellam, prout ſæpe fieri aſſolet in meticuloſis, teſte la Croix. 2. ſi nimis moleſtum accideret, continuo poſitive reſiſtere, veluti procul dubio contingeret, quando tentatio aliqua diu duraret. 3. ſi conatus ſit reſiſtere, & nihil profecerit; quod ſine dubio ſæpe nimis contingere natum eſt, eo quod hujuſmodi motus potentiæ ſenſitivæ non ſubſtent deſpotico voluntatis noſtræ imperio, uti recte advertunt Azorius, & Sanchez *in decalog. l.* 1. *c.* 2. *n.* 12. 4. ſi propterea tentatus teneretur, aut cogeretur omittere actionem aliquam utilem, & honeſtam v. g. ſtudium, confeſſionem &c. Videatur la Croix *l. cit. n.* 110. vel Sporer *tr.* 1. *c.* 6. *n.* 16.

655. Colliges denique quinto, Eum, qui triſtatur de bono alterius, in quantum præciſe advertit, ſibi exinde imminere periculum cujuſdam nocumenti; ut, ſi advertens ſuum inimicum exaltatum ad aliquod officium, timeat, ne ab eodem opprimatur, aut indebito modo prematur &c. non peccare peccato invidiæ; quia hæc triſtitia potius concipitur ex timore proprii damni, quam ex malevolentia boni alieni, prout bene docet Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 36. *a.* 1. Et ſi fatendum ſit, ſemper quaſi ſubeſſe periculum, ne quis revera triſtari incipiat etiam de bono ſui proximi, præſertim inimici, uti jam dictum fuit *ſupra n.* 647. Similiter triſtitia de bono alterius concepta non ideo, quia ipſe tale bonum poſſidet, ſed quia nos tali bono deſtituimur, non ſpectat ad peccatum invidiæ, ſed potius dici debet quædam æmulatio, & Zelus, qui, ſi concipiatur de re bona v. g. de alterius ſcientia, arte, Sanctitate &c. quam nobis pariter optaremus, abſque detrimento proximi, omnino laudabilis conſiſtit: hac enim de cauſa Apoſtolus 1. *Cor.* 12. nos exhortatur ad *æmulanda chariſmata meliora*. Videatur Reiffenſtuel *tr.* 3. *diſt.* 3. *num.* 28. Vel Buſenbaum apud la Croix *lib.* 5. *n.* 302. Laymann *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 10.

CONFERENTIA VIGESIMA TERTIA.

De Gula, Ira, & Acedia.

SUMMARIUM.

656. *Nomine gulæ intelligitur inordinatus appetitus Cibi, aut potus; unde*
657. *Communiter dividi solet in commesſationem, & ebrietatem.*
658. *Peccatum gulæ ex suo genere non excedit malitiam peccati venialis*
659. *Per accidens tamen sæpissime evadit mortale.*
660. Ebrietas recte describitur: *excessus in potu inebriante usque ad violentam privationem usus rationis;*
661. *Quæ si sit plena, & perfecta: per se loquendo semper est mortaliter mala.*
662. *Secus tenendum est de ebrietate materiali, id est, non voluptatis causa admissa*
663. *Vel si sit imperfecta tantum & non plena.*
664. *Filiæ gulæ dantur quinque.*
665. *Plura adhuc remedia contra vitium gulæ breviter insinuantur.*
666. *Ira consistit in appetitu inordinato vindictæ.*
667. *Quæ sub diverso respectu potest esse vel mortaliter, vel venialiter peccaminosa.*
668. *Filiæ iræ enumerantur Sex.*
669. *Plura adhuc remedia contra eandem insinuantur.*
670. *Acedia ut sic importat quendam torporem animi, qui potest esse vel naturalis tantum, vel moralis simul.*
671. *Acedia, prout est vitium Capitale dicit tristitiam, seu tædium de conservanda amicitia Dei;*
672. *Et hæc ex suo genere est mortaliter mala.*
673. *Filiæ acediæ similiter sunt Sex.*
674. *Quibusnam remediis acedia sit curanda?*
675. *Resolvitur Casus I. de quodam Nobili, qui Concionatorem ad prandium suum invitatum fecit inebriari, utique non sine gravi peccato.*
676. *Secus dicendum foret, si non intendisset, nisi crapulam, seu semiplenam ebrietatem.*
677. *Qui ex modico haustu, prævidet se inebriatum iri, ita, ut non amplius possit satisfacere suo officio, graviter peccat.*
678. *Et quid tenendum de illis, qui non tam ex abundantia potus, quam ob capitis, vel naturæ debilitatem facile inebriari solent?*
679. *Resolvitur Casus II. de alio quodam Nobili, qui homini plus quam semifatuo assuevit dare potum excessivum eo fine ut postea facilius irritaretur &c.*
680. *Esto propterea fortassis non peccaverit graviter contra virtutem temperantiæ, nihilominus certum videtur, quod graviter impegerit in alias virtutes.*
681. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*
682. *Resolvitur Casus III. Cujusdam pœnitentis qui posteaquam relapsus fuit, conclusit intra se, quod deinceps jam non possit amplius abstinere, propterea que sæpissime fuit relapsus in vitium pollutionis &c.*
683. *An talis pœnitens propterea inciderit peccatum acediæ, in confessione singulariter exprimendum?*
684. *Item an propterea incurrerit peccatum desperationis, aut præsumptionis de misericordia divina?*
685. *Peccatum ebrietatis incurritur tunc, quando quis advertens se privatum iri usu rationis; nihilominus pergit ulterius bibere.*
686. *Qui sese exponit periculo plenæ ebrietatis, graviter delinquit.*
687. *Quid, si talis prævideat, se tunc primum usu rationis privatum iri, ubi domo egressus aeri sese exposuerit?*
688. *Qui præter omnem advertentiam aut intentionem bibendo inebriatur, non peccat formaliter, sed materialiter duntaxat.*
689. *Qui quavis oblata occasione more belluonum sese inebriare assuevit, vivit in pessimo statu.*
690. *Peccata Capitalia hactenus breviter expli-*

explicata non sunt omnia ex sua natura mortalia.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus practicos de Gula &c.

QUæres primo, quid sit gula, & quotuplex?

656. R. ad primum. Gula est inordinatus appetitus cibi, aut potius. Ita *Communissime* DD. Et bene dicitur (appetitus inordinatus; qui enim tempore debito cibum, vel potum appetit ad reficiendas naturæ vires, neutiquam culpandus est. Ille proin duntaxat gulosus homo dici potest ac debet, qui cibos, vel potum inordinate (sive dein in quantitate, aut qualitate non debita appetit; id, quod quinque modis sequenti versu expressis fieri assolet:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose;

Præpropere, id est, ante horam prandii, præsertim diebus esurialibus comedendo. *Laute*, id est, cibos nimis exquisitos & delicatos, respective ad suum statum, procurando &c. *Nimis*, id est, ultra naturæ exigentiam, & plus justo comedendo, aut bibendo. *Ardenter*; id est, nimis voraciter, & quasi more canis famelici vorando &c. *studiose*, id est, impendendo multum tempus & curam ad præparandos cibos, ut magis delectent, utputa ut sint multum variati, cum aromatibus lixi, assati &c. Videatur de hoc Gobat *in Quinario tr.* 5. *c.* 23. *n.* 100. vel Clericatus *decis. miscell. decis.* 141. *n.* 5. *& seq.*

657. R. jam ad secundum. Gula ut sic communissime solet distingui in commessationem, & ebrietatem, velut in duas species. Prior consistit in appetitu inordinato ciborum, posterior in appetitu inordinato potus, & hæc potest esse vel plena, seu perfecta, vel semiplena, & imperfecta duntaxat, veluti ex dicendis amplius constabit.

Quæres secundo, quale peccatum sit vitium Gulæ?

658. R. Per se loquendo & ex suo genere vitium gulæ non est; nisi peccatum veniale, juxta communem DD. quam etiam tenent Mastrius *theolog. mor. disp.* 15. *n.* 146. Reginaldus & alii plures, relati a P. Reiffenstuel *theolog. mor. tr.* 3. *dist.* 3. *n.* 43. Ratio est, quia gula præcise secundum se sumpta non repugnat graviter charitati Dei, vel proximi, veluti constabit perpendenti quinque modos proxime recensitos, quibus gulosi solent excedere regulas temperantiæ.

659. Dixi tamen; *per se loquendo, & ex suo genere &c.* Nam per accidens vitium gulæ sæpissime evadit mortaliter malum, vel 1. ratione Scandali; vel 2. ratione gravis detrimenti in bonis corporis, aut fortunæ sibi, aut proximo illati; vel 3. ratione officii ob excessivum potum &c. neglecti, ad quod quis sub gravi obligatione fuit adstrictus &c. prout amplius patebit ex proxime dicendis. Hac de causa Apostolus *ad Galat.* 5. scribens ait: *manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio -- ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Quæres tertio, quid, & quale peccatum sit Ebrietas?

660. R. ad primum. Ebrietas est excessus in potu inebriante usque ad violentam privationem usus rationis. Ita *communissime DD.* licet plerique addant sequentes particulas: *voluptatis gratia factus*; idque propterea: quia, sicut ad sobrietatem spectat moderari concupiscentiam potus, & delectationem ex illo; ita ad ebrietatem sobrietati oppositam, moveri concupiscentia nimia, & delectatione potus. Fatendum nihilominus est, posse quandoque fieri, ut quis peccet mortaliter sese inebriando, tametsi id non faciat causa voluptatis inde captandæ, sed ex alia non justa, utputa ad alios inde animandos ad hujusmodi ingurgitationem, vel etiam ad sese ostentandum velut aliis omnibus superiorem in virtute, vel potius vitio potitandi &c. veluti sapienter tradunt la Croix *lib.* 5. *n.* 319. & noster Henno *tr. de peccat. disp.* 4. *q.* 4. *art.* 2. *concl.* 1.

661. R. Jam ad secundum. Ebrietas formalis, si sit plena, & perfecta, semper

per est mortaliter peccaminosa. Ita rursus *Communissime DD.* nominatim D. Thomas 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. Reiffenstuel *ubi supra n.* 45. Sporer *tr.* 1. *proœm. c.* 7. *n.* 69. Matthæucci *in Cautela Confessarii lib.* 2. *c.* 6. *n.* 7. Ratio hujus est: quia revera gravem præsefert deformitatem, & grande malum, ipsi DEO valde injuriosum, dum homo ad imaginem & similitudinem Dei creatus, potando rationis usum (quo nihil præstantius possidet) abjicit, & brutis animantibus solius voluptatis gratia similem sese reddit, ita, ut ne quidem proxime amplius capax sit redeundi ad eundem rationis usum, & instar hominis sese gerendi: id, quod sane gravem præsefert deordinationem, ut propterea Doctor Gentium mox relatus *ad Galat.* 5. haud immerito *inter opera carnis, a Regno Cœlorum excludentia enumeret ebrietatem.*

662. Dixi tamen primo: *Ebrietas formalis, id* est, præcise voluptatis gratia, aut certe sine justa causa facta &c. Enimvero utrum ebrietas materialis (quo nomine Doctores quamplures intelligunt eam, quæ non fit voluptatis, sed potius necessitatis gratia) ita sit mala, ut nunquam possit licite procurari aut intendi, nequidem necessitatis causa v. g. ad recuperandam sanitatem ex consilio Medicorum &c. acriter inter se disceptant DD. Et licet non pauci existiment, hoc in nullo casu esse licitum, eo præsertim, quod alia media suppetant ad recuperandam valetudinem, & hoc ipso talis casus videatur impossibilis, immo merus prætextus fictitius; nihilominus multo plures, nominatim Tannerus, Diana, Pontius, Reiffenstuel, Illsung, Gobat & alii videndi apud la Croix *loc. cit. n.* 321. id nequaquam illicitum existimant, quemadmodum enim (ajunt) licitum est, se in perpetuum privare brachio, aut pede, aliove membro, ad conservandum totum corpus; ita a fortiori licitum erit, ad respective exiguum tempus sese privare actuali usu rationis, ad conservandum suppositum; *neque enim tunc absurdum judicat recta ratio* (ait Sporer *tr.* 1. *c.* 7. *num.* 69.) *ad breve tempus usu rationis destitui (quod & in somno accidit) ut reparata valetudine, munera recta rationis præstentur.* Ex quo ego inferendum censeo, huic sententiæ, utpote tam rationi, quam auctoritati nixæ dari posse locum in praxi, casu quo revera Medici id consulerent, eo præsertim, quod hic non agatur de valore, sed de mera honestate actionis. Videatur la Croix *cit. n.* 323.

663. Dixi secundo. *Ebrietas plena, & perfecta*, id est, ad plenariam privationem usus rationis; Secus enim dicendum est de ebrietate semiplena, & imperfecta (quo nomine Germani saltem Doctores communiter intelligunt crapulam) quando scilicet bibitur usque ad aliqualem perturbationem rationis, vi cujus homo, etsi adhuc potens discernere inter bonum, & malum, sibique præsens, nihilominus minus aptum minusque dispositum sese invenit v. g. ad orandum, studendum, meditandum &c. eo quod phantasia sit turbata, lingua titubet, aut balbutiet, pedes nonnihil vacillent, oculis cuncta videantur duplicata, vel stomachus etiam S. V. evomat &c. Ceterum plenæ ebrietatis signa diversi diversa ponunt, utputa 1. si talis homo, licet ceteroquin pacificus, tempore suæ temulentiæ, incæperit rixas, si blasphemavit, uxorem percussit &c. item 2. si altera die non amplius sciat, quid fecerit, aut egerit &c. Illa prioris generis signa mihi non videntur tam certa, quia sæpe sæpius contingere novimus, homines, dum solito plus biberunt (esto non sint ebrii) facilius moveri ad rixas, & alias inconvenientias. Posteriora tamen signa videntur clariora, seu magis certa, præsertim si talis homo altera die non sciat amplius sese reflectere super sua facta principapaliora, ita, ut ignoret, quo modo domum venerit, aut cubitum &c. Secus rursus dicendum est, si quis non amplius reminiscatur eorum, quæ velut minus principaliter acta, aut gesta sunt; nam eo ipso, quod minus advertenter soleant fieri (prout subinde inter pocula diversa narrari solent) minime mirandum est, quod similia vel mediocriter etiam tinctis, non amplius soleant incidere altera die: proptereaque non recte inferretur, quod talis pœnitens desuper sese accusando fuerit plene ebrius, aut, quod mortaliter delique-

querit. Videatur Henno *ubi supra disp.* 4. *q.* 4. *art.* 5. vel Busenbaum apud la Croix *lib.* 5. *n.* 318.

Quæres quarto, quænam sint filiæ Gulæ?

664. R. sunt quinque sequentes. 1. *Hebetudo mentis*, vi cujus homo redditur ineptus v. g. ad orandum &c ut dictum est. 2. *Inepta lætitia*, vi cujus homo gulosus solet moveri ad cantiones obscænas, actus turpes, saltus, vel choreas inhonestas. 3. *Multiloquium*; plerumque enim dum poculis indulgetur abundantius, fræna linguæ laxari solent ad detractiones, diversasque morum, seu etiam gestorum, & personarum discussiones; id quod raro fieri solet sine peccato, propterea que *Proverb.* 10. habetur: *in multiloquio non deerit peccatum*: 4. *Scurrilitas*, vi cujus homo potatus solet prosilire in diversos gestus exteriores, etiam minus honestos, aut certe in diversa verba scurrilia, id est, scurram potius, quam hominem ingenuum, aut honestum decentia. Quinta denique filia gulæ est *Immunditia corporis*, inde oriri nata, scilicet vomitus; vel etiam pollutio &c. Videantur de hoc Laymann *lib.* 3. *Sect.* 4. *a num.* 2. Reiffenstuel *tr.* 3. *dist.* 3. *num.* 52. *&* *seqq.* Matthæucci *loc. cit. n.* 4.

Quæres quinto, quænam remedia contra gulam sint præscribenda a Confessario?

665. R. Generaliter loquendo omnia illa servient, quæ virtutem temperantiæ suffulciunt: particulariter tamen juvabit homini guloso præscribere, aut certe insinuare sequentia. 1. jubeatur evitare pro possibili & fugere compotationes, seu etiam illas occasiones, in quibus novit se excessisse regulas temperantiæ, vel, si id fieri non possit, jubeatur saltem facere singulare propositum de excessu in hac vel illa occasione vitando. 2. juvabit eidem breviter exponere, quam indignum homine ingenuo sit hoc vitium quippe quo homo inclinatur totus quantus ad comedendum, & potandum, neglectis iis, quæ sibi sive ex præcepto humano, sive etiam ex divino incumbunt, prout plerumque fieri assolet &c. 3. singulariter Confessarius nitatur homini guloso intimare damna nedum animæ, sed vel maxime etiam corpori obventura, enimvero ex abundantia cibi, ac potus proficiscuntur innumeræ infirmitates corporis, utputa calculus, Podagra, chiragra, vertigo capitis, cruditates stomachi, oculorum caligo & suffusio, viscerum corruptela, & adustio &c. de quibus videri potest Henno *tr. de peccat act. disp.* 4. *quæst.* 4. *art.* 6. *conclus.* 2. Vel Clericatus *decis.* 141. *numer.* 18.

Quæres sexto, quid sit ira, & quale peccatum?

666. R. ad primum. Ira, prout est unum ex peccatis capitalibus, recte describitur, quod sit *inordinatus appetitus vindictæ*, vel, ut habet Marchantius noster *in suo tribunali tom.* 2. *tr.* 6. *tit.* 2. *q.* 2. *est inordinata commotio animi, vindictam, vel quasi vindictam appetentis*. Recte autem dicitur inordinata commotio; nam vindicta ordinate (id est, juxta exigentiam justitiæ appetita, prout fieri solet ac debet per Superiores & Ministros justitiæ) non est peccatum, sed potius induit speciem virtutis, modo non excedatur rationis imperium & præscriptum. Hac de causa Regius Psaltes *Psalm.* 4. ait: *irascimini, & nolite peccare*.

667. R. jam ad secundum cum distinctione; nam ira inordinata & peccaminosa dupliciter considerari potest, scilicet primo ex parte commotionis, seu modi irascendi; & hæc ex suo genere est peccatum veniale tantum. Ratio est: quia est excessus voluntarius in aliqua passione animi de se indifferente, quippe, quæ secundum mox dicta, potest etiam esse bona & virtuosa: tametsi & hæc non raro evadat mortaliter mala: scilicet tunc, dum homo scienter & advertenter motibus iracundiæ eo usque condescendit, ut propterea in gestus enormes, tunsiones, clamores, membrorum contorsiones &c. erumpat, utique non sine gravissima deordinatione contra rectæ rationis dictamen, & humanæ naturæ conditionem: secundo. Ira considerari potest ex parte vindictæ inordinatæ: & hæc ex suo genere est mortaliter peccaminosa. Ratio est: quia graviter repugnat charitati proximo debitæ, & tanto quidem gravius, quanto majus

ma

malum proximo desideratur &c. Ex quibus facile liquet, iram merito computari inter peccata capitalia, quippe ex qua diversa solent peccata proficisci, prout patebit ex dicendis. Unde

Quæres septimo, quot, & quænam sint filiæ iræ?

668. R. Sunt sex sequentes. 1. *Indignatio*. 2. *Tumor mentis*. 3. *Clamor*. 4. *Contumelia*. 5. *Blasphemia*. 6. *Rixa*. Explico brevissime. 1. Nomine indignationis intelligitur inordinatus affectus aversionis, ex eo, quod quis existimet, se ab alio fuisse indigne, aut minus convenienter tractatum. 2. Per tumorem mentis intelligitur illa exacerbatio & quasi exulceratio animi, vi cujus iracundi solent diversas in animo excogitare vias vindictæ, & excogitando intumescere quodammodo. 3. Clamorem etiam iracundi plerumque excitare solent, & quidem tanto majorem, quanto magis iracundia tumescunt; quo fit, 4. ut proximum contumeliis, id est, verbis, aut factis (nescio quæ crimina in faciem exprobrando) afficere soleant: quin insuper 5. nonnunquam contra Deum, & Sanctos excandendo, solent eosdem blasphemiis, id est, verbis contumeliosis proscindere &c. 6. denique solent insuper homines iracundi facillime commoveri ad rixas, prout multiplici experientia compertum habemus; unde hæc non indigent alia probatione.

Quæres octavo, quænam remedia iracundis præscribere oporteat?

669. R. Sequentia utiliter præscribi possunt a Confessario. 1. Jubeatur sibi proponere, aut se reflectere ad exemplum, vel potius exemplar Christi patientis, qui cum ad victimam duceretur, velut ovis non aperuit os suum: immo singulariter voluit, ut imitemur ipsius mansuetudinem, juxta illud *Matthæi* 11. *discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*. 2. Juvabit ponderare mala, quæ ex iracundia oriri sunt nata, scilicet discordiæ, seditiones, rixæ, & alia plura, quæ experientia docente nimis sunt nota. 3. singulariter jubeatur talis pœnitens sese reflectere ad occasiones, quibus hactenus ad iracundiam se commotum, vel deinceps commovendum agnoscit, contra quas jubeatur confortare animum, firmissime proponendo, quod in hac vel illa &c. velit exercere patientiam, reflectendo se ad passionem nostri amandissimi Salvatoris &c.

Quæres nono: quid sit Acedia, & quale peccatum?

670. Ante responsionem notandum hic venit, nomine Acediæ ut sic intelligi quandam negligentiam, torporem, & fastidium; quod vel potest esse merum naturale, id est, ortum ex defectu virium naturalium, vel etiam morale, id est ortum ex libera voluntate. Porro hæc acedia moralis rursus a Doctoribus solet subdividi in generalem, seu universalem, quæ consistit in quodam voluntario animæ languore ad bene operandum in rebus salutem, aut Deum concernentibus. Alia dicitur acedia specialis, consistens in quodam fastidio rerum cœlestium, aut servitii divini Deo exhibendi: & de hac Acedia velut vitio capitali loquendo & intelligendo quæstionem.

671. R. jam ad primum: Acedia, prout est vitium capitale, recte describitur, quod sit quædam tristitia & tædium de conservanda amicitia divina, eo quod hæc per laboriosa virtutum exercitia conservari debeat. Ita Busembaum apud la Croix *lib.* 5. *n.* 347. Reiffenstuel *ubi supra n.* 59. Henno *l. cit. q.* 6. *conclus.* 1.

672. R. jam ad secundum. Acedia mox descripta est ex suo genere peccatum mortale. Ita *Doctores citt.* & alii *communiter*. Ratio est, quia hæc acedia directe repugnat charitati divinæ, immo eandem destruit, quandoquidem per eam vilipendatur amicitia Dei, & beatitudo, velut obtinenda difficili virtutum exercitio: quod idem est, ac Deum, nec non bona æterna postponere creaturis, bonisque temporalibus. Quocirca P. Sporer *tr.* 1. *c.* 7. *n.* 71. sapienter advertit, hujus acediæ signa, & effectus pessimos esse sequentes, scilicet amaritudinem, tædiumque ad omnia spiritualia & divina, aversionem a verbo Dei, salutisque incuriam &c.

Quæres 10. Quænam sint filiæ Acediæ?

673. R. Sunt sex sequentes: 1. *Malitia*, qua acediosus odio habet bona spi-

ſpiritualia, & vellet ea non eſſe, aut non eſſe obligatum ad ea proſequenda. 2. *Puſillanimitas*; quæ proxime inclinare ſolet ad omnimodam deſperationem de ſalute animæ. 3. *Rancor*; quo nomine intelligitur quædam indignatio contra eos, qui ad ſpiritualia, & ad ſectanda chariſmata meliora volunt inducere. 4. *Torpor*: vi cujus homo negligit ea, quæ ſibi incumbunt ex præcepto facienda, aut certe ſuæ obligationi non ſatisfacit cum debito fervore &c. 5. *Evagatio mentis*; qua ſcilicet homo acedioſus aſſuevit tempore exercitiorum ſpiritualium cogitare de aliis, ſive illicitis, ſive indebitis. 6. denique *Deſperatio*; id eſt quædam abjectio animi de beatitudine, ſeu ſalute æterna aſſequenda; quæ tandem vitam acedioſe traductam finaliter conſequi aſſuevit. De his utiliter videri poteſt Clericatus *deciſ. miſcellan. deciſ.* 142. *n.* 4. *& ſeqq.* ubi ait acediam Clericorum in animarum Paſtoribus eſſe pernicioſiſſimam ovibus.

Quæres denique undecimo, quibuſnam remediis Acedia ſit curanda?

674. R. In hunc finem apprime ſervire poterunt ſequentia. 1. Conſiderare; quæ & quanta pro nobis paſſus ſit Chriſtus, quot ſcilicet fatigationes & itinera ſubierit, quot jejunia ſuſceperit, quot agones & tormenta ſuſtinuerit pro noſtra ſalute. 2. Serio ſeſe reflectere ad ea, quæ homines mundani faciunt pro adipiſcendis honoribus, opibus, aliiſve crepundiis hujus mundi, ut hominem ingenuum merito aut confundere, aut certe animare debeant ad ſudandum & laborandum pro adipiſcendis divitiis cœleſtibus, & æternis. 3. Juvabit erigere aures ad tubam judicii divini, quæ negligentibus ac deſidioſis continuo minitatur exciſionem. 4. Oportet fugere conſortium ignavorum & deſidioſorum, e contra vero ſeſe aſſociare illis, qui in practicandis virtutibus, & SS. Eccleſiæ Sacramentis ſunt aſſidui & indefeſſi. 5. denique haud modicum proderit ponderare cruciatus futuros Acedioſis infallibiliter ſubeundos, ſive in inferno, ſive in purgatorio: e contra vero immenſam gloriam, quam Deus ferventibus ſuis amatoribus præparavit in cœleſti Patria. Hæc omnia Sanctiſſimus noſter Patriarcha Franciſcus in compendio quaſi expreſſit, dum nos ad excutiendum torporem, acediam, & tepiditatem ponderare jubet, quod ſit: *voluptas brevis* (hujus ſcilicet vitæ) *pœna perpetua* (in altera) *modica paſſio*, *gloria infinita*: *multorum vocatio*, *paucorum electio*, *omnium retributio*. Videatur de hoc Clericatus *loc. cit. n.* 7. vel Henno noſter *ubi ſupra diſp.* 4. *de peccat. q.* 6. *Concluſ.* 5.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de Gula, & Acedia &c.

CASUS PRIMUS.

Titius homo nobilis ſæpe ſæpius alios ad compotitandum animare aſſueverat uſque ad ebrietatem; quod, ubi quidam Zeloſus Concionatur inaudiit, nacta occaſione opportuna contra vitium intemperantiæ, & peſſimam hanc conſuetudinem e pulpito terribiliter detonavit. Titius vero hiſce fulminibus ſe quoque feritum ſentiens, paulo poſt eundem Eccleſiaſtem ad menſam ſuam invitavit, eidemque comparenti generoſiſſimum, ac fortiſſimum vinum appoſuit, ſubornatis interim aliis Convivis, qui bibendo modo in ſanitatem hujus, mox in alterius, alternis, & continuo ſibi ſuccedentibus poculis, vel potius ſciphis, illum ad compotitandum provocarent, quouſque tandem bene potatus, immo inebriatus ſuccumberet. Hoc vero obtento Titius eidem: agnoſcis jam (ajebat) fragilitatem noſtram humanam: Cave ſis, quæſo, deinceps Zelo indiſcreto in compotatores detonare e pulpito, ne fortaſſis contingat fulmina retorqueri in Caput Jovis. Quæritur jam ad noſtrum propoſitum, an, vel qualiter Titius peccaverit &c.

675. R. Titius provocando Concionatorem (idem judicium formes velim de aliis quibuſcunque provocatoribus) ad plenam & perfectam ebrietatem *peccavit graviter*, nedum peccato intemperantiæ, ſed inſuper peccato ſcandali. Ita Communiſſime DD. nominatim Gobat *in ſuo Quinario tr.* 5. *c.* 13. *a. n.* 19. Leſſius *lib.* 4. *c.* 3. *dubit.* 4. *n.* 37.

Bu-

Busenbaum, Burghaber, Dicastillo, Matthæucci *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 12. Sporer *cit. cap.* 7. *n.* 69. la Croix *lib.* 5. *nu.* 331. Ratio est: quia quisquis alterum inducit ad grave peccatum, graviter peccat contra charitatem peccato scandali: atqui ebrietas formalis est peccatum grave, & quidem intrinsece malum: ergo Titius provocando Concionatorem (sive dein per se immediate, sive per alios à se substitutos) ad plenam, & perfectam ebrietatem, peccavit graviter nedum contra charitatem peccato scandali, sed etiam contra virtutem temperantiæ. Lubet in hujus rei confirmationem recensere verba Sancti Augustini *serm.* 231. *de tempore* ubi teste la Croix *cit. n.* 331. hæc habet: *certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine - - o infelicitas generis humani! quam multi inveniuntur, qui ebriosos, & luxuriosos amplius, quam oportet, cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare! - - quando animalia ducuntur ad aquam, ubi saturaverunt sitim suam, etiamsi supra aquam ipsam diutius teneantur repleta siti bibere nolunt omnino, nec possunt: considerent ebriosi, si non pejores animalibus judicandi sint - - Et quod pejus est, aliqui Clerici, qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt aliquos plus bibere, quam expedit - - si & te, & alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum*. Hactenus S. Doctor apud la Croix *l. cit.* Verum ut ad Scopum nostræ resolutionis revertamur, advertendum est, quod

676. Dixi: Titium, aliosque subornantes in hoc casu peccasse mortaliter, si intenderunt Concionatorem provocare *ad plenam ebrietatem*; Secus enim dicendum foret, casu quo non intendissent, nisi crapulam, seu ebrietatem imperfectam. Ratio hujus limitationis facile colligetur ex dictis: quia scilicet ebrietas imperfecta (quam germani saltem Doctores communiter appellant crapulam) secundum dicta non excedit culpam venialem: ergo ad hanc inducentes non peccant, nisi venialiter.

Nihilominus si quis advertat (esto non intendat) ex propinatione ulterius continuanda, alterum plene inebriatum iri, nec tamen abstineat ab ulteriori propinatione seu etiam provocatione ad bibendum, procul dubio mortaliter peccat; eo quod proximum suum provocet ad id, quod sine mortali peccato ab eodem fieri nequit. Vide la Croix *cit. l.* Gobat *ubi supra n.* 50. vel Matthæucci *in Cautela Confessarii lib.* 2. *c.* 6. *n.* 11. & 13.

At, inquiet fortassis nonnemo: Ego bibendo unicum duntaxat vel alterum vitrum vini, sentio inde tantum rationis meæ disturbium, ut plane non amplius sim usui, nec meo possim satisfacere officio: scio econtra alios, qui, tametsi eandem quantitatem in duplo, aut triplo biberent, ne quidem crapulam, vel ullam rationis perturbationem sentirent: ergone propterea condemnandus sum peccati gravis, ubi alter in duplo, aut triplo bibendo eandem quantitatem non peccat, nisi venialiter?

677. R. ad hanc instantiam, quod, si tuum officium tale sit, ut ad aliud peragendum sub peccato mortali sis adstrictus (prout v. g. miles est obligatus ad servandam stationem suam tempore belli, ubi hostium insidiæ timentur; vel Clericus ad recitandum officium divinum, ad succurrendum infirmis periclitantibus de salute animæ &c.) procul dubio peccas mortaliter. Ratio est: quia quisquis ad aliquem finem sub gravi culpa vel obligatione adstringitur, eodem jure tenetur nedum ad media, sed multo magis etiam ad non ponendum obstaculum, quo minus huic suæ obligationi satisfacere possit: ergo si prævideas, te ex sumptione hujus poculi aut sciphi fore prorsus ineptum ad satisfaciendum obligationi gravi tibi incumbenti, procul dubio graviter delinques, secundum *omnes*.

Neque est paritas te inter & alterum, quippe qui sumpto etiam potu abundantiori supponitur posse adhuc satisfacere suo officio, immo ne quidem imperfecte inebriari.

Et de hoc nullatenus sane ambigendum arbitror, ob rationem firmissimam mox datam.

Major tamen difficultas, & ratio dubitandi videtur, an etiam ille, qui ob infirmitatem, seu etiam debilitatem

capitis prævidet, se ex sumptione respective modicæ portionis vel haustus plene inebriatum iri, an inquam talis scienter illam portionem sumendo mortaliter peccet, tametsi sciat, se propterea nihil neglecturum, eo quod jamjam satisfecerit cunctis obligationibus eodem saltem die sibi incumbentibus? Ad hanc vero quæstionem quantum colligo ex diversis Doctoribus.

678. Respondendum probabilius arbitror affirmative. Ratio est: quia malitia ebrietatis non est sita in quantitate haustus, sed in eo potissimum, quod homo ad imaginem Dei creatus voluntarie, & violenter quidem sese privet usu rationis in tantum, ut non amplius sit proxime capax recuperandi eundem usum (uti potest dormiens) tametsi id necessitas forte exigeret: atqui hoc supponitur fieri in nostro casu: ergo &c. Et certe si quis biberet v. g. vinum adustum, vel alium liquorem v. g. ex cerasis crematum &c. in quantitate respective modica, ex qua tamen prævideret se plene inebriandum, procul dubio graviter peccaret: ergo id ipsum tenendum est de eo, qui ex quantitate respective modica vini sese inebriandum prævidet. Fatendum nihilominus est, hoc sæculo, in nostra præsertim Germania, hujusmodi homines infirmos sæpe sæpius per accidens saltem excusandos esse a peccato mortali; vel 1. quia nec bibunt usque ad plenam ebrietatem; vel quia hanc non prævideruntur; vel quia temulentia potius ex naturali infirmitate seu debilitate naturæ ac cerebri proficiscitur, quam ex potus abundantia vel excessu; vel denique, quia tametsi libenter voluissent, nihilominus potum illum excessivum neutiquam declinare potuerunt, vel ob convivium nimis diu protractum, vel ob alias causas sibi non gratas &c. Quam ob rem multa discretione opus censeo in ordine ad discernendam prudenter gravitatem peccati; nam *multi* (inquit Henno) *tract. de peccat. act. disp.* 4. *q.* 4. *art.* 5. *ad petes* 5. *confitentur se fuisse ebrios, qui non fuerunt, & aliqui, se non fuisse, qui fuerunt: credunt enim nonnulli (licet non plus æquo biberint) se esse graviter ebrios, ubi ad vomitum provocantur, non attendentes, id ex corporis indispositione procedere &c. econtra alii sibi persuadent, se non fuisse ebrios, eo quod potuerint currum in platea transeuntem divertere, domum redire, lectum invenire &c.*

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius Prænobilis ad sui diversionem suscepit hominem pauperculum quidem, ceteroquin tamen satis lepidum, & plus, quam semifatuum, quem probe novit, nimium quantum exacerbari tunc præsertim, quando nonnihil potatus vexatur v. g. quod non sit legitime natus, quod infantem genuerit, aliisve similibus ineptiis. Quia vero Sempronius tanto majorem recreationem captare solet, quanto amplius exacerbatum videt suum histrionem; hinc non raro eidem largiorem administrat potum, cujus eundem novit avidissimum; tum vero jam satis, immo excessive tinctum diversimode vexando exacerbare, ac irritare solet in tantum, ut is iracundia fremens, nescio quæ Scommata in proprium Dominum conjicere soleat, & nedum eidem, sed & aliis famulis, vexationem (uti fieri amat) promoventibus, diversa maledicta imprecari, immo & in blasphemias prorumpere &c. Quæritur jam ad nostrum propositum 1. *an Sempronius huic plusquam Semifatuo histrioni suo potum excessivum præbendo peccet?* 2. *an, vel quomodo ipse, aliique famuli irritando illum, & vexando delinquant?*

679. R. ad primum quæsitum, Sempronius præbendo præcise potum excessivum huic plusquam Semifatuo, non peccat graviter contra virtutem temperantiæ. Ita post Caramuelem, & Gobat *cit. Quinar. cap.* 13. *a num.* 29. la Croix *lib.* 5. *num.* 335. Ratio est: quia talis stultus, utpote jam prius usu rationis (saltem pleno, ac perfecto) destitutus, nequit amplius potitando sese privare usu rationis, quemadmodum cæcus nequit se privare potentia visiva, & per consequens fatuus nequit obligari lege *non se inebriandi*, æque-parum, ac cæcus lege *non videndi seu aspiciendi hoc, vel illud objectum &c.* at, si plusquam semifatuus non tenetur lege

hac *non se inebriandi*, is, qui eidem præbet potum excessivum, pariter non peccat contra hanc legem: ergo &c.

Dixi tamen, Sempronium, non peccare graviter *contra virtutem temperantiæ præcise potum excessivum præbendo &c.* Alia enim est quæstio, an non peccet, stultum provocando ad iracundiam, & blasphemias; Unde

680. R. jam ad secundam partem quæsiti in hoc casu. Nedum Sempronius, sed & alii ipsius famuli præbendo potum excessivum dicto histrioni eo fine, ut deinceps magis irritari valeat &c. peccant graviter, ita ut de peccatis contra legem naturalem, & divinam a semifatuo commissis teneantur sese accusare in Confessionali, modo ea præviderint (prout in hac specie facti potuere) committenda ab illo plusquam Semifatuo. Ratio hujus resolutionis est: quia secundum dicta superius *Confer.* 13. *n.* 358. etiam amentes perpetuo, & infantes stringuntur lege naturali ac divina v. g. non blasphemandi Deum &c. ita ut amens blasphemando, jurando, mala imprecando, fornicando &c. revera agat contra legem naturalem, esto ob defectum usus rationis similia agendo per accidens non peccet formaliter, eo quod malitiam formalem non agnoscat. Atqui hæc ratio non pugnat pro Sempronio, aliisve ejusdem famulis, neque illos excusat a formali malitia, quippe quam probe agnoscunt; ergo cum talium peccatorum revera sint causa principalis, & moralis, minime excusari possunt, sicut a peccato mortali excusari nequit is, qui alium ignorantem scienter inducit ad adulterium, vel furtum. Videatur Laymann *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 10. *n.* 3. vel la Croix *l.* 6. *part.* 2. *n.* 984.

At, inquies fortassis, secundum dicta, Sempronius administrando præcise potum excessivum non peccat graviter contra virtutem temperantiæ, eo quod famulus plus quam semifatuus non peccet, nec possit peccare formaliter sese inebriando: ergo similiter eundem irritando & exacerbando usque ad blasphemias, non peccat graviter contra virtutem Religionis, eo quod stultus blasphemando non peccet, immo nec possit peccare formaliter.

681. R. Negando causalem antecedentis; non enim dixi, Sempronium ideo non peccare præbendo potum excessivum &c. quia stultus non peccat formaliter bibendo; sed quia is non tenetur illa lege *non se inebriandi*, seu, quod idem est, *per excessivum potum non se privandi usu rationis*, quippe quo supponitur jam prius privatus; ac proin inducens illum scienter ad potum excessivum æque parum peccat, ac si eundem, vel alium infantem tempore quadragesimæ induceret ad esum carnium, ad cujus abstinentiam non tenentur: e contra vero ad blasphemandum (& alia similia jure naturali ac divino prohibita) amens tenetur, sicut & infans: ergo quemadmodum infantem scienter alliciens & inducens ad blasphemiam, formaliter peccat; ita pariter peccat is, qui stultum ad hujusmodi peccata inducit. Ceterum non diffiteor, quin etiam præbendo potum excessivum stulto, posset graviter peccare v. g. contra charitatem, si prævideat inde grave damnum vel infirmitatem stulto emanaturam: sicut ob eandem rationem graviter peccaret, qui v. g. alicui infanti potum excessivum, quem graviter eidem nociturum prævidet, daret, prout recte advertit la Croix *lib.* 5. *n.* 335. Gobat, Caramuel, & alii.

CASUS TERTIUS.

CAjus *dicit, se ab ultima confessione ante annum tempore paschali deposita fuisse negligentissimum, & tædiosissimum in omnibus divinis, ita, ut ab illo tempore non solum nunquam amplius confessus, vel Sacra communione refectus sit, sed sæpius quam par erat, etiam diebus festivis divina neglexerit, aliquoties autem iisdem potius ex fine profano, v. g. ut videat, vel videatur &c. interfuerit quam animo colendi Deum. Causam porro hujus tantæ desidiæ rogatus, respondit: Pater R. in ultima illa mea confessione firmissimum concepi propositum deinceps nunquam amplius procurandi S. V. pollutionem, id quod etiam una alterave septimana sancte observavi, tandem vero denuo in idem vitium relapsus, omnino despondi animum, ratus, me, velut hominem fragilissimum, non posse*

posse amplius ab hoc vitio abstinere, propectereaque totus quantus huic sententiæ immersus, quæ Deum, & animæ meæ salutem concernere videbantur neglexi, quidquid tandem de animæ meæ salute futurum esset. Jam ad nostrum propositum dubitare licet in hac specie facti. 1. An Cajus dici possit, aut debeat Acediosus? 2. An non judicari debeat, desperasse, aut certe in misericordiam divinam peccasse?

682. R. ad primum. Confessarius ex tali confessione omnino prudenter concludet, Cajum elapso anno in pessimo statu vixisse; propterea que oportebit illum examinare 1. an, vel quoties circiter per septimanam, vel etiam diem procuraverit pollutionem? 2. quibuscum desideriis? &c. 3. quoties divina circa circiter neglexerit? &c. Et sic loquendo de aliis peccatis, in quæ verosimiliter eum incidisse credere, aut suspicari licet, prout partim ex dictis in hoc tractatu, partim etiam ex iis, quæ diximus *in theolog. Sacram. part. 2. Confer. 17. n.* 434. facile quisque prudentum colligere poterit. Neque etiam dubitandum est, quin Cajus fuerit vere acediosus, utpote homo in omnibus, Deum, & animæ salutem concernentibus, nimium quantum fastidiosus, ac tædiosus.

Ergone inquies, Cajus ultra reliqua peccata tenebatur singulariter exprimere, & sese accusare de peccato acediæ, ita, ut non satisfecisset, dicendo, se elapso anno toties procurasse pollutionem, toties neglexisse SS. Missæ sacrificium, etiam diebus festivis?

683. R. ad hoc quæsitum cum distinctione, & quidem valde notabili. Nam si Cajus ideo præcise neglexit divina, quia hæc sibi videbantur valde tædiosa, aut quia in his nullum prorsus gustum invenit (prout revera contingere natum est hujusmodi hominibus, voluptatibus carnis nimium quantum immersis, ac deditis) non tenebatur specialiter sese desuper accusare: quia, uti sapienter advertit Campion. *part. 1. instr. ad aud. confess. Cap.* 14. eumque secutus Matthæucci *in cautel. Confessar. lib. 2. c. 28. n.* 42. talis acedia non est per se prohibita, sed potius per accidens, quatenus scilicet solet esse causa, vel etiam occasio negligendi divina. At vero, si Cajus divina neglexisset, non tam ex eo capite, quod hæc laboriosa, vel tædiosa, ac nimis fastidiosa videbantur, sed potius ideo, quia bona, & Deum, Ejusdemque gloriam concernebant (quod quidem rarius, nonnunquam tamen contingere solet) tunc fuisset obligatus de hoc peccato Acediæ, utpote specialiter prohibito, divinæque charitati repugnante, sese accusare: profecto hoc gravissimum est peccatum, non admittens parvitatem materiæ, adeo, ut si quis ex tali motivo omittat duntaxat nomen Jesu invocare (quia scilicet bonum est, & Deo placitum) peccet mortaliter, esto nullam aliam obligationem haberet illud invocandi. Videatur Matthæucci *loc. cit. n.* 43.

684. R. jam ad secundum quæsitum hujus casus, Cajum probabilius nec incurrisse peccatum desperationis, neque etiam peccatum præsumptionis. Ratio prioris est: quia, ut ex specie facti satis liquet, Cajus non desperavit simpliciter de salute assequibili, neque etiam de gratiis, vel auxiliis sufficientibus a Deo nobis administrari solitis, sed potius, immo vero tantum de suis viribus, utpote jam longo tempore expertus, se post primum relapsum minus esse sufficientem ad resistendum gravissimis Diaboli, carnisque insultibus: quod, ut de se liquet, non est desperare, sed potius incurium, & minus solicitum esse de salute.

Ratio autem posterioris est: quia Cajus non supponitur fuisse inductus ad peccandum ex eo, quod Deus misericors sit, sed potius partim ex fragilitate humana, partim insuper ex desidia & salutis spiritualis incuria; vi cujus (utique pessime) sese resolvit ad perseverandum in tali statu peccaminoso, & perversa ac pessima sua consuetudine, quidquid demum Deo placuerit disponere de salute animæ suæ. Ceterum quænam remedia hujusmodi pœnitenti sint præscribenda, colligi potest ac debet ex dictis *in theolog. Sacram. part. 2. Confer. 4. n.* 105.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

685. Colliges ex hactenus dictis. 1. peccatum ebrietatis tunc incurri, quando quis animadvertit, se jam tantum potus sumpsisse, ut proxime sit destituendus usu rationis, & ad functiones humanas reddendus omnino ineptus (id, quod bene potest, ac debet advertere, si jam sæpius id ipsum sibi contigisse reminiscatur) & nihilominus pergit bibere. Ratio est: quia tunc censetur consentire in hoc peccatum intemperantiæ seu ebrietatis perfectæ: tametsi fateri cogamur, hoc peccatum quodammodo compleri ac consummari physice & moraliter, dum quis actu destituitur usu rationis, quemadmodum is, qui prævidet se in ebrietate quempiam occisurum, & nihilominus sese sponte inebriat, peccat nedum contra virtutem temperantiæ, sed etiam charitatis, & justitiæ, dum voluntarie ponit causam ebrietatis, atque homicidii, esto hoc finaliter ac physice tunc solum compleatur, quando in ebrietate actu occidit. Ita ex *Communi* DD. Sporer *tr.* 1. *cap.* 7. *n.* 69. Matthæucci *l.* 2. *c.* 6. *n.* 17.

686. Colliges secundo, etiam illos a gravi peccato minime excusandos esse, qui exponunt se periculo ebrietatis, utpote bene advertentes se appropinquare periculo amittendi usum rationis: ille autem scit, adesse periculum, inquit Gobat *in Quinario tr.* 5. *c.* 8. *n.* 20. qui bibit, probabiliter putans, vel timens & dubitans, aut etiam suspicans, secuturam ebrietatem, & inhabilitatem ad actus humanos &c. Unde antequam pergat bibere, debet ex prudenti motivo deponere ejusmodi opinionem, dubium, aut suspicionem; secus enim non poterit dici laborasse ignorantia, vel inadvertentia ad peccatum ebrietatis excusandum requisita.

At quid, inquies, tenendum de illo, qui bene advertit, se non fore privandum usu rationis, quamdiu in domo, seu etiam popina perseveraverit; nihilominus plene privatum iri usu rationis, postea quam domum regressurus aeri se exposuerit?

687. R. Cum P. Gobat *l. cit. n.* 34. & la Croix *lib.* 5. *n.* 328. talem non peccare graviter modo proponat se non exponere aeri, & hujusmodi propositum servare soleat. Ratio est: quia quamdiu non se exponit aeri, tamdiu supponitur non inebriari: ergo propterea argui non potest gravis peccati. Quin etiamsi postea præter omnem suam intentionem vocaretur, & cogeretur se eidem exponere, non tamen ideo peccaret graviter, quia talis ebrietas mere per accidens causata, non foret voluntaria.

688. Colliges inde tertio, Eum qui se inebriat involuntarie, id est, contra omnem suam intentionem, quippe qui nullum prævidit periculum, aut certe fortitudinem vini non agnovit, nec putavit se inebriandum fore, reipsa non peccare graviter, peccato scilicet formaliter gravi.

Ratio evidenter colligi potest ex dictis supra *Conferent.* 2. *n.* 35. *& seqq.* quia talis ebrietas, eo ipso quod non fuerit præcognita, nequit esse voluntaria, & per consequens neque peccaminosa. Recte tamen S. Thomas, Navarrus & alii quos sequitur la Croix *n.* 329. docent, eum, qui sæpe fuit ebrius, semper sufficienter advertere, vel certe posse, ac debere advertere periculum, proptereaque semper peccare mortaliter. Unde, ait la Croix *l. cit.* qui confitetur, se intra mensem semel vel iterum fuisse ebrium, si sit vir intelligens, merito interrogatur, an prævideritt; si autem dicat, intra mensem decies id contigisse, supponi debet, semper peccasse mortaliter: Quod & ego verum existimo, si pœnitens fateatur, se fuisse toties ebrium, vel ut germani solent exprimere: Stern voll. Si tamen dicat solum, se intra mensem decies bibisse crapulam, id est, einen Rausch trunken, interrogandum ulterius existimarem, an adhuc perseveraverit in usu rationis, prout crapulosi perseverare solent, ac debent. Si sic: judicarem, eum per se loquendo, nunquam peccasse mortaliter. Sin autem dicat, se sibi nun-

nunquam amplius fuisse præsentem, plane condemnandum judicarem peccati mortalis, ob rationes hactenus datas de malitia ebrietatis plenæ.

689. Colliges quarto, in pessimo statu versari illos, qui quavis oblata, fortassis etiam sponte quæsita, occasione parati, immo vero assueti sunt, bibere more helluonum, scilicet nedum ad satietatem, verum insuper ad crapulam, & perfectam, seu plenam ebrietatem. Ratio clara est: quia revera tales, præterquam quod graviter noceant suæ sanitati, se ipsos etiam reddunt inhabiles ad agenda ea, quæ alioquin vi sui officii, vel obedientiæ etiam graviter obligantis tenerentur præstare. Insuper sæpe sæpius exponunt Uxores, liberos, aliosque v. g. Creditores periculo gravium damnorum, ac propterea multiplicia inferunt nocumenta; præbent aliis Scandala &c. at, de se liquet, hæc & similia sine peccato gravi non posse fieri: ergo. Hac de causa la Croix *l. cit. n.* 328. bene infert, quod is, qui per experientiam scit, se communiter inebriari, quando adit hæc, aut illa consortia, hoc, vel illo modo bibit &c. teneatur sub mortali cavere, ita, ut non possit absolvi, nisi hoc proponat. Ex quo quisque prudentum Confessariorum facile concludet, quo modo cum talibus habeat procedere.

690. Colliges denique ex hactenus dictis quinto, quod, licet a Doctoribus communissime, & bene quidem, recenseantur septem peccata capitalia, ob rationem supra *Conferent.* 21. *n.* 600. datam; nihilominus non omnia, sed quatuor tantum ex illis, scilicet Superbia, Luxuria, Invidia, & Acedia in sensu hactenus explicato sumpta, sint ex suo genere mortalia: reliqua vero tria, scilicet Avaritia, Ira, & Gula per se loquendo sint venialia duntaxat. Ita ex *Communi Doctorum* tenet Matthæucci *in cautel. Confessar. l.* 2. *c.* 28. *n.* 44. Ratio disparitatis inter utrumque genus hæc est: quia hæc posteriora possunt stare cum charitate Dei, & proximi, non item priora, prout partim ex hactenus dictis prudens lector haud difficulter colliget, partim etiam apud Doctorem proxime citatum videre licet. Esto fateri cogamur, quod etiam hæc posteriora sæpius, quam par est, conscendant gravitatem peccati mortalis.

Et hæc de Actibus humanis, Conscientia, Legibus, & peccatis (quæ omnia sine ullius præjudicio, & salva, semper Sanctæ Matris Ecclesiæ Auctoritate, aliorumque Superiorum meorum censura dicta velim) Tyronibus posse sufficere, existimo. Cedant proin ad animarum salutem, & præcipue ac finaliter ad majorem Dei Gloriam.



INDEX

Alphabeticus rerum & materiarum in hoc opusculo de Actibus humanis contentarum.

NB. Littera C. Conferentiam ; n. cum cifra numerum marginalem denotat.

C.

Con-

D.

E.

L.

Ca-

P.

P.

T

V



THE-

THEOLOGIÆ MORALIS
DECALOGALIS
PARS SECUNDA
DE
FIDE, SPE, ET CHARITATE,
NEC NON
IN PRIMUM PRÆCEPTUM DECALOGI
DE VIRTUTE RELIGIONIS,
VITIISQUE IISDEM VIRTUTIBUS OPPOSITIS.



Benevole Lector.

POsteaquam in primo Tractatu præliminari Actuum humanorum naturam, eorundemque principia ac regulas pro modulo nostro explanavimus, & casibus practicis illustravimus; progredimur jam ad explanandum eadem methodo Decalogum, id est, decem præcepta, Dei digito, vel Angelicis manibus in tabulis lapideis descripta, & Moysi in monte Sinay tradita; e quibus juxta D. Augustini aliorumque Theologorum receptissima opinionem, tria priora (utputa 1. *Non habebis Deos alienos &c.* 2. *Non assumes nomen Domini in vanum* 3. *Memento ut diem Sabbati sanctifices* &c.) vocari solent præcepta primæ tabulæ; eo quod hominem in sanctitate ad DEUM ordinent: reliqua septem appellantur præcepta secundæ tabulæ, eo quod hominem ordinent ad proximum in justitia.

Hujus igitur Decalogi explanandum suscipimus primum præceptum sequentis tenoris: *Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem - - non adorabis ea, neque coles* &c. *Exod.* 20. *v.* 3. 4. *&* 5. Liquet autem ex ipso tenore verborum, hoc præceptum primario esse negativum, utpote quo interdicitur semel & pro semper cultus cujuscunque demum Idoli; secundario autem esse affirmativum, in quantum nos adstringit, ut solum DEUM verum colamus & adoremus veluti Magister noster cœlestis clarius explicuit *Matth.* 4. *v.* 10. dicendo: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Cum vero cultus veri Dei necessario præsupponat Fidem, Spem, & Charitatem; *nemo* enim (inquit S. Augustinus *lib.* 1. *Enchirid.*) *colit Deum, nisi credens in Deum, sperans ab Eo bonum, Eumque diligens*; hinc ordo doctrinæ nos constringit, ut aliorum more Doctorum ea, quæ de his cuivis fidelium, & vel maxime etiam animarum Curatoribus seu Pastoribus scitu necessaria videbuntur, prius examinemus, vel etiam resolvamus.

Itaque in hác secunda parte per diversas Conferentias discutiemus *primo* naturam, necessitatem & obligationem Fidei divinæ: *secundo* Spei, & *tertio* Charitatis theologicæ; postea etiam, virtutem Religionis inter morales præstantissimam, quippe quæ tota quanta circa cultum DEO debitum, primo præcepto Decalogi nobis singulariter inculcatum occupatur, pertractaturi.

Porro post singulas virtutes mox recensitas singula vitia iisdem virtutibus contraria examinabimus, præmissis semper principiis practicis per casus practicos eadem ventilando, & tandem corollaria inde deducendo. Majoris vero claritatis gratia præmittendum duxi Elenchum, qui singularum conferentiarum ordinem, materiam & casus practicos repræsentet in compendio, veluti e proxima pagella patebit.

Id unum benevole Lector te obsecro quam humillime, ut errores, quos in hoc opusculo fortassis legendo deprehenderis, pro tua discretione ac prudentia excuses vel corrigas, laboribus autem meis eo, quo tibi eosdem nunquam non consecratos volui, animo ac fine utaris, scilicet tum ad propriam, tum ad aliorum etiam salutem, nec non ultimate ad majorem DEI gloriam in omnibus, & per omnia quomodocumque demum promovendam. Vale.

ELEN-

ELENCHUS CONFERENTIARUM, ET CASUUM,

HUJUS SECUNDÆ PARTIS THEOLOGIÆ DECALOGALIS.

CON-

CASUS

CONFERENTIA XI.

CASUS

CONFERENTIA XII.

CASUS

CONFERENTIA XIII.

CASUS

CONFERENTIA XIV.

CASUS

CONFERENTIA XV.

CASUS

CONFERENTIA XVI.

CASUS

CONFERENTIA XVII.

CASUS

CONFERENTIA XVIII.

CASUS

CONFERENTIA XIX.

CASUS

CONFERENTIA XX.

CASUS

THEO-



THEOLOGIÆ MORALIS DECALOGALIS PARS SECUNDA.

CONFERENTIA PRIMA.

De Natura Fidei Divinæ, ejusdemque necessitate.

SUMMARIUM.

1. *Virtus ut sic recte dicitur: habitus perficiens substantiam rationalem.*
2. *Dividitur communiter ex triplici capite, scilicet 1. ex parte subjecti. 2. ex parte objecti, & 3. ex parte causæ efficientis.*
3. *Virtus Theologica est habitus supernaturalis, a Deo infusus.*
4. *Eaque triplex, scilicet 1. fides, 2. spes, 3. charitas.*
5. *Quas ob causas virtutes Theologicæ deperire soleant.*
6. *Nomine fidei ut sic intelligitur assensus ob auctoritatem dicentis præstitus. Unde*
7. *Fides Divina illa dicitur, quæ innititur auctoritati Divinæ:*
8. *Et hæc rursus subdividi solet in habitualem, & actualem.*
9. *Objectum materiale Fidei est omnis veritas a DEO revelata.*
10. *Objectum vero formale motivum est infinita Dei veracitas, falli & fallere nescia.*
11. *Notatur breviter duplex necessitas ad salutem scilicet* medii, & præcepti.
12. *Fides habitualis omnibus omnino hominibus, tam parvulis, quam adultis, est simpliciter necessaria ad salutem: fides vero actualis adultis ad justificationem;*
13. *Non vero simpliciter ad salutem, prout multi asserunt.*
14. *Satisfit cuidam instantiæ.*
15. *Quid sit fides explicita, & quid implicita?*
16. *Omnibus omnino adultis ratione præditis ad justificationem obtinendam est simpliciter necessaria fides actualis explicita, & quidem supernaturalis in Deum, & Remuneratorem.*
17. *Et juxta multos etiam in Sanctissimam Trinitatem, nec non in Christum Dominum.*
18. *Insuper quivis adultus rationis compos necessitate præcepti tenetur saltem quoad substantiam scire, & explicite crede-*

re

re articulos fidei in symbolo Apostolorum contentos.
19. In Pastoribus vero animarum merito requiritur major notitia credendorum.
20. Præterea quivis Christianus tenetur scire 1. Orationem Dominicam. 2. Præcepta Decalogi & Ecclesiæ, nec non 3. Sacramenta ad salutem necessaria.
21. Sufficit tamen ea nosse quoad substantiam.
22. Symbolum Apostolorum vel Orationem Dominicam non addiscere memoriter, an, vel quale peccatum sit?
23. Omnes adulti ratione pollentes tenentur per se & directe ad præstandum internum assensum fidei, quamprimum hujus mysteria eisdem sunt satis proposita.
24. Quandonam hæc satis proposita censeantur?
25. Et quid de pueris ac puellis usum rationis primo adeptis circa hoc tenendum?
26. Multi Doctores existimant, præceptum fidei per se non obligare ad sæpius eliciendum actum fidei;
27. Oppositum tamen velut verosimilius hodie est tenendum.
28. Certum insuper est, quod sæpius per accidens saltem teneamur ad eliciendos actus fidei.
29. Resolvitur Casus I. cujusdam personæ acatholicæ, quæ, licet apprehenderit fidem Catholicam esse verosimiliorem, nihilominus in sua secta perseveravit.
30. Quomodo tali personæ a Confessario sit occurrendum?
31. Resolvitur Casus II. cujusdam Confessarii, qui pœnitentem de sufficientia doctrinæ Christianæ suspectum ob confluxum populi absque ulteriori examine absolvit;
32. Altera vero vice reversum velut hominem salutis incurium increpando dimisit sine absolutione.
33. Quomodo Confessario practice procedendum cum talibus?
34. Resolvitur Casus III. alterius cujusdam Confessarii, qui ad personam acatholicam moribundam vocatus præscidit ab articulis controversis, eandemque ad contritionem dispositam sub conditione absolvit;
35. Occurritur cuidam instantiæ contra resolutionem hujus casus factæ.
36. An licuerit, hanc personam sepelire in loco Sacro?
37. Præcepto fidei non satisfit per hoc præcise, quod quis generaliter credat, quidquid a Deo fuit revelatum.
38. Quivis fidelium post adeptum rationis usum tenetur addiscere articulos fidei juxta suam capacitatem.
39. Parentibus incumbit gravis obligatio instruendi suas proles in rebus fidei ad salutem necessariis.
40. Idipsum a fortiori dicendum est de Pastoribus animarum.
41. Hæreticus, cui fides Catholica videtur minus probabilis, vel omnino probabilior sua secta, non tenetur illico eidem assentiri.
42. Satisfit cuidam instantiæ in contrarium factæ.
43. Quidnam Confessario specialiter sit observandum circa pueros ac puellas, de quibus dubitare licet, an unquam satisfecerint præcepto fidei?

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus practicos circa naturam & necessitatem fidei.

QUæres primo, quid & quotuplex sit virtus ut sic?

1. R. ad primam partem hujus quæsiti. Virtus ut sic recte describitur, quod sit habitus perficiens substantiam rationalem, & ad bonam operationem inclinans. Ita ex *communi* DD. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 4. dist. 1. n. 3.* Bonitas autem & convenientia hujus descriptionis vel inde haud difficulter colligi potest; nam virtus hic sumitur, prout opponitur vitio: ergo quemadmodum vitium malum reddit hominem, ejusdemque opus vitiosum, ita & virtus recte dicitur habitus *perficiens substantiam intellectualem &c.* Et licet virtus non raro sumi soleat pro actu virtutis v. g. humilitatis, patientiæ &c. melius tamen; & magis proprie describitur nomine habitus inclinantis ad actus virtuosos; neque enim illico virtuo-

tuosus appellari solet, qui unum vel alterum duntaxat actum virtutis v. g. patientiæ aut humilitatis exercet, sed qui ex hujusmodi actibus frequentatis jam-jam acquisivit habitum sive promptitudinem sic operandi, veluti etiam constat de artificibus virtuosis, utputa Musicis, pictoribus &c &c.

2. R. ad secundam partem hujus quæsiti. Virtus ut sic, mox descripta convenienter ex triplici capite dividi potest & solet, scilicet 1. *ex parte subjecti*, in moralem & intellectualem. 2. *ex parte objecti* in Theologicam & moralem, & 3. *ex parte causæ efficientis* in acquisitam & infusam. Ita rursus cum *communi DD.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 5. Explico breviter singula membra per inductionem.

I. Itaque Virtus intellectualis dicitur illa, quæ intellectum, in quo subjectatur, perficit: tales secundum Aristotelem *6. Ethic.* 3. c. sunt quinque, videlicet intellectus, scientia, sapientia, ars, & prudentia; quibus a Theologis merito superaddi solet fides infusa & Theologica, quam Philosophus utpote gentilis, ignoravit. Virtus moralis illa dicitur, quæ subjectatur in appetitu rationali, id est, in voluntate, & versatur circa dirigendos mores juxta dictamen rectæ rationis, uti sunt justitia, misericordia, temperantia, fortitudo, Religio &c.

II. Virtus Theologica illa nuncupatur, quæ versatur immediate circa Deum, recte propterea dicta Theologica, quia Theologis principaliter incumbit de his virtutibus tractare. Ex quo liquet, virtutes Theologicas ex parte objecti recte distingui a virtutibus moralibus proxime descriptis; quia hæ non versantur immediate circa Deum, sed potius circa mores, seu etiam circa hominem in suis operationibus moralibus dirigendum.

III. Denique virtus infusa merito appellatur illa, quæ nobis a Deo immediate infunditur, uti revera vi baptismatis nobis infundi solent Fides, Spes, Charitas, juxta Concilium Tridentium, & communem Theologorum. Acquisita vero dicitur illa, quæ nostra industria & conatu, seu etiam actibus virtuosis sæpius frequentatis obtineri solet, uti experientia probat de virtutibus moralibus & intellectualibus. Verum pro meliori intellectu.

Quæres jam secundo, quid & quotuplex sit virtus Theologica?

3. R. ad primum, virtus Theologica est habitus supernaturalis a Deo infusus, elevans animam, ut immediate feratur in Deum. Ita in re *communis DD.* nominatim Henno *tract.* 2. *de virt. quæst. procem. conclus.* 1. Bene autem asseritur, quod sit habitus; tum ob rationem mox supra *n.* 1. datam; tum etiam, quia certum esse debet ex *c. Majores de baptismo*, quod virtutes Theologicæ reperiantur in parvulis baptizatis: at, non minus certum est, quod in iisdem non dentur actus virtutum, quarumcunque demum, ergo &c.

4. R. jam ad secundum. Virtus Theologica ut sic recte dividitur in tria membra, scilicet in Fidem, Spem & Charitatem. Ita *omnes*. Ratio est: quia hisce duntaxat tribus proprie convenit descriptio virtutis Theologicæ proxime data. Fatendum nihilominus est, quod mox enumeratæ virtutes a Theologis rursus distinguantur in habituales & actuales, quo nomine intelligunt actus seu actuale exercitium dictarum virtutum, scilicet fidei, spei, & charitatis.

Quæres tertio, quomodo dictæ virtutes Theologicæ cessare soleant in subjecto, vel quas ob causas depereant?

5. R. cum distinctione; nam virtus charitatis deperditur per quodvis peccatum mortale, econtra tamen virtus fidei, non nisi per peccatum infidelitatis, & virtus spei per peccatum desperationis depereunt. Ita cum *communissima DD.* Reiffenstuel *tr.* 4. *dist.* 1. *n.* 14. Ratio est: quia ex ordinatione divina habitus virtutum supernaturalium infusarum non destruuntur, nisi per actus sibi respective oppositos: atqui charitati Theologicæ (saltem ex ordinatione Divina) opponitur simpliciter omne peccatum mortale, econtra vero fidei duntaxat opponitur peccatum infidelitatis, & spei peccatum desperationis: ergo charitas deperditur &c.

Quæres quarto, quid sit fides, & quotuplex?

6. R. Nomine fidei communiter intelligitur assensus alicui propositioni da-

tus

tus ob auctoritatem dicentis. Et quia subin assensum præbemus vel propter auctoritatem Divinam (quæ, utpote simpliciter summa & infallibilis, de jure meretur assensum firmissimum, prout paulo post videbimus) vel etiam propter auctoritatem hominis duntaxat; hinc fides generatim sumpta & mox descripta communissime dividi solet in humanam, & Divinam. Verum fide humana, utpote nimium quantum fallibili relicta in suo esse, ad solam fidem Divinam, quippe quæ nostri fori est, convertimur. Unde.

Quæres quinto, quid sit fides Divina?

6. R. Fides Divina velut virtus Theologica recte describitur, quod sit virtus supernaturalis Theologica, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum omnibus a Deo revelatis, idque propter auctoritatem revelantis. Ita in re *communissima DD.* Bonacina *de fide disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 1. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 1. *n.* 1. Ratio hujus descriptionis facile constabit ex dictis hactenus; de jure enim meretur nomen virtutis; quia substantiam rationalem mirum in modum perficit: recte etiam dicitur supernaturalis; quia fides Divina est donum Dei excedens vires naturæ, non acquisitum, sed a Deo infusum, veluti jam constat ex hactenus dictis, & amplius constabit ex dicendis.

8. Quocirca tamen rursus notandum venit, etiam hanc virtutem seu fidem communissime a Doctoribus dividi in habitualem, & actualem. Nomine habitualis intelligitur illa qualitas supernaturalis, quæ juxta Tridentinum mox infra allegandum etiam parvulis in baptismate infunditur, vi cujus inclinamur ad firmiter assentiendum omnibus a Deo revelatis. Nomine autem fidei actualis intelligitur assensus firmus & certus, etsi propter obscuritatem ipsius rei revelatæ obscurus, datus alicui veritati a Deo revelatæ, prout diffusius explicat Sporer *tr.* 2. *c.* 1. *sect.* 1. *n.* 3. Reiffenstuel, Castropalao & alii.

Quæres sexto, quodnam sit objectum materiale, & quodnam formale fidei Divinæ?

9. R. Objectum fidei materiale est omne id, quod velut a Deo revelatum fide Divina creditur: & hoc rursus secernitur in complexum, & incomplexum. Objectum incomplexum (seu etiam subjectum) dicitur illud, de quo aliquid creditur: & quia de Deo ipso principales fidei articuli sunt credendi, hinc Deus dicitur objectum incomplexum principale & primarium fidei Divinæ: Objectum vero materiale complexum dicitur omnis veritas seu propositio a Deo revelata & fide Divina credenda. Ex. gr. in hac propositione: *Verbum Divinum, seu Deus fuit incarnatus*, ly Deus est objectum incomplexum & simplex: tota autem propositio simul sumpta est objectum materiale fidei complexum & quasi compositum, prout bene explicant Castropalao, Filliucius & alii.

10. R. Jam ad secundam hujus quæsiti partem: objectum formale motivum fidei Divinæ est infinita veracitas Dei, falli & fallere nescia. Ita post S. Thomam 2. 2. *q.* 1. *art.* 1. & Scotum 3. *dist.* 23. *q. un.* cum communi DD. tenet Tannerus *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 1. *dub.* 3. *n.* 31. Ratio est: quia objectum formale motivum fidei Divinæ recte dicitur illud, quod hominem prudentem potest, ac debet movere ad præbendum assensum veritatibus a Deo revelatis: atqui veracitas Dei infallibilis, vi cujus Deus nec falli potest in cognoscendo verum, neque etiam fallere in dicendo seu revelando verum, potest ac debet hominem prudentem movere ad præbendum assensum veritatibus a Deo revelatis; nam interrogatus v. g. cur credat Deum esse in Essentia unum, in Personis autem trinum? prudentissime respondet, se ideo hoc credere: quia Deus infinite verax, falli & fallere nescius hoc revelavit: ergo pro objecto formali motivo fidei Divinæ recte statuitur infinita Dei veracitas, nedum in cognoscendo, verum insuper in revelando; non quod ipsa revelatio se habeat per modum motivi, sed potius per modum conditionis sine qua non cognosceremus mysterium revelatum, & hoc ipso nec possemus eidem præbere assensum.

Quæres septimo, quomodo Fides sit necessaria ad salutem?

11. Ante responsionem breviter adverten-

tendum, hanc quæstionem intelligendam esse 1. tam de fide habituali, quam actuali. Item 2. tam de necessitate medii, quam de necessitate præcepti pro cujus majori dilucidatione supponendum est, illud dici necessarium necessitate medii in ordine ad aliquem finem v. gr. ad obtinendam æternam salutem, sine quo, sive culpabiliter, sive etiam inculpabiliter non obtento aut applicato, salus æterna absolute obtineri nequit: hoc modo Sacramentum Pœnitentiæ in re vel voto susceptum, post baptismum relapsis; itemque baptismus in re susceptus parvulis, adultis vero in re vel saltem voto susceptus est necessarius ad salutem æternam.

Econtra necessitate præcepti ad salutem necessarium dicitur illud, quod sine gravi culpa negligi vel omitti non potest, uti est v. g. restitutio boni alieni &c. nisi ignorantia inculpabilis, vel impotentia ab hoc excuset; in hoc enim præcipue differre noscuntur necessitas præcepti & medii, quod ab hac necessitate, medii scilicet, nulla prorsus excuset impotentia vel ignorantia, bene vero ab illa. h. n.

12. R. Jam ad præsens quæsitum. Fides habitualis omnibus omnino hominibus, tam parvulis, quam adultis est simpliciter necessaria ad salutem. 2. Fides vero actualis adultis nondum justificatis eodem modo, simpliciter scilicet, necessaria est in ordine ad obtinendam justificationem, & per consequens ad salutem. Hæc resolutio quoad primam partem est recepta ab omnibus: quoad secundam vero tenetur a Castropalao *part.* 1. *tr.* 4. *disp.*1. *punct.* 8. *num.* 3. Herincx *part.* 3. *tr.* 1. *disp.* 7. *num.* 32. Illsung *tr.* 3. *disp. un. num.* 30.

Ratio prioris desumitur tum ex illo Apostoli *ad Hebr.* 11. *sine fide impossibile est placere Deo*: tum etiam inde: quia nullus salvatur, nisi sit justus: at, quicunque justus est, necessario debet habere fidem habitualem; nam juxta Concilium Trident. *ss.* 6. *de justif. cap.* 7. *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*; scilicet habitualem. Ratio autem posterioris est hæc: quia omnis adultus ad justificationis gratiam obtinendam tenetur sese disponere ad eadem meditantibus actibus supernaturalibus fidei, & spei, & charitatis; nemo quippe adultus & ratione utens, juxta Tridentinum mox *cit. cap.* 7. & 8. consequitur justificationis gratiam, nisi hanc speret, & de peccatis doleat, Deumque super omnia saltem virtualiter diligat: at hoc fieri nequit, nisi adultus justificari volens credat, & Deum esse, & posse omnia hæc bona sibi conferre, veluti satis clare innuit Apostolus *loc. cit.* dicens: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit*: ergo omnibus adultis ratione utentibus in ordine ad justificationis gratiam obtinendam absolute simpliciter, seu necessitate medii necessaria est fides actualis & supernaturalis.

13. Dixi: *Adultis in ordine ad justificationis gratiam obtinendam &c.* Minus enim verisimile mihi videtur id, quod multi sine hæsitatione asserunt, scilicet, fidem actualem omnibus adultis ratione pollentibus esse simpliciter, absolute & necessitate medii *necessariam ad salutem*: minus, inquam, verosimile, & nimis generaliter hoc dictum mihi videtur; nam si infans baptizatus paulo post adeptum usum rationis moriatur, vel si baptizatus jam grandævus a nativitate cœcus, surdus & mutus invincibiliter ignoret Dei existentiam, & sine peccato mortali commisso decedat ex hac vita, procul dubio velut amicus & filius Dei adoptivus ob baptismi gratiam consequetur beatitudinem æternam, velut jure hæreditario sibi debitam, esto supponatur nunquam elicuisse actum fidei: ergo hic dici non debet simpliciter & absolute necessarius ad salutem. Dicere autem, quod impossibile sit, ut adultus moriatur sine actu fidei, vel quod Deus hujusmodi hominem perpetuo surdum & mutum &c. ante mortem teneatur miraculoso modo illustrare &c. videtur paradoxum: licet Sanctus Thomas, aliique magni nominis Theologi bene & sapien-

pienter omnino afferant, quod, si homo rationis usu præditus etiam in sylvis aut inter bestias educatus legem naturæ observaret, procul dubio a Deo ulterius illuminaretur, & duceretur in cognitionem sui auctoris & ultimi finis, scilicet Dei, quippe qui solet illuminare *omnem hominem venientem in hunc mundum*. *Joan.* 1. *c.*

Dices contra hoc. Innocentius XI. inter alias etiam damnavit sequentem *n.* 22. propositionem: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris*: ergo necessario cogimur fateri, fidem explicitam Remuneratoris esse simpliciter necessariam ad salutem.

14. R. *Distinguendo conseq.* cogimur fateri, fidem explicitam Remuneratoris esse ad salutem necessariam illis, qui nondum sunt justificati, idque in ordine ad justificationis gratiam obtinendam, *concedo*, illis, qui jam supponuntur justificati, *nego conseq.* Eoipso enim, quod hi velut justificati habeant gratiam sanctificantem, non amplius indigent alio medio simpliciter ad salutem necessario, veluti rem bene ponderanti de facili constabit.

Ceterum illa propositio in terminis generalibus, prout jacet, sumpta & intellecta, merito velut falsa & erronea fuit damnata, eo quod (ut ex hactenus dictis constat, & amplius constabit ex dicendis *n.* 16.) neget fidem explicitam in Remuneratorem justificandis in ordine ad assequendam justificationis gratiam esse simpliciter necessariam: quemadmodum bene damnaretur sequens propositio: *Sacramentum pœnitentiæ non est simpliciter necessarium ad salutem*. Videatur Cardenas *in Crisi Theolog. dissert.* 15. *ad dictam propositionem c.* 1. *a n.* 2.

Quæres octavo, quænam mysteria necessario sint credenda explicite necessitate medii & quænam necessitate præcepti?

15. Ante responsionem rursus supponendum est, quodvis mysterium credi posse vel *ex-* vel *implicite*. Explicite creditur, dum intellectus assentiendo immediate fertur in tale mysterium, illud in particulari, & in se ipso credendo: ut si quis dicat: credo, verbum D. fuisse incarnatum: credo Deum esse unum in Essentia, & in Personis trinum, talis dicitur explicite credere mysterium Incarnationis, & SS. Trinitatis. Implicite vero creditur, dum aliquod mysterium non in seipso distincte & particulariter attingitur, sed solum in aliquo alio, in quo implicite continetur. Ex. gr. qui credit, *quidquid Ecclesia Catholica credit, vel credendum proponit*, implicite credit omnia mysteria fidei. Porro in ipsa quoque fide explicita dantur quidam gradus, prout sapienter advertit Herincx noster *part.* 3. *disp.* 7. *n.* 41. nam alia est confusa, alia distincta, una quoque est confusior vel generalior altera, una distinctior altera. Hoc notato

16. R. jam ad quæsitum 1. necessitate medii (in ordine scilicet ad obtinendam justificationis gratiam) quivis adultus ratione præditus tenetur credere hæc duo saltem, scilicet, quod *Deus sit, & quod inquirentibus se Remunerator sit*. Ita teste Illsung *tr.* 3. *disp. un. n.* 31. *& omnes Theologi*. Ratio est: quia quisquis ad justificationis gratiam obtinendam tenetur se per proprios actus disponere, eo ipso quibusdam mentis quasi passibus, tenetur ad Deum accedere: atqui juxta effatum Apostoli *ad Hebr.* 11. *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se Remunerator sit*: ergo &c. Certum insuper & exploratum habetur, quod quivis adultus ratione pollens teneatur, quamprimum in Dei cognitionem venerit, in eundem tendere per Fidem, Spem, & Charitatem: at, implicat absolute, ut quis per Spem & Charitatem tendat in DEUM ceu ultimum finem nostrum, nisi credat & Deum esse, & esse Remuneratorem: ergo &c. Nec abs re Deus id a nobis exigit; sublata enim Fide & Spe præmiorum, tolleretur prorsus nedum omnis cogitatio de immortalitate animæ, verum insuper omnis sollicitudo æternæ vitæ; per consequens nemo Deum ex toto corde quæreret, nemo vitam suam, ut oportet, componeret in ordine ad salutem obtinendam: merito proin saltem hæc duo jubemur credere.

17. Dixi: *saltem hæc duo*; etenim

quam-

quamplures etiam, insignissimi DD. uti D. Thomas, S. Bonavent. Scotus &c. existimant, defacto post promulgatum Evangelium quemlibet adultum insuper necessitate medii teneri credere, & quidem explicite, mysterium SS. Trinitatis, nec non mysterium Incarnationis; idque satis clare convinci existimant tum ex Symbolo S. Athanasii, ubi absolute dicitur: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem - - Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur &c.* Et post pauca in eodem Symbolo habetur: *Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri JESU Christi fideliter credat &c.* Tum etiam ex illo, quia Christus Dominus *Marci ultimo* legitur, præcepisse suis Apostolis, *ut euntes in universum mundum prædicarent Evangelium* (consequenter etiam mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis) *omni creaturæ*, & absolute subjungit: *qui non crediderit, condemnabitur*; ex quo nonnulli volunt inferre, Fidem actualem in Sanctissimam Trinitatem, nec non in Christum, esse simpliciter & absolute omnibus adultis necessariam ad salutem. His tamen non obstantibus, censeo cum Patre Laymann, Sporer & aliis probatis Doctoribus, ex allegatis textibus plus non convinci, quam, Fidem explicitam in SS. Trinitatem & Christum necessariam esse necessitate præcepti post satis promulgatum Evangelium, sicut ex illo: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata &c.* non recte inferretur observantiam mandatorum esse necessariam necessitate medii ad salutem. Cumque aliunde certum sit, Fidem actualem explicitam in SS. Trinitatem & in Christum non esse medium simpliciter necessarium ex natura rei in ordine ad justificationem & salutem consequendam; hinc mihi videtur satis probabile, hanc Fidem explicitam non esse simpliciter necessariam necessitate medii, sed necessitate præcepti duntaxat. Et ita hodiedum tenent insignes Doctores quarumvis Scholarum, nominatim Paulus Mezger, Reding, Pettschacher, Babenstuber, Vega, Herincx, Sporer, Reiffenstuel, Suarez, Lugo, Laymann, Illsung, Castropalao *part.* 1. *tr.* 4. *disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 7. Viva *ad proposit.* 64. *ab Innocent. XI. damnatam num.* 10. *& alii plures.*

18. R. Jam secundo. Quilibet adultus, & rationis compos necessitate præcepti Divini tenetur scire, & explicite credere articulos Fidei, in Symbolo Apostolorum contentos, saltem quoad substantiam, ita, ut eos vero aliquo conceptu, licet imperfecto apprehendat. Ita *communis* & receptissima DD. Sententia cum S. Thoma 2. 2. *q.* 1. *art.* 8. & S. August. *Serm.* 181. *de Temp.* quos refert, & sequitur P. Babenstuber *tract.* 5. *disp.* 1. *art.* 1. *num.* 17. Ratio hujus desumenda est tum ex praxi & consuetudine Ecclesiæ, quæ omnibus fidelibus articulos Fidei in Symbolo Apostolorum contentos nedum proponit, sed etiam inculcat velut necessario credendos; tum ex eo etiam: quia in Ecclesia admittenda est aliqua scripta Regula, per quam populus Christianus dirigatur in iis, quæ Fide Divina sunt credenda: atqui nulla brevior aut magis accommoda assignari potest, quam Symbolum Apostolorum, quippe quod juxta S. Leonem Papam *serm.* 11. *de Passione D.* est *brevis* quidem, sed & *perfecta Fidei Christianæ Confessio*: ergo quivis adultus rationis compos tenetur explicite illos articulos credere & scire saltem quoad substantiam. Et licet nonnulli Doctores excipiant articulum de communione Sanctorum, eo quod hic hominibus rudioribus saltem videatur captu nimium difficilis; nihilominus huic etiam exceptioni merito sese opponunt Castropalao *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 10. *num.* 5. Sporer *tr.* 2. *cap.* 2. *Sect.* 2. *num.* 12. Babenstuber, aliique satis communiter; quia hic articulus nihil aliud innuit, quam quod in Ecclesia inter fideles detur communicatio bonorum spiritualium, utputa meritorum, orationum, suffragiorum &c. atqui hanc communicationem ne rudioribus quidem incognitam esse, vel exinde haud obscure colligi potest, quod ipsimet aliorum precibus & suffragiis sese recommendare assueverit: ergo &c.

19. Dixi : tenetur scire saltem *quoad substantiam* &c. pro cujus pleniori intellectu notes velim ex Filliucio *tr.* 22. *cap.* 2. *n.* 35. memoratos Fidei articulos tripliciter sciri posse , scilicet 1. quoad substantiam . 2. quoad modum , & 3. quoad difficultates etiam , seu controversias circa eosdem agitari solitas : primo modo illos scit , qui simpliciter apprehendit , quidnam vocibus illis significetur v. g. quod nomine Sanctissimæ Trinitatis intelligatur Deus in Essentia unus & trinus in Personis . Secundo modo illos scit , qui novit communem eorum declarationem seu expositionem , quam habent communiter adjectam præsertim in Catechismo Romano . Tertio modo illos scit , qui potest solvere difficultates ab hæreticis moveri solitas . Itaque fidelibus qua talibus , præsertim rudioribus , sufficit nosse articulos Fidei quoad substantiam : e contra in Pastoribus animarum , utputa Episcopis , Parochis , Confessariis & Concionatoribus merito requiritur scientia prædictorum articulorum etiam quoad secundum & tertium modum . Ratio est : quia ipsis vi officii sui incumbit alios fideles instruere , nec non hæreticorum fundamenta refutare , ubi opus fuerit : at , hoc certe nunquam poterunt præstare , nisi in articulis Fidei sint versati etiam secundo & tertio modo : ergo &c.

Ergone , inquies fortassis , sufficit , quod quilibet fidelis qua talis sciat , & credat ea duntaxat , quæ in Symbolo Apostolorum continentur ?

20. R. Fideli qua tali sufficeret , quia ex præcepto Fidei non tenetur plura scire ; nihilominus vi aliarum virtutum , utputa Spei , Charitatis , Pœnitentiæ , Religionis &c. quarum exercitium sæpius nobis incumbit , tenetur præterea quilibet fidelium explicite scire 1. Orationem Dominicam . 2. præcepta Decalogi & Ecclesiæ , & 3. Sacramenta illa , quæ jure Divino sunt necessaria ad salutem , utputa baptismum , pœnitentiam , & Eucharistiam . Ita cum communi Theologorum Castropalao *tract.* 4. *disp.* 1. *pu.* 10. *a n.* 3. Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 3. *num.* 6. *& seqq.* Tamburinus *lib.* 2. *in decalog. c.* 1. §. 1. *a n.* 5.

Ratio est ; quia quilibet vi suæ professionis nosse debet ea , quæ pertinent ad ipsius statum , aut officium : atqui omnia mox commemorata pertinent ad statum & officium hominis Christiani : quomodo enim præcepta Decalogi vel Ecclesiæ observaret ? quomodo ad pœnitentiam , vel Eucharistiam sese disponeret , nisi ea cognosceret ? &c. ergo &c.

21. Quocirca tamen rursus proxime allegati Doctores aliique communiter observant , quod non quilibet fidelium teneatur hæc omnia scire memoriter , multo minus quoad modum , & difficultates : sed sufficit , quod illa sciant quoad substantiam , ita , ut desuper interrogati vel examinati sciant commode & apte respondere , tametsi hoc non sufficeret in Pastoribus animarum , veluti proxime dictum fuit .

22. Nihilominus etiam plebejos (nisi hebetudo ingenii , vel labilitas memoriæ illos excuset) qui Symbolum Apostolorum , & orationem Dominicam non addiscunt memoriter , noxæ venialis , & crassioris quidem , merito condemnant Doctores citati : eo quod tales salutis suæ , rerumque Divinarum nimis incurii & negligentes debeant argui : profecto qui quantumvis exiguum Christiane vivendi , salutemque æternam assequendi desiderium fovent in animo , vel a puero similia addiscere , memoriæque commendare satagunt , prout praxis recepta fidelium docet .

Quæres nono , quandonam tum fideles , tum infideles etiam per se teneantur ad præbendum assensum internum Fidei articulis sibi propositis ad credendum ?

23. R. Omnes adulti , tam infideles , quam fideles per se & directe (id est , obligatione hac immediate orta ex præcepto Fidei Divinæ) tenentur ad præbendum assensum internum Fidei , quam primum mysteria Fidei nostræ salvificæ iisdem fuere sufficienter proposita velut a Deo revelata . Ita *communis* & certa omnium Theologorum habet sententia . Ratio est : quia assensus Fidei est quidam cultus , & reverentia Divinæ auctoritati exhibenda :

atqui

atqui ſana ratio ſuadet, hanc reverentiam Divinæ auctoritati utpote infallibili illico eſſe exhibendam; quemadmodum vi legum civilium tenemur v. g. alicui Regi & Principi nobis præſenti exhibere reverentiam politicam, ergo ſimiliter dicendum, quod quivis fidelium teneatur præbere aſſenſum veritatibus a DEO revelatis, quamprimum agnoſcit, illas a DEO revelatas.

At, inquies rurſus, quandonam igitur cuipiam vera Fides ſatis propoſita cenſeri debet?

24. R. Adultis infidelibus (idem tenendum eſt de fidelibus baptizatis, ſemper tamen inter infideles educatis) tunc vera Fides cenſeri debet ſufficienter propoſita, quando hujus myſteria rationibus deſumptis, ſeu etiam deſumendis ex notis veræ Eccleſiæ, utputa ex antiquitate, & ſanctitate doctrinæ & morum, ex innumeris miraculis a Deo in hujus veritatis confirmationem factis, ex innumerabili quaſi multitudine Sanctorum Confeſſorum & Martyrum, hujus doctrinæ veritatem effuſione proprii ſanguinis obliterantium &c. quando, inquam, ex hujuſcemodi motivis, accedente præſertim interiori Spiritus S. illuſtratione, ita proponuntur velut vera & credibilia, ut recta & ſana ratio dictet noſtram Fidem eſſe veram, contrariam vero ſectam, qualiſcunque demum illa ſit, eſſe falſam. Ita Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 1. *num.* 6. Bonacina, Reiffenſtuel & alii. Ratio eſt: quia tunc cenſeri debent ſufficienter propoſita quando proponuntur cum tot, tantiſque motivis, ut hominem prudentem ſimeritò debeant movere ad aſſenſum: at, myſteria Fidei proponuntur ex motivis allegatis profecto hominem prudentem, non præoccupatum ſiniſtra aliqua paſſione, averſione, vel obſtinatione, debent movere ad aſſenſum, prout multiplex experientia docuit: ergo &c.

25. Ceterum puellæ ac pueri inter fideles nati & educati, tenentur aſſenſum internum Fidei præbere, quamprimum uſum rationis aſſecuti a ſuis Parentibus, vel Parochis, aliiſve inſtructoribus intelligunt, hæc myſteria fuiſſe a Deo revelata, & ab Eccleſia proponi velut credenda; ſecus enim (niſi juvenilis imprudentia, levitas, inadvertentia ſeu etiam ignorantia illos excuſet) impingerent in præceptum Fidei, veluti hactenus dicta perpendenti de facili conſtabit. Quocirca tamen Doctores communiter notant, in praxi cum pueris ac puellis in hoc puncto non nimis ſcrupulizandum; nam ſi hanc obligationem (aſſentiendi ſcilicet) advertunt, abſque mora aſſentiri ſolent: ſin autem illam non apprehendant, eo ipſo a peccato poſſunt & debent excuſari. Adde inſuper, quod homines uſu rationis pollentes huic obligationi ſatisfaciant per actus Fidei, occaſione aliarum virtutum, utputa Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, Religionis &c. exercitos, prout bene adverterunt Tamburinus, Sanchez, Caſtropalao, Sporer, & Herincx *part.* 3. *diſp.* 7. *de Fide n.* 76.

Ergone, inquies, præceptum Fidei per ſe non obligat ſæpius ad præbendum internum aſſenſum?

26. R. Equidem multi inſignes Doctores exiſtimant, hoc præceptum elicito ſemel aſſenſu deinceps per ſe non obligare ſæpius, eo præſertim, quod nequeat aſſignari certum tempus hujus obligationis, prout vel inde haud obſcure colligere fas eſt, quod nonnulli putent, hoc præceptum per ſe obligare ſaltem ſemel in anno; alii diebus Dominicis & Feſtis; alii aliter, prout refert Sanchez *lib.* 2. *in decalog. c.* 1. *n.* 3. Neque huic doctrinæ quidquam præjudicari autumant ex eo, quod Innocentius XI. damnaverit ſequentes propoſitiones: quarum prior, *num.* 17. ita habet: *Satis eſt, actum Fidei ſemel in vita elicere*, poſterior vero, quæ eſt ultima, ita ſonat: *ſufficit illa Miſteria* (ſcilicet SS. Trinitatis & Incarnationis) *ſemel crediſſe*; quia (inquiunt) cum juxta communem Theologorum teneamur ſaltem per accidens ſæpius elicere actus Fidei; hinc dictæ propoſitiones juſtiſſime fuerunt damnatæ. Et ita hodiedum tenent Tamburinus *lib.* 2. *in decalog. cap.* 1. §. 1. *n.* 9. Lugo & alii, quos ſequitur Babenſtuber *tract.* 5. *diſp.* 1. *art.* 1. *num.* 39.

27. Nihilominus cenſeo probabilius, & veroſimilius, quemlibet fidelium per ſe

se & directe, id est, obligatione immediate orta ex præcepto D. Fidei sæpius teneri ad eliciendum actum internum Fidei. Ita *communior* & procul dubio tutior habet sententia, quam tenent Cardenas *in* 2. *crisi Theolog diss.* 11. *n.* 46. *&* *dissert.* 42. *c.* 2. *n.* 5. Viva *ad* 1. *propos. ab Alexandro VII. damnatam n.* 7. La Croix *lib.* 2. *n.* 10. Illsung. *tract.* 3. *disp. un. n.* 37. Henno *tr. de virtut. disp.* 3. *q.* 7. *concl.* 3. Matthæucci *in cautela Confessarii lib.* 1. *c.* 1 n. 5. *&* *rursus lib.* 2. *c.* 11. *n.* 3. Ratio nostra est: quia homo vi obligationis naturalis tenetur diversis temporibus, potissimum vero in principio vitæ post adeptum scilicet usum rationis, & in illius fine in Deum ceu ultimum finem tendere: at, nequit aliter in Eundem tendere, nisi per actus Theologicales, scilicet Fidei, Spei, & Charitatis, quibus deficientibus impossibile est, ut homo vitam suam recte instituat, aliaque salutis media fructuose usurpet: concludendum proin est, quod quivis fidelium per se teneatur ad eliciendos actus Fidei, esto hujus obligationis certius tempus assignari non possit, quam illud diluculum, quo primo recipit sufficiens lumen rationis in ordine ad dignoscendas Fidei veritates, item occasus vitæ, quo scilicet ad suum Creatorem habet pergere, & per consequens mediantibus actibus Fidei, Spei & Charitatis eidem sese specialiter conjungere: ex quibus insuper liquet, jure meritissimo ab Alexandro VII. damnatam fuisse sequentem propositionem num. 1. *Homo nullo unquam tempore vitæ suæ tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ab Innocentio vero XI. sequentem n. 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundum se.*

Quæres tandem decimo, an, vel quoties teneamur saltem per accidens & indirecte ad eliciendum actum Fidei?

28. Toties ad hoc tenemur, quoties adstringimur ad ponendum actum alterius virtutis, qui sine prævio actu Fidei poni non potest. Ita rursus *communissima* & certa DD. sententia. Ratio est: quia quisquis tenetur ad aliquem finem, eodem præcepto tenetur ad ponenda media in eundem finem necessaria: atqui actus Fidei sæpissime est necessarius ad ponendos aliarum virtutum actus, utputa amoris, spei, contritionis &c. impossibile enim est, ut quis speret in Deum, Eundem amet, vel propter offensam Dei de suis peccatis doleat, nisi credat, & Deum esse, summo amore dignum, & hoc ipso non esse offendendum. Perbene autem Theologi asserunt, in hisce casibus nos per accidens & indirecte duntaxat obligari ad actum Fidei; quia scilicet talis obligatio non proficiscitur immediate ex præcepto Fidei, sed ex obligatione aliarum virtutum, uti visum est. Inde fit, quod is, qui neglexit v. g. Confessionem, aut Communionem Paschalem &c. in Confessione postea non teneatur se singulariter accusare ob neglectum actum Fidei (nisi ex infidelitate, seu etiam incredulitate ad hujusmodi neglectum fuisset inductus) sed satisfaciat dicendo: neglexi voluntarie Confessionem, seu etiam Communionem Paschalem, veluti ex *communi DD.* Sententia tradunt Reiffenstuel *tract.* 4. *dist.* 2. *n.* 37. & Sporer *tr.* 2. *in decal. c.* 2. *sect.* 3. *num.* 20 ubi mox *a n.* 21. recenset alios quatuor casus, in quibus per accidens adstringimur ad ponendum actum Fidei, scilicet 1. quando homo tenetur aut vult recuperare justificationis gratiam. 2. Quando vult suscipere aliquod Sacramentum. 3. Quando urgetur gravi tentatione contra quamcumque virtutem, quam putat se vincere non posse, nisi fortiter resistat in Fide. Quarto denique quando quis exterius tenetur profiteri Fidem v. g. coram Tyanno, qui conatur a vera Fide divertere, ita scilicet, ut fidelis revera existimet se in periculo negandi veram Fidem, nisi per actus Fidei fortiter resistat; quo casu tamen non tam vi præcepti affirmativi, quam negativi, de non neganda Fide, adstringitur ad actum Fidei eliciendum.

§. II.

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici de natura, necessitate, & obligatione Fidei.

CASUS PRIMUS.

T*Itia a Parentibus acatholicis nata & educata, posteaquam ad usum rationis pervenit, Catholicorum mores, ritus, & devotiones accuratius votare cœpit, & de iisdem non modice sibi complacuit, eo præsertim, quod hinc inde intellexerit eandem Fidem Catholicam multis miraculis a Deo fuisse confirmatam. Verum cum non minus multiplici experientia didicisset, illas, qui Parentum suorum Fidem, qua semel imbuti fuere, abnegant, ab aliis etiam melioris notæ hominibus passim despici ac vilipendi, simulque sine gravissima Parentum suorum, immo totius illustris familiæ suæ offensa id facere non potuisset, tandem secum ratiocinando ita conclusit: video sane meliora apud Catholicos, proboque, verum cum in articulis fundamentalibus conveniamus, simulque sine graviori offensa Parentum &c. eandem fidem amplecti non liceat: hinc deteriora sequor, maneoque in mea Fide semel suscepta: si Deo placuisset aliud, potuisset procul dubio æque faciliter facere, me a Catholicis Parentibus prognasci. Quæritur jam 1. quid de hac resolutione censendum? & 2. quomodo Titiæ occurrendum, casu quo postea consilii causa veniret ad Sacerdotem vel Confessarium Catholicum?*

29. R. ad primum quæsitum hujus casus hanc resolutionem nullatenus esse probandam, nec dubitandum, quin Titia perseverando in sua secta per se loquendo peccaverit, immo vixerit in continuo statu peccati mortalis. Ratio est: quia cum habuerit tot ac tanta motiva credibilitatis, interioresque stimulos, ut Religio Catholica eidem visa fuerit longe melior, procul dubio eidem pariter visa fuerit verosimilior, ac probabilior: esto proin fortassis hactenus nondum fuerit convicta de falsitate suæ sectæ, neque plenarie informata de mysteriis Fidei Catholicæ, proptereaque non illico obligata ad abjurandam suam sectam; nihilominus certum esse debet, eam jam fuisse obligatam ad inquirendam omnimodam veritatem; quod, cum nondum fecerit, procul dubio saltem per se loquendo (nisi scilicet ignorantia vel inadvertentia hujus obligationis, de qua in praxi specialiter foret examinanda, laboraverit) graviter deliquit, veluti haud obscure colligere fas est ex illa *numer.* 4. propositione ab Innocentio XI. damnata: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili* (suæ sectæ scilicet)

30. R. jam ad secundum. Titiæ in tali casu persuadendum, & a Confessario remonstrandum fore, hanc in articulis fundamentalibus (ut ipsi loquuntur) convenientiam cum Catholicis non esse sufficientem ad salutem, immo esse nullam, & meram inanem persuasionem acatholicorum; quia cum pro omnibus fidei articulis militet idem motivum formale, scilicet infinita Dei veracitas falli & fallere nescia, secundum dicta *num.* 10. consequens profecto est, quod is, qui pertinaciter negat unum, hoc ipso neget infinitam Dei veracitatem, neque hoc motivo credat vel credere possit alium, veluti pluribus rationibus & argumentis id probat R. P. Pichler in sua *theolog. polem. part. 1. contra Indifferentist. art. 9. num. 15. & seqq.*

Esto etiam durum sit relinquere Parentes, amicos, offendere familiam Illustrem, & fortassis ingentem bonorum temporalium jacturam subire; quia tamen & sana ratio & fides vera docet, hæc bona temporalia esse postponenda æternis, juxta illud infallibile Christi Domini effatum apud *Matth. 10. cap. vers.* 37. *Qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, non est me dignus & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*; hinc minime eximi potest ab hac obligatione.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius Sacerdos bene advertit, quendam pœnitentem plebejum sua peccata valde rudi & imperfecto modo, immo sine distinctione numerica & specifica, & sine ulla prorsus mentione de dolore ac proposito emendandi &c. expressisse; quia tamen ea die fuerat ingens populi confluxus, hinc ut se brevius expediret, prorsus nil aliud interrogavit, quam: utrum doleat de suis peccatis? & an nolit ea deinceps committere? quo respondente: Ita Domine, eundem non sine remorsu conscientiæ absolvit, hac de causa alio tempore reversum, velut suspectum de sufficientia doctrinæ christianæ paulo accuratius examinavit, & illico deprehendit eum ne mediocriter quidem tinctum in materia fidei, aliisque ad pœnitentiæ valorem necessariis, quam ob rem eundem velut hominem salutis suæ minus incurium objurgando & increpando repulit, negata eidem absolutione usque dum ea, quæ ad salutem scitu sunt necessaria, melius didicisset. Quæritur jam, an Confessarius iste bene processerit?

31. R. Nequaquam bene, certe non quoad primum, dum scilicet illum nuper absolvit, esto nec numerum expresserit, neque speciem (si tamen supponatur attulisse peccata mortalia) Ratio est: quia Confessario sub gravi culpa incumbit in materia necessaria supplere defectum pœnitentis, eundem examinando de numero & specie peccatorum, nec non de dolore ac proposito &c. ne scilicet Sacramentum exponat periculo sacrilegæ nullitatis, veluti diximus *in theolog. Sacram. part. 2. Confer. 17. n. 432. ex cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* Neque excusari potest ex eo, quod fuerit ingens concursus; tum quia concursus non excusat ab integritate materiali confessionis, veluti liquet ex propositione 59. ab Innocentio XI. damnata, quæ dicebat, quod ratione magni concursus pœnitentium liceat dimidiate tantum confessos absolvere sacramentaliter; tum etiam, quia præstat paucioribus rite tamen dispositis hoc Sacramentum administrare cum fructu, quam plures sed indispositos absolvere sine fructu & sacrilege.

32. Dixi etiam Sempronium non bene fecisse *quoad primum*; quoad secundum enim æque male processisse mihi videtur; nam si pœnitens ea, quæ necessario scire debuisset & credere, ignoravit ex labilitate memoriæ, vel naturali inadvertentia, commiseratione potius, quam increpatione dignus fuit, ut de se patet. Si autem supponatur illorum notitiam neglexisse ex mera desidia & incuria salutis, tunc potius ad adhibendam majorem diligentiam blande fuit exhortandus & adjuvandus pro possibili, quam severiori animadversione repellendus; experientia quippe multiplici constat, duriores increpationes nocuisse sæpissime, nunquam vero, vel admodum raro profuisse ad salutem: solent enim hujusmodi homines a Confessionibus & reliquis Divinis absterrere, aut omnino reddere pusillanimes; quod, utinam altius cordi imprimerent nonnulli Rigoristæ (fortassis melius dicerentur impatientistæ) & in hoc imitarentur exemplum Salvatoris ac Magistri nostri, qui nullibi legitur increpasse, vel cum indignatione repulisse pœnitentes.

At, inquies, quomodo Confessarius hominem tam rudem, tamque salutis suæ incurium in tam modico temporis spatio satis erudiet?

33. R. Poterit procul dubio, dummodo ex ipsius parte non deficiat Charitas proximi, & patientia in simili casu necessario usurpanda: neque enim necessum est, ut pœnitens omnia credenda sciat memoriter vel ordinate quoad modum, sed sufficit, quod illa sciat secundum substantiam, uti diximus *num. 21.* Practice itaque Confessarius procedat hoc aut simili modo: proponat hujusmodi pœnitenti rudi & ignaro præcipuos Fidei articulos, & ad singulorum propositionem conetur cum eo elicere actum fidei supernaturalis v. g. hoc modo: charissime fili, nunquid scis, & credis, Deum esse unum in essentia & trinum in personis? si respondeat: *Ita*: ulterius instet Confessarius: nunquid etiam credis in Jesum Christum, qui pro nobis passus, crucifixus, & mor-

& mortuus fuit &c. rursus illo respondente: *Ita*, uti communiter solent; ulterius conetur cum illo elicere actum formalem fidei, id est, ex formali motivo fidei, v. g. hoc aut simili modo: dicito ergo charissime fili, & ex toto corde dicito Symbolum Apostolorum, dicito insuper: credo quidquid sancta Mater Ecclesia credendum proponit, quia Deus infinite verax id revelavit &c. quo tandem obtento adhortetur illum, ut velit deinceps melius addiscere ea, quæ fide divina sunt cuilibet fidelium credenda; secus enim non esset absolutione dignus, prout liquet ex propositione 64. ab Innocentio XI. damnata in sequentibus terminis: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorium fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* Tum vero secura conscientia illum absolvat.

CASUS TERTIUS.

Caja Lutheranæ Sectæ amore capta statuit patrios lares (in quibus hactenus Lutheranismus impune nunquam fuerat toleratus) deserere, & alio ubi-ubi demum ejusdem Religionis exercitium toleraretur, emigrare. Verum vix patriam egressa (nescio quo fato) in alieno territorio seu pago merum Catholico incidit morbum lethalem: hinc sponsus Cajæ, qui ceteroquin bonus Catholicus cæco duntaxat amore eandem fuerat comitatus, de salute animæ non minus, quam corporis sollicitus, accessit R. Dominum Parochum loci, ubi Caja decubuit, ab eo humiliter petens, quatenus dignaretur Cajam invisere, eamque ad bonam seu Christianam mortem disponere, ita tamen, ut de purgatorio, de indulgentiis, de confessione auriculari &c. utpote nunquam persuadendis Cajæ, omnino præscinderet. R. D. Parochus tum animæ, tum etiam divini honoris zelo ductus illico secutus est sponsum, cumque Cajam invenisset jam-jam cum morte luctantem, elicito prius actu Fidei in Deum unum & trinum, nec non in Jesum Christum &c. eandem ad dolorem universalem de peccatis concipiendum disposuit, quo obtento Cajam sub conditione absolvit. Quæritur jam, an R. D. Parochus bene egerit?

34. R. Omnino bene & laudabiliter. Ratio est: quia conatus fuit modo meliori, quo in his circumstantiis fieri poterat, procurare animæ salutem; disponendo scilicet infirmum tum ad verum dolorem superturalem de peccatis, tum etiam ad assentiendum fidei mysteriis simpliciter ad salutem creditu necessariis. Bene proin egit, partim quod eam absolverit, ne fortassis cum sola attritione decedens ex hac vita incurreret æternam damnationem, quæ accedente simul beneficio absolutionis fortassis obtinuit salutem æternam; partim etiam, quod non absolute, sed sub conditione duntaxat illam absolverit; quia quotiescunque ex una parte affulget probabilis spes valoris hujus Sacramenti, ex altera vero timendum est periculum frustrationis, tunc urgente casu necessitatis potest, immo & debet administrari non absolute, sed sub conditione ad consulendum tum animæ saluti, tum etiam reverentiæ Sacramenti, veluti diximus *in theolog. Sacram. part. 2. Confer. 8. num. 200. & seqq.* atqui in hoc casu revera erat summum periculum animæ: ex altera vero parte nonnulla spes valoris Sacramentalis apparuit, etsi periculum irreverentiæ & nullitatis Sacramenti ob pertinaciam Cajæ, utpote educatæ in partibus Catholicorum procul dubio fuerit majus: ergo R. D. Parochus bene egit, eam sub conditione absolvendo.

At, inquies, Caja in facie Ecclesiæ fuit hæretica, simulque pertinax, veluti liquet ex relatione sponsi, neque erat parata corrigi ab Ecclesia: ergo nullatenus debuisset absolvi, nequidem sub conditione.

35. R. Negando conseq. Ex hoc enim plus non convincitur, quam, quod non debuerit absolvi absolute; enimvero multi procul dubio reperiuntur hæretici, pertinacissime contradicentes S. Pontifici, vel Ecclesiæ Romanæ, eo quod de hac nil, nisi scabiosum & infamatorium unquam audiverint, qui, si agnoscerent veritatem fidei Catholicæ, procul dubio incunctanter eandem amplecterentur: & licet

cet Caja, utpote nata & educata in partibus Catholicorum procul dubio videatur minus excusabilis ab hæresi & culpa formali, potuit nihilominus ob instantissimum animæ periculum sub conditione absolvi. Sapienter proin ait La Croix *lib. 6. part. 2. num.* 1866. quod si Sacerdos Catholicus intelligat, hominem acatholicum ad extrema deductum, prudenter faciat (nisi quid aliud obstet) eum accedendo: cumque eodem actus Fidei, Spei, & Charitatis eliciendo, manendo in illis, quæ nobis communia sunt cum hæreticis: si tamen circumstantiæ patiuntur (pergit idem) potest postea rogare, an non vellet amplecti Fidem salvificam, & veram, si sciret, se non esse in vera Fide? Item an non vellet amplecti omnia ad salutem necessaria, confiteri, & absolvi? &c. Monet tamen recte Vindex Gobati *ad propos.* 4. quod, si spes sit de amplectenda Religione Catholica, simulque tempus & circumstantiæ patiantur, hanc debere proponi infirmo. Videatur La Croix *loc. cit.* vel ea, quæ diximus *part.* 2. *Theolog. Sacram. Confer.* 8. *n.* 213.

Ergone, inquies, Caja sepeliri potuit in loco Sacro?

36. R. Potuit sine dubio, modo abfuerit scandalum. Ratio est: quia supponitur in mortis articulo dedisse signa Pœnitentiæ, & a censura sicut & a peccatis saltem probabiliter valide fuit absoluta. Et licet videatur ingens dubium, an non fuerit hæretica formalis potius, quam materialis; nihilominus stante dubio videtur potius inclinandum in partem benigniorem pro favore defunctæ, ait recte La Croix *lib. 7. num.* 263. Addo insuper, ab Henriquez, Suarezio *de censur. disp.* 12. *sect.* 4. *num.* 2. *in fine*, & a Laymanno *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *c.* 4. *num.* 9. velut probabile sustineri, quod excommunicatos non vitandos (qualis etiam erat Caja) modo ante mortem manifesta signa dederint, tametsi ab hæresi absoluti non fuerint, liceat sepelire in loco Sacro, quemadmodum pro iisdem licet offerre orationes publicas, & Sacrosanctæ Missæ Sacrificia. Nihilominus cum in tali casu de facili natum sit oriri scandalum, & alia plura incommoda in plebe, præsertim in loco mere Catholico; hinc sapienter monet Laymann *loc. cit.* Episcopum prius hac de re esse admonendum, qui si velit, etiam post mortem absolutionem ab excommunicatione potest impendere.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

37. Colliges ex hactenus dictis primo, non satis esse, quod homo rudior seu de communi plebe credat articulos Fidei implicite duntaxat, id est, in genere præcise credendo, *quidquid credit S. Mater Ecclesia*, vel, *quidquid Deus revelavit &c.* Ratio est: quia status & professio hominis Christiani haud dubie exigit, ut præcipua Fidei Divinæ mysteria seu articulos & cognoscat, & credat: atqui hoc non præstat, qui in genere duntaxat credit, quidquid Deus revelavit, vel Ecclesia proponit &c. ergo. Hac de causa teste Reding apud Babenstuber *tract.* 5. *disp.* 1. *art.* 1. *num.* 20. Gregorius XI. *in direct. inquisit.* 1. *part. q.* 10. *hæres.* 8. damnavit sequentem propositionem: *Laici non tenentur ad aliquem articulum Fidei explicite credendum, sed sufficit illis ista conclusio in genere, quod credunt omne illud, quod Sancta Dei Ecclesia credit.*

38. Colliges secundo, Fideles quamprimum pervenerunt ad usum rationis, teneri juxta capacitatem & statum suum talem ac tantam adhibere diligentiam in ordine ad addiscendos Fidei articulos, qualem quisque prudentum adhibere solet in addiscenda re vel arte sibi multum utili ac proficua. Ratio de se liquet: quia scilicet cognitio præcipuorum Fidei mysteriorum cuivis fidelium nedum proficua, sed omnino necessaria est ad salutem secundum hactenus dicta. Tenentur proin frequentare Parochiam, seu etiam catechesin, quatenus in rebus Fidei ad salutem necessariis instruantur, secus enim juxta qualitatem desidiæ graviter vel leviter peccabunt, uti bene observat

vat Matthæucci *in caut. Confess. lib. 2. c. 14. n. 12.* Atque hinc ulterius

39. Colliges tertio, Parentibus incumbere obligationem gravissimam instruendi (sive dein per se ipsos immediate, sive per alios, utputa Præceptores, Ludimagistros &c.) suas proles in rebus Fidei ad salutem necessariis, adeo, ut si eos impediant, vel commoditatem non procurent, vel instructionem prorsus negligant, gravissime peccent. Ratio est: quia hoc modo deficiunt in puncto gravi ab eo, quod iisdem tam jure naturæ, quam Divino etiam & humano incumbit. Adde insuper, quod ex tali neglectu sequatur in prolibus haud exiguum salutis præjudicium: id, quod vel maxime inculcandum est hominibus agrestibus, qui proles suas, dum vix incipiunt ratione uti, applicant pascendis pecoribus, & raro permittunt eas templum adire, ac rarius conciones, neque easdem domi instruere solent, prout multiplex experientia docuit. Ulterius

40. Colliges quarto, Pastores animarum, quibus cura pascendi commissa est, sub gravi culpa adstringi ad erudiendos subditos suæ curæ commissos in Fide, aliisque ad salutem necessariis, ita ut secus facientes pro gravitate incuriæ aut desidiæ peccent mortaliter, sicut & illi, ait Sporer *tr. 2. in decalog. c. 2. n. 14.* qui scienter promovent Pastores ignaros, aut quos sciunt suos subditos non instuere in necessariis ad salutem. Ratio est: quia hi nedum ex charitate vel pietate, uti parentes, sed insuper ex justitia tenentur procurare salutem spiritualem suorum subditorum: ergo si id culpabiliter negligant, graviter peccant, possuntque censuris Ecclesiasticis eo compelli, uti bene docent Sanchez *lib. 2. c. 3. num. 15.* Laymann, Filliucius & alii. Videatur La Croix *lib. 2. n. 29.*

41. Colliges quinto, hæreticum non teneri ad deserendam suam sectam (& consequenter eam non deserendo non peccare) quandiu judicat, eam esse verosimiliorem & credibiliorem Fide Catholica. Ratio est: quia quamdiu hoc eidem videtur, pronum est colligere, vel quod fundamenta Fidei nostræ eidem nondum fuerint satis proposita, vel certe quod ea hactenus nondum satis penetraverit: at, quamdiu hæreticus non agnoscit fundamenta Fidei Catholicæ, tandiu non tenetur, immo nec potest iisdem præbere assensum Fidei, quippe qui debet esse firmissimus. Quin immo, tametsi existimaret, Fidem nostram Catholicam esse probabilibus veram, si tamen stante tali opinione adhuc quodammodo formidet, ne non sit vera, nondum tenetur, immo nec potest præbere assensum Fidei Divinæ; quia hæc niti debet motivo infallibili, quo præciso prudenter nequit dari assensus firmissimus: ergo quamdiu hæreticus non agnoscit, vel certe non penetrat motiva infallibilia Fidei Catholicæ, tandiu non potest præbere verum assensum Fidei, prout ulterius haud obscure colligere fas est ex illa propositione *num. 21.* ab Innocentio XI. damnata: *assensus Fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

Atqui, inquies, idem Innocentius XI. damnavit etiam sequentem propositionem *num. quartam*: *ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili*: ergo quamprimum apprehendit Catholicam Fidem esse magis probabilem & verosimiliorem sua secta, tenetur immediate præbere assensum dogmatibus Catholicis.

42. R. Neg. conseq. quia ex hoc solum erui valet, quod post adeptam semel notitiam de majori probabilitate & veritate Fidei Catholicæ culpabiliter perseveret in sua secta sibi visa minus probabili. Et merito; quamprimum enim advertit, se probabilius versari in errore Fidei (quæ utique est materia gravissima concernens Dei gloriam & animæ salutem) tenetur ulterius invocare Spiritus S. gratiam, & pro possibili indagare in omnimodam veritatem, quo facto procul dubio Deus illum diriget ad talem, a quo accedente Spiritus S. gratia plenarie illustrabitur, & omnimodam veritatem deprehendet, veluti plura de hoc nobis exstant exempla: quodsi autem neglexerit ulteriorem inquisitionem, absque dubio culpabiliter perseverabit in suis erroribus, nec excusari potest ab infidelitate adhærendo

do suæ sectæ, ductus opinione minus probabili. Videatur Cardenas *in* 2. *Crisi Theolog. dissert.* 5. *c.* 2. vel La Croix *lib.* 2. *num.* 48.

43. Colliges denique sexto, in praxi non esse necessarium, ut Confessarius Pœnitentem interroget, vel ut pœnitens seipsum examinet, utrum satisfecerit præcepto affirmitavo de eliciendo actu seu assensu interno Fidei. Ratio est: quia moraliter loquendo fere semper & infallibiliter quasi contingere solet, ut homo Christianus fidem Christi semel ex corde amplexus ac confessus nedum per annnm, sed etiam per diem aut certe per mensem plures exerceat actus fidei, utputa dum Missam audit, confitetur, aut concioni interest, tametsi non ita reflexe attendat ad eosdem actus fidei. Fatendum nihilominus est, quod neque Confessarii suo bene fungantur officio, qui dum a pueris vel puellis hac super re generaliter examinatis, an omnia credant, quidquid S. Mater Ecclesia credit, vel credendum proponit? &c. audiunt frigidum *ita*, illico contenti aquiescunt & absolvunt; sæpius enim quam par est respondendo asserere solent, se credere, qui tamen ulterius examinati *cur credant?* nesciunt dare ullam prorsus rationem: quemadmodum examinati & interrogati *an doleant de suis peccatis?* promptissime quidem respondere solent: *ita Domine*: Qui tamen ulterius examinati motivum, *cur doleant?* prorsus ignorare deprehenduntur, cur de peccatis sit dolendum: sicut proin talis dolor, utpote motivo supernaturali destitutus prorsus insufficiens est ad valorem Sacramenti; ita sane fide destituta motivo supernaturali, auctoritatis divinæ scilicet, prorsus est insufficiens ad salutem. Inculcandum proin in praxi est huiusmodi hominibus motivum formale fidei, cumque illis eliciendus actus supernaturalis fidei v. g. hoc aut simili modo: *Credo, Deum esse unum in essentia, & trinum in personis &c. quia ipse velut infinite verax hoc revelavit.&c. aut Credo, Verbum divinum fuisse incarnatum, eo quod S. Mater Ecclesia hoc velut a DEO infinite veraci revelatum proponit &c. Videatur de hoc la Croix lib.* 2. *n.* 30. *& seqq.*

CONFERENTIA SECUNDA.

De obligatione fidem exterius profitendi.

SUMMARIUM.

44. *Datur obligatio fidem veram exterius profitendi.*
45. *Idque toties, quoties vel* 1. *honor Dei & Christi, vel* 2. *salus propria, aut* 3. *salus proximi id exigit.*
46. 47. *&* 48. *Breviter declaratur, quando illud honor Dei, vel salus propria, aut proximi censeatur exigere.*
49. *Quænam sit differentia inter dissimulare fidem propriam, & inter simulare fidem alienam.*
50. *Ob gravem causam quandoque licite dissimulatur fides vera, modo non instet præceptum vel obligatio hanc exterius profitendi*
51. *Recensentur breviter nonnulli casus, in quibus vi juris Pontificii datur obligatio deponendi professionem fidei.*
52. *Nunquam prorsus licet negare fidem veram seu Catholicam; quæ*
53. *Tripliciter, scilicet vel verbis, vel factis, vel denique signis negari potest.*
54. *Quandonam quis censeatur fidem negare verbis.*
55. *Quandonam factis; Et*
56. *Quando signis: breviter declaratur.*
56. *Quidnam hic nomine signorum veniat intelligendum?*
58. *Signis aut vestimentis distinctivis Nationis duntaxat a Natione, vel etiam Religionis a Religione ex gravi causa probabiliter licitum est uti, non item signis potestativis falsæ secta.*
59. *&* 60. *Satisfit duabus instantiis in contrarium factis.*
61. *Resolvitur Casus I. de quodam Sacerdote Chatbolico a Consistorio Anglicano examinato de sua fide &c.*
62. *Qui nullatenus tenebatur fateri conditionem sui status.*
63. *Quin etiam tuta conscientia utendo restri-*

strictione mentali negare potuit, se quidpiam scivisse de constitutione anglicana prohibitiva &c. &c.

64. *Resolvitur Casus II. de quodam chalcographo Catholico, qui sua servitia addixerat cuidam alteri Acatholico, dissimulans fidem propriam.*

65. *An peccaverit negligendo divina, vel observantiam præceptorum Ecclesiasticorum?*

66. *Et undenam practice loquendo species vel numerus peccatorum ab eo commissorum colligendus sit?*

67. *Resolvitur Casus III. de quodam Præcone Ariano, qui imminente sibi mortis periculo petiit Sacerdotem Catholicum, in vestibus sæcularibus compariturum.*

68. *Quidsi talis nulla ratione eo adduci possit, ut fidem Catholicam per se ipsum ante obitum publice profiteatur?*

69. *Quidsi persona privata tantum id recusaret?*

70. *An Præco Arianus post recuperatam valetudinem potuerit diutius dissimulare externam professionem fidei?*

71. *Universim omnia illa verba vel facta, quæ significant abnegationem fidei, a Catholico vitari omnimode debent.*

72. *Interrogatus a persona privata per se loquendo non tenetur respondere, sed potest eludere interrogantem.*

73. *Catholicus, cernens SS. Eucharistiam, vel Crucifixum ab hæretico indigne tractari, tenetur se opponere, modo id possit utiliter.*

74. *An, vel quando permissum sit fugere tempore persecutionis, præsertim Pastoribus animarum?*

75. *Per se loquendo non impingit in præcepta fidei, qui profert talia verba aut gesta, ex quibus alii possunt colligere, quod non proferantur animo abnegandi veram fidem.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos casus praticos circa externam professionem fidei.

Quæres primo, deturne obligatio seu præceptum de fide exterius profitenda?

44. R. Datur sine dubio obligatio seu præceptum, & quidem duplex, unum affirmativum, vi cujus jubemur fidem veram exterius profiteri, prout insinuat Apostolus *Rom.* 10. *Corde enim* (inquiens) *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: alterum est negativum, quo jubemur fidem nunquam negare; id, quod Christus Servator noster innuit *Matth.* 10. dicens: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Idipsum rursus innuit Doctor Gentium 2. *Timoth.* 2. *Si negaverimus eum* (ait) *& ille negabit nos.* Ex quo liquet, hoc præceptum graviter obligare; sicut negari a Christo gravis est pœna secundum *omnes*.

Quæres secundo, quandonam, vel quoties teneamur fidem nostram exterius profiteri?

45. R. Jure naturali ac divino per se tenemur ad hoc toties, quoties id exigit vel 1. honor Dei aut Christi, vel 2. salus propria animæ, vel denique 3. salus proximi. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. quem sequuntur alii DD. *communiter* Sanchez *in decal. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 2. *& seqq.* Sporer *tr.* 2. *decal. c.* 2. *sect.* 4. *n.* 23. Reiffenstuel *theolog. mor. tr.* 4. *dist.* 2. *n.* 43. Ratio est: quia cum juxta Apostolum 1. *ad Timoth.* 1. *Finis præcepti sit charitas*; hinc dicendum, quamlibet virtutem obligare tunc, quando charitas, vel erga Deum, vel erga nos ipsos, vel erga proximum postulat exercitium talis virtutis: at, in casibus mox specificatis charitas supponitur postulare professionem externam Fidei: ergo hæc cadit sub præceptum.

At, inquies fortassis: quandonam igitur honor erga Deum aut Christum, & quando salus propria vel proximi censeri debent exigere hanc professionem externam Fidei?

46. R. ad hoc 1. Tunc honor Dei & Christi exigit a nobis externam professionem Fidei, quando alioquin ex nostra taciturnitate Deo aut Christo vel subtraheretur magnus honor, vel iisdem, aut Sanctis, Religionive Catholicæ inferretur blasphemia vel injuria &c. quo casu tenemur nos manifestare tanquam Catholicos & vere Fideles Christo, ac Sanctæ Religioni, ut-

pote

pote hanc, commendando, laudando, pro viribus defendendo, injuriamque impediendo &c. idque etiam cum periculo vitæ. Ita ex *communi DD.* tenet Suarez *diſp.* 14. *de Fide ſect.* 2. Eumque ſecutus D. Auguſt. Michel *Theolog. Canon. moral. Tom.* 2. *p.* 1. *q.* 1. §. 3. *n.* 3. Ratio eſt: quia ratio naturalis dictat, cuilibet Vaſallo incumbere ut pro viribus defendat honorem ſui Principis vel Principalis: quidni ergo id ipſum teneatur facere Chriſtianus, ubi periclitatur honor Dei & Chriſti? profecto idipſum nos docuere innumera Sanctorum Martyrum exempla, qui pro defenſione Divini honoris & Fidei Catholicæ ſanguinem & vitam dederunt. Ex quo Doctores communiſſime inferunt, quod quivis Catholicus auctoritate publica (quantumvis in odium Fidei)examinatus, teneatur non obſtante periculo vitæ, ſuam Fidem publice profiteri, exemplo Petri & Joannis *Actor* 4. Vere etenim magnus honor Deo, Chriſto, Fideique Catholicæ accreſcit ex eo, quod Chriſtianus coram Principibus & Magiſtratibus hujus ſæculi, quantumvis oblatrantibus & contradicentibus, Fidem ſuam publice profiteatur; quia hoc modo ejuſdem Fidei veritas mirum in modum confirmatur, immo & propagatur.

Secus dicendum, ſi quis ab homine privato, nullam habente auctoritatem, examinaretur: quo caſu tametſi nefas foret Fidem negare, nihilominus licebit Fidem veram diſſimulare, vel interrogantem illudere v. g. dicendo: *quid ad te?* aut: *ſum addictus illi Fidei, in qua me ſalvari poſſe exiſtimo &c.* Excipiunt tamen Doctores: niſi vir interrogatus eſſet permagnæ Auctoritatis, ita, ut ex hujus taciturnitate alii ſcandalizarentur, aut dubitare inciperent de firmitate Fidei Catholicæ. Videatur de hoc Tamburinus *lib.* 2. *decalog. cap.* 1. §. 2. *num.* 3. Sporer *ubi ſupra n.* 24. Filliuc. *tr.* 22. *num.* 63. Mezger *tr.* 10. *diſp.* 19. *art.* 3. *n.* 15. Babenſtuber *tract.* 5. *diſp.* 1. *art.* 1. *n.* 63. *& ſeqq.*

47. R. ſecundo. Salus propria tunc exigit profeſſionem externam Fidei, quando ex hujus diſſimulatione quiſpiam ſe advertit expoſitum periculo abnegandæ Fidei, aut certo cogeretur multa agere contra conſcientiam propriam, & legem Dei, utputa frequentare acatholicorum Eccleſias, conventicula, eorum Cœnæ communicare &c. Ita Suarez *l. cit. n.* 8. Caſtropalao *part.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 1. *punct.* 13. *n.* 7.

48. R. jam tertio. Tunc ſalus proximi exigit a nobis externam Fidei profeſſionem, quando alioquin ex noſtra diſſimulatione periclitaretur: vel quia proximus ab hæreticis ſeductus fidem veram omnino abnegaret; vel quia ſcandalizaretur, utpote exiſtimans, ob noſtram taciturnitatem vel diſſimulationem profeſſionis, veram Fidem ſat ſolidis deſtitui fundamentis; vel quia hæretici in ſua ſecta amplius confirmarentur &c. in his ac ſimilibus caſibus quivis fidelium tenetur Fidem ſuam manifeſtare, hæreticorum fundamenta, vel potius oblatrationes minus fundatas, pro viribus confutare, vacillantes in vera Fide confirmare, errantes reducere vel inſtruere &c. modo utiliter & prudenter id poſſit; idque non ſolum ex virtute Charitatis, ſed etiam ex virtute ſeu præcepto Fidei; quia virtute hujus non ſolum obligamur ad præbendum aſſenſum myſteriis Fidei, ſed inſuper etiam ad procurandum pro viribus, ut proximus noſter firmiter aſſentiatur, veluti bene tradunt Sporer *l. cit. n.* 27. Caſtropalao *cit. n.* 8. Michel ubi ſupra *n.* 4. Cardenas *in Criſi Theolog. ad propoſ.* 18. *ab Innocent. XI. damnatam Diſſertat.* 12. *cap.* 2. *n.* 19.

Quæres tertio, ſitne aliquando, licitum Fidem veram diſſimulare?

49. Ante reſponſionem ad hoc quæſitum dandam notandum eſt & bene advertendum, longe aliud eſſe *diſſimulare ſeu occultare veram Fidem*, & aliud *factis ſimulare Fidem ſeu ſectam falſam*. Simulatio falſæ Fidei tunc fit, quando quis verbis aut geſtis ſignificat, ſe profiteri illam ſectam v. g. ZWinglianam &c. Diſſimulatio autem veræ Fidei tunc cenſetur fieri, quando Catholicus in factis & geſtis ſuis ita ſe exhibet, ut alii colligere nequaquam poſſint; ſitne Catholicus, nec ne? Omnis itaque, qui verbis aut factis Fidem veram exterius negat, eam pariter, etſi fortaſſis in mente adhucdum retentam, occultat, non tamen

vicíſ-

sum omnis, qui Fidem veram occultat vel dissimulat, censendus est eam negare, ait sapienter Herincx *disp.* 8. *n.* 33. *h. not.*

50. R. jam ad quæsitum. Per se loquendo licitum est dissimulare veram Fidem idque toties, quoties nec honor Christi aut Dei, neque salus propria vel proximi postulat externam Fidei professionem. Ita ex communi DD. Herincx *part.* 3. *tract.* 1 *disp.* 8. *n.* 34. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 4. *dist.* 2. *n.* 45. Ratio est: quia extra casus mox specificatos præcepto Fidei Divinæ non tenemur Fidem nostram exterius profiteri: ergo hujus professionem licite dissimulamus. Quin etiam hujusmodi dissimulatio potest subinde esse multum proficua, immo ad Dei gloriam & animarum salutem necessaria, utputa ad confortandos Catholicos in medio hæreticorum degentes: ergo in simili casu prudenter omnino dissimulatur Fides Catholica, sive fugiendo aut declinando examen, sive utendo vestibus aut signis alienæ nationis vel conditionis seu etiam status hominum, veluti amplius patebit ex proxime dicendis.

51. Dixi: *per se loquendo* licitum est dissimulare &c. fatendum quippe est, quandoque per accidens (vi scilicet juris humani positivi) dari obligationem professionem Fidei exterius deponendi: nam 1. Concilium Tridentinum *ss.* 24. *c.* 12. *de Reform.* præscribit professionem juratam Fidei omnibus provisis de beneficiis curatis, aut de Canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, nec non promotis ad Episcopatum vel Archi-Episcopatum &c. Quod Pius IV. Motu proprio *Injunctum Nobis* extendit ad Prælatos Monasteriorum seu locorum Regularium, & insuper motu proprio *In Sacrosancta &c.* ad omnes Doctores, Magistros, Regentes, & alios quoscunque cujuscunque artis & facultatis Professores, idque sub gravissimis pœnis Ex quibus Rodriquez *tom.* 22. *qq. Regul. q.* 73. *art.* 2. aliique Doctores communiter inferunt, hanc obligationem esse gravem, licet in pluribus Religionibus hæc constitutio non videatur recepta quoad Prælatos, ait Herincx *cit. n.* 5. De quo utiliter videri potest Sanchez *moral. lib.* 2. *c.* 5. *per tot.* vel Michel *Theolog. Canon. moral. tom.* 2. *q.* 1. §. 3. *numer.* 13.

Quæres quarto, sitne etiam aliquando licitum Fidem Catholicam exterius negare?

52. R. In nullo prorsus casu, ne quidem mortis evadendæ causa fas est Fidem veram seu Catholicam negare, sive verbis, sive etiam factis, aut signis. Ita *Omnes Orthodoxi* contra Gnosticos, Samseitas, Priscillianistas, Anabaptistas, aliosque sat multos hæreticos & politicos, vel potius libertinos hujus temporis, existimantes, satis esse, quod Fidem veram retineant in pectore, licet in foro externo eandem negent. Ratio autem hujus est: quia præceptum de *nunquam neganda Fide* est negativum: atqui ea est natura præceptorum negativorum, quod semper ac pro semper soleant obligare &c.

Et certe talis negatio est mendacium non minus perniciosum Fidei, quam injuriosum Christo, quasi vero is non esset tantæ auctoritatis vel veritatis, ut mereatur publicam coram hominibus professionem. Quamobrem ipsemet Christus posteaquam *Matt.* 10. præcepit, ne timeamus Tyrannos, qui in odium Fidei ac doctrinæ Catholicæ occiderent corpus &c. illico subjunxit: *qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo &c.* at, hæc negatio procul dubio supponit gravem culpam: ergo &c.

53. Dixi notanter, nunquam prorsus licitum esse, Fidem veram negare, sive *verbis*, sive etiam *factis* aut *signis*: pro cujus pleniori intellectu sciendum rursus est, Fidem dupliciter negari posse, scilicet. 1. *directe* seu etiam *explicite*. 2. *indirecte*, vel, ut alii loquuntur, *implicite*. *Directe* Fidem negat, & negando mortaliter peccat (per se loquendo) quisquis apertis verbis sive serio, sive ficte quidem, sed ita, ut nemo advertat fictionem, prolatis, dicit, se non esse Christianum, vel non esse Catholicum, Papistam &c. vel qui dicit se non credere hunc vel illum articulum Fidei Catholicæ v.g. de existentia Purgatorii, veri Sacrificii Missæ &c. de existentia Christi sub speciebus Eucharisticis &c. vel qui dicit, se esse Lutheranum, Calvinistam,

Tur-

Turcam &c. Indirecte autem & interpretative Fidem veram negare censetur, & negando mortaliter peccare, qui vel veram Fidem eo tempore, quo urget præceptum Confessionis externæ dissimulat, vel sectam falsam signis, operibusve simulat. Verum pro majori dilucidatione hujus responsi ulterius

Quæres quinto, quisnam implicite saltem censendus sit negasse veram fidem verbis?

54. R. ad hoc, illum censendum esse implicite saltem negasse fidem verbis, qui de sua fide interrogatus vel examinatus, præsertim publica auctoritate, respondet verbis ambiguis & æquivocis, ita, ut ab audientibus judicari debeat fidem Catholicam negasse, utputa si a Magistratu Lutherano examinatus, an sit Evangelicus? in partibus, ubi nomine Evangelicorum ab omnibus communiter intelliguntur Lutherani, prout fit in Imperio, qui, inquam responderet, se esse Evangelicum, esto subintelligeret, verum Evangelium Christi, & non aliud, quod Lutherus corrupit; vel qui v. g. in Anglia interrogatus an sit fidei Regiæ (quo nomine defacto communiter intelligunt fidem acatholicam) responderet se esse fidei regiæ, subintelligendo, quod profiteatur fidem antiquorum Regum Angliæ, quæ fuit Catholica, & salvifica. Ita Sporer *n.* 31. & Tamburinus *lib.* 2. *c.* 1 §. 2 *n.* 4. & alii DD.

Quæres sexto, quinam censeantur negare veram fidem factis?

55. R. Facto veram fidem negare convincitur, quisquis voluntarie exercet opus seu actionem, quæ vel ex natura sua, vel ex institutione hominum, vel certe ex circumstantiis loci, temporis, personarum &c. professionem falsæ sectæ significat: uti sunt 1. thus Idolo incendere, coram eo venerationis causa genuflectere, pectus tundere &c. 2. Prophanæ hæreticorum Cœnæ communicare, aliave ministeria ad eorum sectam spectantia exercere, utputa cantare cum Lutheranis in eorum templis, præsertim tales cantus, quibus Religioni nostræ Catholicæ, aut Ecclesiæ Catholicæ vel quod idem est, Papistis aut Papæ male imprecari solent &c. 3. Sectariorum Conventus, Conciones vel templa ordinarie frequentare, ita scilicet, ut a reliquis sectariis merito credatur quasi unus ex illis, scilicet hæreticis; idque præsertim in casu, quo Rex, Princeps, aut Magistratus Acatholicus in odium Religionis Catholicæ mandaret, ut omnes in protestationem sectæ illius frequentent Ecclesiam, & communibus exercitiis Religionis Acatholicæ intersint, prout olim in Anglia factum fuisse constat: quo casu nulli Catholicorum liceret obedire ejusmodi edicto, ne quidem sub prætextu vel cum protestatione, quod nolit intrare illam Ecclesiam animo protestandi alienam sectam, sed præcise animo obtemperandi mandato Regis &c. cum enim Rex edictum fecerit in odium Religionis Catholicæ, atque ideo frequentatio Ecclesiæ Anglicanæ saltem ex institutione humana habuerit rationem signi protestativi sectæ Calvinisticæ, hinc protestatio privati hominis utpote contraria facto ingredientis scilicet Ecclesiam &c. minime cohonestare potuit talem ingressum, prout in hoc ipso casu declarasse legitur Paulus V. apud Sanchez. *lib.* 2. *moral. c.* 4. *num.* 27. & Filliuc. *tr.* 22. *num.* 87. quarto denique ipso facto fidem negare merito præsumitur, qui diebus ab Ecclesia interdictis sine justa causa aliis cognita ordinarie comederet carnes cum hæreticis, vel more hereticorum, vel qui semel duntaxat illas manducaret, sed in iis circumstantiis, in quibus ab hæretico fuissent appositæ in odium Papæ, vel Ecclesiæ Romano-Catholicæ &c. Videantur de his Sanchez. *loc. cit.* Michel *ubi supra num.* 22. *& seqq.* vel Sporer *tract.* 2. *in decalogo c.* 2. *sect.* 4. *a n.* 37.

Quæres denique septimo, quandonam quis censeatur fidem veram abnegare signis?

56. R. Omnis ille merito præsumitur fidem veram signis interpretative saltem negare, qui tametsi non instet præceptum de fide externe profitenda, utitur signo aliquo directe vel indirecte manifestativo hæresis, seu etiam infidelitatis. Ratio est: quia ipso facto vel signo, utpote infidelitatis manifestativo seu protestativo supponitur, immo debet

sup-

supponi, quod velit hæresin aut infidelitatem protestari, prout amplius constabit ex proxime dicendis; unde pro majori dilucidatione hujus resolutionis ulterius.

57. Advertendum est, nomine signorum prout a factis distinguuntur, hic potissimum intelligi vestimenta, aut certum modum vestiendi, seu etiam ornandi corpus: hac de causa Doctores communissime distinguere solent triplex signorum seu etiam vestimentorum genus. Primo namque dantur signa seu etiam vestimenta distinctiva Nationis a Natione, vel Gentis a Gente, non tamen sectæ, uti sunt vestitus Turcicus, Persicus, & Anglicus &c.secundo, alia reperiuntur signa vel vestimenta, quæ ex primaria institutione ad naturalem usum, utputa corporis vestiendi, tegendi, vel etiam ornandi sunt destinata, postea vero, sive ex consuetudine, sive etiam ex pacto & lege vel institutione politica obtinuere vim distinguendi infideles a fidelibus, prout de facto habent Romæ, flavus pileus Judæorum, & alibi fascia seu tobalia alba Turcarum, item habitus Prædicantium &c. Denique 3. alia dantur signa seu etiam vestimenta mere instituta ad falsum cultum, qualia sunt illa, quibus utuntur Sacrificuli Idolorum in suis Sacrificiis & superstitiosis ritibus. Insuper sapienter advertunt Sanchez *lib. 2. decalog. c. 4. n. 16.* & Sporer ubi supra *n. 35.* dari nonnulla signa, quæ non solum sunt distinctiva Sectæ a Secta, sed insuper protestativa sectæ vel hæreseos, ita quidem, ut quicunque demum tale signum portat, intelligatur se manifestare velut sectatorem ejusdem hæreseos.

At, inquies, quibusnam ergo signis uti fas est absque præjudicio fidei, & quibus non?

58. R. ad hoc quæsitum cum distinctione; enimvero signis primi generis ex mox recensitis uti fas est ex quacunque rationabili causa: similiter ex gravi & vere ponderante causa licitum est uti signis secundi generis, modo NB. absit scandalum, & non urgeat vel obliget præceptum profitendi fidem exterius: at vero signis tertii generis uti quacunque demum de causa, probabilius nefas est. Hæc responsio quoad primum membrum est communiter recepta, quo ad secundum vero & tertium multos patitur Adversarios.

Ratio autem nostræ resolutionis in praxi vere probabilis hæc est: quia, tametsi nunquam liceat exterius profiteri fidem aut sectam falsam, nihilominus ob gravem & vere rationabilem causam fas est dissimulate fidem veram at, qui utitur signis aut vestibus mere distinctivis Nationis a Natione, aut infidelium quidem a fidelibus, sed ex fine duntaxat politico, uti est flavus pileus Judæorum Romæ, vel flavus annulus Francofurti, per hoc minime censeri debet velle profiteri Judaismum, vel aliam sectam falsam, bene vero iis qui utitur signis protestativis falsæ Religionis: ergo prioribus uti fas est ex motivo rationabili v. g. occultandi fidem vel statum ob bonum animarum, &c. non item posterioribus. Neque propterea quod v. g. Sacerdos Catholicus se induat vestibus sæcularibus eo fine, ut securius in partibus merum acatholicis v. g. in Anglia &c. degat, censeri debet fingere, aut mentiri voluisse; non enim eo fine utitur vestitu laicorum ut alii credant se esse laicum, sed utitur eo fine, quatenus is, primario deservit ad tegendum corpus, secundario autem ad ocultandum suum statum, quem non tenetur aliis hic & nunc pandere, ac denique ad evadenda alia pericula vel incommoda. Verum contra hoc

Dices: si licet uti vestibus infidelium distinctivis a fidelibus, eo quod deserviant tum ad tegendum corpus, tum etiam ad occultandum statum vel evadendum periculum, permissa interim deceptione aliorum existimantium hunc hominem (qui Sacerdos est) esse laicum vel esse infidelem &c. ergo ex eodem fine licebit uti vestimentis nedum distinctivis, sed etiam protestativis falsæ sectæ; siquidem & hæc vestimenta deserviant ad tegendum corpus &c. &c.

59. R. Equidem ob hanc rationem a Sanchezio, Lugone, Sporer, aliisque multis & permagni nominis Doctoribus permitti usum similium vestimentorum

rum aut signorum, modo præter vim protestativam insuper habeant alium usum indifferentem, prout revera habere videntur vestimenta:

Nihilominus contraria opinio & resolutio mox data, quam hodiedum mordicus tenent Henno *tr. de virtut. disp.* 4. *q.* 1. *Resolut.* 5. *ad Dices quarto*, Castropolao *par.* 1. *de fide tr.* 4. *dis.* 1. *pu.* 17. *n.* 17. Toletus, Navarrus, Lopez, aliique plures ab eodem relati, nedum tutior, sed & probabilior, immo prope certa, ideoque omnimodis tenenda mihi videtur hac ratione: quia gestatio talis vestis, utpote protestativæ (ut supponitur) importat actualem cultum & honorem falsæ sectæ, qui honor & cultus superstitiosus probabilissime separari nequit a gestatione: ergo quicunque utitur hujusmodi veste, peccat peccato infidelitatis, quantumvis intrinsece protestetur, se nolle uti tali habitu, nisi in quantum deservit ad honeste tegendum corpus: fere quemadmodum is, qui Idolo thus incenderet, in fidei leges impingeret, esto non haberet alium animum incendendi seu adolendi thus, quam caput per hujusmodi incensum confortandi. Aliud longe est de eo, qui portat vestimentum mere politice distinctivum fidelis ab infidelibus; quia cum hæc signa aut vestimenta instituta sint ex fine merum politico (v. g. ut sciatur ubinam habitare, vel quantum tributum aut pedagium pendere debeat, qui illud portat) profecto ex hujusmodi portatione minime arguere aut inferre licet, quod per tale vestimentum vel signum intendat particularem cultum aut honorem exhibere falsæ sectæ.

At, replicabis adhuc: Qui verbis diceret: *Ego sum Turca*, vel: *Ego sum Judæus &c.* procul dubio peccaret contra externam professionem Fidei: ergo similiter peccat, qui verbis, aut qui vestimentis idipsum dicit.

60. R. Negando suppositum conseq. & paritatem; cum enim verba non habeant alium finem, quam expressionem mentis, seu conceptuum mentalium; hinc fit, quod quicunque demum assertive dicit, se esse Judæum &c. nisi aliuude ex circumstantiis constet, quod non loquatur serio & ex mente, judicari debeat esse Judæus &c. Econtra cum juxta dicta vestimenta habeant duplicem finem, scilicet primarium, qui est *tegere corpus*, & secundarium, qui est distinguere Nationem a Natione, vel infidelem a fideli: hinc qui utitur tali signo aut vestimento, quod non est simul protestativum alienæ sectæ, non illico a videntibus argui vel judicari potest, quod hoc faciat in ordine ad profitendam alienam seu falsam sectam. Nunquid enim (ait recte D. Michel *part.* 1. *q.* 1. §. 3. *n.* 22.) qui Romæ patrato homicidio, ut fugeret tutius, assumpsisset habitum proprium Judæorum, & fuisset deprehensus tamquam a fide Apostata punietur? minime. Nunquid qui ejusmodi vel aliud grave delictum Augustæ commisisset, & ad evadendum arripuisset habitum alicujus Prædicantis, propterea reus ageretur hæresis Lutheranæ? minime gentium: consequenter (subdit idem) evidens signum est, talia, licet vel lege vel usu sint accessorie discretiva infidelium a fidelibus, posse gravi de causa usurpari a fidelibus sine læsione fidei.

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici circa externam professionem fidei.

CASUS PRIMUS.

Titius Religiosus & Sacerdos Londoni in Anglia in cujusdem prædivitis Mercatoris domo clam ad aram stetit, Deoque litavit: paulo post vero a quodam Apostata proditus, mox altera die ad Consistorium (uti vocabant) Anglicanum citatus fuit, ibidemque in pleno consessu a quodam Cancellario sequentia interrogatus. 1. quod ei nomen? 2. quæ patria? 3. an sit Catholicus. 4. an etiam Sacerdos? 5. an, vel quoties præsumpserit legere Missam, & quibus in locis? 6. an non sciverit, hoc vi constitutionum Anglicarum gravissime esse prohibitum? Sacerdos ad hæc liberrima voce respondit: Vocor Titius: Patria sum italus, & nedum Catholicus, sed & Sa-

& Sacerdos. Missam hinc inde jam sæpius celebravi, ubicunque demum occasionem commodam nactus fui, & hodiedum celebrarem, modo mihi offerretur occasio. De cetero, ut jam audistis, Anglus ego non sum, nec intelligo linguam anglicanam, unde nec mirum, quod de vestra tam gravi probitione divinorum hactenus nihil audiverim. *Cancellarius post modicam deliberationem, & collecta in absentia Titii vota a reliquo confessu mox sequentem tulit sententiam*: *Gratias* (*ajebat*) referas Deo, quod nostras constitutiones hactenus ignoraveris; secus enim lumen cœli fortassis non amplius videres: scias interim a toto consessu peremptorie tibi præcipi, ut intra spatium viginti quatuor horarum hac civitate, proximis vero diebus reliquo nostro Regno exulas, secus si feceris, quamprimum deprehensus infallibiliter perpetuo incarceraberis. *Hæc ex ore Titii reducis intellexi. Jam vero ad nostrum propositum dubitare licet 1. an fuerit obligatus fateri se esse Catholicum? 2. an fuerit obligatus fateri statum Sacerdotalem, & quod jam sæpius in Anglia ad aram hinc inde steterit? 3. an salva conscientia potuerit negare, se quidpiam de constitutionibus anglicanis, tam graviter prohibitivis scivisse?*

61. R. ad hanc speciem facti 1. Titius non obstante quocunque periculo tenebatur fateri se esse Catholicum. Ratio est: quia secundum dicta *n.* 45. & 46. tenemur profiteri fidem veram, quotiescunque id exigit honor Dei & Christi: atqui in his circumstantiis ex negatione Titii periclitatus fuit honor Dei & Christi; quippe cui revera magnus honor fuisset ademptus, casu quo Titius sive ex timore, sive ex verecundia negasset se esse Catholicum, seu quod idem est, profiteri illam doctrinam, quam Christus Servator noster docuit, voluitque ubivis locorum publice contestatam coram Regibus ac Principibus terræ; id quod amplius confirmari potest ex illa propositione *n.* 18. ab Innocentio XI. damnata: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & Fidei gloriosum, consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno*

Quin etiam secundum dicta in simili casu ne quidem licet uti verbis æquivocis, ex quibus interrogantes possent ac deberent præsumere, respondentem non esse Catholicum, sed alterius sectæ: [nec unicum duntaxat, sed multiplex peccatum committit, qui publice interrogatus fidem negat, nam 1. mentiendo peccat contra veracitatem. 2. peccat contra virtutem Religionis peccato commissionis contra præceptum negativum de nunquam neganda fide. 3. peccat peccato omissionis contra præceptum affirmativum de profitenda fide. 4. insuper peccat peccato scandali, si alii ex taciturnitate vel potius negatione inducantur ad abnegandam veram fidem, vel etiam ad pertinacius inhærendum falsæ sectæ. Videatur de hoc Matthæucci *in cautel. Confessar. lib.* 2. *c.* 12. *n.* 3.

62. R. jam ad secundum. Titius minime fuit obligatus fateri statum Sacerdotalem, neque quod in Anglia jam sæpius hinc inde ad aram steterit. Ratio est: partim quia Consistorium Anglicanum non habuit legitimam potestatem examinandi Sacerdotem Catholicum, præsertim in odium fidei veræ, partim etiam, quia per hoc, quod negaverit suum statum, minime censeri debet negasse fidem veram; secus enim & laicus negando se esse Sacerdotem, dici deberet, negare fidem. Accedit insuper, quod Consistorium Anglicanum quartum & quintum interrogatorium non posuerit in ordine ad explorandam fidem Titii, quippe quam ex responsione ad tertium jamjam habuit exploratam, sed potius ad dignoscendum crimen (quale tamen non commisit) seu etiam transgressionem constitutionis Anglicanæ, ad quam pariter in conscientia non fuit obligatus. Et dato etiam, non concesso, quod per quartum & quintum interrogatorium voluisset explorare fidem Titii, nihilominus negando se esse Sacerdotem, aut se unquam celebrasse, per hoc non negasset fidem, sed potius aliquid accessorie & merum per accidens se habens ad veram fidem. Insuper recte advertit Sporer *tr.* 2. *c.* 2. *sect.* 4. *n.* 24. quod quavis demum auctoritate examinatus, an sit

Sacerdos? an Monachus? an Sacrum legerit? an jejunet diebus ab Ecclesia Catholica interdictis? &c. etiamsi advertat, ex mente interrogantis idem esse ac quærere, an sit Catholicus? nihilominus sine præjudicio fidei & tuta quidem conscientia, modo utatur debita restrictione mentali, negare possit, se esse Sacerdotem &c. quia multi dantur non Sacerdotes, non Monachi, non legentes Sacrum, non servantes jejunium &c. qui tamen sunt boni Catholici. Secus dicendum foret, casu quis interrogatur, an sit Papista? quia hæc interrogatio æquivalet huic: an sit Catholicus? quemadmodum igitur nunquam licet negare, se esse Catholicum, ita nec licet negare, se esse Papistam. Videantur de his Tamburinus *lib.* 2. *Decalog.c.* 1. §. 3. *num.* 3. Matthæucci *ubi supra c.* 12. *n.* 8. Henno *loc.cit. Resol.* 8. vel Kresslinger *in addit. post. n.* 52. *ad tr.* 4. *dist.* 2. *R. P.Reiffenstuel.*

63. R. jam ad tertium. Esto Titius non ingnoraverit Constititutionem Anglicanam, vi cujus Catholicis interdicitur exercitium Religionis, potuit nihilominus utendo debita restrictione mentali negare se quidpiam scivisse, intelligendo scilicet de constitutione justa & obligante, de qua Judex interrogasse censendus est. Ratio est: quia dicta constitutio, utpote in odium Christianæ Religionis & in perniciem animarum facta, reipsa coram Deo non est justa, neque habet vim obligandi, æque parum ac illa Principum Synagogæ *Actor* 4. *v.* 18. vi cujus prohibuere Apostolis, ne evangelizando gentibus Chistum annuntiarent: prout jam diximus *tract. prælim. Confer.* 9. *num.* 253. Et certe Cancellarius ille Anglicus respectu Titii nostri ceu Sacerdotis Catholici non fuit Judex legitimus: atqui Judici non legitimo vel non legitime interroganti, nullus tenetur respondere. Adde insuper, quod quicunque demum & quantumcunque reus possit Judici probabiliter cum restrictione non pure mentali respondere, si prævideat, se aliter non evasurum imminens sibi periculum mortis, exilii, carceris perpetui, aliudve consimile grave malum, veluti docet Palavicinus *de fide c.* 2. eundemque secutus la Croix *lib* 3. *part.* 1 *n.* 287. at Titius alia via in his circumstantiis non potuit declinare carcerem &c. ergo.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Chalcographus Catholicus dissimulata fide sua servitia Augustæ locavit cuidam Chalcographo Acatholico in hac arte Magistro; tum quia artificem Catholicum, cui sua locasset servitia, invenire non potuit; tum etiam quia ab illo Acatholico se in hac arte amplius perfectum iri sperat; hac de causa jam ab aliquot mensibus egit quasi unus ex illis, id est, Lutheranis; nam 1. *nullam prorsus hactenus fecit crucem.* 2. *Ecclesias Eorundem regulariter frequentavit.* 3. *Diebus ab Ecclesia interdictis comedit carnes.* 4. *Diebus festivis Missam non audivit.* 5. *Denique dum subinde fidem Papisticam* (*uti appellare solent*) *ejusdemque ritus traduci audivit, ne dum non contradixit, verum etiam ut fidem suam protinus dissimularet, iisdem corrisit. Quæritur jam, an Sempronius peccarit vel quomodo?*

64. R. Sempronium hæc & similia factitando peccasse procul dubio graviter nedum contra præceptum affirmativum de fide Catholica exterius profitenda, sed etiam contra præceptum negativum de fide non neganda. Ratio hujus evidenter colligi potest ex dictis *n.* 55. quisquis enim ordinarie frequentat Sectariorum Ecclesias, Conciones &c. ita, ut videatur, & ab omnibus quasi habeatur, aut certe haberi debeat quasi unus ex illis, præsertim si fidem Catholicam traducentibus corrideat &c. non solum hanc minime profitetur, sed potius negasse censendus est: at, hoc fecit Sempronius, veluti constat ex specie facti hujus: ergo.

Nec dubitandum, quin Sempronius ex ulteriori cohabitatione & conversatione cum hæreticis foret expositus periculo omnimodis abnegandi fidem; nam corridendo traducentibus ritus, fidemque Catholicam, satis videtur ostendere, quod hanc exiguo habeat in pretio, & quasi pudeat, esse se Catholicum. Quin etiamsi supponeretur hæc & similia fecisse ani-

animo abnegandi vel spernendi suam fidem, sed præcise occultandi, propterea-que perfectius addiscendi suum artificium, quia tamen in hoc loco cogitur se gerere quasi unum ex illis, profanando dies festos, non servando jejunium, immo eorundem Ecclesiam & conventicula seu etiam Conciones frequentando, cum maximo detrimento bonorum spiritualium, hinc a Confessario tuta conscientia absolvi non potest, nisi sancte adpromittat, se quamprimum moraliter potuerit, deserturum hanc conditionem, suaque servitia alteri Catholico locaturum, ubi habuerit occasionem Catholice vivendi, Deoque modo debito serviendi. Videatur Gobat *Theolog. experim. tr.* 5. *num.* 321. & 337. vel noster A. R. P. Kazenberger *in Supplemento I. P. Sargar. confer.* 24. *num.* 24.

Ergone, inquies, judicandum aut concludendum est, Sempronium toties peccasse mortaliter, quoties Sacrum neglexit, vel jejunium Ecclesiasticum non observavit?

65. R. Minime gentium; certum quippe esse debet, dari multas causas excusantes tum ab auditione Sacri, tum etiam ab observantia festorum, prout apud omnes etiam catholice sentientes in confesso est. Profecto R. P. Gobat insignis Auctor & Moralium Professor *in sua Theolog. experim. tr.* 5. *n.* 441. conformiter ad mentem aliorum, quos ibi *a num.* 437. refert & citat, docet, ab auditione Sacri excusare saltem mediocrem incommoditatem in bonis animi, corporis, famæ vel fortunæ: at, minime dubitandum est, quin Sempronius interim deserendo hanc conditionem debuisset subire haud modicam fortunæ suæ jacturam; cum supponatur, non potuisse invenire alium Dominum, cui sua locasset servitia: ergo intuitu hujus incommodi declinandi potuisset una alterave vice dissimulare auditionem Sacri vel observantiam jejunii, eo quod Ecclesia ceu pia & sapientissima Mater ex similibus motivis velit filiis suis condescendere, uti bene advertit Sanchez *in Consil. moral. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 45. Cogendus nihilominus est Sempronius ad deserendam quantocyus hanc conditionem, ob rationes mox datas.

66. Et quia secundum dicta *de actib. hum. Confer.* 3. *n.* 62. bonitas & malitia actuum humanorum vel maxime dependent a judicio practico prudentiali; hinc ad practice in hoc casu colligendum tum numerum, tum etiam speciem peccatorum vel maxime juvabit examinare Sempronium, qua mente, quave fide aut conscientia frequentaverit Lutheranorum Ecclesias, Conciones &c. carnes comederit, & Sacrum neglexerit? an nunquam, vel quoties de peccato mortali sibi timuerit? &c. & ex responsis ejusdem facile erit colligere numerum ac speciem peccatorum.

CASUS TERTIUS.

Cajus Præco Arianus dignatione superna tum ex lectione Scripturarum, tum etiam ex interiori Spiritus Sancti illustratione satis clare cognovit sectæ suæ falsitatem; quam ob rem tempore gravis infirmitatis, qua decubuit, postulavit ad se vocari Sacerdotem Catholicum, & quidem in vestibus sæcularibus compariturum, quatenus hoc modo declinaret coram suis omnem suspicionem abjurandæ hæreseos. Sacerdoti vero coram apparenti aperuit illico suam mentem, petens humiliter baptizari, sed cum duabus exceptionibus expressis, scilicet 1. *ut si ex hoc morbo decederet, sibi liceret dissimulare fidem Catholicam & baptismum susceptum.* 2. *Ut si denuo reconvalesceret, permitteretur exspectare occasionem magis commodam, qua Fidem Catholicam sine ulteriori periculo fortunæ bonorumque temporalium posset exterius profiteri. Quæritur jam, an hæc a Sacerdote Catholico potuerint licite permitti Cajo?*

67. R. ad primam conditionem: eam Cajo neutiquam potuisse accordari, quippe qui ante mortem saltem tenebatur hæresin damnare Arianam, erroresque, quos publice docuerat, revocare, tum ad gloriam Dei, tum ad aliorum etiam salutem; secus tuta conscientia velut indispositus baptizari non potuisset. Ratio hujus resolutionis petenda est ex dictis paulo superius *n.* 24. quia quivis fidelium tenetur Fidem suam exte-

terius profiteri (non obstante quacunque demum jactura) casu quo id exigit honor Dei ac Christi, vel salus proximorum: atqui in his circumstantiis nedum honor Dei & Christi, sed etiam salus proximorum exigebat a Cajo professionem publicam Fidei Catholicæ; secus enim alii a Cajo vel seducti, vel certe in erroribus suis confirmati procul dubio ulterius perseverassent in suis erroribus, utique non sine evidentissimo animarum & salutis dispendio, Divinique honoris detrimento: ergo &c.

At quid, inquies; si Cajo nullis rationibus potuisset persuaderi, ut ante mortem suam coram plebe ariana revocaret suos errores, & publice profiteretur fidem Catholicam?

68. R. Huic tam facile non esse condescendendum, sed potius omnimodis inducendum esse, ut per seipsum vel vocaliter vel scriptotenus revocet: si tamen ad hoc tentatis omnibus persuaderi non valeat, ultimi remedii loco pro salute animarum eidem persuadendum putarem, ut si tempus vel status infirmitatis id permittant, coram duobus aut tribus testibus protestetur, se huic homini (Sacerdoti scilicet Catholico) aliquid Religionem & animarum salutem concernens concredidisse, quod post obitum suum ipsis velit serio inculcatum, moxque in præsentia Arianorum roget Sacerdotem Catholicum, quatenus post suum (Caji scilicet) obitum velit illud secretum reliquis Arianis suo nomine efficaciter proponere & inculcare; hoc enim modo probabiliter suæ satisfaciet obligationi, evadetque subjectum capax baptismi, prout in casu haud multum absimili cum Laymanno *lib. 3. T. 6. c. 5. §. un. n. 25.* & A. R. P. Kazenberger *in supplem. decal.* P. *Sporer c. 2. n. 233.* diximus *tr. de Restit. Conf. 9. n. 249.* de quadam malefactrice, quæ ob timorem gravioris supplicii incurrendi non vult per se ipsam & ante, sed post mortem primum per Confessarium retractare falsam calumniam alteri innocenti impositam.

69. A fortiori hoc consilium practicari potuisset, si Cajus non fuisset Præco Arianus, sed communi de plebe homo, qui neminem unquam seduxisset aut confirmasset in sua falsa secta; quia cum in tali homine nec honor Dei, neque salus animarum periclitetur, neque aliunde urgeat præceptum de fide Catholica exterius profitenda, hinc ob vere rationabilem & gravem causam posset facilius in tali homine dissimulari externa professio fidei. Nec refert, quod propterea fortassis crederetur, ab aliis decessisse ex hac vita in secta Ariana, & tanquam infidelis: non, inquam, refert: quia ob vere gravem causam possumus permittere hanc falsam & erroneam existimationem ab aliis conceptam, modo absit scandalum, & præceptum confessionis fidei non urgeat, prout præter alios bene docent Sanchez *lib. 2. decalog. c. 4. n. 29.* & Filliucius *tr. 22. c. 3. n. 90.*

Ex quibus ulterius

70. R. jam ad alteram conditionem a Cajo propositam, Cajo scilicet tuta conscientia potuisse permitti, ut recuperata valetudine ad aliquod tempus dissimularet professionem externam fidei Catholicæ, exercendo interim actus vel actiones communes Arianis cum Catholicis, usque dum occasionem magis commodam sibi, suisque prospiciendi invenisset: nullatenus tamen idem permittendum fuit, ut exerceret actus protestativos sectæ Arianæ, utputa exercendo officium Pastoris Ariani, Sacramenta ipsorum more administrando, vel sermonibus, operibusve in illorum secta eos confortando &c. Ratio hujus petenda est ex dictis *num. 52.* quia in nullo casu fas est falsam sectam profiteri, aut fidem veram negare, bene tamen ob vere rationabilem causam fidem veram dissimulare, at, Cajus exercendo actus protestativos sectæ Arianæ fidem veram negaret, non item exercendo actus communes Arianis cum Catholicis: ergo hoc posterius licite facit, non item illud prius. Videatur de hoc Tamburinus *lib. 2. in decalog. cap. 1. §. 3. num. 12.*

§. III.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

71. Colliges ex hactenus dictis 1. vi præcepti divini nobis esse vitanda omnia illa verba, actiones, vel opera, quæ vel ex se & natura sua, vel certe ex circumstantiis significant internam abnegationem fidei: econtra illa, quæ vel ex se, vel certe ex circumstantiis non significant internam fidei abnegationem ob rationabilem causam licite exercemus. Hanc velut Regulam universalem vix non iisdem terminis tradit Tamburinus *loc. cit.* §. 3. *n.* 2. eumque secutus Sporer *tr.* 2. *cap.* 2. *sect.* 4. *num.* 30. Ratio hujus est: quia ex præcepto divino tenemur fidem veram nunquam negare, licet fas sit, eamdem in certis circumstantiis dissimulare, veluti constat ex hactenus dictis: at, qui observaverit mox traditam regulam, fidem veram non negat &c. ergo non peccat.

72. Colliges secundo, interrogatum a Persona privata, quæ scilicet nullam præsefert auctoritatem publicam, non teneri respondere, cujus sit fidei, sed posse interrogantem illudere v. g. dicendo: *quid ad te?* vel *teneo fidem semel susceptam* &c. quia secundum dicta per hoc non periclitatur honor Dei, vel Christi, neque salus propria aut proximi, uti supponi debet. Supponendum insuper est, quod ex tali dissimulatione fidei vel taciturnitate ad interrogationem factam cesset scandalum; nam quod subinde tacens de sua fide etiam dum publice examinatur, argui non possit eamdem abnegare, quin potius profiteri, sapienter advertunt Cardenas *in crisi theolog. dissert.* 12. *nu.* 15. eumque secutus La Croix *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 56. & 57.

73. Colliges tertio, quemvis Catholicum, casu quo videret SS. Eucharistiæ Sacramentum, Crucifixum, aliasve SS. Imagines &c. indigne & sacrilege ab hæreticis, vel alio quocunque demum tractari, fore obligatum nedum ad fidem Catholicam exterius publice profitendam, verum insuper ad impediendam pro viribus hujusmodi injuriam, quia in tali casu urget honor Dei & Christi, ut de se liquet. Si tamen prævideres in his vel illis circumstantiis tuam protestationem vel conatum nihil profuturum, non erit, unde obligeris, inquit Sporer *loc. cit. n.* 25.

74. Colliges quarto, eum, qui tempore persecutionis instantis fugit, minime arguendum esse, quod velit fidem negare: quin potius hujusmodi fuga signum est, quod velit libentius alia, quæcunque demum hactenus possedit, deserere, quam veram fidem. Quare per se loquendo (ubi scilicet salus animarum, vel honor Dei aliud non requirit) haud quaquam illicitum erit fugere, quin potius aliquando consultum, v. g. in casu, quo Pastor prævideret, hujusmodi fugam conducturam ad aliorum plurium salutem, præsertim, si alium loco sui substitueret, qui animarum curam interim ageret: quod tamen caute, & non nisi cum consensu, Reverendissimi Ordinarii saltem rationabiliter præsumpto attentandum est. Videantur de hoc Tamburinus *loc. cit. num.* 6. Sporer *num.* 28. Henno *ubi supra q.* 1. *Resol.* 5. vel Herincx *cit. disp.* 8. *n.* 15. & *seqq.* ubi hoc punctum accurate examinat, & sapientissime resolvit.

75. Colliges tandem quinto, etiam Catholicis ex gravi & rationabili causa absque præjudicio fidei permitti posse sequentia 1. in Comœdiis agere Personam Sacrificuli vel Idololatræ, & coram Idolo thus immolare. 2. ingredi templa hæreticorum una alterave vice, animo videndi illa, seu etiam explorandi, quidnam ibi agatur. 3. Insuper in nostra præsertim Germania haud illicitum est assistere, vel etiam comitari funus hæretici, ex mera politia vel civilitate, uti passim fieri solet etiam reciproce ab Acatholicis. 4. Etiam in locis merum Acatholicis ubi sponsi Catholici morari tenentur &c. coram Magistratu civili, vel etiam ministro hæretico velut testibus præcise inire matrimonium tanquam contractum civilem &c. Ratio est: quia hæc & similia vel non sunt signa protestativa alienæ sectæ, vel si quidem talia sunt ex se, uti est incensatio Idoli &c. nihilominus ex circumstantiis loci, personarum &c. satis

evidenter datur intelligi, quod non fiant animo alienam seu falsam Religionem vel Sectam protestandi, sed potius animo repræsentandi id, quod Sectarii seu etiam Idololatræ faciunt, aut facere consueverunt. Ita reipsa fert communis Doctorum opinio. Henno *tr. de virtut. disp.* 4. *q.* 1. *conclus.* 1. *Resolut.* 1. & *seqq.* Herincx noster *part.* 3. *tract.* 1. *disp.* 8. *n.* 29. & *seqq.* Babenstuber *tract.* 5. *disp.* 1. *artic.* 1. *a n.* 54.

CONFERENTIA TERTIA.

De Infidelitate.

SUMMARIUM.

76. *Infidelitas ut sic importat defectum contra fidem.*
77. *Alia dicitur merum negativa, alia vero positiva.*
78. *Hæc posterior rursus subdividitur in tres species, scilicet* 1. *in Paganismum,* 2. *Judaismum, &* 3. *Hæresin.*
79. *Breviter declaratur quid sit Paganismus; &*
80. *Quid Judaismus; & denique*
81. *Quid formaliter importet hæresis.*
82. *Hæresis alia dicitur materialis, alia formalis.*
83. *Pertinacia hæreticum formalem constituens consistit in obstinatione voluntatis, vel potius judicii contra judicium Ecclesiæ.*
84. *Quale, & quam grave peccatum sit infidelitas?*
85. *An, vel quando dubitans de aliqua veritate fidei habendus sit pro hæretico?*
86. *Quid, & quotuplex sit Apostasia?*
87. *Quid sit Schisma, vel, esse schismaticum?*
88. *Resolvitur Casus I. cujusdam Catholici, qui animo explorandi fidem alterius de hæresi sibi suspecti dixit, se velle amplecti fidem Lutheranam.*
89. *Qua de causa Confessarius eidem postea negavit beneficium absolutionis, sed male.*
90. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*
91. *Resolvitur Casus II. cujusdam acatholici, petentis a quodam R. D. Parocho una cum suo filio duodenni instrui in fide Catholica.*
92. *Undenam colligendum, an fuerit hæreticus materialis duntaxat vel vero formalis, ideoque absolvendus vel non?*
93. *Et quid tenendum de eo, qui a Patre Catholico, Matre vero acatholica natus asserit, se credere quidquid parentes sui credunt?*
94. *Resolvitur Casus III. cujusdam Subdiaconi, nolentis credere, quod omnes consodales S. Ursulæ fuerint Virgines;*
95. *Insuperque asseruit, se hoc nunquam crediturum, tametsi a S. Pontifice e Cathedra proponerentur ut tales, id est, Virgines.*
96. *Quid si hujus facti pœnitens ex post facto dicat, se suspensurum suum judicium de hac re?*
97. *Minime dubitandum videtur, quin hodiedum dentur multi hæretici merum materiales.*
98. *Enimvero multi etiam vincibiliter ignorantes mysteria nostræ fidei, vel suæ sectæ adhærentes, non semper reputari debent hæretici formales.*
99. *Habendus tamen est pro hæretico, qui negat veritatem, quam agnoscit a Deo certe, licet privatim sibi revelatam.*
100. *Idem ferendum judicium de iis, qui decisiones in materia fidei & morum a SS. Pontificibus e cathedra nolunt admittere in eo sensu, quo intelligendæ proponuntur; quod*
101. *Breviter magis dilucidatur.*
102. *Quid judicii de iis, qui negant Summum Pontificem esse supra Concilium?*
103. *Fides habitualis non amittitur per quodcunque peccatum infidelitatis?*
104. *Infideles tamen, quicunque demum, exacte sunt instruendi in rebus fidei, priusquam ad hujus professionem publicam admittantur.*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos casus practicos de Infidelitate.

Quæres primo, quid, & quotuplex sit infidelitas?

76. R. ad primum. Infidelitas ut sic est peccatum, seu etiam defectus contra fidem. Ita *ex communi DD.* tradit Sporer *tract.* 2. *in decalog. cap.* 3. *sect.* 1. *assert.* 1. Ratio hujus descriptionis de se patet; nam infidelitas impræsentiarum sumitur, prout opponitur fidei divinæ: atqui peccatum vel defectus contra fidem opponitur fidei, ut de se liquet: ergo infidelitas haud inepte describitur per defectum &c. &c.

77. R. Jam ad secundum. Infidelitas ut sic recte partitur immediate in positivam & negativam. Ita rursus *communis DD.* Et ratio est: quia omnis infidelis vel ignorat mysteria fidei, vel positive aliquid fidei contrarium sibi habet persuasum: at, si ignorat, dicitur merito infidelis negative, in quantum habet vel carentiam vel etiam negationem fidei: si vero aliquid veræ fidei contrarium negat, dicitur infidelis positive, id est; imbutus errore positivo sanæ & salvificæ fidei contrario. Ceterum utraque hæc infidelitas merito a Theologis solet distingui in culpabilem, & inculpabilem; experientia quippe constat, dari nonnullos homines, qui inculpabiliter ignorant mysteria fidei, vel quia nondum sunt capaces talis scientiæ, veluti sunt infantes (qui proptera appellantur infideles negative) vel tametsi fuissent capaces, nihil tamen unquam audierunt de fide vera, vel certe de uno alterove mysterio (& hi recte dicuntur infideles privative tales) denique etiam reperire est alios, qui defectu sufficientis instructionis credunt aliquid fidei positive contrarium: hi omnes dicuntur infideles inculpabiliter tales. Econtra alios reperire est, qui culpabiliter mysteria fidei ignorant, vel contrarium sibi persuasum habent, eo quod scilicet nunquam studerint addiscere ea, quæ sunt necessario Fide Divina credenda, vel pro mero arbitrio credant, quidquid demum arridet, aut eorundem genio placet: qui proin haud immerito dicuntur infideles culpabiliter tales, juxta *communissimam DD.* quam tenet Reiffenstuel *Theolog. moral. tractat.* 4. *dist.* 4. *n.* 3.

Quæres secundo, quot de facto dentur species infidelitatis?

78. R. Tres hodie communiter recensentur species infidelitatis positivæ, scilicet 1. Paganismus. 2. Judaismus, & 3. Hæresis. Ita Doctor Angelicus 2. 2. *qu.* 16. *art.* 1. *communiter a Theologis receptus*. Ratio est: quia universim tot species vitii recte assignantur, quot modis contingit ipsum repugnare virtuti sibi oppositæ: atqui vitium infidelitatis vel repugnat veræ fidei simpliciter, id est per omnia, quia scilicet talis infidelis fidem prorsus nunquam suscepit, & tunc dicitur Paganismus; vel repugnat solum quantum ad Novum Testamentum, ita ut veram fidem semel in figuris quidem susceperit, & etiamnum protestetur saltem quoad Vetus Testamentum, & tunc dicitur Judaismus; Vel denique repugnat fidei habitualiter saltem reipsa vi baptismatis susceptæ, & tunc talis infidelis appellatur hæreticus, prout mox amplius patebit ex dicendis. Interim pro majori claritate

Quæres jam tertio, quid sit Paganismus, & quid Judaismus?

79. R. ad primum. Paganismus est infidelitas ante susceptam Fidem veritatibus Fidei Catholicæ universaliter contradicens. Ita post alios Sporer *loc. cit. cap.* 3. *num.* 9. Recte autem paganismus per hoc discriminatur a Judaismo & hæresi, quod universaliter dicatur contradicere Fidei Catholicæ; esto enim Turcæ (qui habentur pro Paganis) nobiscum conveniant in eo, quod credant Deum esse unum; vel esse futurum judicum &c. hæc tamen convenientia materialis potius, quam formalis dicenda est; quia idem objectum materiale non credunt nobiscum ex eodem motivo formali, scilicet revelationis Divinæ, sed quatenus propositum ab ipsorum falso Propheta, scilicet Machomete.

80. R. Jam ad secundam partem hujus

jus quæſiti. Judaiſmus eſt infidelitas admittens quidem fidem ſuſceptam in typo & figuris Veteris Teſtamenti, repugnans tamen fidei noſtræ quantum ad Novum Teſtamentum. Ratio eſt: quia Judæi per hoc a nobis differunt, quod Vetus quidem Teſtamentum nobiſcum admittant, non tamen novum; firmiter enim ſibi perſuaſum habent, nondum adveniſſe verum Meſſiam in lege promiſſum, ſed primum adventurum in Mundum cum poteſtate magna &c. Ex quo liquet, eos merito haberi pro infidelibus.

Quæres quarto, quid ſit Hæreſis, & quotuplex?

81. R. ad primum. Hæreſis ut ſic eſt hominis Chriſtianam Religionem profeſſi error intellectualis contra aliquam fidei veritatem. Ita *communis Theologorum*. Perbene autem dicitur error, non qualiſcunque, ſed intellectualis; nam ſicut fides in intellectu ceu principali parte hominis reſidet; ita & hæreſis utpote fidei veræ e diametro oppoſita in eadem potentia ſuum figit domicilium, ac proin recte dicitur error intellectualis.

82. R. ad ſecundam partem hujus quæſiti. Hæreſis ut ſic duplex eſt, alia ſcilicet merum materialis, alia etiam formalis. Ita rurſus Doctores *communiſſime* cum Sancto Thoma 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. Prior, hæreſis ſcilicet materialis, importat quidem errorem, ſed ex ignorantia provenientem, & abſque pertinacia perſeverandi in tali errore; ut ſi quis ex mera ſimplicitate, vel etiam defectu ſufficientis inſtructionis credat, non dari niſi duo aut tria Sacramenta, vel Deum non eſſe niſi unum &c.

Poſterior autem, hæreſis ſcilicet formalis recte deſcribitur, quod ſit *voluntarius & pertinax error intellectus contra aliquam vel plures fidei veritates in homine Chriſtianam Religionem profeſſo*. Error *voluntarius* ideo dicitur; quia quemadmodum ad verum actum meritorium fidei requiritur pia quædam voluntatis affectio, ita ad hæreſim formalem ceu actum demeritorium neceſſaria eſt quædam prava affectio voluntatis. Deinde hæreſis formalis eſt peccatum: omne autem peccatum dependet ab arbitrio humano: ergo &c. Dicitur inſuper error contra *aliquam* vel *plures*: ad hæreſin enim ſufficit, quod quis contradicat ſaltem uni, vel alicui veritati; quia talis revera errat a via veritatis infallibilis: contra plures etiam veritates hæreticus errare poteſt, abſque eo, quod evadat Paganus aut Judæus, veluti liquet de Lutheranis, Calviniſtis &c. Inſuper dicitur *in homine Chriſtianam Religionem profeſſo &c.* Qui enim hanc nunquam profeſſi fuere ſive in baptiſmate ſive alio modo, ſimulque aberrant a vera fide, potius gentilibus vel Judæis, quam hæreticis annumerari merentur. Illud vero ſingulari nota dignum eſt, quod dicatur error *pertinax*; quia pertinacia eſt formale conſtitutivum & diſtinctivum hæreſeos formalis ab hæreſi merum materiali proxime deſcripta.

Aſt in quo ergo (inquies fortaſſis) proprie conſiſtit hæc nota characteriſtica hæreticorum, ſcilicet pertinacia?

83. R. Pertinacia conſiſtit in eo, quod quis articulo ſeu etiam pluribus articulis fidei ſibi ſufficienter propoſitis (ita ſcilicet, ut de illorum veritate non amplius dubitare poſſit prudenter) nihilominus teneat contrarium, idque nolit relinquere, nequidem propter auctoritatem Eccleſiæ vel aliam quamcunque, niſi forte manifeſte convictus. Unde ad hanc pertinaciam minime neceſſaria eſt longior mora, ſed ſufficit ad formalem hæreſin incurrendam voluntaria & obſtinata oppoſitio judicii proprii veritati ſatis propoſitæ. Et licet intellectus ceu potentia naturalis veritati ſatis ſibi propoſitæ & agnitæ nequeat reſiſtere contradicendo; nihilominus hæretici formales (quales merito præſumi poſſunt ac debent Præcones, ſeu, ut vocant, Paſtores Acatholicorum, illi ſaltem, qui veritati indagandæ ſerio incumbunt aut incumbere volunt) communiter id faciunt hac de cauſa; quia ſiniſtra affectione, vel aliis motivis temporalibus abſterriti nolunt impendere aciem intellectus ad agnitionem veritatis, quin potius illico ſeſe convertunt ad alia motiva quantumvis futilia, queis ſibi ſuiſque perſuadeant errores contrarios: ſicut ex ſimilibus motivis Principes Synagogæ noluerunt agnoſcere innocentiam

Christi, tametsi eamdem potuissent satis evidenter agnoscere, modo voluissent. Videatur de hoc Herincx *disp.* 9. *n.* 22. vel Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 2. *num.* 14.

Quæres quinto, quale peccatum sit infidelitas?

84. R. 1. Infidelitas formalis est peccatum commissionis, & quidem 2. gravius reliquis omnibus, quæ contra virtutes morales committuntur, licet 3. non sit gravissimum simpliciter, seu gravius iis, quæ pugnant contra virtutes Theologicas. Ita rursus satis communiter Doctores, nominatim Herincx noster *part.* 3. *tr.* 1. *disp.* 9. *num.* 11. Castropalao *tr.* 4. *disp.* 2. *punct.* 1. *n.* 11. & alii.

Ratio primi est, quia infidelitas formalis secundum dicta consistit in erroneo, eoque voluntario judicio contra fidem: at, hoc importat commissionem, non omissionem; hinc fit ut omittens actum fidei eo tempore, quo urget præceptum, peccet quidem, sed non peccato infidelitatis, quemadmodum omittens actum dilectionis tempore debito, non propterea peccat peccato odii. Ratio secundi est: quia peccatum tanto est gravius, quanto magis hominem a Deo avertit: atqui peccatum infidelitatis vel maxime avertit hominem a Deo, quippe per quod vera Dei cognitio aufertur: ergo infidelitas est gravius peccatum, quam illa, quæ committuntur contra virtutes morales. Ratio autem tertii hæc est: quia peccatum odii erga Deum, quod Charitati Theologicæ adversatur, omnium confessione excedit in gravitate reliqua peccata repugnantia virtutibus Fidei & Spei Theologicæ: ergo peccatum infidelitatis nequit dici simpliciter gravius omnibus peccatis, etiam iis, quæ committuntur contra virtutes Theologicas.

Quæres sexto, an etiam ille dicendus sit infidelis vel hæreticus, qui solum dubitat de aliqua veritate fidei?

85. R. Affirmative, loquendo de dubitante post veritatem fidei satis propositam (secus enim dicendum est de dubitantibus ante veritatem fidei satis sibi propositam; talibus enim dubia vitio verti nequeunt, ut de se liquet)

Ratio autem nostræ resolutionis, quam contra Sanchez, Malderum, Canum, & paucos alios, tenent Castropalaus *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 2. *n.* 9. Coninck *disp.* 18. *dub.* 7. *conclus.* 6. *num.* 102. Suarez & alii plures, quos sequitur Michel *Theol. canon. mor. part.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. *num.* 5. *pag.* 353. est: quia dubitans de aliquo articulo fidei v. g. de reali præsentia Christi in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, licet per hoc quod dubitet, realem præsentiam ceu veritatem fidei non neget, nihilominus dubitando de ea satis manifestat, se non credere infallibilitatem Ecclesiæ: at, qui hanc non credit, vel in dubium revocat, merito habetur pro hæretico. Hac de causa *cap.* 1. X *de hæreticis* dicitur: *dubius in fide est infidelis.*

Quæres septimo, quid & quotuplex sit Apostasia?

85. R. Nomine Apostasiæ ut sic communiter intelligitur *discessio quædam*, seu etiam *defectio*, & hæc ab aliis dicitur triplex, ab aliis omnino quadruplex, scilicet 1. Apostasia a Religione. 2. ab Ordine Sacro. 3. ab Obedientia, & 4. a Fide. Ita in terminis Sporer *tr.* 2. *c.* 3. *sect.* 1. *n.* 11. Explico breviter singulas species. Apostasia *a Religione* definitur, quod sit criminosa & mortifera discessio a Religiosi Ordinis instituto sine animo revertendi; ita *jus commune*, licet in nostra (fortassis etiam aliis pluribus Religionibus) pro Apostatis habeantur, & ut tales puniri soleant, qui sub alio prætextu Religionem aut monasterium sine legitimi sui Prælati obedientia vel licentia deserunt, esto habeant animum denuo revertendi. Apostasia a *Sacro Ordine* dicitur, dum Clericus in Ordinibus majoribus constitutus ad statum laicalem vel matrimonialem propria auctoritate se transferre præsumit. Apostasia *ab obedientia* appellatur, dum quis ab obedientia legitimi sui Superioris sese subtrahere nititur. Denique Apostasia a fide dicitur, dum quis a vera fide in baptismate suscepta & explicite professa deficit, assumendo aliam Religionem vel sectam falsam. Ex qua descriptione liquet 1. neque paganos, neque Judæos, neque etiam hæreticos semper in hæresi natos & educatos dici posse

se apostatas; quia hi omnes nunquam fuere explicite professi veram seu Catholicam fidem. Liquet insuper 2. Apostatas a fide mox descriptos incurrere poenas in haereticos decretas, prout etiam statuitur *cap. contra Christianos*. 13. *de Haereticis in sexto*. Liquet insuper 3. ab Apostatis explicandum esse in confessione, ad quam falsam Religionem deflexerint: quia infidelitates mox supra relatae procul dubio specie morali differunt, consequenter etiam peccata quae committuntur pro diversitate Religionum vel potius infidelitatum diversarum. Videatur Sporer *loc. cit.* vel Laymann *lib.* 2, *tr.* 1. *c.* 16 *per totum*.

Quaeres tandem octavo, quid sit Schisma, & quid esse Schismaticum?

87. R. Schisma est peccatum, quo quis se separat ab unitate Ecclesiae, quatenus haec est unum quoddam corpus mysticum ex diversarum conditionum fidelibus tanquam membris tum inter se, tum etiam cum capite summo scilicet Pontifice connexis constitutum. Ita post Valentiam, Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 11. *n.* 4. quem sequitur Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *a.* 2. *n.* 34. Ex qua descriptione facile liquet, illum merito dici schismaticum, qui a corpore Ecclesiae sese sequestrat, eo quod renuat se gerere ut membrum hujus corporis, vel subesse capiti. Quodsi admissis quidem omnibus fidei articulis solum nitatur se sequestrare a reliquo corpore Ecclesiae, dicetur purus schismaticus: e contra si se separet, simulque neget unum vel plures fidei articulos, dicitur schismaticus, simul & haereticus, propterea que incurrit omnes poenas haereticorum, quamprimum suum schisma haereticum exterius manifestat, uti bene docent Laymann *loc. cit.* 1. *n.* 5. *n.* 3. & Tamburinus *in decalog. lib.* 2. *c.* 1. §. 5. Babenstuber *loc. cit. num.* 36. aliique plures ab iisdem Doctoribus relati.

§ II.

Proponuntur: & breviter resolvuntur Casus practici de infidelitate.

CASUS PRIMUS.

Titius in hospitio Cujusdam pagi merum Catholici offendit hominem, quem ex diversis indiciis suspicabatur esse Praeconem Lutheranum: quare ut omnimodam rei veritatem exploraret, eidem sese jungendo propius familiariter, occulte tamen & clanculo quasi quaesivit, an non esset Praeco Lutheranus? sciscitanti vero, quam ob causam id quaereret? ulterius respondit Titius noster, sibi jam pridem displicuisse fidem Catholicam, propterea que cogitare de amplectenda fide Lutherana. Hoc postea (quod totum joci causa fecerat) Titius in confessione aperuit: moxque a Confessario repulsam absolutionis tulit, jussus alium quaerere, qui se ab haeresi vel potius ab excommunicatione ob haeresin incursa absolveret. Jam ad nostrum propositum quaeritur 1. *quid de hoc facto Titii?* 2. *quid de responso Confessarii tenendum sit?*

88. R. ad primum, Titium male fecisse: esto enim hoc totum non fecerit animo serio, & fortassis nil minus intenderit, quam abnegare veram fidem, quia tamen in foro externo simulavit se serio loqui, asserendo sibi fidem Catholicam jam pridem displicuisse, propterea que velle amplecti lutheranam; hinc sine dubio saltem per se loquendo (nisi scilicet simplicitas aut levitas animi, qua hujusmodi homines subinde sibi persuadent similia non esse graviter peccaminosa, modo in animo non ita sentiant) graviter peccasse censendus est; quia sin minus corde, saltem ore contempsit fidem Catholicam, quod sine gravi injuria in Christum per se loquendo fieri neutiquam potest. Quia tamen fatetur se non fuisse locutum ex animo, nec unquam in mente ita sensisse, hinc nec potest, nec debet dici haereticus; quia secundum dicta *num.* 81. haeresis necessario importat errorem in intellectu contra aliquam veritatem fidei, simulque pertinaciam in

in voluntate, prout ex *communi DD.* tradit Reiffenftuel *Theolog. mor. tr.* 4. *dift.* 4. *num.* 11.

Ex quibus ulterius

89. R. Jam ad fecundum quæfitum, Confeffarium fimiliter male feciffe, negando beneficium abfolutionis Titio, eundemque ablegando ad alium gaudentem poteftate abfolvendi ab hærefi. Ratio patet: quia Titius nullam incurrit hærefin, neque excommunicationem vel refervationem &c. ergo nec indiguit abfolutione ab excommunicatione, per confequens imprudenter & fine jufta caufa beneficio abfolutionis fuit fraudatus, immo injufte gravatus onere, fua peccata iterato alteri confitendi; ad quod revera minime tenebatur

At, inquies, Titius in foro faltem externo videbatur ferio conteftari, quod fides catholica fibi difpliceat, propterea-que cogitet amplecti fidem Lutheranorum: ergo in foro externo faltem incurrit excommunicationem in hæreticos latam, quidquid demum fit de foro interno, in quo fupponitur aliter fenfiffe: Ecclefia enim judicat de externis, non vero de occultis, ut habetur *c. Erubefcant dift.* 32. *& c. ficut tuis, de fimonia*: ergo Titius non potuit abfolvi a quolibet Confeffario.

90. R. Negando confeq. Nam in primis Titius non poftulavit abfolvi pro foro externo, neque indiguit abfolutione in hoc foro; cum ab omnibus femper fuerit reputatus tanquam bonus catholicus: fed poftulavit duntaxat abfolvi in foro confcientiæ de culpa ex illo joco minus utique laudabili contracta: atqui in foro confcientiæ non fuit noxius hærefeos, neque incurrit excommunicationem vel refervationem: ergo male fecit confeffarius eundem fine abfolutione dimittendo ad alium. Profecto juxta communiffimam Doctorum, ut quis in foro externo feu facie Ecclefiæ incurrat culpam vel pœnam hæreticorum, omnino neceffum eft, ut hærefin mente conceptam exterius clare & diftincte manifeftet: atqui per allegata verba Titius non fatis manifeftavit hærefim mente conceptam; etenim dicendo quod velit amplecti fidem lutheranam, non eo ipfo dicendus eft affe-ruiffe, fe actu credere, quod Lutherani credunt, vel actu effe talem: quemadmodum is, qui dicit fe velle amplecti ftatum Religiofum, nondum intelligitur actu effe Religiofus. Efto infuper dixerit, fidem Catholicam jam pridem fibi difplicuiffe, propter eaque cuipiam potuiffet videri fufpectus de hærefi; nihilominus fi rem velimus maturius perpendere, deprehendimus, quod hæc verba non clare fignificent, feu manifeftent hærefin, nam & Catholico poteft difplicere fides, non quidem fimpliciter, vel quafi fufpecta de veritate, fed quia poft fe trahit diverfa onera, utputa jejunium Ecclefiafticum, abftinentiam a carnibus, confeffionem auricularem & fimilia. Cum proin aliunde conftet, in dubio potius in mitiorem partem inclinandum effe, Reoque favendum, vel ut dicitur *cap.* 49. *de R. J. in fexto*: *in pœnis benignior interpretatio eft facienda*; hinc dicendum, quod Titius ne quidem in foro externo fuerit habendus pro hæretico vel excommunicato. Videatur de hoc Filliucius *tr.* 22. *num.* 185. Vel Reiffenftuel *cit. dift.* 4. *num.* 12.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius homo ceteroquin fatis prudens, nec de infirma plebe unacum filio fuo duodenni venit ad quendam Parochum Catholicum, poftulans ab eodem amplius erudiri & imbui dogmatibus Catholicis: fatetur autem candide jam pridem fibi præplacuiffe fidem Catholicam, nihilominus tamen hactenus femper perfeveraffe in fua fecta Lutherana, eo quod de nonnullis articulis fidei noftræ nondum fuerit fatis convictus, præfertim de exiftentia purgatorii, de invocatione Sanctorum, de reali præfentia Chrifti in Sacramento Eucharistiæ, & denique de communione fub una tantum fpecie laicis danda &c. Quæritur jam 1. *an Sempronius cenfendus fit hæreticus formalis?* 2. *an nedum ipfe, fed etiam filius duodennis debuerint, aut potuerint a R. D. Parocho abfolvi ab excommunicatione in hæreticos latæ? Quid judicii?*

91. R. Ad primum quæfitum, Sempronium probabilius nedum infidelem fed

fed & hæreticum formalem hactenus fuiffe; enimvero ad hanc incurrendam minime opus eft, ut quis de veritatibus fidei Catholicæ jam fit plene convictus, fed fufficit, eas fuiffe fufficienter propofitas & agnitas, ita fcilicet, ut perpenfis omnibus credibilitatis notis non amplius relinquatur dubium prudens: hoc autem probabilius contigit refpectu Sempronii. Nihilominus ad plenius dignofcendum peccatum infidelitatis, vel potius hærefis formalis, juvabit ulterius Sempronium examinare 1. utrum agnoverit obligationem inquirendi omnimodam fidei veritatem? 2. an ftuduerit etiam illam addifcere? 3. an fuerit etiam paratus eam amplecti, quam primum hæc fibi fuerit fatis propofita? Si dicat, fe non apprehendiffe hanc obligationem, vel ea quidem apprehenfa ftuduiffe deprehendere omnimodam veritatem, non tamen habuiffe hominem, a quo erudiretur, & præfertim fi fuit femper paratus corrigi poft fufficientem informationem, habendus erit pro hæretico mere materiali, per confequens nedum ipfe, fed etiam filius duodennis (de quo facilius præfumi poteft, erraffe inculpabiliter, & hactenus defectu fufficientis judicii fuiffe hæreticum mere materialem) tuta confcientia poffet abfolvi a R. D. Parocho, immo a quolibet Sacerdote approbato, nifi quid aliud exigat confuetudo Diæcefeos, prout fapienter limitat Laymann *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 13. *num.* 4. Ratio eft: quia ex hac fuppofitione non fuiffent hæretici formales, confequenter nec obnoxii aut irretiti vinculo excommunicationis. Ex quo patet quid ad fecundam partem quæfiti fit refpondendum.

92. At vero, fi Sempronius fateatur, fe quidem apprehendiffe obligationem indagandi veritatem, immo fæpius difceptaffe cum Catholicis rem intelligentibus, noluiffe tamen acquiefcere, quoufque plenarie *convinceretur* circa articulos in cafu relato fpecificatos, tametfi non ignoraverit ab Ecclefia Romano Catholica contrarium doceri, præfumendus erit hæreticus formalis, proindeque minime præfumendum a quocunque demum Sacerdote non gaudente poteftate abfolvendi ab hærefi, ut talem abfolvat, præfertim in hifce partibus noftris, ubi confuetudine jam antiquata receptum fuit, ut Acatholici revertentes ad ovile & gremium S. Matris Ecclefiæ, non nifi ab habentibus Auctoritatem publicam, vel fpecialem poteftatem a Reverendiffimo Ordinario, vel ipfo Summo Pontifice Romæ obtentam, ab hærefi abfolvantur, & Communioni fidelium reftituantur. Videantur de hoc Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 7. *n.* 29. Sporer *tr.* 2. *Decalog. c.* 3. *num.* 16. Vel Babenftuber *tract.* 5. *difp.* 1. *art.* 2. *num.* 3.

Sed quid judicii (inquies) formandum de illo, qui a Patre Catholico, Matre vero Acatholica natus & educatus, pofteaquam ufum rationis videbatur adeptus, de fua fide examinatus refpondit, fe credere id, quod fui Parentes credunt?

93. R. Concludendum eft de tali, quod fit vel ftultus, vel certe idiota & fimplex homo; nam fi fcivit, Parentes fuos credere articulos fibi contradictorios, utputa dari purgatorium, & non dari, folam fidem in Chriftum & non folam fidem juftificare, item bona opera juftorum effe meritoria (uti Pater Catholicus) & non effe meritoria (uti Mater Acatholica) fibi perfuafum habet; fi, inquam fimilia fcivit, non potuit prudenter credere utrumque, ut de fe facile liquet: Si autem ignoravit, quidnam Pater credat, & quidnam Mater, vel in quo fides unius differat a fide alterius, habendus eft potius pro fimplici, Idiota, & hæretico materiali, quam pro formali, ac proin abfolvi poteft a quolibet Confeffario, modo paratus fit foli Patri, vel potius foli fidei Catholicæ deinceps acquifcere.

CASUS PRIMUS.

Ajus Subdiaconus fatetur, fe noviffime recitando Breviarium pro Fefto S. Urfulæ incidiffe in illam hiftoriam, quod omnes confodales Sanctæ Urfulæ fuerint Virgines, feu, ut habet Breviarium in terminis, agmen Virgineum, propterea que vehementer dubitaffe, an inter tot (undecim mil-

mille scilicet) omnes fuerint Virgines , tandemque post maturam & multam deliberationem ita conclusisse , se scilicet hoc nunquam crediturum , tametsi Summus Pontifex e Cathedra id ipsum definiret : nihilosecius (subjungit idem Cajus) si in hoc quamcunque demum culpam infidelitatis incurrissem , jam hujus pœnitens factus me desuper accuso , adpromittoque , quod circa hoc dubium deinceps meum judicium velim suspendere . Jam ad nostrum propositum circa hanc facti speciem dubitare licet 1. *an Cajus peccatum infidelitatis vel hæreseos inciderit , deliberate dubitando , an omnes S. Ursulæ consodales fuerint Virgines , prout Breviarium Romanum innuit ?* 2. *Quid judicii de eo , quod asseruerit , se id nunquam crediturum , tametsi S. Pontifex hoc e Cathedra credendum proponeret ?* 3. *An præcepto Fidei satisfaciat per hoc , quod modo pœnitens dicat , se circa hoc dubium deinceps suspensurum suum judicium ?*

94. R. Ad primum punctum hujus Casus, Cajum ex eo præcise , quod dubitaverit , an integrum agmen S. Ursulæ fuerit Virgineum , imo & negaverit , omnes fuisse Virgines , non incidisse peccatum infidelitatis , neque hæreseos. Ratio est : quia S. Mater Ecclesia non omnia , quæ in Breviario continentur , præsertim quoad Legendas seu vitas Sanctorum , velut de fide infallibiliter credenda proponit , sed potius legenda velut verosimilia fide humana duntaxat credenda , & imitanda : & certe multa , quæ in Breviario continentur , ab aliis Catholicis Auctoribus in dubium revocantur prout videre licet apud Mr. Godeau *Tom.* 2. *Histor. Ecclesiast. ad Annum Christi* 324. *lib.* 4. §. 17. *Eusebium Cæsariensem & alios*.

Nec refert , quod cuipiam fortassis videri posset , ne quidem verosimile , quod omnes ex Sodalitio S. Ursulæ fuerint Virgines ; nam potuerunt esse & haberi Virgines saltem in facie Ecclesiæ , quidquid demum sit de hoc , an etiam omnes ac singulæ fuerint tales mente & corpore : hoc enim in lectionibus ab Ecclesia ad orandum præscriptis nullatenus continetur .

95. R. Jam ad secundum dubium , Cajum nedum incidisse peccatum infidelitatis , sed etiam saltem per se loquendo pœnam Excommunicationis in hæreticos latæ , ex eo , quod protestatus sit , se hoc nunquam crediturum , tametsi S. Pontifex e Cathedra idipsum definiret .

Ratio est : quia per hoc satis innuit, se non credere infallibilitatem Ecclesiæ, seu etiam Pontificis e Cathedra loquentis in materia fidei , ideoque suum judicium pertinaciter præferre judicio Ecclesiæ , minime paratus ab ea corrigi: quod proprie hæreticorum est . Neque vero ea duntaxat credere tenemur, quæ Pontifex universali Ecclesiæ in individuo velut de fide credenda proponit , sed insuper hoc , quod nihil a parte rei non verum possit e Cathedra velut fide Divina credendum proponere , & proponendo errare . Hac de causa Sanchez *lib.* 2. *in decalog. c.* 7. *n.* 30. Filliucius *tract.* 22. *n.* 177. Herincx noster *p.* 3. *tr.* 1. *disp.* 9. *n.* 26. aliique plures recte docent , eum , qui falso existimat , Ecclesiam aliquid velut de fide credendum definiisse ; vel , qui tam pertinaciter adhæret alicui opinioni , quam existimat esse fide Divina credendam &c. ut , etiamsi Ecclesia contrarium decerneret , tamen non esset paratus acquiescere hujusmodi decisioni , habendum fore pro hæretico formali excommunicationi in hæreticos latæ obnoxio .

96. R. Jam ad tertium dubium cum distinctione . Si enim judicium suum Cajus suspendat de hoc , an omnes fuerint Virgines a parte rei ? &c. non impingit in præcepta fidei ; quia secundum dicta *num.* 94. non jubemur hoc credere fide Divina : at vero si animo supponatur ita comparatus , ut vellet suum judicium suspendere , tametsi Ecclesia vel Summus Pontifex hoc definiret ex Cathedra tanquam fidei articulum &c. minime satisfaciet præcepto fidei , sed potius habendus erit pro hæretico , non quidem ex eo præcise capite , quod suum judicium suspendat , sed quia hanc suspensionem judicii contestando satis manifestat , se non credere Ecclesiam , vel S. Pontificem e Cathedra loquentem infallibilem , aut suo dignum assensu . Adde insuper , quod secundum dicta *n.* 23. quilibet fidelium teneatur præbere positivum

tivum assensum mysteriis fidei ab Ecclesia ad credendum satis propositis: atqui per declarationem Summi Pontificis e Cathedra loquentis (seu , quod idem est : universali Ecclesiæ aliquid velut honestum &c. vel etiam ut a Deo revelatum proponentis &c.) satis censentur proposita hujusmodi mysteria , modo talis locutio fidelibus innotescat : ergo quisquis se pertinaciter opponit , nolens audire Ecclesiam &c. habendus est pro infideli , immo pro hæretico.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

97. COlliges ex hactenus dictis primo : nedum esse possibiles , sed probabilius hodiedum reperiri multos hæreticos merum materialiter tales : immo tales merito præsumuntur illi , qui , sive a Catholico , sive etiam ab hæretico ministro baptizati , postea inter infideles , aut etiam hæreticos educantur , apud quos de fide nostra seu Religione Romano-Catholica vel nihil , vel non nisi diffamatoria , nefanda & abominanda audiunt , utputa Papam esse Antichristum , Bestiam , a Catholicis pro Deo cultam , & nos omnes esse idololatras &c.

Ratio est : quia infidelitas formalis debet esse voluntaria , conjuncta cum pertinacia post veritatem satis agnitam: at , homines hujus infaustæ sortis nunquam satis agnoverunt fidei Catholicæ veritatem , quippe quæ iisdem nunquam supponitur fuisse proposita : ergo non possunt dici hæretici formales . Ex quo recte infert Laymann *lib. 2. tract. 1. c. 12. circa fin.* fieri posse , ut hujusmodi homines , utpote ignorantia invincibili laborantes , habitum fidei in baptismate sibi infusum retineant , simulque illa mysteria ad salutem necessaria , scilicet SS. Trinitatis , Incarnationis , Passionis &c. nobiscum velut communia credentes salvi fiant . Videatur Doct. cit.

98. Colliges secundo , vincibilem ignorantiam , etiam crassam posse subinde excusare a pertinacia , & consequenter ab hæresi formali , modo (quod bene notandum) taliter errans paratus sit corrigi , & aliter sentire , casu quo fuerit melius instructus in fundamentis fidei . Ita Herincx noster *part. 3. tr. 1. disp. 9. n. 20.* Ratio est : quia etiam vincibiliter errans potest esse animo ita affectus , ut velit credere , quidquid noverit a Deo revelatum , & ab Ecclesia propositum ut tale , quam primum sibi fuerit ut tale satis propositum : immo vero talis potest credere , & actu credit veritatem , circa quam errat , cum non habeat voluntatem pertinaciter renuentem credere , qnidquid velut a Deo revelatum noverit . Hac de causa superius *Confer. 1. n. 34.* diximus , in mortis articulo absolvi potuisse illam personam emigrantem , quæ probabilius laboravit ignorantia vincibili , utpote educata in patria Catholica , simulque videbatur pertinax ita , ut nihil voluerit audire de purgatorio &c. his enim non obstantibus potuit contingere , ut de similibus nunquam satis fuerit instructa , licet ex propria culpa : & quia simul instititit evidens periculum animæ , casu quo non obtinuisset beneficium absolutionis , hinc sub conditione saltem potuit absolvi .

99. Colliges tertio , eum qui negat aliquam veritatem , quam certo agnoscit a Deo , licet privatim sibi revelatam , habendum esse pro hæretico formali . Ita Sanchez *lib. 2. in Decalog. c. 7. n. 32.* Castropalao *tr. 4. disp. 3. pu. 2. n. 14.* Laymann *lib. 2. tr. 1. c. 13. num. 6.* Sporer *ubi supra c. 3. Sect. 2. n. 19.* licet hi duo posteriores existiment , talem in rigore loquendo non esse hæreticum , nec obnoxium pœnis in hæreticos latis , eo quod negando aliquam veritatem privatim sibi revelatam non se opponat pertinaciter alicui dogmati ab universali Ecclesia proposito & acceptato . Ratio autem nostræ resolutionis mox datæ hæc est : quia quisquis negat verum esse id , quod a Deo revelatum esse certo agnoscit , ipso facto convincitur negare summam & infinitam Dei veracitatem : sed qui hanc negat , negat unum e principalioribus Fidei articulis , ab universali Ecclesia receptum : ergo nedum infidelis , sed etiam hæreticus formalis dici meretur . Nec dici valet , quod talis homo non neget Deum esse

sum-

summe veracem, sed neget duntaxat, suam revelationem fuisse a Deo summe veraci factam; supponi enim debet in hoc dubio, quod talis homo certitudinaliter agnoscat revelationem fuisse a Deo factam; secus quippe non posset mysterio revelato præbere assensum fidei, prout dictum fuit supra *Confer.* 1. *num.*41. atqui revelationem certitudinaliter agnitam prudenter negare non potest: ergo convincitur negare ipsam Dei veracitatem, & per consequens esse hæreticus formalis.

100. Colliges quarto, idemmet judicium esse formandum de iis, qui decisiones e Cathedra in materia fidei & morum a Summis Pontificibus factas, v. g. circa propositiones damnatas, vel canonizationem Sanctorum aut beatificationem &c. nolunt admittere in eo sensu, quo proponuntur ab Ecclesia. Ita Viva *in quæst. prodroma ad Thes. damnat. nu.* 18. La Croix *lib.* 1. *num.* 202. Malderus *q.* 11. *de fide art.* 1. *membr.* 5. S. Antoninus 3. *part. tit.* 12. *c.* 8. §. 2. Matthæucci *in Cautel. Confess. lib.* 3. *cap.* 3. *nu.* 103. & noster P. Cherubinus Mayr *in suo Trismegisto dist.* 1. *c.* 3. *num.* 93. Ratio est: quia Ecclesia semper censuit, Summum Pontificem in materia fidei ac morum e Cathedra (id est, pro universali Ecclesia infallibiliter tenendum) aliquid proponentem, loqui velut Organum Spiritus Sancti, & ex hujus infallibili assistentia Ecclesiæ promissa: at, qui contradicit universali Ecclesiæ, habendus est velut hæreticus; non enim vult audire Ecclesiam, immo nec ipsum Spiritum Sanctum, cui se pertinaciter opponit: ergo &c. Et hac, aliisque pluribus rationibus præter jam allegatos DD. noster Adm. R. P. Kazenberger *in Supplem. I. Conferent. P. Sargar. Confer.* 23. & Pichler *in sua Theolog. Polem. part.* 1. *cap.* 4. *art.* 2. *num.* 14. & *art.* 3. *num.* 11. tenent, pariter illos, qui negant modernum Pontificem, utpote ab universali Ecclesia propositum & agnitum, esse legitimum Christi Vicarium in terris, item qui negant, illum in materia fidei & morum e Cathedra loquentem, esse infallibilem, habendos esse pro hæreticis; enimvero si e Cathedra loquens posset errare in materia fidei & morum, utpote approbando turpia vel reprobando honesta &c. tunc etiam posset errare, immo actu erraret universalis Ecclesia credendo talia tanquam de fide: atqui hoc posterius nullatenus dici valet, secus enim Ecclesia non amplius esset *columna & firmamentum veritatis*, ut eam appellat Apostolus 1. *Timoth.* 3. Et *portæ inferi* adversus eam jam *actu prævaluissent*, contra infallibilem Christi promissionem Ecclesiæ factam *Matth.* 16. *v.* 18. ergo quisquis pertinaciter hoc negat, convincitur esse hæreticus formalis.

101. Diximus tamen notanter: qui nolunt admittere *decisiones in eo sensu, quo proponuntur ab Ecclesia.* Pro cujus ampliori notitia, præsertim propositiones damnatas concernente, sciendum est, non omnes propositiones, eo ipso quod damnatæ sint, habendas esse velut hæreticas, sed pro diversa exigentia materiarum diversis censuris fuisse affectas, prout ex Bullis SS. Pontificum (videndis apud Reiffenstuel in frontispicio, & apud La Croix) constat: aliæ enim damnantur velut *hæreticæ*, id est, formaliter oppositæ alicui articulo fidei: aliæ ut *suspectæ de hæresi*, quæ scilicet ex circumstantiis videntur innuere seu etiam continere latentem hæresin: aliæ *hæresi proximæ*, id est tales, quæ a plerisque habentur velut contrariæ fidei saltem indirecte & deductive: aliæ ut *Scandalosæ*, id est, præbentes occasionem ruinæ spiritualis: aliæ *laxæ*, quæ in materia morum nimis relaxant fræna libertati: *aliæ temerariæ*; quæ vel nullo, vel levi & inani fundamento nituntur: aliæ autem ut *temerariæ*, quæ scilicet nullam pro se vere gravem, contra se vero gravissimas habent rationes &c. aliæ *erroneæ*, id est, contradicentes conclusioni Theologicæ deductæ ex duabus præmissis, quarum una est de fide, altera vero evidens. Aliæ rursus damnantur velut *blasphemæ*, id est, continentes verbum contumeliosum contra Deum, B. Virginem vel alios Sanctos &c. vel impiæ, id est, repugnantes cultui DEO, B. Virgini vel aliis Sanctis debito &c. Dicimus itaque omnes fideles teneri ad acce-

acceptandas seu etiam profitendas propositiones ab Ecclesia damnatas in eo sensu, quo damnatæ fuere scilicet hæreticas, ut hæreticas, scandalosas, ut scandalosas &c. secus enim contradicendo S. Pontifici e Cathedra loquenti, immo & Ecclesiæ universali, præter notam hæreseos incurrerent peccatum mortale, immo & excommunicationem latæ sententiæ, prout cernere licet ex Bullis Summorum Pontificum, & ex communi DD. tradit La Croix *lib. 1. n. 225. & 226.*

At, inquies adhuc, quid tenendum de illis, qui negant Summum Pontificem esse supra Concilium, id est, majoris potestatis vel auctoritatis, quam Concilium universale?

102. R. Etiam tales habendos esse pro hæreticis nedum asserunt, sed & mordicus defendunt Matthæucci, Kazenberger, & Pichler *locis mox supra cit.* quin immo hanc veritatem a diversis Conciliis, scil. Nicæno I. *can. 39.* Calcedonensi, Lateranensi, Sinuessano &c. fuisse decisam; satis clare demonstrat idem R. P. Pichler *l. c. art. 2. num. 16.*

Placet nihilominus quoad hoc judicium nostri V. P. Cherubini Mayr, *loc. cit. num. 98.* respondentis cum distinctione, scilicet, quod illi habendi sint pro hæreticis, qui putant Concilium esse supra Papam ita, ut possit revocare, vel etiam immutare decreta fidei prius ab eodem condita: quia tales revera negant infallibilitatem S. Pontificis &c. illos e contra, qui solum asserunt; Pontificem Concilio subesse quoad disquisitionem factorum personalium, non attingentium ipsam fidei vel morum doctrinam, probabiliter non esse hæreticos; eo quod oppositum hujus asserti non sit expresse definitum: hoc ipsum tamen assertum esse erroneum, vel saltem errori proximum, temerarium & scandalosum, utpote parum distans ab illa propositione per Alexandrum VIII. damnata ordine 29. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum Auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

103. Colliges quinto. Fidem habitualem seu habitum fidei supernaturalis non amitti per quodcunque peccatum contra fidem. Ratio est: quia culpabiliter ignorans mysteria fidei, vel exponens se periculo incidendi hæresin, esto hanc non incidat, peccat contra præceptum fidei: idipsum tenendum est de eo, qui fidem exterius sive ex timore, sive ex alio motivo humano negat, quam tamen in mente firmissime retinet: at, hi omnes non amittunt habitum fidei, hic enim solum deperditur propter peccatum infidelitatis positivæ, id est, per errorem positivum fidei contrarium. Vid. Herincx ubi supra *disp. 9. n. 29.* Lugo *disp. 17. sect. 5. n. 28.* vel Babenstuber *tr. 5. disp. 1. art. 2. num. 2.*

104. Colliges denique sexto, infideles quoscunque, sive hæretici materiales sive formales exstiterint, priusquam ad fidei professionem vel ad Confessionem admittantur, esse bene instruendos, & examinandos de necessariis tum ad salutem, tum præsertim ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ita bene monet Laymann *lib. 2. tract. 1. cap. 13. n. 4.* Ratio est: quia merito timendum, ne, si secus fiat, multi vel ficte, vel certe minus instructi accedant, quo fiet, ut multi inconstantes vel dubitantes in fide Catholica diuturno tempore permaneant, vel aperte etiam ad pristinos errores revertantur. Quare ante omnia Confessarius quærat ex ejusmodi conversis, vel converti volentibus, & primo confitentibus, utrum firmiter, & ex animo quidem, seu toto corde credant ea, quæ Sancta Mater Ecclesia Romano-Catholica credenda proponit, & utrum in hac fide semper perseverare, ac mori parati sint? Ita Laymann *loc. cit.* Singulariter insuper, quamprimum veniunt postulantes instrui in fide Catholica, examinandos esse arbitror, quo fine, vel quibus motivis ducti cogitent suam deserere sectam: sæpe sæpius enim allegare solent motiva nullius prorsus momenti, vel vana, reipsa nil aliud intendentes, quam ut sibi necessaria quoad victum & vestitum præstentur aut procurentur: caute proin cum similibus procedendum est, prout sapienter monet noster A. R. P. Kazenberger *in Supplemento I. Conferent. P. Sargar Confer. 33. num. 33.* nec dicendum

ali-

aliquid vel faciendum a Confessario, quod is dictum aut factum nollet, casu quo hujusmodi conversus ad vomitum rediret &c. &c.

CONFERENTIA QUARTA.

De Communicatione fidelium cum infidelibus, & de lectione librorum hæreticorum.

SUMMARIUM.

105. *Quænam communicatio cum infidelibus seu non baptizatis fidelibus sit prohibita?*
106. *Quænam sit prohibita fidelibus cum Judæis?*
107. *An Judæi a Principibus Christianis sint tolerandi inter fideles?*
108. *Quænam communicatio cum hæreticis sit interdicta fidelibus?*
109. *Sintne hæretici inter Catholicos tolerandi?*
110. *An fidelibus permittendum, ut famulentur hæreticis?*
111. *Fidelibus simpliciter, & justissime quidem fuit sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ prohibitum 1. legere libros hæreticos. 2. eos retinere. 3. eos imprimere, vel 4. eosdem quovis modo defendere.*
112. *Nihilominus ad hanc excommunicationem ratione lecturæ incurrendam sex conditiones interveniant; necessum est.*
113. *Quænam quantitas materiæ ratione lecturæ censeatur gravis, vel non gravis?*
114. *Quidnam requiratur ad incurrendam hanc censuram præcise ratione retentionis?*
115. *Quinam veniant nomine imprimentium; &*
116. *Quinam nomine defendentium librum hæreticum?*
117. *Præter libros hæreticos in Bulla Cœnæ prohibitos insuper exstant permulti alii libri in Indice Romano prohibiti;*
118. *Qui index hodie communiter dividi solet in tres classes.*
119. *Quarum lectio sub diversis pœnis fuit prohibita.*
120. *An, vel qualiter obligent pœnæ tum in Bulla Cœnæ, tum etiam in præfato indice Romano latæ contra legentes hujusmodi libros?*
121. *Resolvitur Casus I. cujusdam Uxoratæ, quæ ignoranter sortita fuit Maritum hæresi Lutherana infectum.*
122. *Propthereaque dubitat, an non teneatur illum denunciare Reverendissimo Officio, eo quod multos libros hæreticos in suo tugurio teneat absconditos, & ex iisdem nitatur etiam proles subvertere.*
123. *Quid consilii huic mulieri a Confessario sit suggerendum?*
124. *Resolvitur Casus II. cujusdam Bibliopegæ Catholici, dubitantis, an non peccet compingendo libros hæreticos.*
125. *Quid, si tales libros diu penes se retineat, prius, quam illos compingat.*
126. *An Civis Catholicus, qui præter omnem exspectationem coactus fuit acceptare præfatos libros hæreticos in compensationem debiti, tuta conscientia potuerit eosdem alteri vendere?*
127. *Resolvitur Casus III. cujusdam personæ Catholicæ, quæ ob evitandum periculum gravis infamiæ cogebatur sæpius cuidam Rustico illiterato & hæresi Lutherana infecto prælegere Biblia Lutheri, & alios libros hæreticos.*
128. *An, vel quomodo propterea peccaverit?*
129. *An comitando eundem Rusticum sponte emigrantem peccaverit, vel excommunicationem inciderit?*
130. *An paulo post reversa in suam patriam indiguerit absolutione ab excommunicatione Bullæ Cœnæ?*
131. *Non omnis, qui legit librum hæreticum, illico habendus est pro excommunicato.*
132. *Qui in auctore aliunde sibi ignoto reperit unam alteramve hæresin, tenetur inquirere, sitne Catholicus vel hæreticus, & interim ab ulteriori lectione abstinere.*

133. *Legens controversias hoc tempore agitari solitas, & ab auctore Catholico scriptas, laude potius, quam vituperio dignus videtur.*

134. *Legens librum hæreticum in eodem volumine cum auctore seu etiam antagonista Catholico compactum, incurrit censuram Bullæ Cœnæ.*

135. *Legens quemcunque librum perniciosum, esto non hæreticum, per se loquendo peccat.*

136. *Et quid tenendum de legentibus Sacra Biblia?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos casus practicos de Communicatione cum infidelibus, & lectione librorum hæreticorum &c.

QUæres primo, an vel qualis Communicatio Fidelibus cum Infidelibus sit prohibita?

105. R. Jure naturæ & Divino prohibitum est fidelibus communicare cum infidelibus, id est, non baptizatis, in ipsorum cultu seu ritibus superstitiosis, utpote intrinsece malis. Eodem jure 2. interdicta censeri debet omnis communicatio, ex qua fideli imminet periculum subversionis. 3. Eodem jure D. fideli prohibetur inire connubium cum infideli, prout innuit Apostolus 2. *Cor.* 6. 4. Insuper jure Ecclesiastico Fidelibus prohibetur admittere infidelem ad participationem aliorum Sacramentorum, immo etiam ad SS. Missæ Sacrificium per *can. Episcopus* 67. *de consecrat. dist.* 1. Denique quinto, jure Ecclesiastico per X. 1. *inter comm. de Judæis*, nec non per Bullam Cœnæ §. 7. interdicitur Fidelibus sub pœna excommunicationis latæ Sent. Summo Pontifici reservatæ, ne infidelibus ceu hostibus Christiani nominis arma, aliave belli instrumenta & materialia deferant, aut vendant, neve *in Christianorum perniciem & damnum ipsos Turcas & Christianæ Religionis inimicos, nec non hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciant, illisque ad id auxilium, consilium vel favorem quomodolibet præstent.* Videantur de hoc Palao *tract.* 4. *disp.* 2. *pu.* 9. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 31. Schmalzgrueber *ad Tit. de Judæis*; vel Babenstuber *tra.* 5. *disp.* 1. *art.* 2. *num.* 14.

Quæres secundo, quænam Communicatio Fidelibus cum Judæis sit interdicta?

106. R. Præter illam in Divinis, vel cum periculo subversionis (quam jure naturæ ac Divino interdictam diximus) insuper jure Ecclesiastico *cap. Judæi, de Judæis* & alibi sæpius prohibetur Fidelibus familiaritas cum Judæis. Præterea interdicuntur sequentes modi communicandi cum ipsis 1. cum eis habitare, in eadem scilicet domo. 2. Judæum Medicum habere, vel ejus opera uti. 3. Ab iisdem præparatas medicinas recipere (quæ tamen intelligi debent extra casum necessitatis, quo lex Ecclesiastica non obligat) 4. Eorum azyma comedere vel 5. eidem cum iisdem convivio interesse, aut 6. eodem balneo uti (scilicet ex condicto; nam secus dicendum, si Fidelis cum Judæo per accidens & præter intentionem in eodem hospitio aut balneo conveniat) 7. Nefas itidem est in eorum domibus agere nutricem infantium, vel 8. agere famulum, aut 9. iisdem servitute subjici. 10. Non licet ipsis in Testamento legata relinquere, neque 11. publica officia inter Christianos iisdem committere.

Ratio horum est: quia ex his & similibus timendum est periculum subversionis, aut certe dignitas Christianæ Religionis quodammodo vilipenderetur. Ceterum si caveatur familiaritas, haud quaquam nefas erit suas operas Judæo sive in, sive extra domum locare, modo Judæus non supponatur assidue præsens: insuper non prohibetur cum iisdem negotiari, modo prescindatur a familiaritate, uti jam dictum. Vid. Palao *tr.* 4. *disp.* 2. *punct.* 9. *num.* 6. & *seqq.* Sanchez ubi supra *num.* 13. & *seqq.* Filliuc. *tr.* 22. *cap.* 5. *a num.* 126. Tamburin. *lib.* 2. *decal. cap.* 1. §. 10. *num.* 6.

Quæres tertio, an Judæi inter fideles sint tolerandi a Principibus Christianis?

107. R. Possunt Principes Christiani in suis territoriis tolerare Judæos, eisdemque permittere, ut suas Synagogas restaurent, non autem novas ædificent. Ita *Cap. consuluit de Judæis*. Item possunt iisdem permittere, ut ritus Judaicos exerceant, libros edant, quibus Vetus Testamentum exponitur, non autem quibus Christiana Fides oppugnatur. Ita S. Thomas *quæst.* 10. *art.* 11. S. August. *lib.* 18. *de civit. cap.* 46. quos refert, & sequitur Laymann *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 17. *num.* 5.

Ratio est: quia ritus Judaici evangelicam veritatem figura adumbrant, eidemque testimonium præbent, quæ causa est, cur Deus Gentem Judaicam non penitus deleri voluerit, sed tanquam veritatis ac justitiæ exemplum toto orbe dispergi: convenit proin (inquit Laymann *loc. cit.*) Judæos tali immunitate gaudere: tametsi hodie plures exstent Principes Catholici, qui justissimas ob causas coegere Judæos suis exulare territoriis.

Quæres quarto, qualis communicatio Fidelibus cum hæreticis sit interdicta?

108. R. Nedum jure naturali & Divino, verum insuper humano nefas est communicare cum hæreticis vel 1. in crimine hæreseos, utputa credendo, favendo, recipiendo aut defendendo; vel 2. in profanis eorum sacris seu ritibus ac ceremoniis propriis. Ita ex *communi DD.* Sporer *tract.* 2. *in decalog. cap.* 3. *sect.* 3. *ass.* 4. Ratio est: quia quicunque consentit, vel quomodolibet favet peccanti mortaliter in causa peccati, vel se exponit evidenti periculo salutis æternæ, peccat mortaliter: at, hoc facit, quisquis communicat cum hæreticis in crimine hæreseos, sive credendo, id est, eorum erroribus assentiendo; sive favendo, id est, favorem ad liberius diffundendum venenum hæreseos sub quocunque demum prætextu, etiam necessitatis &c. præstando, sive eos recipiendo, id est, domo seu hospitio illos excipiendo, ne ob hæresin capiantur vel puniantur &c. sive denique defendendo, id est, in vel extra judicium assistendo, ut evadant in hac causa. Qui vero cum periculo perversionis communicat cum hæreticis, in eorum Sacris præsertim, utputa cum iisdem cantando, vel communionem profanam participando, infantem ad baptismum offerendo, vel denique matrimonium coram Ministro hæretico contrahendo &c. præter injuriam Religioni Catholicæ illatam insuper se procul dubio exponit evidenti periculo subversionis & æternæ salutis: ergo tales peccant mortaliter saltem per se loquendo, nisi scilicet eos excuset ignorantia, simplicitas, vel etiam levitas animi.

Quæres quinto, sintne hæretici inter Catholicos tolerandi?

109. R. Neque hæretici, neque ipsorum exercitia in territoriis Catholicorum Principum toleranda sunt, nisi omnibus perpensis id necessum sit vel ob pacis fœdera, vel ad majora mala in Republica impedienda, vel ad majus bonum, utputa conversionis &c. promovendum. Ita post Div. Thomam, Cajetanum, Valent. Becanum & alios plures Laymann *prox. cit. c.* 17. *n.* 4. & fusissime nec minus fundate P. Reiffenstuel *l.* 5. *decret. tit.* 7. §. 4. ubi id *a num.* 139. *& seqq.* probat nedum auctoritate SS. Canonum verum etiam rationibus; tum scilicet quia hæresis nedum summe injuriosa est Deo, verum etiam quia ex cohabitatione cum hæreticis fidelibus imminet majus periculum scandali & subversionis, quam ex cohabitatione cum Judæis vel paganis; tum etiam quia pax & tranquillitas publica id exigunt summopere; ubi enim animarum & fidei dissensio reperitur, ibi vera & firma pax vel concordia stare non potest, uti bene advertit S. Ambrosius 3. *offic.* ubi ait: *Vix firma esse possunt pacis jura, inter quos est fidei bellum*, id, quod experientia passim oculis oberrans hisce temporibus comprobat.

Quæres sexto, sitne fidelibus prohibita communicatio cum hæreticis in famulitio, eisdem scilicet serviendo, vel propriam operam locando?

110. R. Talis communicatio certe non licet, casu quo famulus aut famula ex hujusmodi servitio advertit sibi imminere periculum subversionis. Et dato etiam, quod non habeat timere hoc peri-

periculum, si tamen propterea frequenter vel omnino regulariter impediatur in observatione præceptorum Ecclesiasticorum, ut si debeat diebus vetitis comedere carnes, diebus festivis laborare serviliter, vel negligere Missam &c. hujusmodi servitium per se loquendo est illicitum, & hoc ipso a Confessario interdicendum, nisi scilicet excuset notabile incommodum. Ita Navarrus, Bonacina, Laymann, la Croix *lib.* 2. *num.* 102. & fusissime Gobat *in Quin. tr.* 5. *cap.* 33. *a numer.* 93. & *in Theol. experim. tr.* 5. *a num.* 319. Ratio hujus resolutionis est, quia præcepta Ecclesiæ ad sui observantiam obligant, nisi excuset grave damnum: tunc autem esset grave damnum respectu talis famuli aut famulæ, si vel deberet amittere suum salarium, vel non posset invenire Dominum Catholicum, a quo acciperet ultra dimidium illius, quod ab hæretico accipit. Videantur *DD. citt.*

Quæres septimo, sitne fidelibus permissum legere libros hæreticos?

111. R. Nequaquam; enimvero in Bulla Cœnæ §. 1. ipso facto excommunicationi subjiciuntur omnes, *qui hæreticorum libros, hæresin continentes, vel de Religione tractantes sine auctoritate Sedis Apostolicæ scienter legunt, aut retinent, imprimunt, seu quomodolibet defendunt, ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore* &c. Ex quo liquet, vi hujus constitutionis fidelibus severissime interdici hæc quatuor scilicet 1. legere. 2. retinere. 3. imprimere, vel 4. defendere libros hæreticos. Verum pro pleniori horum intellectu

112. Notandum hic venit, ad incurrendam hanc censuram ratione lectionis a Doctoribus communiter desiderari sex conditiones. Primo scilicet, ut talis liber legatur *scienter*, id est, sine ignorantia *juris* prohibentis lectionem, & simul sine ignorantia *facti*, qua scilicet nescitur hunc librum esse hæreticum, ut proin ab hac censura incurrenda probabilissime excuset ignorantia etiam crassa, modo hæc non sit cum ingenti temeritate conjuncta, prout tenent Sanchez, Palao, Kazenberger, Tambur. *lib.* 2. *in decalog. cap.* 1. §. 7. *num.* 27. & alii plures. 2. necessum est, ut legatur *sine facultate Sedis Apostolicæ*, prout expresse continet Bulla Cœnæ *loc. cit.* Quocirca sapienter advertunt Marchantius, noster *Trib. Tom.* 2. *tr.* 2. *sect.* 4. *q.* 3. *dub* 1. & Laymann *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *num.* 5. quantum ad hoc dari posse locum EpiKeiæ v. g. in Episcopo, vel alio viro prudente, si scilicet legat hujusmodi librum, vel locum contradictionis in hæretico contentum eo fine, ut alium convincere, vel ad agnitionem veritatis perducere valeat. Tertio requiritur, ut legatur *liber*, id est, opus vel opusculum in ea quantitate compositum, ut in morali hominum existimatione vere censeatur liber, sive dein sit magnus; sive etiam parvus, id est, ut aliqui autumant, ad minus decem foliorum; nec refert, sitne compactus vel non impressus aut manuscriptus &c. prout post Suarezium *disput.* 30. *de fide sect.* 2. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 10. *num.* 35. tenet Sporer *ubi supra c.* 3. *sect.* 4. *n.* 39. Quarto requiritur, ut sit liber *hæreticus*, id est, ab hæretico auctore compositus; esto is nunquam fuerit denunciatus. Ex quo Doctores communissime inferunt, hanc excommunicationem Bullæ Cœnæ in legentes latam non incurri a legentibus Hebræorum Thalmud, vel Alcoranum Machometis, quia revera isti non sunt libri hæretici seu hæreticorum, sed potius infidelium; Nihilominus qui hujusmodi libros legunt, peccant graviter, & incurrunt excommunicationem non reservatam, sicut & illi, qui legunt libros theologiæ judiciariæ, vel scripta de arte Geomantiæ, Hydromantiæ, Acromantiæ, aut de arte Cabalistica. Similiter ii, qui legunt librum ab auctore Catholico compositum, esto hæreses contineat vel etiam referat, uti faciunt Bellarminus, Becanus & alii, non incurrunt excommunicationem in Bulla Cœnæ in legentes libros hæreticos latam; quia de talibus dici non valet, quod legerint librum hæreticum, esto adhuc graviter peccare possint, casu quo adverterent, sibi ex tali lectura imminere periculum subversionis, vel, si lectis hujusmodi dogmatibus hæreticorum assensum præbeant, quem, si exterius manifestent, insuper incidunt

dunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, prout patebit ex dicendis *in proxima Confer. a n.* 139. Quinto necessarium omnino est, ut talis liber *hæresin contineat, vel de Religione tractet*. Quo fit, ut vi hujus non censeatur prohibitum legere libros hæreticorum mere historicos, philosophicos, medicos, aut juridicos, modo nullam hæresin in se contineant. Quia etiamsi talis liber hæreticus, ex instituto non tractans de Religione, obiter aliquam hæresin, vel etiam scommata contra Romanam Ecclesiam vel Summum Pontificem (more hæreticis valde familiari) contineat, propterea que in rigore loquendo censeri deberet prohibitus vi Bullæ Cœnæ, nihilominus in nostris saltem partibus septentrionalibus, utpote in quibus Bulla Cœnæ cum tanto rigore non videtur recepta, secluso ulteriori periculo subversionis, impune legi posse probabiliter hodiedum tenent Laymann *ubi supra c.* 15. *num.* 4. Sporer *num.* 40. Stoz *l.* 1. *p.* 3. *num.* 534. Dicastillo *num.* 1177. Busenbaum, Michel, eosque secutus la Croix *lib.* 7. *n.* 332. id, quod praxis ferme quotidiana confirmare videtur; tum quia hujusmodi libri passim asservantur in Bibliothecis; tum etiam quia à timoratis sine scrupulo legi solent. Sexto tandem ad incurrendam hanc excommunicationem Bullæ Cœnæ sufficit librum ab hæretico fuisse compositum, simulque de fide vel de Religione tractare, esto nullam prorsus hæresin in se contineat. Ratio est: quia Pontifex voluit excommunicationi subjectos, qui legunt librum hæreticum hæresin continentem, vel (NB sub disjunctione loquentem) de Religione tractantem, utpote interpretando Scripturam Sacram, quæstiones theologicas circa Deum, Sanctos, vel circa fidem resolvendo. Ratio est: quia Ecclesia non vult filios suos ex fonte tam turbido haurire aquas salutis, vel ex luto putrido colligere margaritas, inquit Sporer *tr.* 2. *c.* 3. *sect.* 4. *num.* 41. ideoque justissime hoc interdicit, partim in odium hæreticorum; partim etiam ad avertendum à fidelibus quodcunque subversionis periculum.

At, inquies, quænam materiæ quantitas legi debet ad incurrendam præfatam censuram?

113. R. ad hoc quæsitum breviter (omissis aliorum placitis, qui vel nimium rigidi, vel nimis laxi videntur) in hac re attendendam esse materiam non tam secundum se, quam secundum finem prohibentis, qui principaliter voluit excludere periculum subversionis. Itaque si aperiendo librum hæreticum incidas in doctrinam, quæ directe est contra fidem, poteris paucas etiam lineas legendo peccare mortaliter & incidere excommunicationem; quia te periculo exponis, & agis contra totum finem legis. Econtra si advertas, materiam esse indifferentem, etiam paginam legendo non peccabis mortaliter, neque censuræ eris obnoxius. Ita Sanchez, Sporer & la Croix *l.* 7. *n.* 340.

112. Notandum jam secundo est, ad incurrendam hanc excommunicationem ratione retentionis, satis esse, quod quis librum hæreticum (hæresin scilicet continentem, vel de Religione tractantem scienter per notabile tempus retineat,) sive dein suo, sive alieno nomine, sive in propria, sive etiam in aliena domo eundem conservet. Contra hanc constitutionem vel maxime impingere possunt Bibliopolæ, retinendo hujusmodi libros eo animo, ut rursus vendant aliis; quia, ut bene advertit Lessius *in auctario V. Hæreticor. lib. cas.* 17. per hoc moraliter disseminant hæresin.

Quin insuper librarios, aromatarios & mercatores utentes ejusmodi libris aut foliis hæreticorum ad involvenda aromata, merces & alios libros, possunt incurrere hanc censuram, juxta multorum opinionem, quos citat la Croix *supra n.* 348. ubi is sapienter monet, ad discernendum peccatum grave aut leve ratione retentionis commissum considerandam esse tum quantitatem temporis, tum etiam intentionem retinentis, qui, si una alterave duntaxat die retineat talem librum eo fine, ut postea commodius possit tradere ad manus Inquisitionis, vel Episcopi &c. nullatenus peccabit, neque censuræ obnoxius fiet. Ita etiam Sanchez, Castropalao, Pignatellus, Sporer, aliique videndi apud la Croix *loc. cit.*

115. Notandum tertio, nomine imprimentium illos venire, qui ad impressionem libri hæretici scienter, & quidem propinque cooperantur; quales merito reputantur 1. Dominus officinæ, in qua fit impressio. 2. qui librum imprimendum tradit. 3. qui typum seu characteres ordinat. 4. qui chartam seu papyrum humectant, vel atramentum seu colorem, uti vocant imponunt, aut prælum premunt, & 5. probabiliter etiam is, qui corrigit impressionem; cum ad hanc saltem correcte imprimendam proxime concurrat. Et certum omnino videtur, quod tam Corrector, quam etiam ille, qui facit expensas pro impressione hujusmodi libri, incidant hanc excommunicationem, saltem ex eo capite, quod faveant hæreticis. Ita Pignatell. *pag.* 484. & Krimer *n.* 753. relati a la Croix *l.* 7. *n.* 356.

116. Notandum denique quarto, nomine defendentium illos intelligi, qui librum hæreticum ut talem commendant, laudant, aliove modo, sive verbis, sive scriptis, sive etiam factis tuentur v. g. ne in manus Inquisitionis tradatur, aut comburatur &c. Ita Krimer *n.* 754. *&* 755. Tamburinus *l.* 2. *c.* 1. §. 7. *n.* 54. Sporer *ubi supra n.* 47.

Quæres octavo, utrum præter libros hæreticorum, quos diximus vi Bullæ Cœnæ interdictos, dentur etiam alii libri prohibiti?

117. R. Dantur sine dubio & quidem plurimi, ut videre licet in Indice Romano librorum prohibitorum, quem Pius IV. juxta decretum Concilii Tridentini primitus curavit confici, postea vero alii Pontifices, nominatim Pius V. Clemens VIII. & Alexander VII. aliique Successores continuare, seu etiam augere assueverunt; Quocirca

118. Observandum rursus venit, hunc Indicem hodie communiter dividi in tres classes, ita quidem, ut in prima collocentur Auctores hæretici, qui vel tractant de Religione, vel ex professo hæresin continent. In eadem classe prima porro collocantur omnes Hæresiarchæ, id est, Capita & inventores hæresum, quales fuere Arius, Calvinus, Lutherus, Zvvinglius: quorum opera, esto fortassis aliqua non tractent de Religione, neque hæresin contineant, nihilominus sub excommunicatione fuere prohibita; nam damnato Auctore aliquo etiam censentur damnari ejusdem libri, Scripturæ, & opera, veluti communissime habent DD. Sporer, Reiffenstuel *loc. cit.* §. 3. *num.* 100. & habetur *in summario cap. fraternitatis* 4. *de hæreticis*.

Porro ad secundam classem referuntur libri illi, qui fuere prohibiti propter doctrinam non sanam, suspectam, scandalosam, bonis moribus seu honestati repugnantem, veluti sunt libri de arte magica &c. de rebus superstitiosis, seu etiam obscænis & lascivis tractantes. Quo pariter revocandi sunt libri Philosophici, Medici, Juridici &c. ab hæreticis scripti cum hæresibus hinc inde sparsis, etsi non, nisi obiter probatis.

Ad tertiam denique classem pertinent libri, ob doctrinam sive Religioni sive bonis moribus contrariam damnati, quorum auctores ignorantur, sintne hæretici vel Catholici &c. qui libri, ut recte advertit S. Pontifex Alexander VII. *in sua constit. speculatores Domus Israel &c.* plerique multo pejores sunt, quam in prima & secunda classe recensiti, utpote maxime inverecundi, & hoc ipso pestilentissimi.

Sub quibus ergo pœnis, inquies, interdicitur lectio dictorum librorum?

119. R. ad hoc breviter. I. Librorum ad primam classem pertinentium lectio prohibetur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, non tamen summo Pontifici reservatæ, nisi de Religione tractent, vel hæresin contineant: tunc enim vi Bullæ Cœnæ sunt prohibiti.

II. Libri vero secundæ & tertiæ classis, si ob hæreseos aut falsi dogmatis suspicionem fuere interdicti, cujusvis demum Auctoris, etiam incogniti sint, pariter sunt prohibiti sub pœna excommunicationis, at non reservatæ. At vero, si non ob hæreseos aut falsi dogmatis suspicionem, sed præcise ob doctrinam minus sanam, seu etiam honestati & bonis moribus repugnantem fuere prohibiti, legentes peccant quidem mortaliter, nullam tamen propterea excom-

communicationem incidunt ipso facto, sed solum jubentur ob reatum peccati mortalis judicio Episcopi severe puniri, prout habet *Regula X. Indicis circa finem*, & P. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 103. *& seqq.*

Quæres denique nono, utrum prædictæ pœnæ etiam in nostra Germania, ubi Catholici cum hæreticis permixti habitant, uti Augustæ, Ulmæ, Memmingæ &c. a legentibus præfatos libros incurrantur?

120. R. Probabilissime incurruntur. Ita mordicus tenet R. P. Reiffenstuel *lib. 5. decret. tit. 7. §. 3. num.* 80. *& seqq.* ubi hanc sententiam præsertim quoad pœnas in Bulla Cœnæ contentas acriter propugnat; eo potissimum, quod S. Sedes Apostolica justissime potuerit, & nunquam non voluerit quoscunque etiam Germanos obligare; cumque aliunde, præsertim *ex proposit. num.* 18. ab Alexandro VII. damnata certo constet, legis acceptationem non dependere ab arbitrio populi, neque etiam in Germania nostra videatur posse occurrere causa sufficiens, hanc constitutionem utpote justissimam non acceptandi; hinc dicendum videtur, quod pœnæ Bullæ Cœnæ etiam in nostra Germania a quocunque demum non privilegiato incurrantur. Nec dubium, quin hæc opinio nedum tutior, verum etiam opposita probabilior sit, utpote validissimis rationibus, nec minori auctoritate suffulta.

Nihilominus non desunt Doctores, præsertim Germani, qui hodiedum probabile censent, neque Indicem librorum prohibitorum, neque etiam Bullam Cœnæ quoad dictas pœnas in legentes seu etiam retinentes libros hæreticos latas in hisce partibus nostris septentrionalibus esse cum tanto rigore receptam. Ita præter Laymannum, Sporer, Stoz & alios DD. jam supra *n.* 112. citatos, tenent P. Engel *in manuali part. 3. cap. 2. de pœnit. in catalog. excommunic.* Michel *Theolog. Canon. moral. part. 1. tom. 2. q. 1. §. 7. num.* 9. Becanus *Tom. 2. tract. 1. de fide cap. 15. q. 8o. num.* 5. quibus novissime subscripsit R. P. Pichler *in suo compendio Jurisprudent. lib. 5. tit. 7. num.* 7. ubi fatetur, se plane existimare cum Laymanno „ Bullam „ Cœnæ non ubique in nostra Germa- „ nia in omni rigore receptam esse, „ nec ubique observantiam ejus in to- „ to rigore, & quoad pœnas urgeri a „ Summo Pontifice, qui prudenter præ- „ sumitur consentire in non observan- „ tiam, ubi contraria consuetudo ni- „ mium quantum invaluit, & tales „ sunt circumstantiæ, in quibus obser- „ vantia rigida urgeretur sine fructu, „ immo cum animarum graviori detri- „ mento. Hactenus Doctor laudatus.

Ego hanc posteriorem sententiam duxi intimandam, non quod eam velim consulere, præsertim cum aliunde constet pœnitentibus tutiora esse consulenda saltem per se loquendo; sed ideo duntaxat, ut Confessario innuerem, quidnam in praxi cum tali pœnitente debeat, vel possit agere, præsertim ex post facto, id est, post jam lectum vel retentum librum hæreticum.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Communicatione cum hæreticis, nec non de lectione librorum hæreticorum &c. &c.

CASUS PRIMUS.

Titia lamentabunda conqueritur, quod sortita fuerit maritum, qui in foro exteriori se quidem simulat Catholicum, revera autem interius pertinacissime fovet Lutheranismum, multosque libros acatholicos in quodam angustissimo tugurii sui latibulo asservat, ex quibus & proles hactenus susceptas tempore nocturno potissimum instruere vel potius pervertere nititur, nec permittit, ut Titia vel in minimo sese opponat, quin potius eandem tum verbis, tum verberibus etiam durissime tractat: quodque caput rei est (pergit Titia) non audeo, neque possum eundem denuntiare Judici, secus enim in hisce partibus nostris illico cogeretur more aliorum exulare seu emigrare: quid enim tunc cum prolibus mihi incipiendum, qui aliunde depauperati pane arcto & aqua brevi misere sustentamur: profecto si unquam scivissem, quod maritus meus non sit Catholicus, nunquam

prorſus eidem nupſiſſem . Hactenus Titia. Jam ad noſtrum propoſitum circa hanc ſpeciem facti dubitare licet 1. *an Matrimonium Titiæ valeat ?* 2. *an ſtantibus etiam præfatis difficultatibus non peccet, diſſimulando manifeſtationem hæreſeos, & librorum Acatholicorum, quos ſcit a Marito aſſervari ?* 3. *denique, quid conſilii a Confeſſario Titiæ ſit ſuggerendum ?*

121. R. ad primum quæſitum hujus caſus, de valore hujus matrimonii minime dubitandum eſſe ; licet enim ſecundum dicta *part.* 3. *Theolog. Sacram. Confer.* 8. *num.* 180. *& ſeqq.* diverſis juribus & Conciliis matrimonium Catholici cum hæretica vel viciſſim juſtiſſimas ob cauſas fuerit prohibitum , nulla tamen lex , nullum jus Divinum aut humanum exſtare noſcitur , vi cujus hujuſmodi matrimonia irritarentur , prout ex communiſſima DD. tradunt Bellarminus & Sporer : ergo ſi in hoc caſu nullum aliud impedimentum , jure Divino , vel naturali vel certe Eccleſiaſtico dirimens interveniſſit , dicendum , quod Matrimonium ſubſiſtat . Nec refert , quod Titia aſſerat , ſe nunquam fuiſſe conſenſuram in Matrimonium , ſi ſciviſſet ſponſum eſſe infectum hæreſi &c. Non , inquam refert : quia in contractu matrimoniali non attenditur id , quod ſponſus aut ſponſa feciſſet , ſed quod actu fecit , prout rurſus diximus eadem *part.* 3. *Conf.* 4. *num.* 95. atqui Titia ſupponitur actu conſenſiſſe in Matrimonium, ſimulque potuit valide conſentire : ergo &c.

122. R. ad ſecundum quæſitum. Niſi ſupponatur imminere periculum toti Communitati , Titia probabiliter non peccabit , tametſi ob rationes allegatas diſſimulet denuntiationem mariti hæretici , ſeu etiam librorum.

Ratio eſt : quia juxta probabiliſſimam ſententiam Farrinacii *de hæreſi* , *q.* 198. *num.* 49. *fin.* Uxor non tenetur denunciare maritum hæreticum , etiam in illis locis ubi hæreſis impune non toleratur . Ratio eſt : quia Uxor reputatur una caro , & quaſi una perſona cum marito : ergo ſicut nullus ſe ipſum prodere obligatur , ita ob eandem rationem probabiliter Uxor non tenetur prodere Maritum in puncto hæreſeos : hanc eandem ſententiam veram exiſtimat Caſtropalao *part.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 3. *punct.* 4. *n.* 16. ſaltem in caſu , quo Uxor ex tali revelatione timeret ſibi a Marito mortem parari , aut aliud grave damnum eventurum , prout in hac ipſa ſpecie facti eventurum timet .

Scio equidem oppoſitum abſolute doceri a Matthæuccio *in cautel. Confeſſ. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 9. Verum La Croix *lib.* 2. *num.* 215. ſapienter ait , quod plures Viri prudentes & eximie docti cenſeant , Bullas Pontificias , quibus denuntiatio hæreticorum præcipitur , in hiſce partibus , Germaniæ ſcilicet , quoad hoc non eſſe uſu receptas . Dixi , Titiam probabiliter non teneri &c. Unde

123. R. jam ad tertium quæſitum , Titiam nedum poſſe tuta conſcientia , ſi velit , ſed & prudenter acturam denunciando apud Judicem legitimum maritum ſuum hæreticum , ejuſdemque libros hæreticos manifeſtando ; id quod & Titiæ omnimodis videtur conſulendum , ob rationes mox dandas .

Ratio prioris , quod ſcilicet poſſit , ſi velit , hæc eſt : quia aliunde nedum jure Divino & naturali , verum etiam humano hæretici in illis locis , ubi non tolerantur , jubentur manifeſtari ; eo quod ſummopere ſint pernicioſi bono animarum & Reipublicæ chriſtianæ nedum quoad ſalutem animæ , ſed & quoad bonum pacis , prout Titia noſtra hactenus ſatis ſuperque fuit experta ; neque aliunde ex parte mariti hujus occurrit rationabilis cauſa diſſimulandi manifeſtationem : ergo licite eundem prodit .

Quod inſuper in hac noſtra Archi-Diœceſi , ubi caſus contigit , id ipſum Titiæ ſit conſulendum , cuivis prudentum de facili ſuaderi poſſe arbitror ſequentibus de cauſis : primo : quia ex ulteriori cohabitatione nedum Titia ſola , ſed inſuper etiam proles manebunt ſemper expoſitæ evidenti periculo ſubverſionis & æternæ ſalutis ; qua de cauſa 2. jura ob hæreſin matrimonio ex alterutra parte ſupervenientem concedunt divortium , *cap. Quæſivit* , *cap. de illa cap. Quanto de divortiis.* item *cap. ult. de converſ. conjugat.* & alibi : ergo Ti-

tiæ

tiæ licet prætendere & quærere divortium a marito hæretico ob ejusdem hæresin & perversam voluntatem prius quidem ignoratam, modo autem satis superque agnitam; nam in jure paria censentur, *aliquid supervenire & præcedens fuisse ignoratum seu incognitum*; vel *non esse, & non apparere*, *L. in lege ff. de contrahend. empt.* Hinc ulterius tertio, cum periculum animæ ex ulteriori cohabitatione Titiæ, ejusdem pauperculis prolibus imminens sit vere ingens, e contra vero emolumentum temporale, miseræ scilicet sustentationis hactenus a marito obtentæ, valde sit exiguum, aliunde vero fides nos doceat, in pari periculo semper præferendam esse salutem animæ saluti corporis, profecto a Confessario consulendum videtur Titiæ, ut postposito quocunque demum emolumento corporis sese divinæ providentiæ totaliter una cum misellis prolibus confidat, & prodendo maritum suum hæreticum ab eodem divortiari quærat; quod procul dubio hic loci de facili impetrabit, prout de hoc plura nobis extant exempla recentissima. Videatur de hoc Gobat *in Quinar. tr. 6. c. 33. n. 6. & seqq.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius civis catholicus cujusdam civitatis orthodoxæ fidei addictissimæ alicui Bibliopolæ acatholico locaverat certam Cameram pro conservandis libris venalibus in nundinis suo tempore exponendis, tandem vero eodem Bibliopola ad incitas redacto, Sempronius loco census jam per complurium annorum curricula sibi debiti cogebatur acceptare haud exiguam partem librorum depositorum, e quibus dum unum alterumve bibliopegæ tradidisset compingendum, ab eodem mox inaudiit, libros esse hæreticos. Dubitat jam Bibliopega, an tuta conscientia possit ejusmodi libros compingere. Dubitat insuper Sempronius & sciscitatur e Confessario, an non sibi liceat hujusmodi libros hæreticos aliis saltem hæreticis vendere, ad se indemnem servandum? Quid ad hæc confessarius?

124. R. ad primum quæsitum. Bibliopega, præcise compingendo libros hæreticos non peccat, neque incurrit censuram Bullæ Cœnæ. Ratio est: tum quia in dicta Bulla non comprehenduntur compactores librorum hæreticorum seu Bibliopegæ; tum etiam quia libri hæretici non compacti legi possunt, ideoque compingens per se loquendo non reddit causam Catholicorum deteriorem, præsertim si casus contingeret, prout revera sæpius contingere natus est in locis, ubi Catholici vivunt mixti cum acatholicis in eadem civitate v. g. Augustæ, propatereaque iidem libri facile compingerentur ab alio Bibliopega acatholico.

Certum insuper esse debet, Bibliopegam non peccare compingendo librum hæreticum pro tali, qui gaudet potestate legendi eundem librum, vel pro aliqua Communitate Religiosa, in quibus similes libri nedum asservari solent, inclusi carceribus Bibliothecarum, sed insuper regulariter saltem loquendo, semper reperiuntur tales, qui præditi sunt potestate legendi libros hæreticos, & ab hæresi absolvendi. Ita tenent Lessius *Cas.* 18. Pignatellus *pag.* 481. Oviedo & alii plures, quos referens sequitur la Croix *lib. 7. n.* 353.

125. Dixi tamen, Bibliopegam *præcise compingendo* librum hæreticum probabiliter non peccare; secus enim dicendum existimarem, casu quo ejusmodi librum diu, v. g. per aliquot septimanas penes se retineret, esto non proprio, sed alieno nomine; tunc enim *vi retentionis* incurreret censuram Bullæ Cœnæ, quemadmodum etiam, si librum hæreticum compingeret animo favendi hæreticis, eorumve sectam hac via promovendi: si tamen per unum præcise alterumve diem librum penes se retineat usque dum compingat, vel compactum Domino restituat, non peccat graviter ne quidem ratione retentionis; quia talis mora retentionis censenda est respective levis, prout recte docent Sanchez, Pignatellus, Castropalao, Sporer & alii, videndi apud la Croix *cit. n.* 348.

126. R. Jam ad secundum quæsitum hujus casus cum distinctione; Nam, si Sempronius supponatur obtinuisse multos libros, vel certe libros hæreticos magni pretii (quod tamen in civitate merum Catholica, ubi a Reverendissimo Officio accurate solet inquiri) vix, aut

ne

nè vix quidem ſupponi poteſt aut debet, poſſet illos probabiliter tuta conſcientia vendere Bibliopolæ acatholico, vel pro libris Catholicis commutare; tum quia Eccleſia velut pia Mater præſumitur, nolle cum tanto onere fideles obligare, ſaltem in hiſce partibus noſtris; tum præſertim, quia ſi aliunde apud Hæreticos habeatur talium librorum copia, cauſa Catholicorum inde non fit multum, immo nihilo deterior. Ita velut probabile tenent Leſſius, la Croix *l. cit n.* 354. quos ſequitur noſter A. R. P. Kazenberger *in Supplement. I. R. P. Sargar Conferent.* 45. Fateor nihilominus, oppoſitum & rationi & menti Eccleſiæ mihi videri conformius, & hoc ipſo probabilius, præſertim ſi damnum ex combuſtione talium librorum imminens non ſit adeo conſiderabile ſeu grave, vel ſi libri ſint tales, qui nequidem ab ipſismet hæreticis de facili amplius comparari poſſint. His enim ſuppoſitis S. M. Eccleſia in abominationem peſtiferi veneni hæretici juſtiſſime præcipit fidelibus, ut ſatagant hujuſmodi libros vel tradere ad manus inquiſitionis (ubi hæc viget) vel ubi non viget, comburendo eliminare ex univerſo, vel certe (quod in tali caſu conſultiſſimum putarem) eoſdem dare alicui Communitati Religioſæ, perpetuis carceribus Bibliothecæ (quales ſemper in iiſdem reperire eſt) includendos.

CASUS TERTIUS.

C*Aja ex incœſtu gravida, ad tegendum ſcelus & evadendum periculum infamiæ ſibi imminens aliquot menſibus delituit in domo cujusdam Ruſtici Pinzgoienſis hæreſi infecti, cui, utpote prorſus illiterato cogebatur ſæpius prælegere Biblia Lutheri, alioſque, quos clam in ſuo tugurio aſſervavit abſconditos; quin etiam paulo poſt ſponte emigrantem, unacum prole jamjam in lucem edita, comitata fuit, licet nunquam habuerit animum vel hæreſi aſſentiendi, vel eandem profitendi, ſed præciſe infamiam vel periculum ex incœſtu commiſſo in Patria ſibi imminens hac via declinandi. Hinc cum poſt exiguum itineris ſpatium emenſum proles ſpuria obiiſſet, Caja utpote exiſtimans ſe jamjam evaſiſſe periculum, rediit in Patriam, in qua, ut denuo reciperetur, obtulit ſe ad deponendam profeſſionem publicam fidei. Jam ad noſtrum propoſitum dubitare licet 1. Utrum Caja ex præfato timore Ruſtico prælegendo Biblia &. alios libros hæreticos peccaverit, & cenſuram Bullæ Cœnæ incurrerit? 2. An tuta conſcientia potuerit comitari Ruſticum emigrantem? denique 3. an redux in Patriam indiguerit abſolutione a Cenſura vel nova profeſſione fidei?*

127. R. ad primum quæſitum hujus Caſus, Cajam probabilius peccaſſe mortaliter toties, quoties præfata Biblia Lutheri alioſve libros hæreticos Ruſtico prælegit.

Ratio eſt: quia prælegendo proxime concurrit ad peccatum formale Ruſtici, utpote libros hæreticos in morali hominum exiſtimatione legentis per Cajam: at, quiſquis ad formale peccatum alterius proxime concurrit, peccat graviter aut leviter pro qualitate delicti; ergo &c. Et licet Caja merum permiſſive ſe habuerit in ordine ad aſſenſum hæreticum a Ruſtico præſtitum doctrinæ ſibi prælectæ, dici tamen minime poteſt, quod merum permiſſive ſe habuerit in ordine ad lectionem librorum, quandoquidem hujus cauſa proxima extiterit, veluti rem perpendenti facile conſtabit. Nihilominus cenſeo, quod ſi Caja ex vere gravi metu ac timore incurrendi infamiam, & alia ma ora incommoda, Ruſtico prælegit, probabiliter propterea non inciderit cenſuram Bullæ Cœnæ.

Ducor ad hoc aſſerendum hac ratione: quia juxta *communiſſimam DD.* quam amplectitur la Croix *lib.* 7. *n.* 98. a cenſura incurrenda excuſat metus vere gravis, eſto is fortaſſis non excuſet a peccato (modo metus non ſupponatur incuſſus in contemptum fidei vel Religionis:) at ſi Caja non potuit alia via evadere periculum infamiæ &c. ſibi imminens, niſi prælegendo, revera fuit adacta & compulſa gravi metu, veluti liquet ex ipſa ſpecie facti; ergo probabiliſſime propter hanc lectionem non incidit cenſuram.

At, inquies contra hoc. Per Bullam Cœnæ excommunicantur omnes, quicunque ſine licentia ſedis Apoſtolicæ ex *quavis cauſa* libros hæreticos legunt, vel

reti-

retinent: ergo Cajam ne quidem metus gravis eximit a censura.

128. R. Neg. conseq. & dicendo, per ly *quavis causa* intelligendam esse causam non justam, non sufficientem &c. prout innuere videntur verba mox subsequentia: *quovis ingenio*, *vel colore*, non item intelligi debet causa justa, gravis, uti erat infamia hoc modo declinanda &c. &c. & hoc ipso sufficiens, prout a pari colligere licet de retentione; nam qui ex vere rationabli & gravi causa librum hæreticum penes se retinet v. g. eo fine, ut postea eundem commodius possit extradere inquisitioni &c. non peccat, neque fit obnoxius excommunicationi secundum dicta *n.* 114.

129. R. jam ad secundum quæsitum cum distinctione. Nam si Caja Rusticum fuit comitata sub prætexu eandem hæresin Lutheranam alibi profitendi, peccavit mortaliter contra præceptum negativum, scilicet de non neganda fide, quia hoc modo fidem sin minus ex-saltem implicite negavit in foro externo. Similiter si supponatur habuisse animum comitandi Rusticum usque ad partes Acatholicorum cum præviso periculo abnegandi veram fidem, sicut revera prævidere potuit ac debuit, rursus peccasset mortaliter, eo quod se exposuerit periculo abnegandi veram fidem. Econtra tamen, si Caja dogmatibus Lutheri nunquam præbuit assensum nec se Lutheranam in foro externo, seu etiam coram Judice professa fuit, neque etiam habuit animum comitandi Rusticum usque ad partes Acatholicorum &c. sed præcise emigrandi extra Patriam ad tegendum scelus commissum, & ad conservandum suum honorem, per se loquendo non peccavit; tum quia comitiva sola emigrantibus præstita non fuit signum abnegatæ fidei; cum revera multi Catholici heros acatholicos, sponsi sponsas, Uxores Maritos fuerint comitati, nescio quibus e motivis profanis, qui tamen publice protestati fuere, se id minime facere animo abnegandi veram fidem, vel falsam profitendi; tum etiam quia Caja habuit causam vere prægnantem quærendi modum evadendi extra patriam, & infamiam sibi imminentem declinandi.

Ex quibus.

130. R. jam ad tertium quæsitum pari cum distinctione. Enimvero si Caja supponatur (id quod ex ipsius mente colligendum erit) absque ullo assensu, & ex mero timore prælegisse Biblia Lutheri, & alios libros hæreticos, neque etiam fidem veram in foro externo negasse, nec sese Lutheranam professam fuisse, nullam prorsus incurrit censuram ob rationes jam datas. Secus dicendum procul dubio foret, si assensum dogmatibus Lutheri semel aut sæpius etiam præstitum exterius manifestasset, vel se Lutheranam in foro externo saltem serio professa fuisset, tunc enim vi prioris incidisset excommunicationem, vi posterioris autem indiguisset absolutione saltem in foro externo, utpote in quo supponeretur incidisse excommunicationem. Quinam autem ab ista excommunicatione valeant absolvere, constabit ex dicendis *in Conferentia proxima a n.* 146.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

131. Colliges ex hactenus dictis primo, non omnem, qui librum hæreticum legit, ilico habendum esse pro excommunicato, aut propterea sine omni ulteriori indagine beneficio absolutionis privandum, vel ad alium Confessarium potestate in casus Bullæ Cœnæ præditum mittendum vel ablegandum, prout nonnulli assueverunt minus, quam oporteret discreti. Ratio hujus corollarii seu etiam illationis est: quia sæpius usuvenit, ut legentes vel laborent ignorantia juris, utpote non scientes lectionem hujus libri esse de jure prohibitam, vel certe ignorantia facti, utpote non scientes, hunc vel illum librum esse hæreticum, aut ab hæretico compositum: atqui secundum dicta *num.* 112. ab hac censura incurrenda excusat tam ignorantia Juris, quam facti: ergo &c. Itaque Confessarius ex tali pœnitente gnaviter inquirat 1. an sciverit, librum esse hæreticum, & 2. an sciverit talem lectionem sub pœna excommunicationis fuisse prohibitam? Si dicat,

cat, quod utrumque, vel alterutrum saltem ignoraverit, minime tractandus est velut excommunicatus, neque indiget absolutione ab hac censura. Secus concludendum erit, casu quo pœnitens respondit se nulla laborasse ignorantia, utpote prævie informatum vel admonitum a Confessario, vel alio Viro, cui fidem tenebatur adhibere. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 10. *n.* 38. Laymann *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 14. *n.* 4. Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 7. §. 3. *num.* 55.

132. Colliges secundo, quodsi in aliquo Auctore legendo, unam alteramve hæresin reperias, nec aliunde tibi constet, eundem Auctorem esse Catholicum, sub gravi peccato tenearis inquirere Auctorem libri, & interim abstinere ab ulteriori lectione: Secus enim faciendo te exponeres periculo transgrediendi legem Ecclesiasticam graviter obligantem. Nihilominus si stante tali dubio pergas ulterius legere, probabilius non incurres excommunicationem, tametsi ex post facto certo deprehendas librum fuisse ab hæretico compositum. Ita noster A. R. P. Kazenberger *in Supplement. I. P. Sargar Confer.* 43. secutus Sanchezium *lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 38. *& alios.* Ratio est: quia de te dici non potest, quod *scienter* legeris librum hæreticum.

Nec verum est, quod sibi persuadet Matthæucci, in hoc puncto nimis rigorosus, videlicet, in tali casu legenti jam constare de Auctore hæretico, esto non constet de Auctore certo; falsum quippe est omnem librum, qui hæresin continet, esse ab auctore hæretico compositum, neque hoc indiget ulteriori proba.

133. Colliges tertio, legentem controversias hisce temporibus Catholicos inter & hæreticos agitari solitas, & ab Auctore Catholico scriptas, non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ. Ratio est: quia talis liber non est hæreticus sed Catholicus, esto etiam hæreses aliorum referat. Et licite Regula VI. Indicis Romani caveatur, ne hujusmodi Auctores controversistici in vulgari idiomate passim permittantur: nihilominus in hisce partibus nostris ubi Catholici juncti hæreticis, ab his non raro impugnari solent, vel saltem tentari, & passim orthodoxam doctrinam taxari, imo diversis scommatibus proscindi audire coguntur, profecto minime carpendum, sed laudandum potius arbitror, qui hujusmodi controversias eo legit fine, ut in contingentia facti hæreticis occurrere, eorumque pervicaciam & impudentiam frangere possit. Nolim tamen hac resolutione comprehendere illos, qui de hæreticorum falsis dogmatibus nihil unquam audiernnt, propterea que ex similium lectione utpote sibi insufficientes, varia dubia, scrupulos &c. possent incurrere: tales enim sine dubio tutius & melius agunt abstinendo, quam legendo, idque propter periculum animæ ipsis imminens.

At, inquies, quid de illo tenendum, qui duos Antagonistas Catholicum unum, alterum hæreticum utrumque in octavo impressum, sive majoris commoditatis gratia, sive alio ex fine, curavit sibi una simul compingi?

134. R. Ad hoc dubium breviter, quod si materia illa ab hæretico scripta sit in ea quantitate, ut secundum se sumpta vere liber reputari possit & debeat, legens hunc librum incurret excommunicationem.

Ratio est: quia revera *scienter legit* librum hæreticum, & quidem (uti supponi debet] sine Auctoritate vel facultate Sedis Apostolicæ: neque enim compactura facit, ut desinat esse talis, seu ut evadat Auctor Catholicus. Non tamen fieret obnoxius censuræ legendo præcise librum Catholici Antagonistæ quantunvis compactum cum hæretico; quia non legit librum hæreticum: quemadmodum enim secundum mox dicta compactura non facit, ut auctor hæreticus evadat Catholicus, ita sane ex Auctore Catholico facere nequit hæreticum. Hac de causa Sanchez, Bonacina, Lugo de fide *disp.* 21 *num.* 79. eosque secutus La Croix *lib.* 7. *n.* 338. recte tenent, quod si in una compactura contineantur plures partes libri hæretici, quarum aliquæ non habent hæresin, nec tractant de Religione, ut proin tales partes habeant aliquo modo rationem *lib. distincti*, eum, qui talem partem de Religione non tractantem, neque hæresin continentem legit, non fieri obnoxium censuræ, licet totus liber NB.

seu

seu volumen ita compactum nec legi, neque etiam tuta conscientia retineri possit, uti bene advertit Pignatelli apud la Croix *loc. cit.*

135. Colliges quarto, legentem quoscunque demum libros scandalosos, esto non hæreticos, v. g. de magia, divinationibus superstitiosis, Astrologia judicaria, vel alias lasciva &c. peccare mortaliter contra prohibitionem Indicis Romani Regula VI. VIII. & X. licet propterea excommunicationis censuram non contrahat teste Laymann *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 15. *n.* 8. Ratio gravis peccati de se liquet: quia legentes hjusmodi libros sese exponunt periculo animæ cum gravi offensa Dei, & inobedientia erga Ecclesiam. Nihilominus si omnibus perpensis dubitetur, sit ne talis liber hæreticus, perniciosus, vel prohibitus in Indice, nec aliunde possit deprehendi omnimoda veritas, legens talem nec reatum culpæ neque censuram incurret, modo aliunde non sentiat lecturam illius sibi esse perniciosam.

Ratio est: quia cuilibet fas est legere quemlibet librum aliunde non prohibitum nec sibi perniciosum: ergo quamdiu non constat de prohibitione, manet quisque in possessione suæ libertatis, veluti constare potest ex dictis *in tract. prælim. Confer.* 6. *n.* 151. *&* 152.

Dices adhuc. Sed quid tenendum de iis, qui Biblia Sacra vulgari idiomate edita legunt, prout in nostra Germania frequenter fieri assolet?

136. R. Per Regulam IV. Indicis jam sæpius allegati sapienter omnino caveri, ne Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, idque partim quia S. Scripturæ sensus & intellectus multis in locis est satis obscurus, intellectu, & captu difficilis, ideoque simpliciores inde de facili possent conjici in diversa dubia, animi perplexitates, & pericula temere errandi etiam in iis, quæ sunt de fide, partim etiam quia, si passim sine examine permitteretur vernacula lectio Scripturæ, facile in manus fidelium venire possent versiones corruptæ, utputa Lutherana, Calviniana, Genevensis, Wicleffiana &c. quarum lectio procul dubio fidelibus foret perniciosa, aut certe periculosa. Sapientissime proin mox allegata Regula ait, *hæc in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris esse standum, ut cum consilio Parochi vel Confessarii Bibliorum a Catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerunt ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei & pietatis augmentum capere posse.* Etsi praxis Germaniæ non ferat, ut fideles hanc licentiam scriptotenus petant. Parochi itaque aut Confessarii erit disquirere, an Biblia sint authentica: tunc autem erunt talia, quando fuerint fideliter translata juxta normam & exemplar latinæ veteris Editionis, quæ alio nomine *vulgata* appellatur, de quo sola Concilium Tridentium *ss.* 4. *decret.* 1. *&* 2. testatur, quod quoad omnes libros, omnesque librorum partes sit habenda pro Sacra, Canonica, & authentica. Videatur de hoc la Croix *lib.* 7. *n.* 378.

CONFERENTIA
QUINTA.

De Pœnis hæreticorum, nec non de Potestate absolvendi ab iisdem.

SUMMARIUM.

137. *Recensentur brevissime hæreticorum Pœnæ tum Canonicæ, tum etiam civiles.*

138. *Ad quas incurrendas requiritur hæresis formalis?*

139. *Et quidem exterius manifestata per actionem moraliter peccaminosam.*

140. *Prædictæ pœnæ civiles ab hæreticis toleratis in Germania non incurruntur, bene tamen Pœnæ Canonicæ.*

141. *A Clerico autem tam civiles quam Canonicæ (paucis exceptis) incurrerentur.*

142. *Quoad pœnam irregularitatis tamen cum hæreticis in hisce partibus nostris nonnihil mitius proceditur.*

143. *Quibusnam pœnis subjiciantur Apostatæ a fide, & Schismatici?*
144. *In ordine ad absolutionem gnaviter distingui debet inter hæresin occultam & notoriam seu ad forum contentiosum deductam;*
145. *Nec non inter forum in - & externum, Sacramentale, & non Sacramentale.*
146. *Episcopi Germaniæ hodiedum possunt absolvere hæreticos pro foro externo: pro interno autem possunt per accidens.*
147. *An per se etiam id valeant pro foro interno? permulti probabiliter asserunt.*
148. *De Prælatis Regularibus respectu suorum (Regularium scilicet) idem videtur tenendum, quod de Episcopis respectu suorum mox dictum fuit.*
149. *Quantum in ordine ad absolutionem ab hæresi valeant privilegiati, id est illi, qui Romæ obtinuere quinquennalem licentiam?*
150. *Quidnam circa hoc valeant Confessarii non privilegiati?*
151. *Utrum Episcopi dispensare valeant in irregularitate ob hæresin incursa?*
152. *Utrum etiam Prælati Regulares in hac pœna dispensare valeant cum suis subditis?*
153. *Resolvitur Casus I. de quodam Religioso apostata, qui post aliquoties simulatam hæresin, immo & participatam Communionem cum iisdem tandem miseriis pressus reversus fuit ad suum monasterium.*
154. *An propterea unam, vel plures excommunicationes incurrerit?*
155. *Utrum a suo Prælato potuerit absolvi?*
156. *Præsertim in casu, quo noluisset absolvi, vel contra fuisset protestatus.*
157. *Resolvitur Casus II. de quadam Vetula, quæ multis argumentis vix tandem persuasa fuit, ut abjuraret suam hæresin:*
158. *Paulo post tamen in eandem pejus fuit relapsa.*
159. *An denuo resipiscens potuerit absolvi saltem ab Episcopo, vel alio privilegiato?*
160. *Resolvitur Casus III. de quodam Pastore, qui noluit excipere Confessionem fœminæ prægnantis, eo quod hæc de hæresi sin minus convicta, saltem violenter suspecta fuerit.*
161. *Verum propterea procul dubio graviter peccavit.*
162. *Expenditur ejusdem inepta responsio vel excusatio.*
163. *Confessarius bene debet distinguere inter hæreticum materialem & formalem, nec non inter in- & externum.*
164. *Qui hæresin mente conceptam exterius manifestant quidem, sed non per actionem mortaliter malam, immunes habendi sunt a pœna excommunicationis.*
165. *Nihilominus in Germania hæretici etiam materiales volentes fidem veram amplecti, recte jubentur abjurare hæresin, & ab hac sub conditione laudabiliter absolvuntur.*
166. *Minus tamen verosimile est, quod in Germania nostra quilibet Confessarius valeat absolvere hæreticos natos, dum volunt amplecti fidem salvificam.*
167. & 168. *Occurritur breviter duobus præcipuis fundamentis cujusdam Adversarii.*

§. II.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa pœnas hæreticorum, eorundemque absolutionem.

QUæres primo, quænam sint hæreticorum pœnæ?

137. R. Sunt diversæ tum spirituales seu Canonicæ, tum etiam temporales seu civiles, quibus utroque jure hæretici formales & externi afficiuntur. Canonicæ sunt sequentes sex. 1. Excommunicatio latæ Sententiæ, quæ in Bulla Cœnæ soli Summo Pontifici reservatur. 2. Irregularitas & inhabilitas ad ordines clericales, Beneficia, & officia Ecclesiastica. 3. Privatio Beneficiorum, Officiorum & Dignitatum Ecclesiasticarum, immo & degradatio. 4. Privatio exercitii Ordinum & jurisdictionis spiritualis. 5. Privatio sepulturæ in loco Sacro. 6. Divortium, quod conjugi in-

no.

nocenti permittitur ob alterius lapsum in hæresin. Quæ omnia videri possunt *in cap.8.9.13. X. de hæretic. cap. 2. 12. & 15. eod. tit. in 6. juncta Bulla Cœnæ can. fin. Caus. 24. q. 2. cap. 6. & 7. de devortiis*. Porro civiles & temporales sunt sequentes octo. 1. Infamia *juris* & *facti*: juris tamen requirit sententiam declaratoriam criminis. 2. Intestabilitas tam activa, quam passiva, vi cujus hæretici nec Testamentum, neque etiam Codicillum facere possunt, neque in hæreditatem alterius succedere. 3. Inhabilitas ad omnes actus civiles, ita, ut in judicio Actores, Testes, Notarios, Advocatos, Judices agere, vel officium publicum gerere non valeant. 4. Confiscatio omnium bonorum. 5. Amissio patriæ potestatis in liberos. 6. Amissio omnis privilegii & Beneficii a jure quibusdam specialiter concessi, uti est privilegium dotis, beneficium S. C. Maced. S. C. Velleiani, &. 7. Liberatio Subditorum & Vasallorum ab omni debito obedientiæ, fidelitatis & obsequii, etiam juramento promissi. 8. Denique ultimum supplicium; quia hæresis non solum Religionis Christianæ ac salutis æternæ fundamentum tollit, atque in spiritualibus habetur eo loco, quo in politicis crimen læsæ Majestatis; sed etiam summopere turbat tranquillitatem politicam Regnorum & Provinciarum. Habentur hæc *cap. 9. 13. & fin. X cap. 2. 8. 14. 19. in 6. de hæret. l. 4. 5. & 8. & Auth. Credentes. Auth. Gazaros. C. eod.* Fusior horum explicatio videri potest apud Reiffenstuel *lib. 5. tit. 7. §. 5. & 6. per totum*. Et apud Pichler *in Compend. J. C. lib. 5. tit. 7. n. 2.*

138. Quocirca notandum est in primis, præfatas pœnas statui duntaxat *pro hæreticis formalibus*; mens quippe Ecclesiæ fuit, punire crimen hæreseos proprie dictæ: atqui hæresis proprie dicta consistit in errore intellectuali, juncto cum pertinacia, vi cujus hæreticus etiam post veritatem satis sibi propositam rennuit acquiescere Ecclesiæ.

Inde fit, quod hæreticus mere materialis, qui scilicet sine pertinacia, vel ex mera ignorantia licet culpabili errat, non incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ; consequenter si agnita veritate velit amplecti fidem salvificam, non indigeat absolutione ab hac censura, sed possit absolvi a quolibet, prout bene advertunt Laymann *lib. 2. tract. 1. cap. 13. numer. 4.* Pirhing *tit. de hæreticis num. 16.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 239.*

139. Notandum insuper est secundo; ad hanc excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrendam insuper necessario requiri, ut hæreticus formalis hæresin internam, id est, mente conceptam *exterius manifestet*, & quidem assertive ac distincte, *per actionem mortaliter malam* eandem profitendo, sive dein verbis, sive factis, sive aliis signis &c.

Ratio est: quia hæc excommunicatio fuit lata ad puniendum peccatum externum hæreseos: atqui tale non committitur, quamdiu hæreticus suam hæresin non manifestat per actionem externam mortaliter malam: ergo talis actio necessario debet supponi. Et ita tenent Sanchez *lib. 2. mor. c. 8. n. 7. & 17.* Laymann *lib. 2. tract. 1. cap. 14. n. 3.* Sporer *tr. 2. in decalog. cap. 3. sect. 2. n. 23.* Reiffenstuel *lib. 5. Decret. tit. 6. n. 242.*

Quæres secundo, utrum præfatæ pœnæ tam spirituales, quam temporales a Laicis & Clericis æqualiter incurrantur in nostra Germania?

140. R. Pœnas temporales seu civiles non æqualiter ab utrisque incurri, bene vero 2. Pœnas Canonicas. Ratio prioris est: quia Lutherani & Calvinistæ vi pacificationum in Comitiis Augustæ 1555. & Osnabrugis 1648. obtinuere liberam potestatem exercendi suas respective Religiones: ergo ob harum exercitium nullas incurrunt pœnas civiles. Contrarium nihilominus etiam quoad hoc tenendum est de hæreticis in Imperio non toleratis, quales sunt Zvvingliani, Hussitæ, Anabaptistæ, & alii omnes præter Lutheranos (qui alio nomine Evangelici) & Calvinistas (qui Reformati appellari volunt, potius tamen mererentur dici deformati) quibus cum nihil prorsus faveant mox allegata pacta, nequaquam liberi sunt a pœnis civilibus mox recensitis, tametsi cum

si cum his etiam mitius plerumque procedi soleat in hisce partibus nostris. Videatur P. Pichler ubi supra *num*.3.

141. Ratio autem secundi hæc est: quia pœnæ Canonicæ non dependent ab arbitrio potestatis civilis, sed ab arbitrio Summi Pontificis: atqui Summi Pontifices nunquam approbarunt allegatas pacificationes, utpote nimis favorabiles hæreticis & præjudiciosas juribus Ecclesiasticis; imo vero Innocentius X. in Bulla *Zelo domus DEI* pacem Westphalicam nempe Osnabrugis & Monasterii initam expresse reprobavit. Quocirca Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 10. *num.* 9. Laymann *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 14. *n.* 5. *fin.* aliique plures recte advertunt, easdem pœnas extendi quidem ad credentes, receptatores, defensores & fautores hæreticorum, ab his tamen probabilius non incurri, nisi ex tali favore aut receptione sequatur malus effectus: quia (inquit Sanchez) ubi aliquis principaliter excommunicatur, & accessorie mandantes, consulentes vel faventes &c. juxta communem Doctorum hi non incurrunt eandem pœnam, nisi effectu secuto: atqui vi Bullæ Cœnæ jam sæpius allegatæ primario feriuntur hæretici, & in horum odium ac detestationem secundario etiam Eorundem fautores ac receptatores: ergo &c.

Ergone, inquies, etiam in Germania nostra hæretici, eorumque filii habendi sunt velut irregulares?

142. R. Probabiliter non sunt habendi tales, nisi ipsorum hæresis, & quidem formalis notoria sit notoreitate juris vel facti, & propterea reputentur infames. Ita contra Reiffenstuel, Azorium, Sanchez & alios plures tenent Laymann. *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 5. *c.* 4. *num.* 12. Castropalao *tract.* 4. *disp.* 4. *punct.* 4. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 2218. Pichler *in Compend. Jurispr. lib.* 5. *tit.* 7. *n.* 3. & noster Pater Cherubinus Mayr *in suo Trismegisto dist.* 1. *c.* 3. *num.* 109.

Ratio est: quia hæc irregularitas (uti & inhabilitas ad beneficia & officia Ecclesiastica) videtur fundari in infamia, quam in conversis ad fidem Catholicam, & in filiis hæreticorum generalis consuetudo Germaniæ sustulisse videtur, inquit P. Pichler *loc. cit.* id quod & praxis Germaniæ confirmat, in qua teste Laymann *l. cit.* hæretici conversi, eorumve filii citra omnem dispensationem irregularitatis non raro ordinantur. Illud autemextra omnem controversiam esse debet, hanc pœnam irregularitatis minime incurri ob hæresin non notoriam: infamia quippe est plurium prava opinio circa aliquem; ergo hæresis debet esse notoria ad hoc, ut hominem reddere possit infamem: ad hæresin autem notariam teste Cl. P. Pockhn *tit. de hæret. n.* 20. non sufficit constare, aliquem vixisse v. g. in secta Lutherana, sed debet esse publice notorium eum fuisse hæreticum *formalem*, & probabilissime insuper accedat sententia saltem declaratoria criminis, necessum est.

Quæres tertio, quænam sint pœnæ Schismaticorum, & Apostatarum a fide?

143 R. Apostatæ a fide, utpote veri & formales hæretici, iisdem cum hæreticis pœnis subjacent: quemadmodum tamen secundum dicta ad incurrendam hanc excommunicationem non sufficit hæresis mere mentalis, sed requiritur externa, id est ad extra manifestata; ita pariter ad eandem incurrendam non sufficit Apostasia mere mentalis, sed debet esse exterius actu quodam mortaliter peccaminoso manifestata. Porro Schismatici, esto sint puri, id est, non simul hæretici, nihilominus ipso facto incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Summo Pontifici reservatam: & si crimen sit publicum, insuper incurrunt infamiam, eique annexam irregularitatem, nec non privationem beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum cum inhabilitate ad alia consequenda, prout diversis juribus allegatis probat Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 8. *n.* 9.

Quæres quarto, quinam præter S. Pontificem possint absolvere ab hæresi, & excommunicatione eidem annexa?

144. Ante resolutionem hujus quæsiti adverto breviter cum nostro V. P. Cherubino Mayr *mox supra cit. dist.* 1. *cap.* 3. §. 1. *punct.* 14. in ordine ad absolutionem distinguendum esse inter cri-

men

men hæresis *occultum*, *&* *ad forum contentiosum nondum deductum*, & inter *publicum*, *atque ac forum contentiosum deductum*. Occultum dicitur, quod licet uni vel alteri, vel etiam pluribus constet, ita, ut etiam per testes probari posset, nondum tamen fama in aliquo Collegio vel civitate percrebuit, aut certe ad judicium delatum nondum fuit.

Publicum e contra appellatur illud, de quo majori parti viciniæ vel alicujus communitatis jam constat: quin immo, cum versemur in materia odiosa, multi Doctores (nominatim Palao *tr.* 4. *disp.* 4. *punct.* 3. §. 2. *n.* 15.) existimant ad hoc, ut delictum dicatur publicum, insuper requiri nedum denunciationem & citationem rei, sed etiam contestationem litis coram legitimo Judice factam, licet hoc alii negent. Illud tamen mihi videtur satis certum, etiam in hisce partibus nostris, nominatim in hac Archi-Diœcesi Salisburgensi, ubi specialiter solet inquiri in hæreticos, illum dicendum esse hæreticum publicum, qui in hoc puncto Reverendissimo Consistorio seu Officio Ecclesiastico nedum denuntiatus, sed etiam confessus, aut certe convictus est de crimine.

145. Adverto insuper secundo, absolutionem hanc dari posse vel pro foro externo duntaxat, vel pro ex- & interno simul. Pro externo censetur dari, quando quis abjurata hæresi & injuncta salutari pœnitentia auctoritate sedis Apostolicæ reconciliatur Ecclesiæ *coram Ecclesia*, in ordine ad recuperandam cum ipsa communionem externam tam publicam, quam privatam, immunitatemque a pœnis in foro externo infligendis.

Pro foro autem interno duntaxat tunc censetur dari absolutio, quando quis *coram Deo* reconciliatur Ecclesiæ in ordine ad recuperandam participationem bonorum spiritualium animæ, quibus vi excommunicationis existit privatus: quo non obstante adhuc in foro publico & coram facie Ecclesiæ posset puniri a Judice. Porro hoc forum internum a Doctoribus solet distingui in *forum pœnitentiæ*, & *in forum conscientiæ*. Forum pœnitentiæ est ipsum forum Sacramentale, primario ac per se institutum a Christo ad absolutionem a peccatis; in quo proin solus Sacerdos potest agere Judicem. Forum conscientiæ autem est illud, in quo præcise in bonum animarum sine strepitu judiciali exercetur spiritualis potestas sive absolvendi, sive etiam dispensandi, ita, ut hæc valeat coram Deo, sive dein id fiat intra, sive extra confessionem, sive publice coram aliis, sive privatim. Ita vix non in iisdem terminis noster Cherubin Mayr *l. cit.* secutus Rodriquez *qq. RR. tom.* 1. *q.* 61. *art.* 10. Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 34. *num.* 29. Palaum & alios. His prænotatis jam resolvendum est 1. quidnam Episcopi? 2. quidnam Superiores Regulares respectu suorum? & denique quidnam alii Confessarii tum privilegiati, tum etiam non privilegiati valeant? intelligendo igitur quæstionem de Episcopis.

146. R. Episcopi in locis, ubi non viget inquisitio hæreticæ pravitatis (uti revera in hisce partibus nostris non viget) possunt hodiedum tamquam delegati Sedis Apostolicæ absolvere hæreticos ab excommunicatione pro foro externo, modo non sint Hæresiarchæ, id est, inventores hæresum, aut Relapsi. Secundo; Insuper pro foro interno Episcopi in Regionibus ab Urbe remotioribus (veluti sunt Episcopi Germaniæ Belgii &c.) regulariter loquendo ratione impedimenti perpetui vel diuturni adeundi Summum Pontificem, possunt ab eadem hæresi, & excommunicatione ob eandem incursa absolvere suos subditos. Ita quoad utramque partem hodiedum tenent communissime nedum Theologi, verum etiam Canonistæ, uti Schmalzgrueber, Reiffenstuel *tit. de hæret.* §. 7. *num.* 369. *&* 372. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 11. *num.* 2. Palao &c. Prior pars hujus resolutionis habetur decisa *cap. ut Officium* 11. *in princip. vers. si vero h. t. in sexto;* secunda vero pars fundatur in *cap. Ea noscitur* 13. *&* *c. Quamvis* 58. *de sent. excomm.* Cui insuper suffragatur ratio: nam impedimentum perpetuum vel ad longum tempus in ordine ad obtinendam vel dandam absolutionem merito æquiparatur articulo, seu

seu etiam periculo mortis, quandoquidem taliter impeditus mortaliter certus est, se ante mortem adire non posse Summum Pontificem pro obtinenda absolutione, atqui stante tali impedimento perpetuo casus Papalis fit Episcopalis, seu devolvitur ad tribunal Episcopi &c. ergo hi possunt in simili casu absolvere. Et certe frustra omnino immo periculose exspectaretur, vel etiam differretur absolutio usque ad articulum mortis: posset enim contingere, ut talis moreretur sine absolutione. Illud tamen circa hoc insuper observandum est, absolutionem scilicet pro foro externo datam prodesse pro foro interno in tantum, quatenus excommunicatione semel sublata postea quilibet Confessarius approbatus potest absolvere a peccato hæreseos, prout DD. citt. communiter notant.

147. Dixi in secunda parte hujus resolutionis, Episcopos remotiores ab Urbe *ratione impedimenti perpetui saltem* posse absolvere suos subditos, &c. ut per hoc innuerem, non esse omnino exploratum, an Episcopi non possint etiam per se absolvere ab isto casu papali. Enimvero certum omnino & apud omnes in confesso est, a Concilio Trident. *sess.* 24. *de reform. c. 6.* iisdem olim fuisse concessam potestatem, nedum absolvendi ab hæresi occulta, & aliis quibuscunque suspensionibus & casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, sed insuper in omnibus irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quæ oritur ex delicto homicidii voluntarii) dispensandi &c. At vero, an hæc facultas vi Bullæ Cœnæ non sit revocata, immo quotannis Romæ per hujus promulgationem revocetur, acriter hisce temporibus controvertitur inter Doctores; quocirca affirmativam tenent Barbosa, Sanchez, Garcias, Durandus, Pignatelli, la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1617. Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 7. §. 7. *a num.* 363. Clericatus *de pœnit. decis.* 45. *num.* 5. Viva *ad propos.* 3. *ab Alexandro VII. damnatam num.* 4. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 6. *disp.* 6. *art.* 4. *num.* 32. & alii plures, hac potissimum ratione ducti: quia in eadem Bulla Cœnæ §. 22. expresse dicitur, quod *a prædictis Sententiis* (in Bulla scilicet fulminatis) *nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus - - absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum, quibuscunque personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis* &c. &c. Idque etiam dicitur fuisse declaratum nedum a Gregorio XIII. sed etiam a Clemente VIII. Econtra vero negativam (hanc scilicet facultatem per publicationem Bullæ Cœnæ Episcopis non adimi) tenent permulti alii DD. non minus insignes, quorum 24. refert Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi alleg.* 40. *num.* 21. queis insuper subscribunt Chapeaville, Pichler, Engel, & alii plures, absolute asserentes, Episcopos per se (præscindendo etiam ab impedimento perpetuo vel casu necessitatis) posse pro foro conscientiæ absolvere ab hæresi; idque partim, quia correctio juris vitanda est, quoad fieri potest: atqui hic potest vitari: si dicatur Concilium concedere Episcopis facultatem absolvendi pro foro conscientiæ & casibus occultis, e contra vero per Bullam Cœnæ eandem negari pro foro externo, id est, in casibus publicis, aut ad forum contentiosum jamjam deductis; partim etiam quia cum de potestate Episcopis semel concessa certo constet, e contra revocatio ejusdem tot viris videatur dubia, debent Episcopi relinqui in sua possessione semel adepta; præsertim cum etiam de declarationibus allegatis Summorum Pontificum non constet authentice. Verum quidquid demum de hoc sit, inquit sapienter Pirhing *lib.* 5. *tit.* 7. *sect.* 2. *num.* 42. sententiam hanc, nempe hanc facultatem non esse revocatam per Bullam Cœnæ, in praxi tutius amplecti possunt Episcopi in Regionibus ab Urbe remotioribus, propter difficultatem adeundi Summum Pontificem: Et hinc Episcopi Germaniæ Lutheranos & Calvinianos ac similes hæreticos, qui Catholicam fidem suscipere volunt, possunt per se, vel delegatos suos, etiam in foro con-

scien-

ſcientiæ abſolvere non ſolum ab hæreſi occulta, ſed etiam a notoria & publica. Ita Doctor *cit.* cum Laymanno *lib.1. tr. 5. part. 2. c. 6. n. 6.*

Quæres quinto, utrum etiam Superiores Religioſi gaudentes juriſdictione quaſi Epiſcopali poſſint ſuos ſaltem ſubditos abſolvere ab hæreſi, & excommunicatione ob eandem incurſa?

148. R. Ad hoc quæſitum fere ſicut ad prius, ſcilicet, quod poſſint abſolvere ſuos ſubditos in foro conſcientiæ ſaltem ratione impedimenti perpetui. Ratio eſt: quia dicti Prælati Regulares, utpote gaudentes juriſdictione Epiſcopali vel quaſi Epiſcopali reſpectu ſuorum quantum ad poteſtatem abſolvendi, poſſunt idem, quod Epiſcopi in hoc paſſu valent reſpectu ſuorum: at, hi poſſunt ſuos ſubditos abſolvere ab excommunicatione ob hæreſin incurſa; ergo idipſum poſſunt Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum, eo præſertim, ne ſubditi ſub prætextu abſolutionis obtinendæ inutiliter vagentur per Orbem. Utrum autem Prælati Regulares id valeant per ſe, etiam extra caſum neceſſitatis vel impedimenti perpetui? rurſus controvertitur inter Doctores.

Multi negativam abſolute tenent, eo quod exiſtiment, privilegia olim diverſis Religionum Superioribus conceſſa, hodie eſſe revocata: e contra Hyacinth. Donatus *in rerum Regularium praxi Tom. 1. part. 1. tr. 13. q. 17.* Herincx, Felix Poteſtas *Exam. Confeſſ. Tom. 1. part. 4. c. 5. num.* 3377. allegatis pluribus aliis, quos ſequitur noſter A. R. P. Kazenberger *in Supplement. II. P. Sargar Confer. 118. num.* 348. mordicus hodiedum defendunt, hanc facultatem etiamnum competere Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum Subditorum. Quidquid demum de hoc ſit, nobis pro praxi noſſe ſufficit, quod dicti Prælati Regulares (quo nomine ſolum veniunt intelligendi Superiores majores, uti Generalis, Provincialis, Prælati Ordinum exemptorum, teſte Reiffenſtuel *tit. de hæreticis. §. 9. num.* 417.) poſſint ſive dein per ſe, ſive per ſuos, abſolvere ſibi ſubjectos: & certe idipſum praxis in Germania noſtra ſemper obtinuit, nec facile crediderim in hiſce partibus noſtris ullum fore Religioſum Superiorem tam ſimplicem vel ſcrupuloſum, qui ob hujuſmodi Caſum, præſertim occultum, ſubditum ſuum vel Romam ableget, vel ad Epiſcopum pro obtinendo beneficio abſolutionis.

Quæres ſexto, quidnam circa hæreticorum abſolutionem valeant Confeſſarii privilegiati, id eſt, illi, qui, (uti ſolet) Roma quinquennalem obtinuere licentiam abſolvendi ab hæreſi, & legendi libros hæreticos?

149. R. Breviter. Vi facultatis Apoſtolicæ (cujus exemplar ordinarie dari ſolitum ad quinquennium videre licet apud noſtrum A. R. P. Kazenberger *l. prox. cit. num.* 348.) Confeſſarii privilegiati poſſunt ſequentia. 1. Legere omnes & quoſcunque hæreticorum, aut alios prohibitos libros (exceptis tamen Caroli Molinei, & Nicolai Macchiavelli operibus, ac libris de aſtrologia judiciaria tractantibus) idque ex fine redarguendi hæreſes & errores confutandi. 2. Poſſunt omnes & ſingulos utriuſque Sexus tam Laicos, quam Clericos Sæculares, ac cujuſvis Ordinis Regulares, Hæreticos, Schiſmaticos, & a Catholica fide quomodocunque aberrantes &c. (non tamen in hæreſes poſt ſolemnem abjurationem hujus) ſchiſma, & errores relapſos, vel ad judicium delatos & condemnatos &c. dummodo corde ſincero & fide non ficta hæreſes, ſchiſma, errores ſuos &c. in Sacramentali Confeſſione deteſtati ſint &c. injuncta ſalutari pœnitentia *in foro conſcientiæ duntaxat* abſolvere. 3. Inſuper vi hujus privilegii iiſdem conceditur, ut ab omnibus & ſingulis Caſibus Apoſtolicæ Sedi, etiam in Bulla die Cœnæ Domini reſervatis *de præterito tamen, & uſque ad diem quo datæ fuere litteræ Apoſtolicæ*, incurſis poſſint abſolvere.

Ex quibus liquet, hanc licentiam quinquennalem eſſe computandam ab illa die, qua Romæ fuit expedita, non vero qua fuit recepta; ut ſi quis obtinuit hanc facultatem Romæ die 4. Januarii expeditam anno 1730. ea non poteſt

poteſt uti ultra diem 4. Januarii anno 1735.

Ceterum quo ſenſu intelligenda ſit clauſula illa : *in foro conſcientiæ duntaxat abſolvere &c.* colligi poteſt , ac debet ex proxime dictis *num.* 145. Sapienter tamen advertit noſter A. R. P. Kazenberger *loc. cit. num.* 347. *ad quartam clauſulam* gnaviter diſtinguendum eſſe intêr duplicem poteſtatem vi Reſcripti Romani concedi ſolitam ; nam primo ab Inquiſitoribus generalibus contra hæreticam pravitatem *auctoritate Apoſtolica in hac parte ipſis commiſſa abſolute* conceditur licentia legendi libros hæreticos , & abſolvendi ab hæreſi , ac etiam hæreticorum receptores , fautores , defenſores , ſicut etiam librorum hæreticorum lectores & retentores , ab excommunicatione & aliis cenſuris , & Eccleſiaſticis ſententiis abſolvendi . Deinde ſecundo *pariter de ſpeciali mandato Papæ* datur licentia abſolvendi ab aliis caſibus Bullæ Cœnæ , ſed *tantum incurſis uſque ad diem datæ præſentium litterarum* ; ex quo fluit , quod , tametſi talis Confeſſarius ab aliis caſibus Bullæ Cœnæ *poſt diem datæ præſentium litterarum incurſis* nequeat abſolvere pœnitentem , poſſit tamen durante quinquennio abſolvere ab hæreſi , vel potius ab excommunicationis , ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris , & pœnis ob hæreſin ſive *ante* diem datæ , ſive *poſt* incurſis ; tum quia hæc facultas jam prius fuit *abſolute* , & *ſine reſtrictione uſque ad diem datæ* conceſſa ; tum etiam , quia hæc poteſtas utpote favorabilis eſt late interpretanda, quantum proprietas verborum permittit per *Reg.* 15. *J. in* 6. Et hanc reſolutionem utpote rationi & auctoritati nixam jam multo probabiliorem ac tutiorem cenſeo illa , cujuſdam Agentis Romani , in prioribus editionibus a me inſinuata . Neque enim ex hoc ſequitur, per illam clauſulam *uſque ad diem datæ incurſis* &c. facultatem quinquennalem in hiſce partibus noſtris reddi omnino inutilem ; tum quia talis Confeſſarius poteſt per quinquennium abſolvere ab hæreſi & pœnis ob hæreſin incurſis ; licet nequeat abſolvere ab aliis caſibus Bullæ Cœnæ *poſt diem datæ incurſis* tum etiam quia reliqui Caſus Bullæ Cœnæ (excepta hæreſi) in hiſce partibus noſtris non niſi rariſſime incurruntur .

Quæres ſeptimo , an ergo alii Confeſſarii non valeant abſolvere ab hæreſi , & excommunicatione propter eam incurſa ?

150. R. Per ſe loquendo non poſſunt , ne quidem in caſu impedimenti perpetui . Ratio eſt : quia pro tali caſu poteſtas abſolvendi devolvitur ad Epiſcopos per *cap. de cetero* , & *c. Ea noſcitur de Sentent. Excommun.* ergo vel ab his , vel ab eorum delegatis , vel denique ab aliquo privilegiato ceu delegato Summi Pontificis oportet petere, & impetrare abſolutionem . Nihilominus in caſu , quo vel mora temporis , vel diſtantia viarum , vel aliæ circumſtantiæ non permittunt acceſſum ad Epiſcopum vel alium privilegiatum, jam quilibet Confeſſarius poterit abſolvere , juxta *communiſſimam Doctorum* , quam tenent Tambur. *de caſib. reſerv. c.* 12. *§.* 2. *num.* 28. *&* 34. Stoz *lib.* 2. *num.* 68. Reiffenſtuel *de hæret. §.* 8. *num.* 397. Ratio colligi poteſt ex proxime dictis : quia caſus neceſſitatis æquiparatur articulo mortis : atqui in articulo mortis quivis Confeſſarius poteſt abſolvere : ergo &c.

Quæres denique octavo , quinam in irregularitate ob hæreſin contracta valeant diſpenſare ?

151. R. 1. Suppoſito , quod ſecundum ſuperius *num.* 142. dicta irregularitas non incurratur , niſi ob hæreſin publicam , vel potius ob infamiam inde redundantem, cum hujuſmodi hæretico infami nequidem Epiſcopus diſpenſare valet .

Ratio eſt : quia per Tridentinum *SS.* 24. *de Reformat. cap.* 6. Epiſcopis ſolum conceditur facultas diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus : ergo ſi hæreſis ſupponatur publica , vel potius reddere quempiam publice infamem , Epiſcopus cum eodem diſpenſare nequit .

Illi nihilominus Doctores , qui exiſtimant hanc irregularitatem ob hæreſin etiam

etiam occultam seu non notoriam contrahi, coguntur fateri, Episcopum in eo casu posse dispensare. Et ita sentiunt Sanchez *lib.* 2. *mor. c.* 25. *num.* 17. Palao *tract.* 4. *disp.* 4. *punct.* 4. *num.* 3. Felix Potestas *in Exam. Confessar. Tom.* 1. *par.* 4. *c.* 5. *num.* 3338. Nec mirandum; quia Doctoribus hisce praxis Germaniæ non fuit nota. Hinc sapienter Pirhing *de hæret. sect.* 3. *num.* 47. *circa finem* ait, consuetudinem, quæ in his septentrionalibus partibus viget, secundum quam Episcopi ex hæresi ad Fidem Catholicam conversos, & ab ea absolutos ordinare solent, validam, ac licitam esse; quia tales neque in foro civili a publicis dignitatibus & officiis excluduntur.

152. R. Jam secundo, ad idem quæsitum. Prælati Regulares Mendicantium cum suis subditis dispensare possunt in irregularitate ob hæresin etiam notoriam contracta. Ratio est: quia vi diversorum privilegiorum, videndorum apud nostrum Herinex *part.* 2. *tract.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 7. *num.* 191. hi possunt dispensare cum suis subditis in omni irregularitate, excepta illa, quæ ex homicidio publico est contracta. Neque quoad hoc constat de aliqua revocatione privilegiorum facta ab aliis Pontificibus subsequentibus: ergo &c.

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici de Absolutione ab hæresi &c. &c.

CASUS PRIMUS.

Titius Religiosus, nescio quibus de causis, Ordinem suum deserens aufugit in quandam civitatem Acatholicam, ubi non quidem amore Fidei Lutheranæ (utpote quam pridem noverat esse falsam) sed potius intuitu sustentationis sibi necessariæ impetrandæ cogebatur sese gerere velut unum ex illis, utputa nedum Ecclesiam eorum frequentando, verum insuper Cœnæ Sacrilegæ communicando aliquoties. Neque defuere e Lutheranis etiam, qui, utpote probe gnari eum fuisse Religiosum (curiositatis, an vero veritatis indagandæ causa, ignoro) sæpius interrogarunt Titium, an reapse crederet, etiam illos, qui in fide Lutherana moriuntur, posse salvari, quibus ille, licet mala fide, & conscientia multum remurmurante, respondit affirmative. Denique partim præsentis status sui miseriis excitatus, partim etiam superni luminis radiis illustratus, oculos aperuit, errorem suum agnovit, & ovicula vagabunda, immo perdita sponte rediit ad suum Pastorem, vel maxime dolens de eo, quod nonnullis Acatholicis sciscitantibus responderit, eos etiam in sua secta, Lutherana scilicet, posse salvari. Jam ad nostrum institutum (relictis aliis pluribus dubiis, quæ circa hanc speciem facti possent moveri) quærere licet 1. An Titius inciderit excommunicationem? 2. An jamjam reversum Prælatus Regularis possit absolvere, vel quidnam agendum?

153. R. Ad primum. Si Titius supponatur fuisse Alumnus nostræ Sacræ Religionis Seraphicæ, dicendum, quod non unam duntaxat, sed duplicem inciderit excommunicationem. Primam quidem (non reservatam S. Pontifici) ratione Apostasiæ ab Ordine *per statuta general. c.* 6. §. 20. *num.* 2. Secundam vero (Summo Pontifici reservatam) ratione Apostasiæ a fide. Ratio hujus est: quia cum participatio Communionis sit actus singulariter protestativus ipsius Religionis; hinc non abs ratione quisquis de Communione Lutheranorum participat, præsumitur ipso facto pro foro saltem externo eandem sectam Lutheranam profiteri, Catholicam vero fidem negare: consequenter dicendum est, quod saltem pro foro externo habendus sit velut hæreticus & excommunicatus vi Bullæ Cœnæ; idque tanto solidius, quanto minus de Titio præsumere licet, eum fuisse hæreticum mere materialem, aut ex mera ignorantia id practicasse.

154. Dixi: *Si Titius supponatur fuisse Alumnus nostræ Religionis Seraphicæ &c.*

Enimvero si supponatur fuisse alterius Ordinis, equidem in foro externo præsumetur incidisse excommunicationem Bullæ Cœnæ, ob rationem jam datam. Utrum vero vi Apostasiæ præcise insuper inciderit alteram excommunicationem, unusquisque Religiosus nosse debet ex particularibus constitutionibus suæ Religionis circa Apostatas factis. Quod enim hujusmodi vagabundi & Apostatæ a suis Superioribus puniri possint, immo debeant, constat nedum ex Concilio Tridentino *SS.* 25. *de Regular. cap.* 4. Sed insuper ex diversis Summorum Pontificum Bullis, videndis tum apud nostrum Rodriquez in Bullario, tum etiam apud KercKove *in Commentario super statut. general. cap.* 6. §. 20. *numer.* 1. Immo vero teste P. Portel. *in dubiis Regular. V. Apostata addit. numer.* 4. Julius II. excommunicatione reservata Sedi Apostolicæ punit Augustinienses Apostatas, qui infra octo dies mandante Generali Ipsorum ad Conventum non redierunt.

155. R. Jam ad secundum quæsitum hujus Casus. Potest Superior Regularis hujusmodi Apostatam (dato quod fuerit ex nostris) absolvere, nedum ab excommunicatione ratione Apostasiæ incursa, verum etiam ab excommunicatione Bullæ Cœnæ, quam secundum dicta in foro externo saltem supponitur incurrisse.

Ratio prioris liquet ex nostris statutis generalibus *loc. cit. numer.* 8. ubi dicitur: cum hujusmodi Apostatæ revertuntur, statim incarcerentur, & publice coram fratribus cum psalmo Miserere mei Deus &c. virgis seu flagellis percutiantur, & *ab excommunicatione absolvantur*. Ratio autem posterioris pariter colligi potest ex dictis supra *num.* 148. Quia Prælati Regulares, tam per se, quam per suos delegatos respectu suorum subditorum quantum ad hoc possunt idem, quod possunt Episcopi respectu suorum: atqui in casu impedimenti perpetui vel diuturni possunt Episcopi suos absolvere ab excommunicatione Bullæ Cœnæ juxta communissimam DD. videndam apud Laymann *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *numer.* 5. Reiffenstuel Schmalzgrueber & alios: ergo. Neque vero necessum est, ut in simili casu vel Episcopus, vel Superior Regularis scribat Romam, vel illuc mittat procuratorem; quia jura solum exigunt personalem comparitionem delinquentis: ergo cum Religiosus ex hisce partibus nostris id moraliter non possit, dicendum potius est, quod Superior Regularis possit subditum suum absolvere ab hac excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Adde insuper ex dictis *num.* 148. Prælatis Regularibus per se hanc potestatem competere vi diversorum Privilegiorum videndorum apud Felix Potestas *loco prox. citato a num.* 3372. de quibus cum certo non constet, quod fuerint revocata, manet hodiedum probabile ex principiis directis, hanc potestatem iisdem competere: at ubi ex principiis directis probabile est, Superiori vel Confessario competere potestatem absolvendi, ibi ex principiis reflexis fit moraliter certum, quod valeant absolvere, quandoquidem in simili casu Ecclesia certo suppleat jurisdictionem: ergo &c.

At quid, si talis Religiosus sive sponte reversus, sive etiam contra voluntatem propriam retractus protestetur, se non fuisse Apostatam, proptereaque nec indigere, neque etiam velle absolvi, poteritne hoc non obstante Superior procedere ad absolutionem validam?

156. R. Potest pro foro saltem externo absolvere ab excommunicatione, licet non a peccato. Ratio est: quia sicut censura ferri potest in invitum, ita prorsus nihil obstat; quo minus absolutio ab eadem, velut actus jurisdictionis voluntariæ, dari possit invito; quandoquidem hæc absolutio præcise dependeat ab arbitrio Superioris. Ita D. Thomas 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *Sayrus lib.* 2. *c.* 21. *n.* 5. quos citat & sequitur R. P. Elias a S. Francisco *in idæis Theolog. part.* 2. *dist.* 1. *Serie* 6. *sect.* 2. §. 4. *n.* 2.

C A-

CASUS SECUNDUS.

Sempronia vetula carnalibus Lutheri documentis inescata cum aliis multis emigrantibus anno abhinc proxime elapso tuguriolum suum in montanis consitum deseruit: at, ubi Salisburgum venit, lethali morbo oppressa, gradum sistere coacta fuit: tempore vero infirmitatis a nonnullis tum sæcularibus, tum etiam Religiosis visitata, tandemque ut abjurata Lutheri secta saniora sequeretur consilia, persuasa fuit. Deposita haud multo post professione solenni fidei catholicæ, & recuperata utcumque demum valetudine ad proprios lares redire non tam jussa, quam permissa fuit; verum paulo post suum reditum nedum filium suum, sed & alios plures in eandem sectam pertrahere pro viribus conata fuit. Jam ad nostrum propositum dubitare licet 1. Utrum Sempronia inciderit excommunicationem Bullæ Cœnæ? 2. An, vel a quonam possit absolvi, casu quo vere pœnitens peteret hanc gratiam?

157. R. Ad primum, minime ambigendum, quin Sempronia inciderit excommunicationem Bullæ Cœnæ; tum quia in fide catholica nata Lutheri sectam postea amplexa fuit; tum etiam quia insuper conata fuit alios seducere in eandem sectam: neque etiam de eadem præsumere licet, fuisse hæreticam materialem duntaxat; procul dubio enim tum ex Catechesi aliisque Concionibus; tum etiam ex particularibus instructionibus eorum, qui saniora suasere consilia, potuit ac debuit capere veritatem & soliditatem fidei Catholicæ, cui tamen pertinaciter sese opposuit. Unde

158. R. jam ad secundum cum distinctione. Vel enim post depositam solennem fidei Catholicæ professionem Sempronia fuit juridice relapsa in hæresin, ita scilicet, ut de tali relapsu seu etiam nisu, & attentatione seducendi tam proprium filium, quam alios etiam, fuerit judicialiter denuntiata, & confessa vel saltem convicta (prout relapsum hunc juridicum explicat Reiffenstuel *lib. 5. decret. tit. 7. §. 6. num.* 321. R. P. Kazenberger *in Supplem. II. P. Sargar. Confer.* 118. *num.* 347. *sub lit. C.* & alii) vel vero supponitur merum theologice relapsa, id est in foro conscientiæ præcise, ita scilicet, ut de tali relapsu Ecclesiæ non constet? si hoc posterius: potest pro foro conscientiæ nedum ab Episcopo, verum etiam ab aliis privilegiatis, illis scilicet, qui Roma quinquennalem licentiam obtinuere, absolvi; quia hæc facultas expresse continetur in Rescripto Romæ dari assueto, prout videre licet tum ex dictis *numer.* 149. tum etiam apud nostrum A. R. P. Kazenberger *citatum in Supplem. II. P. Sargar num.* 347. Si vero supponatur illud prius (quod quidem meo judicio ex relata specie facti vero similius apparet) Sempronia per se loquendo neque ab Episcopo, neque etiam ab alio privilegiato potest absolvi. Ratio est: quia in illa licentia Romæ dari solita semper excipi solet contra Relapsos (juridice scilicet, prout intelligit Castropalao *tract.* 4. *disp.* 6. *punct.* 2. *num.* 7. & 8. Conformiter *ad cap.* 1. *accusatus, de hæret. in sexto*) ergo si Sempronia supponatur juridice relapsa profecto nequit absolvi ab ullo privilegiato, saltem per se loquendo; nam juxta vulgare illud, & inter Doctores receptissimum axioma: *privilegium tantum valet, quantum sonat, & non ultra.*

159. Dixi tamen, Semproniam *per se loquendo* absolvi non posse; per quod minime intendo negare, sed potius innuere, eam saltem per accidens ratione scilicet impedimenti perpetui accedendi Summam Sedem, posse absolvi, modo vere contrita, & pœnitens errorem suum agnoscat, & falsam Lutheri sectam detestetur; Etenim universaliter in hisce partibus nostris, utpote valde remotis ab Urbe hujusmodi accessus censetur moraliter impossibilis. 1. mulieribus, & vel maxime monialibus. 2. debilibus, infirmis, & pauperibus, quibus vel vires, vel peculium deficit: idem ob eandem rationem. 3. tenendum est de impuberibus. 4. insuper talis accessus reputatur moraliter impossibilis iis, qui non sunt sui juris; uti servus aut filius familias. item 5. iis, qui

sunt

ſunt adſtricti ad curam animarum ; vel aliud officium temporale, quod ſine periculo gravioris damni deſerere non poſſunt. Ita *ex communi* DD. Felix Poteſtas *loc. cit. num.* 3348. Quin etiam in mortis articulo quilibet Sacerdos talem Perſonam vere contritam ac diſpoſitam directe poteſt abſolvere ; hanc enim facultatem Concilium Tridentinum *ſſ.* 14. *cap.* 7. approbante S. Pontifice diſerte concedit ſequentibus omnino verbis : *ne hac ipſa occaſione* (ſcilicet ob reſervationem caſuum, de qua ibi agitur) *aliquis pereat, in eadem Eccleſia cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis* ; *atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt*. Quod vero dictum eſt de conſtitutis in articulo mortis, rationabiliter omnino a Doctoribus extenditur ad conſtitutos in probabili & morali mortis periculo, quales cenſentur ii, qui ſuſcipiunt longam navigationem, vel conflictum bellicum ineunt, item mulieres partui proximæ &c. de quibus videri poſſunt Sanchez *lib.* 2. *moral.cap.* 13. *num.* 1. Palao *diſp.* 4. *punct.* 3. *§.* 5. *num.* 2. & 3.

CASUS TERTIUS.

C*Aja mulier primo geſtans uterum & partui jam proxima acceſſit ſuum Paſtorem animo confitendi, & obtinendi ab eo abſolutionem Sacramentalem : timuerat enim, ne fortaſſis paulullum illud mellis quod guſtaverat, cogeretur ſolvere impendio vitæ. At vero Paſtor (neſcio quo ſpiritu, quove zelo ductus) dicitur repuliſſe Cajam, nec voluiſſe excipere illius Confeſſionem, eo quod ſibi de hæreſi fuerit valde ſuſpecta, ſin minus convicta. Id tamen ſolatii cauſa Cajæ reſpondiſſe fertur, ut, ſi contingeret eam in partu periclitari, curaret ſe vocari, tunc vero ſe compariturum, & abſolutionem daturum. Caſum hunc a quibuſdam viris haud pridem intellexi, an vero per omnia fidem mereatur, nolim ego decidere, ſit proin fides penes auctores. Placuit nihilominus eundem referre, quia practicus videtur & contingere natus; quo ſuppoſito ad noſtrum propoſitum dubitare licet* 1. *An Paſtor Cajam potuerit, vel omnino debuerit abſolvere?* 2. *An vel qualiter deliquerit recuſando adminiſtrationem hujus Sacramenti?* & 3. *quid de ejuſdem reſponſo tenendum ſit?*

160. R. Ad primum. Paſtor in hoc caſu nedum potuit, ſed inſuper debuiſſet excipere Confeſſionem Cajæ, & rite diſpoſitam abſolvere, non obſtante ſuſpicione vel omnimodo lapſu in hæreſin. Quod potuerit, ex proxime dictis liquet : quia ſecundum Tridentinum proxime allegatum in mortis articulo vel morali ejuſdem periculo nulla eſt reſervatio : atqui Caja utpote primo geſtans uterum & partui jamjam vicina, erat in tali conſtituta : ergo dato etiam & ſuppoſito, quod hæreſin incidiſſet, potuit abſolvi, & per conſequens Paſtor proprius nedum potuit ; verum tum ex charitate, tum ex juſtitia etiam debuit eandem audire, ac rite diſpoſitam abſolvere. Videantur quæ diximus *in Theolog. Sacram. part.* 2. *Confer.* 18. *n.* 461.

161. R. Ad ſecundum quæſitum, hunc Paſtorem negando adminiſtrationem hujus Sacramenti per ſe loquendo (niſi ſcilicet aliæ circumſtantiæ, de quibus mihi non conſtat, concurrerint) deliquiſſe graviter nedum contra charitatem, verum inſuper contra juſtitiam ; utramque enim negando hoc Sacramentum ſummopere neceſſarium graviter læſit, veluti conſtare debet ex dictis. Videantur de hac obligatione la Croix *lib.* 2. *num.* 174. & *lib.* 3. *pag.* 1. *à num.* 754. Barboſa *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 17. *n.* 15. Vel Marchantius noſter *in trib. Tom.* 3. *part.* 1. *tract.* 9. *tit.* 2. *q.* 6. *§.* 2. *R.* 1.

162. R. Ad tertium quæſitum, illud reſponſum Paſtoris (ſi tamen ita, ut fertur, datum fuit ; nam de hoc merito dubitare licet) illud inquam reſponſum fuiſſe omnino ineptum & imprudens. Vel enim Cajam habuit pro hæretica merum materiali, vel pro formali etiam? ſi primum : hæc non fuit incapax abſolutionis ; cum propterea nullam prorſus incurrerit excommunicationem ſecundum hactenus dicta : ergo po-

potuit, & debuit absolvi. Si secundum, tunc vel fuit parata resipiscere vel non? si non, ne quidem in mortis articulo potuisset absolvi, ut de se liquet. Si autem fuit parata resipiscere (prout præsumi debuerat; quandoquidem venerit ad Pastorem animo pœnitendi & obtinendi absolutionem Sacramentalem) rursus de se liquet, Pastorem pessime fecisse, negando eidem administrationem hujus Sacramenti, vel eam differendo usque ad actuale & præsentissimum vitæ periculum: nunquid enim prudenter sperare licuit hanc fœminam partus doloribus oppressam imo cum morte actualiter luctantem, magis fore dispositam ad Confessionem, & seriam peccatorum retractationem, quam eo tempore exstitit, quo sana adhuc & incolumis propria sponte suum Pastorem convenit obtinendæ absolutionis gratia? an vero Pastor ipse majori cum decentia hoc Sacramentum administrare potuit parturienti, quam in Ecclesia suppliciter flectenti? Quis, amabo! vel oculis non cernat, vel non palpet omnino manibus ineptiam hujus responsionis?

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

163. Colliges ex hactenus dictis primo in ordine ad absolutionem a censura dandam, gnaviter attendendum esse a Confessario, & distinguendum inter hæreticum formalem & materialem, & rursus inter hæreticum mere internum, atque inter in & externum simul; hæretici enim materiales secundum dicta superius *num.* 138. non incurrunt hanc excommunicationem, & hoc ipso neque indigent absolutione, sicut nec hæretici mere interni secundum dicta ibidem *num.* 139. bene vero hæretici formales, qui suam hæresin exterius actione mortaliter mala manifestarunt.

164. Colliges secundo, hanc excommunicationem non incurri 1. ab eo, qui hæresin mente conceptam manifestat Confessario, vel alteri amico, aut consilii duntaxat, vel instructionis capiendæ gratia. Neque 2. ab eo, qui hæresin mente conceptam manifestat in somno, aut plena ebrietate &c. Neque 3. ab illo, qui de sua hæresi loquendo exterius loquitur verbis mere indifferentibus, vel ita ambiguis, ut plane colligi nequeat, quod sit hæreticus. Ratio horum omnium est: quia hi omnes vel non manifestant suam hæresin internam, vel certe eam non manifestant exterius per actionem mortaliter malam: ergo non incidunt excommunicationem Bullæ Cœnæ. Videatur Sporer *tract.* 2. *in decalog. cap.* 3. *sect.* 2. *num.* 24. Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 7. *n.* 243. vel Palao *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 3. *num.* 3.

165. Colliges ulterius tertio pro praxi, quod si persona quæcunque demum postulans instrui vel converti ad Fidem Catholicam, deprehendatur hactenus fuisse hæretica mere materialis, possit a quolibet Parocho vel Sacerdote approbato absolvi, & quidem sine omni speciali ceremonia vel facultate; quia secundum dicta nunquam incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ.

Nihilominus cum praxis Germaniæ ferat, ut ii, qui publice habentur pro hæreticis, utpote inter eosdem nati & educati, dum cupiunt amplecti Fidem Catholicam, etiam publice suam sectam abjurent, fideique salvificæ professionem deponant; hinc consulerem, ut talis homo vel ad Reverendissimum Ordinarium, vel si commodius fieri posse videatur, ad aliquem privilegiatum, potestate absolvendi ab hæresi præditum mittatur, præsertim in casu, quo res hæc subjacet periculo publicationis; secus enim talis Sacerdos de facili posset incurrere pericula diversarum incommoditatum.

166. Colliges tandem quarto, nequidem in Germania cuilibet Confessario præsumendum esse, ut absolvat ab excommunicatione propter hæresin formalem incursa. Ratio est manifesta; nullus enim debet præsumere vel attentare id, quod excedit vires potestatis sibi concessæ: atqui certum est, quod Summus Pontifex noluerit & hodiedum no-

lit cuivis Confessario in Germania concessam hanc potestatem, absolvendi scilicet a Casibus Bullæ Cœnæ, vel ab hæresi: immo vero in eadem Bulla §. 22. sub excommunicationis pœna prohibetur, ne quis (sine speciali facultate Sedis Apostolicæ) præsumat contra tenorem ejusdem Bullæ excommunicatione innodatis beneficium absolutionis impendere.

At vero, inquies, in Germania nostra passim & quotidie Religiosi mendicantes saltem, ad se recurrentes in hæresi natos convertunt & absolvunt, quin Romæ petant licentiam, vel illic reclametur: ergo in Germania nostra quilibet Confessarius approbatus potest absolvere ab hæresi, & ab excommunicatione propter eandem incursa.

167. R. Negando antecedens absolute, de hac enim praxi neque mihi, neque aliis pluribus constat, bene vero de contrario, quod scilicet in nostra saltem Religione aut Provincia nullus, nisi præditus quinquennali licentia (quam A. R. P. Minister Provincialis in hunc finem pro aliquibus Romæ petere & impetrare semper assolet) præsumere audeat hujusmodi hæreticum formalem absolvere.

Quin immo hæc licentia absolvendi ab hæresi neque Superioribus nostris, neque etiam Episcopis Germaniæ dari solet absolute vel illimitate, sed cum certis quibusdam clausulis; quæ procul dubio frustra adjicerentur, si in Germania nostra quivis Sacerdos gauderet potestate absolvendi, etiam illos duntaxat, qui in eadem hæresi v. g. Lutherana sunt nati & educati; quod quidem meo judicio evidens videtur argumentum, de hac praxi Germaniæ (quam quidam ceteroquin Insignissimus & Clarissimus Auctor prætendit) vel Sedi Apostolicæ nihil prorsus constare, vel certe contra eandem ipso facto excipi Romæ.

Dices iterum. In Germania hæretici sunt tolerati, etiam in tantum, ut reversi non indigeant absolutione pro foro externo, adeoque censeatur excommunicatio pro foro externo esse sublata generaliter, atqui ea sublata cessat & reservatio pro foro interno; ergo in hoc jam quilibet Sacerdos Germaniæ potest absolvere.

168. R. Rursus negando antecedens simpliciter. Enimvero etiam in Germania nostra hæretici communiter habentur pro excommunicatis, esto tolerentur, non quidem in favorem sed & gratiam ipsorum hæreticorum, potius intuitu fidelium, *ad evitanda* scilicet *Scandala* & animarum pericula, ut loquitur Bulla Martini V. edita in Concilio Constantiensi, videnda apud Sylvestrum V. *excommunicatio V. n. 7.*

Hac de causa ii, qui ad Fidem Catholicam volunt converti, indigerent absolutione in foro externo, tametsi in hoc absolvi non soleant, fortassis ideo, quia, si fuere hæretici formales, semper solent absolvi publice saltem pro foro conscientiæ ab aliquo speciali potestate Pontificia prædito, ut dictum fuit: qua absolutione semel impertita Ecclesia solet esse contenta, teste Laymanno apud Pirhing *lib. 5. Decret. tit. 7. sect. 2. num. 42.*

CONFERENTIA
SEXTA.

De Virtute Spei Theologicæ Vitiisque eidem oppositis.

SUMMARIUM.

169. *Nomine Spei ut sic intelligitur actus desiderii erga bonum arduum.*
170. *Spes Theologica alia est habitualis, alia actualis.*
171. *Objectum materiale primarium hujus est Deus aliquando beatifice a nobis possidendus, secundarium vero sunt alia media in hunc finem necessaria.*
172. *Objectum vero formale motivum est partim Divina Bonitas respectiva, partim etiam promissio fidelissima Dei, vel potius infinita hujus fidelitas in servandis promissis.*
173. *Spes habitualis tam adultis, quam parvulis etiam est simpliciter necessaria*

ad

ad salutem : actualis vero adultis duntaxat est necessaria ad justificationem assequendam.

174. *Præceptum Spei multiplex est, tam affirmativum, quam negativum.*

175. *Qua affirmativum etiam obligat ad timorem; cujus quadruplex differentia breviter explicatur.*

176. *Qua negativum obligat semper ac pro semper, qua affirmativum vero per se primo probabiliter obligat post adeptum usum rationis.*

177. *Per accidens autem obligat sæpius.*

178. *Præceptum tamen timoris non videtur per se obligare ad actum explicitum.*

179. *Virtuti Spei duo opponuntur vitia, scilicet desperatio & præsumptio.*

180. *Desperatio consistit in abjectione voluntatis de assequenda beatitudine.*

181. *Præsumptio vero in temera ejusdem exspectatione.*

182. *Resolvitur Casus I. de quodam Concubinario, qui meretricem suam nonnihil tergiversantem tandem ad consensum permovit sequenti epiphonemate: jam sumus perditi: ad quid ergo temperemus voluptatibus nostris.*

183. *Unde procul dubio commisit peccatum qualificatum contra virtutem spei.*

184. *Et quid de illis tenendum, qui admoniti ut ab hoc vel illo peccato desistant, respondent:* Pater non possum amplius.

185. *Resolvitur Casus II. de quadam Vetula exosa Marito suo, quæ, quantumvis infirmata renuit sumere medicinam, soli patrocinio B. Virginis Mariæ confisa.*

186. *An Maritus ejusdem peccaverit, curando quantocyus Sacrum legi pro felici fine suæ Uxoris?*

187. *Quid judicii de eo, qui animo seu cogitationibus lapsum se sentiens insuper adjicit opus externum v. g. pollutionem, eo quod propterea vix aut certe paulo majorem pœnitentiam sit reportaturus?*

188. *Resolvitur Casus III. de quodam, qui apud Principem suum accusatus, propterea que officio suo orbatus delatorem provocavit ad duellum.*

189. *An vel quomodo propterea peccaverit?*

190. *An peccaverit, sumendo Sacram Synaxim pro felici successu duelli?*

191. *Confessarius circa hujusmodi homines desperabundos præcipue attendere debet tum ad objectum, tum etiam ad motivum desperationis.*

192. *Magna proin circumspectione & discretione cum iisdem pro diversitate motivorum est utendum.*

193. *Quomodo homines, præsertim rudiores practice permoveri possint, vel debeant ad actum formalem & supernaturalem Spei?*

194. *Præsumptuosis merito adnumerantur, qui voluptatibus fræna laxantes volunt differre pœnitentiam usque ad articulum mortis.*

195. *Iisdem pariter accenseri debent, qui neglecto studio vel lectione competente, Cathedram Ecclesiasticam conscendunt, aut confessionale frequentant &c.*

196. *Quot modis habitus Spei deperdatur.*

197. *Et utrum in peccato desperationis ac præsumptionis detur parvitas materiæ?*

198. *Quid si Deus alicui revelaret damnationem futuram?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus practicos circa desperabundos, & præsumptuosos &c.

Quæres primo, quidnam intelligatur nomine Spei ut sic?

196. R. Nomine Spei ut sic intelligi desiderium alicujus boni ardui, possibilis tamen, & verosimiliter aliquando a nobis possidendi. Quodsi bonum illud sit naturale, ita, ut viribus naturæ præcise possit acquiri, dicetur Spes naturalis & humana, si nitatur hominis promissione; Sin autem acquiri non valeat, nisi viribus gratiæ supernaturalis, prout revera Beatitudo supernaturalis aliter obtineri non potest a nobis, dicetur Spes supernaturalis, Divina, & Theologica. Et hæc Spes supernaturalis communissime dividi solet in habitualem & actualem: de priori loquitur Apostolus 1. *Cor.* 13. dum ait: *nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes, &*

Cha-

Charitas &c. De posteriori loquitur *Rom.* 8. ubi ait: *Spe salvi facti sumus.* At

Quæres secundo, quid ergo sit Spes Theologica habitualis, & quid actualis?

170. R. Spes habitualis bene dicitur: *Virtus Theologica supernaturalis, a Deo infusa, qua voluntas fertur in Deum, quatenus is est beatitudo nostra, ex fidelissima promissione Divina per media ordinata a nobis obtinenda.* 2. Spes autem actualis recte describitur, quod sit *certa exspectatio futuræ beatitudinis ex DEI gratia & nostris meritis obtinenda.* Ita Sporer *tract.* 2. *in decalog. c.* 4. *sect.* 1. *num.* 1. citans pro eadem opinione Magistrum Sententiarum, Petrum scilicet Lombardum, D. Thomam 2. 2. *q.* 18. *art.* 2. §. 1. Scotum 3. *dist.* 26. *q. un.* quem Scotistæ communiter sequuntur. Explico brevissime datam descriptionem Spei habitualis. Dicitur enim 1. *virtus*; quia est bona qualitas mentis &c. dicitur 2. *Theologica*; quia pro suo objecto immediate respicit Deum, & quidem ut Auctorem supernaturalem beatitudinis, unde & *supernaturalis* appellatur. Dicitur 3. *a Deo infusa*: quia juxta Concilium Tridentinum *SS.6. de justif. Cap. 7. in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul* infusa *accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem.* Dicitur quarto, *qua voluntas fertur in Deum, quatenus is est beatitudo nostra*, per quæ innuitur differentia Spei ab aliis virtutibus Theologicis, utputa Fidei, & Charitatis, prout tum ex hactenus dictis, tum etiam ex proxime dicendis amplius constabit.

Ex his vero facile liquet descriptio spei actualis; quocirca illud duntaxat est advertendum, scilicet, quod sit exspectatio &c. *ex DEI gratia, & nostris meritis &c.* nullus enim ex solius naturæ viribus sibi sufficeret ad beatitudinem supernaturalem promerendam; quia teste Apostolo 2. *Cor.* 3. *v.* 5. *non sumus sufficientes aliquid cogitare a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* At neque debemus beatitudinem nostram sperare præcise ex Christi meritis, prout perverse faciunt Sectarii nostri temporis, sed insuper ex nostris bonis operibus, cum adjutorio gratiæ ex Christi meritis obtentæ, juxta illud notissimum D. Augustini effatum: *qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.* Quin & ipse Salvator noster jam pridem *Matth.* 16. *v.* 27. protestatus fuit, se in novissimo die redditurum *unicuique secundum opera ejus* NB. non ait secundum merita mea, id est, Christi præcise.

Quæres tertio, quodnam sit objectum materiale, & quodnam objectum formale spei divinæ?

171. R. 1. Objectum materiale primarium & principale est Deus aliquando a nobis beatifice possidendus mediante scilicet visione & fruitione: Secundo objectum vero secundarium & minus principale sunt alia bona & adjumenta tum ordinis supernaturalis, utputa piæ inspirationes, gratia Sanctificans &c. tum naturalis etiam, quæ aliquo modo saltem, remote scilicet sunt necessaria vel conducentia ad serviendum Deo, & beatitudinem assequendam, uti est panis quotidianus &c. quem Christus voluit a nobis postulari. Ita quoad utrumque membrum tenent communissime DD. Reiffenstuel *theol. mor. tr.* 4. *dist.* 5. *num.* 4. & 5. Sporer, Henno &c. Ratio prioris est: quia illud immediate & primario speramus atque desideramus, quod nos perfecte beatificat, & quo adepto nobis erit complete bene: atqui ex sola possessione Dei mediante visione & fruitione beatifica nobis erit complete bene, juxta Scotum 4. *dist.* 49. *q.* 2. §. *de secundo*, & alios Doctores: ergo &c. Ratio autem posterioris hæc est: quia quisquis vult efficaciter aliquem finem (prout Deus vult ex sua parte omnium nostrum salutem æternam,) pariter vult media ad eundem finem necessaria: ergo similiter qui beatitudinem ex divina promissione sperat, pariter potest, immo debet sperare media ad eundem finem necessaria; consequenter dicendum, quod hæc sint saltem objectum secundarium Spei Theologicæ.

172. R. jam ad alterum membrum hujus quæsiti. Objectum formale motivum Spei nec est sola bonitas respe-

ctiva Dei, neque sola Dei fidelitas aut promissio, sed utraque simul ita, ut tam bonitas Dei respectiva, quatenus scilicet Deus nobis est bonus, quam etiam promissio fidelissima, vel potius infinita Dei fidelitas in servandis promissis ingrediantur rationem objecti formalis motivi. Ita reipsa sentiunt Henno *tract. de Virtut. disp.* 5. *q.* 3. *concl.* 3. & 4. ubi pro eadem opinione refert Frassen *q.* 1. *de spe. concl.* 2. *nu.* 10. & reipsa non aliter sentiunt Sporer *loc. cit. Sect.* 1. *n.* 4. & R. P. Claudius La Croix *lib.* 2. *n.* 121. Ratio hujus resolutionis multum controversæ inter Doctores est hæc; quia illud recte statuitur objectum formale motivum spei, quod nos allicit seu movet ad sperandum: atqui nec sola bonitas Dei sine promissione, nec sola promissio quantumvis fidelissima sine bonitate nos moveret ad sperandum, bene vero utraque simul: ergo &c. minor hæc ulterius inde probatur & declaratur. Actus enim spei est actus voluntatis seu desiderii: atqui sola promissio non movet voluntatem ad desiderandum nisi id, quod promittitur, bonum sit, prout quisque nostrum experientia doctus fatebitur: neque etiam sola bonitas Dei respectiva moveret voluntatem nostram ad efficaciter prosequendam vel desiderandam beatitudinem, nisi hæc nobis fuisset promissa; quia cum sit quoddam bonum supernaturale vires totius naturæ excedens, profecto liquet, quod præscindendo a promissione divina nullus omnino mortalium eandem velut impossibilem efficaciter sperare aut desiderare posset.

Quemadmodum ergo superius *Conf.* 1. *num.* 10. diximus, objectum materiale primarium fidei esse Deum, secundarium vero ea, quæ circa Deum sunt revelata; objectum vero formale fidei motivum esse summam & infinitam DEI veracitatem; eo quod hæc sciscitanti, *cur Credamus Deo?* prudenter allegetur pro motivo credendi: *quia scilicet Deus infinite verax, falli & fallere nescius id revelavit*; ita sane a pari hic recte statuitur pro objecto formali motivo spei *bonitas DEI respectiva*, non quomodcunque, sed *ex fidelissima DEI promissione aliquando a nobis obtinenda*; nam ecce! scisciitanti, quid speremus a DEO? prudenter omnino respondemus, nos sperare Deum aliquando beatifice possidendum in Patria, & consequenter etiam media in hunc finem necessaria; ulterius vero interrogati, *cur illam speremus, & quidem certo ac firmiter, cum tamen sit bonum quoddam excedens vires naturæ?* illico, & prudenter quidem reponimus, nos eandem sperare ac desiderare, quia beatitudo nobis est summe bona, & quia Deus in servandis suis promissis fidelissimus nobis eam promisit. Ex quo liquet, bonitatem DEI nos permovere ad desiderandum, non quidem absolute (uti hæretici ex solis Christi meritis) sed sub conditione, si nimirum & nos in observantia mandatorum perseveraverimus; summam vero & infinitam DEI fidelitatem in servandis promissis, nos permovere ad certo & firmiter sperandum. Fatendum nihilominus est, quod sicut revelatio DEI in ordine ad credendum se habet per modum conditionis sine qua non possemus credere; ita in ordine ad actum spei promissio DEI se habet per modum conditionis sine qua non possemus convenienter, aut prudenter sperare, prout sapienter observat noster P. Herincx *part.* 3. *tra.* 1. *disp.* 10. *q.* 1. *num.* 10.

Quæres quarto, an, vel quomodo Spes Theologica sit necessaria ad salutem?

173. R. Spes habitualis est omnibus, tam parvulis scilicet, quam adultis necessaria, & quidem necessitate medii in ordine ad justificationem & salutem consequendam.

Spes vero actualis, seu actus spei est duntaxat necessitate medii necessarius adultis ad justificationem & salutem consequendam. Ita *ex communi* DD. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 3. *n.* 2. & 3. Sporer *tr.* 2. *in decalog. cap.* 4. *sect.* 2. *num.* 8. Ratio prioris petenda est ex definitione Concilii Tridentini superius mox *n.* 170. relati, ubi dicitur, quod homini in justificatione hæc omnia simul infundantur, scilicet *Fides, Spes & Charitas*, addita mox causali; *nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas; neque unit perfecte cum Christo, neque corporis*

ejus vivum membrum efficit : at, si *sine spe* & charitate (habituali scilicet) nemo efficitur vivum membrum Christi, profecto dicendum est, quod spes non minus, quam charitas habitualis sit simpliciter necessaria ad salutem: ergo &c. Ratio posterioris pariter colligitur ex eodem Concilio Tridentino *cit. SS. 6. n. 6.* ubi inter dispositiones ad justificationem adultorum necessarias refertur Spes, sequentibus omnino verbis: *in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore*. Accedit insuper ratio irrefragabilis, haec scilicet, quod nemo prorsus ex intentione consequendae justificationis suae peccata efficaciter detestari vel retractare possit, nisi speret, se ex divina promissione veniam eorum consecuturum: ergo ad hanc consequendam simpliciter adultis necessaria est quaedam spes actualis, saltem exercita.

Quaeres quinto, deturne etiam praeceptum sperandi?

174. R. Datur tam naturale, quam positivum idque tam affirmativum, quam negativum: *Communis Doctorum*. Affirmativum duplex est, scilicet 1. de eliciendo positivo actu spei, 2. de eliciendo actu timoris certo tempore, & casu exigente. Negativum rursus est duplex, unum de non desperando, alterum de non praesumendo; de quibus paulo post. Jam quod detur obligatio positiva subin eliciendi actum Spei colligitur aperte satis tum ex Scriptura Sacra *Psal.* 4. Sacrificate sacrificium justitiae, & *sperate in Domino*. Rursus ad *Tit.* 2. *exspectantes beatam Spem &c.* & alibi saepius, tum etiam ex hac ratione: quidquid enim homini adulto ad salutem est necessarium necessitate medii, illud ipsum pariter censeri debet necessarium necessitate praecepti: atqui secundum mox dicta hominibus adultis Spes actualis ad justificationem est simpliciter necessaria: ergo pariter ad hanc, & consequenter ad salutem censeri debet necessaria necessitate praecepti.

Quod insuper detur praeceptum positivum de timore, rursus constat nedum ex Sacra Scriptura, *Eccli.* 1. *v.* 27. *Timor Domini expellit peccatum*: & mox *v.* 28. additur haec causalis: *nam qui sine timore est, non poterit justificari*; verum insuper convincitur hac ratione: quisquis enim tenetur ad prosequendum aliquod bonum, quod potest de facili amittere, pariter naturali ratione tenetur saltem secundario & ex consequenti timere, ne illud malum oppositum incurrat: ergo cum omnis homo teneatur ad prosequendam beatitudinem ceu bonum quoddam nobis omnibus praefixum per modum praemii & ultimi finis nostri, dicendum consequenter est, quod teneamur ad saluberrimum illum timorem Domini toties in Scripturis Sacris intimatum, vi cujus scilicet conemur cum *metu & tremore nostram* operari salutem, juxta monitum Apostoli *Philipp.* 2. *v.* 12. & timere, ne salute excidamus, & incurramus damnationem aeternam. Videatur Sporer *tr.* 2. *c.* 4. *sect.* 2. *n.* 12.

175. Quocirca porro illud insinuandum duxi, hunc scilicet timorem, Spei communiter annexum, a Doctoribus quadrupliciter distingui, nempe 1. in mundanum. 2. in servilem. 3. filialem, & 4. initialem. *Mundanus* appellatur, vi cujus temporale nocumentum plus timetur, quam peccatum, quo fit, ut hoc facilius incurratur, quatenus illud evitetur. *Servilis ille* censetur, quo peccatum vitatur, ne poena incurratur; qui rursus a Doctoribus sapienter subdividitur in *pure*, seu (ut alii loquuntur) serviliter servilem, & in *non pure servilem*, hic posterior tunc habetur, quando quis timet peccare propter poenam, sed ita, ut vi hujus timoris revera deponat, & excludat omnem affectum ad peccandum; unde etiam talis timor honestus est & salutaris: ille prior autem, scilicet pure ac serviliter servilis habetur tunc, quando quis timet quidem peccare propter poenam incurrendam, nihilominus animo ita comparatus est, ut si poena non esset timenda, actu peccaret (quod proprie servorum est), ideoque stante hujusmodi timore stat simul actualis affectus ad peccandum, propterea que censetur inhonestus & insufficiens ad salutem, sicut & ille mundanus mox descriptus. *Filialis* dicitur, quo timetur peccatum, quia est offensa Dei, ceu optimi & amantissimi Patris; qua de causa hic timor, utpote filiis genui-

minis proprius alio nomine appellari consuevit timor castus, reverentialis, & ingenuus. Denique *initialis timor* vocatur ille, quo quis timet culpam simul & pœnam, seu quo fugit peccatum, partim quia Dei offensivum est, partim etiam, quia pœnæ inductivum. Appellatur autem initialis ideo, quia communiter solet esse initium conversionis, & parare viam ad timorem filialem & castum, prout habetur in Concilio Tridentino *SS. 6. de Justif. cap. 6.* ubi de dispositione peccatorum in ordine ad justificationem dicitur: *& dum peccatores se esse intelligentes, a Divinæ Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in Spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Videatur de hoc Henno *tract. de virtut. disp.* 5. *q.* 7. vel Herincx. *part.* 3. *tr.* 1. *dis.* 10. *q.* 4. *a n.* 33.

Quæres sexto, quoties vel quando obliget præceptum Spei affirmativum, & quando negativum?

176. R. Præceptum Spei qua negativum obligat *semper* & *pro semper*, more scilicet aliorum præceptorum negativorum. 2. Qua affirmativum vero probabiliter per se obligat 1. quam primum homo pervenit ad usum rationis, eidemque Deus sub ratione objecti beatifici seu ultimi finis nostri sufficienter fuit propositus. 2. in articulo mortis, & 3. aliquoties etiam per vitam, fere quemadmodum superius *Conf.* 1. *num.* 27. diximus, de obligatione eliciendi actum Fidei. Et ita tenent Viva *ad propos. n.* 1. *ab Alexandro VII. damnatam, num.* 3. *&* 7. nec non Mathæucci *in cautel. Confess. lib.* 1. *c.* 1. *propos.* 1. §. 2. *n.* 23. aliique plures sequenti ratione potissimum ducti: quia ex ipso rectæ rationis dictamine absonum videtur asserere, quod homo nunquam, aut raro admodum teneatur se convertere in Deum ceu ultimum finem suum, mediantibus scilicet actibus Fidei, Spei, & Charitatis; quam ob causam Viva *loc. cit.* existimat Alexandrum VII. damnasse sequentem propositionem: *homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum Fidei Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Fatendum nihilominus est quod, quemadmodum præcepto Fidei satisfieri potest, & sæpissime satisfit per exercitium aliarum virtutum necessario præsupponentium vel requirentium actum Fidei; ita pariter huic obligationi Spei satisfieri possit per actus aliarum virtutum, prærequirentium actum Spei: nec dubitandum, quin eidem sæpissime satisfiat, dum quis devote recitat v. g. orationem Dominicam vel humiliter confessus sua peccata postulat a Deo, aut a Confessario DEI vices agente peccatorum suorum veniam; frustranee quippe postularemus nobis advenire regnum Cœlorum, aut peccata nostra nobis dimitti, nisi speraremus, Deum vi suæ promissionis fidelissimæ & posse, & velle nobis nedum indulgere peccata, verum in super conferre beatitudinem sempiternam. Hac de causa Doctores *communissime* monent, circa adimpletionem hujus præcepti non esse multum scrupulizandum.

177. Dixi tamen, præceptum Spei in prædictis casibus *per se obligare*, licet me minime lateat, etiam hoc a multis Scotistis tempore, quo allegata propositio nondum fuerat damnata, fuisse negatum. Ceterum quod *per accidens* durante hac vita ad actum Spei sæpius, immo toties obligemur, quoties urget obligatio alterius virtutis, quæ sine actu Spei exerceri nequit, apud omnes in confesso est; idque convincit ratio: quisquis enim tenetur ad aliquem finem, similiter tenetur ad media in eundem finem necessaria: atqui actus Spei est medium necessarium ad exercitium aliarum virtutum v. g. pœnitentæ, orationis, veluti constat ex Concilio Tridentino proxime allegato &c. ergo.

Idipsum dicendum foret de casu, quo quis existimaret se non posse tentationem desperationis aliter vincere, nisi eliciendo actum Spei, licet hoc de raro contingere natum sit; cum & alia dentur media ad vincendam hanc tentationem. Videatur de hoc Cardinalis de Lauræa *Tom.* 4. *dis.* 4. *de spe*, vel Matthæucci *loco proxime cit. num.* 25.

178. R. Jam secundo, ad idem quæsitum. Pærceptum timoris, regulariter actum Spei concomitantis, non videtur

tur per se obligare ad aliquem actum expressum, signatum & formalem, sed probabiliter eidem satisfit per actus virtuales, utputa per actus contritionis, pœnitentiæ, nec non per fugam transgressionis quorumcunque demum pæceptorum. Ita Filliucius *tr.* 22. *c.* 8. *n.* 257. Palao *tr.* 5. *disp. un. punct.* 4. *n.* 6. & alii plures. Ratio est: quia non ob aliam causam vel finem jubemur timere Dominum, nisi ut evitemus offensam illius, eundemque amore prosequamur; hinc est, inquit Sanchez *lib.* 2. *mor. c.* 33. *n.* 4. quod admittens quodcunque crimen, a quo vi timoris divini retrahi potuisset, sufficienter fateatur, explicando solum illud crimen admissum, aut si non admisit, periculum illius admittendi; quod ex praxi hominum timoratæ conscientiæ constat, qui nunquam de defectu timoris in peccatis admissis se accusant, nec Confessarii de eo interrogant.

Quæres septimo, quæ, & quot vitia opponantur virtuti Spei Theologicæ?

179. R. Duo eidem opponuntur scilicet 1. vitium desperationis, & 2. vitium præsumptionis. *Communis*. Nam de priori res clara est, quod scilicet opponatur virtuti spei, & quidem per defectum, quemadmodum avaritia per defectum opponitur virtuti liberalitatis; & sicut huic per excessum opponitur prodigalitas; ita pariter virtuti spei per excessum opponitur præsumptio, prout amplius patebit ex dicendis. Unde.

Quæres octavo, quid sit desperatio, & quale peccatum?

180. R. Desperatio positiva (de qua hic loquimur) est actus voluntatis, quo quis efficaciter renuit æternam beatitudinem prosequi, eo quod hæc sibi appareat obtentu nimis ardua, vel nunquam futura, vel impossibilis; unde etiam est gravissimum peccatum in Spiritum Sanctum. Ita in *re communissime DD. cum D.* Thoma 2. 2. *q.* 14. *a* 2. Mastrius *theol. mor. disp.* 10. *n.* 40. Reiffenstuel *theolog. mor. tr.* 4. *dist.* 5. *n.* 14. & 16. Ratio hujus descriptionis cuivis prudentum facile patebit; dicitur enim 1. actus voluntatis: Spei etenim & desperationis idem est subjectum scilicet voluntas, quemadmodum fidei & infidelitatis est intellectus. Dicitur 2. quo quis efficaciter renuit &c. ut per hoc excludatur quorundam pusillanimitas, qui vel tentationibus diaboli, vel aliis calamitatibus pressi, aliquo modo vacillant de sua salute, licet propterea non penitus abjiciant voluntatem tendendi ad beatitudinem. Dicitur tertio, eo quod hæc sibi appareat obtentu nimis ardua, vel impossibilis &c. Ex quo colligere fas est gravitatem hujus peccati, utpote vi cujus Deo & singulariter Spiritui Sancto infertur gravissima injuria; enimvero si beatitudo cuicunque demum peccatori in hac vita foret obtentu nimis ardua, jam jugum DEI non amplius foret suave: vel si foret omnino impossibilis, profecto sine ratione, sine charitate &c. ad hujus prosecutionem obligaremur; patet proin ex hoc ipso, quod is, qui desperat, non unam tantum, sed plures Dei perfectiones lædat.

Quæres nono, quid, vel quale peccatum sit præsumptio?

181. R. Præsumptio est actus voluntatis, quo quis sperat beatitudinem, aliave auxilia gratiæ extraordinaria temerarie, id est, vel propriis viribus; vel aliis mediis a Deo minime in hunc finem ordinatis obtinere; unde etiam hoc peccatum ex suo genere est mortale, & repugnans Spiritui Sancto, juxta *communem Doctorum*, videndam tum apud Doctores proxime allegatos, tum etiam Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.* 4. *sect.* 4. *n.* 17. & *seqq.* nec non apud Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 33. *n.* 7. Castropalao *tr.* 5. *disp. un. pu.* 6. *n.* 2. Ratio vel bonitas hujus descriptionis facile colligetur ex proxime dictis. Quod autem sit ex suo genere saltem peccatum gravissimum in Spiritum Sanctum, expresse docet S. Thomas 2. 2. *q.* 21. *a.* 1. *quia scilicet per hujusmodi præsumptionem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritus Sancti, per quod homo revocatur a peccato*; & hoc potissimum verificatur illis, qui propterea peccant liberius, eo quod sciant Deum esse summe & infinite bonum ac liberalem in condonandis mortalium delictis.

§. II.

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici tum circa Spem Theologicam, tum etiam circa desperationem & præsumptionem.

CASUS PRIMUS.

Titio concubinario concubina sua aliquando præter morem solitum recusavit corporis usum, dicens se non amplius posse continuare hoc commercium carnale sine evidenti periculo scandali in populo, consequenter nec sine evidenti periculo incurrendæ damnationis æternæ; Verum huic Titius illico respondit: jam sumus perditi; neque de hoc amplius dubitare fas est ob vitam hactenus tam scandolose traductam: ad quid ergo metam ponamus desideriis ac voluptatibus nostris? itum proin fuit ex utraque parte in antiquam sylvam. Jam circa hanc speciem facti dubitare licet 1. quomodo Titius peccaverit? 2. an præter peccatum fornicationis aut adulterii insuper commiserit peccatum desperationis in confessione necessario explicandum?

182. R. ad primum, Titium procul dubio gravissime peccasse nedum peccato fornicationis (vel adulterii, si scilicet vel ipse, vel meretrix saltem iam fuit actu ligata matrimonio) verum insuper peccato scandali; quippe qui male sollicitando, & peius adhuc persuadendo concubinam suam pertraxit ad actuale peccatum, & fortassis ad consimilem desperationem. Insuper in huiusmodi casibus singulariter attendendum est & indagandum, an non vivant in concubinatu notorio & scandaloso (quod revera species huius facti insinuare videtur) in tali scilicet, de quo pluribus eiusdem communitatis vel civitatis constat &c. præterquam enim, quod iste casus in plerisque Diæcesibus sit reservatus, insuper noverit Confessarius, se non posse tuta conscientia Titium absolvere, nisi sancte & serio appromitat, quamprimum moraliter potuerit, vel dictam concubinam relinquere, vel a se amandare &c. quatenus hoc modo scandalum publicum tollatur.

Res de se clara est, & potest constare ex iis, quæ diximus *in Theolog. sacram. part. 2. Conf. 4. n. 93.* quamdiu enim Titius id non facit, aut non serio appromittit illico se facturum, tamdiu convincitur velle perseverare in continuo statu peccati mortalis: at, qui vult perseverare in tali statu, est incapax absolutionis: ergo &c.

183. R. jam ad secundum. Titius procul dubio commisit peccatum desperationis, in confessione necessario exprimendum; quandoquidem opere ipso monstravit, se abiecisse voluntatem tendendi ad beatitudinem, eo quod existimaverit, hanc vel sibi jam impossibilem, vel certe nunquam futuram: immo vero hac pessima persuasione motus fuit ad liberius peccandum, & ad pertrahendam quoque concubinam suam ad consensum, non sine malitiosa præsumptione. Insuper notet Confessarius, quod, si Titius ideo desperavit, quia credidit Deum vel non posse, vel certe jam nolle sibi remittere peccata, vel sua peccata esse irremissibilia ob vitam tam malitiose traductam, & scandala data &c. ideoque nec gratia Dei vinci posse (licet hoc inter fideles rarius contingat) præter peccatum mortale desperationis, insuper commiserit peccatum hæreseos; revera enim omnes illæ persuasiones sunt contrariæ fidei Catholicæ, & repugnant Sacræ Scripturæ, in qua *Ezechiel* 18. dicitur: *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* Et rursus *Isa* 1. *lavamini* (ait:) *& mundi estote &c. si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix de albabuntur*. Utrum vero ex hac suppositione insuper inciderit excommunicationem, colligi debet ex eo, an non laboraverit aliqua juris vel facti ignorantia, item, an hanc hæresin exterius manifestaverit? videatur de hoc P. Sporer *tr. 2. c. 4. sect. 3. n. 15.*

At, quid de illis tenendum, inquies fortassis, qui a Confessario dehortati, vel etiam admoniti, ut ab hoc vel illo vitio v. g. pollutionis, ebrietatis, furti &c. deinceps abstineant, illico respondent: Pater R. non possum amplius

abstinere, tum ob nimis inveteratam consuetudinem, tum etiam ob nimiam meam fragilitatem pro dolor! sæpius, quam par est, expertam.

184. R. Hujusmodi homines tractandos esse potius velut pusillanimes, quam desperabundos, quippe qui potius desperant de propria virtute, velut bene conscii suæ fragilitatis, quam de divino adjutorio: & cum hoc non obstante fieri possit, ut abjecta etiam confidentia de propriis viribus omnem spem suam collocent in adjutorio Divinæ gratiæ adiutricis fortissimæ, nec non in infinita Dei misericordia, cui utique nihil est impossibile; hinc Confessarius ceu Medicus spiritualis omni modo conari debet, ut huiusmodi hominem pusillanimem erigat, & ad firmiter sperandum, dolendum, & proponendum excitet, quatenus eum hisce mediis ad vitam spiritualem reducat; quemadmodum prudentes medici infirmum de sanitate corporis recuperanda quasi desperabundum, propterea non illico deserunt, sed potius conantur eundem tum salutaribus consiliis, tum etiam convenientibus medicamentis restituere pristinæ sanitati.

Secus utique dicendum foret, si tentatis omnibus pœnitens inveniretur immobilis in sua diffidentia erga Deum; quia tunc velut indispositus foret dimittendus.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronia fœmina non minus annosa, quam exosa suo Marito, incidit in morbum lethalem, quo non obstante renuit simpliciter sumere quamcunque demum medicinam, constanter asserens, se totam suam fiduciam collocare in præpotenti patrocinio B. V. Mariæ, quæ, si Deo ita placuerit, procul dubio sibi impetraret pristinam sanitatem. Sempronius Maritus e contrario hac sibi occasione utendum ratus: subito cocurrit ad certum quoddam Monasterium, petiitque, ut sine mora legeretur sacrum pro felici fine suæ uxoris: & quia iste totum suum amorem jam pridem transtulit in aliam personam, hinc sæpius quæsivit occasionem cum eadem peccandi: licet vero hanc nunquam obtinuerit, nihilominus fatetur, se toties quoties secreto polluisse semetipsum; partim ideo, quod bene agnoverit se desiderando, immo & quærendo occasionem peccandi carnaliter, jamjam promeritum fuisse infernum, & hoc ipso parum vel nihil referre, tametsi superadderet opus externum; partim etiam, quia scivit, se nec magis confusum iri neque etiam gravius punitum a Confessario, sive dein superaddidisset pollutionem, sive non. Jam ad hunc casum valde practicum tres quæstiones moveri possunt 1. utrum vel qualiter Sempronia peccaverit, nolendo acceptare quamcunque demum medicinam? 2. An Sempronius ejusdem Maritus peccaverit, petendo Sacrificium Missæ pro fellici fine? 3. Denique an, vel quomodo is peccaverit post lapsum mentalem sese ulterius præcipitando in lapsum corporalem, scilicet pollutionem, & quidem propterea, quod sciverit se jam prius meruisse infernum, neque etiam multo graviorem pœnitentiam inde reportaturum?

185. R. Ad primum quæsitum, Semproniam per se loquendo (nisi scilicet vel simplicitas vel ignorantia eam excuset) graviter deliquisse; quia non solum nimium præsumere, sed & Deum tentare voluisse videtur, relictis scilicet mediis naturalibus & ordinariis exspectans effectum sanitatis a Deo sibi conferendum. Ratio est: quia quicunque demum vel corporis sanitatem vel quemcunque alium effectum similem relictis modiis a Deo eundem finem ordinatis (uti sunt medicinæ) exspectat per sola miracula patrocinio Sanctorum impetranda, temerarie errare, immo & Deum tentare velle convincitur; non enim debemus eiusmodi dona vel gratias exspectare nisi per viam ordinariam, id est per media a Deo in talem finem ordinata: atqui Sempronia respuendo omnem medicinam, hoc non fecit: ergo &c. liquet proinde, quod Confessarius talem personam vel aliter disponere, vel ni aquiescere velit sanioribus consilii, beneficio absolutioni: privare, aut certe suspendere debeat.

186. R. Ad secundum quæsitum cum distinctione. Vel enim Sempronius voluit

luit mediante hoc Sacrificio Missæ promovere, & voluntate antecedente (ut loquuntur Theologi) DEUM quodammodo cogere, ut uxorem tollat e vivis? vel nihil aliud intendit, quam, ut si quidem placeret DEO uxorem suam, sibi tam charam (scilicet) tollere e vivis, hæc felici fine defungeretur? Si prius: dicendum erit, quod Sempronius præter grave peccatum contra charitatem uxori debitam, cujus mortem inordinate appetiit, insuper commiserit peccatum gravissimum præsumptionis, & quidem qualificatæ, scilicet blasphemæ, & sacrilegæ; quia præsumpsit SS. Missæ Sacrificio abuti in ordine ad aliquem effectum malum & illicitum, scilicet ad impetrandam præmaturam mortem vel hujus accelerationem, quam sine peccato hoc modo (scilicet voluntate antecedente) nec potuit intendere, nec debuit. Si vero supponatur posterius, dicendum erit, quod Sempronius neutiquam peccaverit, sed potius benefecerit, quia supponitur nil aliud intendisse, quam felicem mortem Uxoris suæ, eamque voluntate subsequente duntaxat Divinam, quam rationabiliter prævidere potuit ex eo, quod Sempronia absolute renuerit sumere quamcunque demum medicinam: atqui certum omnino est, SS. Sacrificium Missæ qua impetratorium a Deo fuisse institutum ad hunc etiam finem, scilicet ad impetrandam felicem mortem: ergo ex hac suppositione Sempronius minime peccasset. Videatur Sporer *loc. cit.*

187. R. Jam ad tertium dubium, quod Sempronius post lapsum mentalem insuper superaddendo lapsum corporalem, procurando scilicet pollutionem, sine dubio iniquitatem adjecerit iniquitati, prout nemo prudentum non videt: nihilominus in rigore loquendo per hoc nec peccatum desperationis commisit, neque etiam præsumptionis; non enim prius: quia propterea non abjecit animum simpliciter in ordine ad prosequendam beatitudinem: immo vero contrarium haud obscure fas est colligere ex eo, quod cogitaverit de confessione & pœnitentia sibi injungenda a Confessario. Neque etiam posterius; qui vi hujus non convincitur temerarie speraffe beatitudinem, aliave auxilia gratiæ, mediis, aut via extraordinaria consequenda, licet suo modo videatur peccasse in clementiam Confessarii, cui confisus facilius consensit in peccatum externum. Videantur de hoc ea, quæ diximus in casu haud multum absimili *part.* 1. *prælimin. Confer.* 23. *n.* 684. Vel Tannerus *Tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 1. *n.* 79. aut la Croix *lib.* 2. *n.* 127. ubi is recte subdit, quod si peccans sibi tam facile promitteret remissionem peccatorum plurium, quam unius, & ideo sæpius peccaret, dicendus foret præsumptuosus.

CASUS TERTIUS.

Cajus ob varia delicta accusatus, a Principe, cujus ad obsequia pluribus annis steterat, tandem officio suo fuit orbatus. Quare cum ex una parte advertit, se & uxore & prolibus oneratum, ex altera vero, post multa etiam in cassum tentata remedia, omni subsidio humano destitutum, denique nedum in pusillanimitatem, verum insuper in omnimodam desperationem prolapsus fuit, unde & firmissime statuit, suum delatorem (a quo sibi, suisque prolibus sustentationem necessariam, & consequenter suo modo pariter vitam ipsam ademptam existimavit) provocare ad duellum, ratus, melius sibi esse vel in arena generose & honorifice (scilicet) succumbere, quam ab omnibus quasi spretum & despectum, vitam tam miserabilem diutius protrahere: prius tamen confiteri, sacramque synaxin sumere voluit pro felici successu duelli, quatenus hoc medio vel felicius vinceret, vel minus feliciter forte decertans & occumbens, non sine Sacro Viatico ex hac vita decederet. Quæritur jam ad nostrum propositum 1. *an Cajus vere possit aut debeat dici desperasse?* 2. *An adversarium suum ad duellum provocando peccaverit, & quomodo?* 3. *An non insuper commiserit peccatum præsumptionis sacrilegæ ex eo, quod pro felici successu duelli Sacram Synaxin sumere attentaverit?*

188. R. Ad primum quæsitum hujus Casus, de Cajo dici non posse, nec debere, quod desperaverit simpliciter; patet enim ex ipsa facti specie, quod non abjecerit omnimodam voluntatem prose-

quendi beatitudinem, eo ipso, quod statuerit confiteri, & ante duellum Sacram sumere Synaxin eo fine, ut non sine viatico decederet ex hac vita. Et licet desperaverit de eo, quod deinceps una cum Uxore & prolibus possit ducere vitam tam commodam & congruam suo statui, prout hactenus eam fortassis duxit; hæc tamen non est proprie desperatio Theologica; tum quia non versatur circa Deum vel ejusdem assecutionem; tum etiam, quia nullibi jubebatur sperare a Deo vitam tam congruam suo statui, prout hactenus fortassis eam duxit: desperando igitur de hac sustentatione commoda tam parum peccavit contra virtutem Theologicam Spei, quam fur, qui jam intra manus carnificis in Scala constitutus desperat de sua vita ulterius proroganda.

189. R. Ad secundum quæsitum. Cajum graviter peccasse contra charitatem proximi, provocando illum ad duellum, & hoc ipso exponendo tum spiritualis, tum corporalis etiam vitæ amittendæ periculo. Esto etiam ab eodem suo adversario fuerit accusatus; quia tamen non propter accusationem (quæ procul dubio potuit esse justa) sed potius propter insolentias jam sæpius incœptas officio suo orbatus; hinc non delatori, sed sibimet imputare debet hoc detrimentum. Ex quo consequens est, quod sine justa causa intendat sese vindicare mediante duello, & hoc ipso nedum in charitatis proximo suo debitæ, sed etiam in justitiæ leges enormiter impingat.

190. R. Jam ad tertium quæsitum. Cajus fumendo sacram synaxin ex præfato fine, commisit peccatum præsumptionis Sacrilegæ; præsumptionis quidem: quia per hanc voluit impetrare victoriam injustam: quem in finem SS. Communio certe nunquam fuit instituta. Sacrilegæ vero, tum quia abusus fuit hoc Sacramento; tum etiam, quia utrumque Sacramentum, tam pœnitentiæ scilicet, quam etiam SS. Eucharistiæ indigne suscepit. Neque etiam videtur, quomodo Caius posset excusari ob ignorantiam inculpabilem: vel enim præsentem animæ suæ statum Confessario exposuit debito modo, vel non? si non: eo ipso a culpa minime excusari potest. Si autem sic, Confessarius eidem procul dubio nedum beneficium absolutionis negasset, sed SS. Communionem infallibiliter interdixisset, velut homini prorsus indigno & incapaci.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

191. COlliges ex hactenus dictis primo, circa hujusmodi homines desperabundos a Confessario esse bene attendendum tum ad objectum, tum etiam ad motivum desperationis.

Ad obiectum quidem: quia si aliquis non de ipsa beatitudine, vel de mediis ad hujus consecutionem necessariis, sed de alia materia vel obiecto a Deo nullatenus promisso desperet; utputa si infirmus de recuperanda valetudine, captivus de libertate, Rusticus vel alius homo plebejus de impetranda Imperii Corona desperet, dicetur quidem desperasse: verum hæc desperatio nec Theologica est, neque peccaminosa, & hoc ipso impertinens ad forum Sacramentale. Ad motivum vero pariter est attendendum; enimvero si quis ad desperandum moveatur aliquo errore contra fidem, utputa ex eo, quod credat Deum vel non posse, vel nolle salvare &c. committit duplex peccatum, scilicet contra virtutem Spei, & Fidei simul: e contra si quis desperet absque eo, quod ad hanc inducatur quodam motivo erroneo contra fidem, ut si quis animum penitus abjiciat in ordine ad prosequendam beatitudinem, eo quod putet, Deum sui non miserturum, nec daturum gratias efficaces, vel etiam gratiam finalem &c. committit quidem peccatum contra virtutem Spei, sed simplex duntaxat, & non qualificatum; non enim tenemur velut de fide credere, Deum nobis daturum gratiam finalem, vel alias gratias efficaces. Videantur de hoc Sanchez *lib. 2. in decalog. c. 33. n. 5.* Laymann *lib. 2. tr. 2. c. 2. n. 3. & 5.* Vel Sporer *tract. 2. c. 4. sect. 3. n. 15.*

192. Colliges ulterius secundo, hujusmodi homines desperabundos a Confessario magna cum circumspectione, discretione, prudentia, nec minori cum pa-

patientia tractandos esse, & quidem pro diversitate geniorum. Enimvero nonnullos reperire est, qui ob nimiam peccatorum suorum sarcinam, vel vitam revera scandalose actam &c. a Diabolo fortiter tententur ad desperandum de Divina misericordia; qui proin cum mansuetudine & charitate erigendi sunt ad pie confidendum in infinitam Dei misericordiam, quippe quæ, hoc ipso quod infinita sit, & potest, & vult parcere: propter eaque Deus Pater Unigenitum suum Filium tradidit in mortem pro omnibus peccatoribus quantumvis gravibus &c. Juvabit insuper tali homini proponere breviter unum alterumve exemplum ex S. Scriptura depromptum, utputa de Rege Achab, vel Manasse, vel de Dismа latrone &c. Alii rursus inveniuntur, qui calamitatibus aliisve hujus vitæ miseriis vel etiam persecutionibus pressi, non tam ex malitia, quam ex pusillanimitate desperant, qui proin in Spem ac fiduciam Divinæ Providentiæ sunt erigendi, proponendo ipsis, quod *quem Dominus diligit, castigat, & omnem Filium, quem recipit, flagellat. Hebr. 12. c. v. 6.* Item, quod ipsum Unigenitum Dei Filium oportuerit pati (consequenter & nos) & ita intrare in gloriam suam. Denique alii inveniuntur, qui quantumvis innocentes fortassis nec minimam haberent causam dubitandi de assequenda aliquando corona vitæ, nihilominus Deo ita permittente (procul dubio ad promerendam majorem in Cœlis gloriam) continuo quasi exagitantur & molestantur cogitationibus vel potius tentationibus desperabundis, sive dein a dœmone, sive etiam ex hypocontria, melancholia seu abundantia atræ bilis profici scentibus: qui, quanto infirmiores tanto sunt digniores compassione, licet non tam exhortationibus Confessarii, quam pharmacis a Medico præscribendis curari debeant aut possint. Quocirca tamen illud animadvertendum est, a Confessario hominibus hujus ultimæ classis non tam facile credendum, quod peccaverint, tametsi de similibus sese accusare soleant velut peccatores maximos; revera enim involuntarie & contra propriam inclinationem patiuntur hujusmodi incidentias.

At vero, inquies, quomodo homines, simpliciores præsertim & rudiores ad formalem & supernaturalem actum spei excitari possunt vel debent?

193. R. Debent excitari hoc vel simili modo incipiendo ab humanis & naturalibus, & ex his eosdem elevando ad supernaturalia v. g. dicendo: charissime fili (vel filia) nunquid si homo constans & fidelis in servandis promissis tibi aliquid promittat, speras te securius ac certius illud obtenturum ab eo, quam ab alio, qui non solet servare sua promissa: quo respondente: *ita Domine*: jam ulterius instet Confessarius. Ecce jam! fili charissime noveris procul dubio, Deum summe bonum, qui in servandis suis promissis fidelissimus est, nobis omnibus promisisse vitam æternam, modo eidem fideliter serviamus, ejusdemque mandata observemus: & nunquid jam statuisti firmiter non amplius peccare, quin potius Deo fideliter servire, eundemque super omnia amare? Dic ergo charissime fili! & ex corde dic: *O mi Deus! spero a divina bonitate tua gratiam & vitam æternam, quippe quam tu infinite fidelis in servandis promissis, nobis promisisti: tu solus es finis noster ultimus, tu solus nostra beatitudo: te solum desidero, te assequi ardentissime cupit anima mea: Deus meus & omnia: in te Domine spero & semper sperabo; non confundar in æternum.*

194. Colliges tertio, etiam illos præsumptuosis esse adnumerandos, qui voluntarie sese resolvunt ducere dies suos in bonis, peccata peccatis cumulare, pœnitentiam vero usque ad finem vitæ differre, eo quod sciant misericordiam Dei esse infinitam &c. propterea que nedum Dismæ concrucifixo, sed & aliis innumeris peccatoribus in fine vitæ pepercisse. Peccant revera tales peccato præsumptionis in Spiritum Sanctum, cujus bonitate abutuntur, dum hujus intuitu inducuntur ad liberius peccandum, & laxandas naturæ habenas ad omnem licentiam vivendi. Tales proin a Confessario excitandi sunt ad salutarem Dei timorem, ad quem nos omnes hortatur Doctor Gentium *ad Philipp. 2. v. 12. ut* scilicet *cum metu & tremore nostram operemur salutem*: & Deus ipse *Eccl. 5. u. 8. ut non tardemus converti*

verti ad Dominum, & ne differamus de die in diem &c.

195. Colliges quarto, in censum præsumptuosorum pariter computandos esse illos Prædicatores, & Confessarios, qui tametsi hactenus parum vel nihil studuerint, nihilominus pergunt negligere competens studium & lecturam; ita, ut soli suæ dexteritati, ingenii felicitati, vel denique extraordinariæ Dei assistentiæ confisi &c. confessionale frequentent, & sine omni scrupulo expeditissime, aut certe expeditius quam alii docti, suos pœnitentes absolvant, vel cathedram conscendant, aliquid deblatterantes sine spiritu, immo & sine judicio; proptereaque juxta illud verissimum simul & notissimum proverbium, quemadmodum *sine labore ascendunt, ita pariter sine honore descendunt*, & sine fructu, non sine permagno præjudicio honoris divini. Vere inquam præsumptuosi, immo & temerarii dici merentur tales; quia prætermisso medio ordinario, studio scilicet, a Deo & natura ad hoc ordinato, a DEO exspectant effectum quendam extraordinarium (in quo consistit interpretativa tentatio Dei) & sese exponunt periculo plurimorum errorum, tum contra sanam doctrinam, tum etiam contra reverentiam Sacramentorum non sine periculo animarum, prout sapienter advertit noster V. P. Cherubin Mayr *in suo Trismegisto dist. 2. cap. 3. §. 2. num. 220.* Qui propterea merito timere deberent illud fulmen divinum *Oseæ 4. v. 6. quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*.

196. Colliges quinto, quod, quemadmodum secundum dicta superius *Confer. 1. num. 5.* habitus infusus fidei amittitur per peccatum infidelitatis positivæ, hæresis scilicet, & apostasiæ; ita pariter habitum spei amitti per peccatum positivum desperationis, immo & per quodvis peccatum mortale spei directe oppositum, id est, tale, quod directe tollit objectum formale spei, uti sunt positiva & efficax nolitio vel contemptus beatitudinis; neglectus mediorum ad illam assequendam, eo quod judicetur vel apprehendatur velut impossibilis; itemque dejectio animi ex eo, quasi Deus non possit, aut non velit nos salvare. 2. etiam potest amitti per peccatum formalis & positivæ infidelitatis; quia cum fides sit quasi basis ac fundamentum omnium virtutum, ea sublata pariter spem corruere, necessum est. Nihilominus quemadmodum secundum dicta *loc. cit.* fides non amittitur per infidelitatem mere negativam, id est, omissionem actus fidei, dum hujus obligatio urget; ita pariter habitus spei non deperditur per omissionem actus spei; quandoquidem hæc omissio directe non opponitur motivo spei. Videatur Sporer *tr. 2. c. 4. sect. 4. n. 19. vel* la Croix *l. 2. n. 129.*

197. Colliges denique sexto, quod tametsi peccatum desperationis & præsumptionis ex suo genere sint mortalia, utpote immediate repugnantia divinæ bonitati, misericordiæ vel justitiæ, in quibus non datur parvitas materiæ; nihilominus subinde ex indeliberatione, vel imperfectione actus fieri possit, ut quis venialiter tantum, & non mortaliter peccet, sicut & in aliis materiis idemmet fieri natum est, juxta dicta *in tractat. primo seu præliminar. Confer. 20. num. 573.* Fateor tamen, mihi satis probabile videri id, quod apud la Croix *lib. 2. num. 128.* docent RR. PP. Bonæ Spei, & Stephanus a S. Paulo, scilicet, eum, qui ex præsumptione de bonitate Dei peccaret venialiter, aut in sequentem diem differret agere pœnitentiam circa peccatum mortale, propterea non peccaturum, nisi venialiter: merito tamen negari potest, quod in his casibus interveniat præsumptio proprie dicta; quia per hoc non exspectatur beatitudo temerarie, vel mediis in hunc finem a Deo minime ordinatis obtinenda.

At, inquies adhuc: quidsi Deus alicui homini revelaret suam damnationem futuram, tenereturne talis, vel saltem posset adhuc sperare beatitudinem?

198. R. brevissime ad hanc quæstionem speculativam cum distinctione; nam si Deus eam revelaret propter peccatum jam præteritum, quod non

amplius

amplius vellet remittere, procul dubio talis homo, utpote jam destitutus objecto spei simpliciter, nec posset, nec teneretur amplius sperare beatitudinem. At vero si propter peccatum futurum & primo incurrendum alicui revelaretur damnatio, meo judicio nedum posset, sed etiam teneretur adhuc sperare beatitudinem; quia impedimentum hujus, peccatum scilicet libere ponendum, dependet pure ab ejusdem arbitrio, quod utique tenetur non ponere, sed potius tendere ad beatitudinem, cui sola revelatio divina nullum prorsus ponit obstaculum, sicut revelatio D. Petro facta de futura negatione Christi, nullum prorsus posuit obstaculum, quo minus potuisset, immo & debuisset non negare. Verum demissa hac quæstione speculativa ad Scholasticos, pro praxi respondendum est 1. non facile credendum, hujusmodi revelationem, utpote prorsus extraordinariam, & alienam a præsenti statu ordinationis divinæ, fuisse factam a DEO, vel a bono, sed potius a malo spiritu, eo fine, ut hominem inducat ad desperationem omnimodam. 2. Dato etiam, quod constaret, talem revelationem revera profectam esse a DEO, præsumendum foret, eam esse intelligendam sub conditione, *nisi* scilicet ageret pœnitentiam, quemadmodum revelatio de subversione Ninive per Prophetam Jonam facta sequentibus verbis absolute & satis clare prolatis: *adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur*, *Jon*. 3. *v*. 4. non fuit aliter intelligenda, quam sub conditione: nisi scilicet Ninivitæ agerent pœnitentiam: quemadmodum ergo hi poterant, & tenebantur adhuc sperare, fore, ut Ninive non subvertatur, casu quo agerent pœnitentiam: ita pariter talis homo adhuc & posset, & teneretur sperare, fore, ut non damnetur, casu quo non peccaret, vel de suo peccato pœnitentiam ageret. De quo videri possunt Herincx *part*. 3. *tr*. 1. *disp*. 10. *n*. 56. Sporer *tr*. 2. *in decal*. *c*. 4. *sect*. 4. *num*. 20. Salmanticens. *tom*. 7. *tr*. 18. *disp*. 5. *dub*. 2. *n*. 32. apud Babenstuber *tr*. 5. *disp*. 1. *a*. 3. *n*. 20.

CONFERENTIA

SEPTIMA.

De Virtute Charitatis tum DEO, tum etiam proximo debitæ.

SUMMARIUM.

215.

215. *Resolvitur Casus I. cujusdam personæ, quæ, ut mortem in manibus carnificis subeundam sibi conciliaret, proprio motu occidit infantem innocentissimum.*

216. *Propterea que sine dubio graviter deliquit contra charitatem nedum proximo, sed sibimet etiam debitam.*

217. *Occurritur cuidam instantiæ in contrarium.*

218. *Resolvitur Casus II. cujusdam honestissimæ puellæ, quæ a quodam lascivo homine stupri causa obruta, lamentabiliter imploravit opem cujusdam alterius.*

219. *An iste fuerit obligatus ad succurrendum?*

220. *Huic puellæ probabilissime licuisset occidere seu etiam confodere injustum aggressorem, si aliter non potuit illum repellere.*

221. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*

222. *Resolvitur Casus III. cujusdam pœnitentis, interrogantis Confessarium, an cum periculo vitæ teneatur succurrere proximo in pari periculo vitæ constituto.*

223. *Qui per se loquendo potuit quidem, per accidens tamen non, si supponatur, hujus vitam fuisse necessariam ad aliorum, utputa uxoris, prolium &c. salutem.*

224. *Unde a Confessario in his circumstantiis minime potuit obligari ad ferendam opem per se ipsum.*

225. *Respondetur ad quandam objectionem in contrarium.*

226. *Contra charitatem Dei dupliciter, vel omnino tripliciter peccari potest.*

227. *Odium Dei est gravissimum peccatum.*

228. *Fieri potest, ut quis vitam alterius teneatur præferre periculo vitæ propriæ, ubi ad titulum charitatis simul accedit titulus justitiæ &c.*

229. *Ordinata charitas jubet, ut circa dilectionem proximi vel inter proximos servemus ordinem; hinc*

230. *Quantum concernit bona naturalia, præferre debemus consanguineos aliis non consanguineis.*

231. *Quantum ad politica ceteris paribus concivem extraneis.*

232. *Nunquam tamen creaturas irrationales rationalibus.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita, sci.u necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa amorem DEI, sui ipsius, & Proximi.

QUæres primo, quid sit charitas?

199. R. Charitas velut virtus Theologica, de qua in hac Conferentia agere intendimus, perbene describitur, quod sit virtus supernaturalis, qua quis Deum diligit tanquam summum bonum propter se, seipsum vero & proximum propter DEUM. Ita *Communis Theologorum*. Explico, & declaro brevissime. Dicitur 1. *Virtus supernaturalis*; quia hoc habet commune cum virtute fidei & spei, quibuscum velut in genere convenire dignoscitur. Dicitur 2. *qua quis DEUM diligit*; per quod innuitur objectum materiale primarium; quemadmodum enim fides & spes velut virtutes Theologicæ pro suo objecto materiali primario immediate respiciunt Deum, pro secundario autem ea quæ sunt circa Deum; ita pariter charitas pro objecto materiali primario respicit Deum, pro secundario autem nos ipsos & proximum, in quantum participamus Dei bonitatem, & summus capaces beatitudinis assequendæ &c. Hinc ulterius additur: *tanquam summum bonum propter se, seipsum vero & proximum propter DEUM*; quibus verbis innuitur objectum formale motivum charitatis scilicet summa & infinita DEI bonitas, & hoc ipso infinito amore digna, quæ, in quantum relucet in nobis, pariter habet vim voluntatem nostram permovendi tum ad nos ipsos, tum etiam ad proximos nostros amandos. Ex quibus ad oculum liquet differentia formalis specifica charitatis, tum a virtute fidei ad quam movet infinita Dei veritas, secundum dicta *Confer.* 1. *num.* 10. tum etiam a virtute Spei, ad quam nos movet infinita Dei fidelitas juxta dicta *n.* 172. e contra vero ad amandum Deum super omnia movet sola & unica infinita Dei bonitas absoluta,

Quæ-

Quæres secundo, quotuplex sit Charitas ut sic?

200. R. Charitas ut sic varie dividi solet, & quidem I. *in habitualem* & *actualem*. Nomine prioris intelligitur *habitus a Deo infusus, quo inclinamur ad Deum propter se, nos vero & proximum propter Deum diligendum*. Nomine autem posterioris intelligitur *actus voluntatis, quo quis Deum, seipsum aut proximum amando prosequitur*. Quocirca tamen advertendum est, quod præter amorem supernaturalem insuper dari possit amor mere naturalis, in eo differens a priori, quod hic (naturalis scilicet) nec a principio supernaturali seu gratia procedat, neque etiam in Deum tanquam Auctorem supernaturalem tendat.

II. Charitas dividi solet in *incipientem, proficientem* & *perfectam*: incipiens dicitur, quamdiu amans incumbit studio expugnandi vitia, & eradicandi vitiosas inclinationes: proficiens vero, quando jam principaliter incumbit implantandis virtutibus: perfecta denique appellatur, quando in operibus virtuosis jamjam habituatus, totus quantus intendit contemplationi & amori Divino. Videatur de hoc Herincx noster *part. 3. tr. 1. disp. 11. num. 15.*

III. Charitas actualis, vel potius amor supernaturalis solet dividi in amorem *concupiscentiæ*, quo DEUM vel etiam proximum diligimus, in quantum nobis bonus, & in amorem *amicitiæ*, quo DEUM aut proximum diligimus, quatenus ipse in se est bonus ac propter ipsiusmet bonitatem propriam; & hic amor amicitiæ rursus subdividi solet in amorem *complacentiæ*, vi cujus scilicet de bono a proximo aut a Deo jam actualiter possesso nobis complacemus, eidem congaudemus & congratulamur &c. & in amorem *desiderii*, quo eidem ea bona, quibus adhuc caret, sincere optamus & desideramus, eadem pro viribus procurando.

Sic revera qui Deo congaudet & congratulatur de infinitis Ejusdem perfectionibus jam actu possessis, dicitur illum amare amore complacentiæ: qui vero efficaciter desiderat, ut Deus, Ejusdemque infinita bonitas ab omnibus agnoscatur, vel pro viribus satagit, ut ipsius honor, cultus & amor in dies magis ac magis dilatetur, Eundem dicitur diligere amore desiderii.

IV. Denique e nonnullis præsertim asceseos Magistris solet amor amicitiæ dividi in *affectivum & effectivum*. Affectivum dicunt, quo Deo aut proximo affectu & actu interno bene volumus, sive de ejus bono jam actu possesso gaudendo, sive nondum possessum desiderando. Effectivus vero & practicus appellatur, quo ipso opere & conatu externo, quantum in nobis est, nitimur Deo, proximove benefacere. Qui plura horum exempla affectat, consulat nostrum P. Sporer *tract. 2. in Decalog. c. 5. sect. 1. per totam*, ubi abundanter proculdubio inveniet, quod desiderat.

Quæres tertio, quomodo Deum diligere teneamur?

201. Ante responsionem nota, Deum dupliciter diligi posse *super omnia*, scilicet vel 1. *appretiative*, vel 2. etiam *intensive*, ut habet Scotus 3. *dist. 27. q. un. §. quantum ad illum articulum*. Intensive super omnia diligitur, dum quis ex majori affectu vult Deo bene esse, quam alicui alteri; vel, ut alii hodie loquuntur: quando actus amoris in Deum est intensior seu vehementior omni alio amore erga creaturas. Appretiative vero super omnia diligitur, quando habetur in maiori pretio, quam quævis alia creatura, ita scilicet, ut amans Deum hoc modo vellet potius omnem aliam creaturam, quantumvis sibi charam, & quidquid demum in creatis charum esse potest, relinquere, quam Deum. Ita in re *communis DD.* Hoc notato.

202. R. Jam ad quæstionem propositam. Omnis homo ratione præditus tenetur diligere Deum super omnia appretiative, Eundem scilicet habendo in majori pretio &c. non tamen super omnia intensive. Ita Doctor subtilis *loc. cit.* & alii Doctores *communissime*, esto contradicat Henno.

Ratio prioris desumitur ex illo *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua &c.* atqui hoc mandatum intelligi nequit de dilectione intensive

five summa, prut statim dicetur: ergo debet intelligi de dilectione appretiative tali.

Ratio igitur posterioris inde desumitur, quia hodie nobis non constat neque humanitus constare potest, quisnam amor sit intensive summus; hinc tale praeceptum, utpote difficillimum & supra vires humanas, eo ipso praesumi non debet fuisse impositum humeris hominum; & certe infinitis scrupulis daret ansam, quandoquidem nullus scire potest, an Deum dilexerit amore intensive summo: cum proin aliunde constet, in dubio de obligatione unquam contracta subditum manere in possessione suae libertatis, prout diximus *in tr. praelim. Confer.* 6. *n.* 152. hinc prudenter omnino concludimus, huic praecepto satisfieri per amorem Dei super omnia, seu, quod idem est, *summum appretiative*, licet *non intensive* talem.

Quaeres quarto, quoties teneamur Deum diligere, eliciendo actum formalem dilectionis?

203. R. Vi magni mandati de diligendo Deo quisque per se tenetur elicere actum formalem dilectionis erga Deum 1. post adeptum rationis usum, & agnitam Dei bonitatem. 2. in mortis articulo, nec non 3. saepius per decursum vitae. Ita hodie *communissime Doctores*. D. Thom. 1. 2. *q.* 89. *art* 6. Scotus ubi supra *n.* 18. Sporer *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 33. *& seqq.* Marchantrius *trib. part.* 2. *tr.* 2. *tit.* 4. *sect.* 1. *q.* 2. Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 6. Illsung. *tract.* 3. *disp. un. a num.* 69. Ratio primi haec est: quia ex S. Scriptura *Matth.* 22. mox allegata certo constat, quod homo teneatur Deum diligere: & hoc profecto Status & conditio Viatoris exigit, ut finem viae tunc intendat sibique praefigat, cum primum illam ingreditur: at, ubi primo homini illucescit diluculum rationis, ita ut agnoscat Deum in ratione ultimi finis & summi boni, incipit esse viator moraliter loquendo: ergo cum DEUS ab homine rationis usu praedito in ratione ultimi finis non possit aliter intendi, nisi per actum Charitatis, dicendum est, quod tunc primo teneatur; id quod amplius confirmari potest ex illa *l.* 14. *ff. de Reg. J. in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur*, scilicet satisfieri obligationi: ergo cum Deus non videatur apposuisse certam diem huic obligationi, dicendum, quod homo teneatur elicere actum formalem Charitatis, quamprimum illum in ratione summi boni & ultimi finis sui incipit agnoscere. Ratio secundi est: quia illo tempore, quo instat articulus mortis seu etiam vicinum mortis periculum, vel maxime ad amorem Dei super omnia nos videntur compellere tot gratiae, tot favores, tot beneficia tempore totius vitae accepta.

Et certe, si in eo articulo quisque quantum potest signa amoris amicis suis exhibet: quidni eadem amicorum nostrorum amicissimo, Deo scilicet, a quo processimus, & ad quem proxime tendimus, exhibere deberemus? Ratio denique tertii haud obscure deducitur ex illo *Deuteronom. c.* 6. ubi dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens*; quibus verbis, uti sapienter cum Cardena & aliis advertit Babenstuber *cit. art.* 5. *n.* 9. inculcatur frequens exercitium diligendi DEUM. Quod quidem efficacissime confirmatur ex eo, quod Innocentius Papa XI. sequentes tres propositiones tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas damnaverit; quarum prima (quae est numero quinta inter damnatas) ita habet: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis DEI semel tantum in vita eliceret? condemnare non audemus*. Secunda (numero 6.) *probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum Charitatis erga DEUM*. Tertio (numero 7.) *tunc solum obligat* (praeceptum charitatis) *quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus*.

204. Dixi notanter, quod in praefatis tribus temporibus vi magni mandati teneamur *per se* diligere Deum, eliciendo scilicet actum formalem charitatis; nam quod per accidens saepius teneamur diligere Deum apud omnes in confesso est, &

extra controversiam; idque præcipue primo, quoties urget aliud præceptum, quod sine actu dilectionis DEI adimpleri nequit, utpota 1. Si quis in peccato mortali existens teneatur vel celebrare, vel Sacramentum ministrare, vel etiam Sacramentum aliquod vivorum suscipere, nec habet copiam Confessarii, 2. Dum quis gravissima tentatione sive odii erga DEUM, sive alterius peccati obruitur, ita, ut credat, se aliter non posse evadere, nisi eliciendo actum amoris erga DEUM!. Ratio jam sæpius fuit inculcata: quia scilicet obligatus ad aliquem finem, eo ipso censetur obligatus ad media in eum finem necessaria: fatendum tamen est, quod is, qui ob omissionem amoris incidit v. g. in peccatum lasciviæ, propterea non teneatur specialiter sese accusare de omissione charitatis, quippe ad quam per se non supponitur fuisse obligatus, sed satisfacit exponendo peccatum commissionis. Ita *omnes quot scio*.

205. Illud insuper silentio hic minime prætereundum censeo, quod præter alios ad declinandos conscientiarum laqueos sapienter admonet Cardenas *in crisi theolog. diss. 6. c. 2. a. 2. n.* 14. eumque secutus R. D. P. August. Michel *theolog. canon. Moral. part. 1. tom. 2. q. 3. §. 1. n.* 15. scilicet ad satisfaciendum huic præcepto non semper opus esse, ut quis eliciat actum Charitatis formalem, & explicitum, sed sufficere etiam virtualem & implicitum, qualem exercet is, qui præcepta DEI observat, quia scit, hoc esse Deo placitum, vel qui peccatum committendum evitat, vel jam actu commissum efficaciter detestatur, eo quod sciat, hæc repugnare divinæ & infinitæ bonitati, &c.

Rursus huic præcepto haud infrequenter satisfit per hoc, quod actus charitatis exerceatur ex imperio alterius virtutis; ut dum quis peccati mortalis sibi conscius, & copia Confessarii destitutus vult celebrare, propter eaque prævie elicit actum perfectæ contritionis, ad quem virtute Religionis adstringitur in illis circumstantiis: quo casu nedum virtuti Religionis, sed & charitatis satisfacit; tametsi enim secundum dicta præcepto charitatis seu vi magni mandati obligemur per se ad non nimis diu differendum actum charitatis, minime tamen prohibemur, ne hunc urgente simul præcepto alterius virtutis, eliciamus.

Quæres quinto, quomodo homines præsertim rudiores, & toti quanti immersi hujus sæculi cupiditatibus ac desideriis, excitari possint aut debeant ad formalem actum supernaturalem charitatis?

206. R. Eo fere modo ad hujusmodi amorem excitandi sunt, quo modo *part. 2. Theol. Sacram. Conf.* 3. *n.* 72. diximus, eos esse excitandos ad veram contritionem supernaturalem, scilicet incipiendo a naturalibus & sensibilibus motivis, & ab his postea ascendendo ad altiora ac supernaturalia, v. g. hoc aut simili modo: nunquid charissime fili (aut filia) parentes tuos, vel illos, qui tibi benefaciunt, amas, & diligis? nunquid etiam nosti DEUM esse optimum parentem nostrum, qui de nihilo creavit nos, qui nos conservat, & in hunc finem indies innumera, & maxima quidem beneficia nobis confert, paratus pro exiguis nostris meritis nobis ulterius conferre vitam, & gloriam sempiternam? nunquid ergo charissime fili hunc optimum parentem nostrum, utpote infinite bonum sincere amas, & amare desideras? Dicito ergo charissime fili, & ex corde dicito: O summum, & infinitum bonum meum, amabilissime Deus: diligo te ex toto corde meo, & amo te, quia tu es summe & infinite bonus: amo te Deus meus, & magis ac magis te amare volo. Da mihi DEUS meus & omnia! da mihi hanc gratiam, ut te desiderem, & amem quantum volo, & quantum debeo &c. &c.

Quæres sexto, utrum præter Deum O. M. insuper teneamur diligere nos ipsos, & proximum nostrum?

207. R. Affirmative. Ita enim expresse nobis præcipitur *Matth.* 22. sequentibus omnino verbis: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Id ipsum inculcatur *Joan. 1. cap.* 4. *Hoc mandatum* (ait Evangelista amoris) *habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*. Et ratio est: quia in proximo relu-

relucet idem formale motivum dilectionis, scilicet bonitas divina participata, in quantum sumus creaturæ Dei, conditæ ad imaginem Ipsius, gratiæ, amicitiæ divinæ, & æternæ beatitudinis capaces: ergo sicut DEUM jubemur diligere, ita & nos, & proximum nostrum, non quidem eodem modo, quo DEUM, scilicet *super omnia appretiative*, sed propter eandem DEI bonitatem, esto limitate participatam. Et hoc præceptum, quatenus affirmativum est, præcipit 1. Ordinem inter personas diligendas servandum. 2. Dilectionem inimicorum. 3. Opera misericordiæ, eleemosynam scilicet, nec non correctionem fraternam: quatenus vero implicite & virtualiter negativum est, prohibet 1. odium proximi. 2. Scandalum, & 3. injurias, damna, vel alia quæcunque mala injusto modo eidem inferenda, ut videbitur.

At, inquies, quisnam nomine Proximi intelligendus est?

208. R. Nomine Proximi intelligi debet omnis creatura rationalis divinorum bonorum, gratiæ, & beatitudinis æternæ capax; quales sunt 1. Angeli. 2. Beati in cœlo. 3. Homines viatores, nec non, 4. animæ in purgatorio. Non tamen dæmones, neque damnati, quippe qui ex invariabili decreto divino ad tartara damnati, non amplius sunt capaces ad assequendam beatitudinem: ex quo liquet pariter, creaturas irrationales non venire nomine proximi. Videatur Laymann *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 3.

Quæres septimo, qualis ordo Charitatis nos inter & proximum sit observandus?

209. Ante responsionem notanda est solemnis illa distinctio inter tria bonorum genera, jam alibi a nobis insinuata, scilicet 1. bona spiritualia; utputa beatitudo, gratia sanctificans, virtutes &c. 2. Bona corporalia, utputa vita, sanitas, membrorum integritas. 3. Denique bona externa vel etiam fortunæ; uti sunt fama, honor, divitiæ, agri, animalia &c. &c. His notatis jam ad quæstionem propositam

210. R. Ordine charitatis ante omnia & super omnia diligendus est. 1. DEUS ceu infinite bonus. 2. Quisque tenetur diligere seipsum secundum animam & bona spiritualia, seu etiam supernaturalia, deinde proximum secundum eadem bona. 3. Rursus seipsum secundum bona corporis, dein proximum secundum eadem bona. 4. Denique seipsum secundum bona externa, & dein proximum secundum eadem bona. Ex quibus liquet, quemvis adstringi 1. ad plus diligendam animam suam, quam corpus. 2. Ad plus diligendam animam proximi, quam corpus proprium vel corpus illius. 3. Ad plus diligendum corpus vel sanitatem propriam, quam corpus, aut sanitatem proximi; quod si nonnulli observarent, profecto non biberent in sanitatem aliorum usque ad notabilem destructionem sanitatis propriæ. Videatur de hoc Henno *tract. de virtut. disp.* 6. *q.* 10. vel Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 4. *n.* 20.

211. Quocirca tamen ulterius bene notandum & distinguendum est, inter bona necessaria & non necessaria v. g. ad salutem (idem proportionaliter tenendum est de bonis corporis) Bona ad salutem æternam necessaria sunt baptismus, fides vera, pœnitentia post lapsum, gratia sanctificans, perseverantia finalis ac similia: & hæc juxta ordinem charitatis unusquisque tenetur potius sibi velle aut procurare, quam proximo vel aliis, veluti admonet Christus Salvator noster apud *Matth. c.* 16. *v.* 26. *quid prodest* (inquies) *homini, si Mundum universum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Porro inter non necessaria bona ad salutem computantur v. g. status Religiosus, Sacerdotalis, & alia dona gratiæ gratis datæ; quæ quidem sine peccato possumus ex causa rationabili optare aliis potius, quam nobis, eo ipso, quod non teneamur absolute de similibus nobis providere, prout bene docent ConincK *de actibus supernat. disp.* 25. *n.* 43. Valentia 2. 2. *q.* 4. *part.* 3. *conclus.* 1. eosque secutus Michel *Theol. Canon-mor. tom.* 2. *part.* 1. *q.* 3. §. 2. *n.* 3.

212. Rursus ad bene intelligendam resolutionem proxime *n.* 210. datam bene distingui debet inter triplicem necessitatem, scilicet extremam, gravem, & communem. Extrema dicitur illa, e

qua

qua quis se ipsum saltem moraliter loquendo nequit eripere, sed indiget ope alterius: talem patitur in ordine ad salutem animæ v. g. infans moriturus ante Baptismum; item 2. peccator in somnis vel amentia occidendus; nec non 3. infidelis aut alius peccator valde rudis & ignarus contritionis, qui, si sine confessione seu beneficio absolutionis moriatur, certo damnabitur.

Gravis necessitas dicitur, e qua quis sine permagna difficultate se nequit extricare, nisi ab alio sublevetur.

Denique communis necessitas illa appellatur, quæ tametsi proprio conatu vinci posset, vinci tamen nequit sine difficultate præciso alieno adjutorio.

213. Dicendum itaque est 1. quod vi magni mandati quisque (modo tamen NB. affulgeat spes certa juvandi, nec adsit alius, qui possit, vel omnino debeat potius adjuvare) proximo in extrema necessitate spirituali seu salutis æternæ constituto teneatur succurrere etiam cum periculo vitæ corporalis. Ratio colligitur, tum ex illo *Joann.* 14. ubi Christus ait: *hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicuti dilexi vos*: atqui Christus nos dilexit dando vitam pro nostra salute & redemptione: hac de causa idem Evangelista *epist.* 1. *c.* 3. *v.* 16. ait: *quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Tum ex eo etiam quia Charitas utpote principaliter respiciens bonum & beneplacitum Dei, magis nos inclinat ad prosequenda illa bona, quæ Deo præplacent; atqui bona spiritualia seu salus animæ magis placet Deo, quam quævis bona temporalia, etiam vitæ: ergo huic præferri debet salus æterna proximi. Econtra 2. proximo in gravi duntaxat necessitate salutis æternæ constituo regulariter loquendo nullus tenetur succurrere cum jactura vitæ aut notabili dispendio bonorum temporalium, veluti post S. Thomam 2. 2. *q.* 46. *a.* 1 *ad tertium* docet Suarez *dis.* 9. *de charit. sect.* 2. *n.* 3. & 4. Ratio hujus est: quia lex charitatis nimis dura accideret, si ad tollendam necessitatem gravem, e qua proximus seipsum absolute loquendo extricare potest, teneremur vitam nostram aut bona ad hujus sustentationem necessaria exponere. Fatendum nihilominus est, quod cum bonum spirituale proximi toto genere excedat bona temporalia, cum aliquali bonorum temporalium jactura aut impendio teneamur succurrere proximo in gravi necessitate salutis constituto, utputa in ordine ad amplectendam fidem Catholicam &c. modo appareat vera aliqua spes, sinceræ conversionis. Denique tertio ubi proximus noster constitutus deprehenditur in communi tantum necessitate, utique charitas suadet, ut eidem succurramus, at, si absque notabili detrimento bonorum temporalium, vel alio graviori incommodo fieri hoc nequeat, minime urget. Ratio hujus est: quia constitutus in communi necessitate potest seipsum juvare: ergo si hoc renuat, sive ex desidia, sive ex alia causa, nemo sub gravi culpa adigendus est, ad sublevandam hanc necessitatem. Videantur de hoc Bonacina *disp.* 3. *q.* 4. *pu.* 4. *n.* 2. vel Michel *loc. cit. n.* 11.

Quæres octavo, an, vel qua ratione charitas habitualis (quæ secundum Scotistas eadem est realiter cum gratia Sanctificante) amittatur?

214. R. Gratia hæc deperditur 1. per quodvis peccatum mortale. 2. per venialia autem, quantumvis mulplicata charitas habitualis non deperditur, bene tamen charitatis fervor minuitur: Ita *cum communi Theolog.* Herincx *ubi supra disp.* 11. *n.* 20. Henno *disp.* 6. *q.* 6. *conclus.* 2. & 3. Ratio prioris evidenter liquet ex Scriptura *Rom.* 6. ubi dicitur: *stipendia peccati mors*, & rursus *Jacob.* 1. *peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem*: utique non corporis, experientia teste: ergo animæ. Qua ratione Concilium Trident. *sess.* 6. *de justific. cap.* 15. ait: *asserendum est, non modo infidelitate -- sed etiam quocunque alio mortali peccato -- acceptam justificationis gratiam amitti*. Et licet peccatum mortale non destruat gratiam Sanctificantem physice, nihilominus eandem destruit moraliter & demeritorie, idque ex ordinatione divina; quia qui graviter offendit divinam Majestatem, non meretur amplius haberi aut tractari a Deo velut amicus. Videatur Herincx *cit. n.* 23.

Ra-

Ratio aut posterioris est hæc : quia peccatum veniale quodcunque demum, vel quantumvis multiplicatum, quamdiu manet intra limites venialis, non est offensa gravis, sed levis tantum : atqui non est conveniens, ut propter levem offensam dissolvatur amicitia : ergo charitas propterea non amittitur : hinc etiam *Proverb.* 24. *v.* 16. dicitur : *septies enim cadit justus, & resurget* &c.

Quod autem fervor charitatis per venialia, præsertim multiplicata minuatur, nedum experientia quotidiana probat, sed insuper suadet ratio : quia quodlibet veniale generat habitum vitiosum, & hoc ipso mediante inclinat ad peccandum, animam debilitat, & gratiarum actualium a Deo obtinendarum fluxum quodammodo impedit & obstruit : ergo charitatem minuit. Videatur Herincx *loco proxime cit. n.* 19.

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici de Charitate, quam unusquisque tum sibi, tum etiam proximo debet.

CASUS PRIMUS.

Titia a germano fratre suo offensa diu deliberavit, quo tandem medio miserabili vitæ hujus cursui finem imponeret : cum vero bene agnoverit suicidium, quippe a quo natura tantopere abhorret, esse illicitum, hinc firmissime statuit, quod velit occidere infantem innocentem, & post infanticidium illico sese præsentare Judici, a quo procul dubio cogeretur reddere vitam pro vita, sicque quamoptime disposita & contrita moreretur, quemadmodum paulo ante viderat aliam personam eadem via, & optime quidem dispositam, defungi : hoc vero suum propositum sine mora executioni mandavit, dum paulo post infanti innocentissimo in locum campestrem ab hominum frequentia remotum sub schemate benevolentiæ abducto ; quodam cultro guturiolum miserabiliter abscidit, moxque Judicem adiens manum & cultellum innocenti sanguine adhuc rubentem monstravit, petens, ut pro qualitate delicti sui consimili morte puniretur. Omissis jam aliis pluribus dubiis circa hanc speciem facti movilibus, ad nostrum propositum quæri potest, an, vel qualiter in hoc facto Titia peccaverit contra charitatem tum proximo, tum sibimet etiam debitam?

215. R. ad primum. Titia procul dubio gravissime peccavit contra charitatam proximo suo debitam, occidendo innocentissimum infantem, & quidem sub schemate benevolentiæ.

Ratio hujus de se liquet : quia egit contra præceptum quintum decalogi per se graviter obligans. Et certe, si nefas est, proximo suo efficaciter desiderare, seu etiam optare mortem, juxta *communissimam* DD. videndam apud P. Sporer *tr.* 2. *in decal. c.* 6. *sect.* 1, *num.* 9. quanto majus malum est, eidem mortem & quidem tam crudelem, effective inferre? Nec facile crediderim, hominem usu rationis præditum fore tam simplicem, ut malitiam, vel etiam crudelitatem hujus facti non apprehendat, id quod vel maxime etiam de Titia suspicari licet, eo quod hoc infanticidium commiserit eo fine, ut ob hoc delictum condemnaretur ad similem mortem : ergo evidens videtur, quod gravitatem hujus delicti satis agnoverit, utputa haud ignara, nec immemor pœnæ eidem commensuratæ ac debitæ. Qua ratione pariter concludendum censeo, quod Titia vi recentissimæ constitutionis : *Ex quo divina* 1725. 15. *Junii Romæ emanatæ* Auctoritate S. M. Benedicti XIII, non potuisset gaudere beneficio asyli, casu quo confugisset in aliquem locum sacrum. Ita profecto pro foro conscientiæ concludendum arbitror, quidquid demum Judex pro foro externo (quod me minime tangit vel angit) concluserit.

216. R. Jam secundo, Titia etiam peccavit graviter (saltem per se loquendo) contra charitatem sibimet debitam.

Ratio est : quia sibimet voluit grande malum, immo quantum in se erat, procuravit, scilicet mortem temporalem, & quidem in manibus Carnificis subeundam ; at, hujusmodi malum sibi velle, & quidem voluntate antecedente Divinam, non vacat culpa gravi, prout colligi potest ex dictis *num.* 210. Esto etiam Sanchez, Soto, Granado & alii viden

di apud Busenbaum probabiliter teneant, posse mulierem ad evadendam gravem infirmitatem, vitam acerbam, & alia similia mala sibimet *optare* mortem; nihilominus hactenus nullum inveni, qui doceat, quod ob hujusmodi causam vel innocentem occidere, vel mortem in manibus Carnificis subeundam moraliter sibi *procurare* liceat.

At vero, inquies, Titia non voluit mortem ut sibi malam, sed potius bonam, quatenus eandem apprehendit velut finem malorum in hac miserabili vita subeundorum, vel potius velut medium, felicissime ex hac miseriarum valle demigrandi ad meliorem vitam: ergo per hoc nullatenus peccavit contra charitatem sibimet debitam.

217. R. Distinguendo conseq. Ergo nullatenus peccavit per accidens, quia scilicet hanc malitiam contra charitatem sibi debitam fortassis non apprehendit. *Transf.* Nullatenus peccavit per se loquendo, *neg. conseq.* Nam finem hujus vitæ, seu mortem sibi inferendam, inordinate appetiit, vel potius procuravit. Fateor nihilominus, quod cum Titia hoc non tam fecerit ex odio sui, quam ex amore inordinato (vel potius passione prædominante) hinc non teneatur in confessionali specialiter se desuper accusare, sed satisfaciat dicendo, se occidisse infantem innocentem, & eo quidem fine, ut pari morte punita ab hujus vitæ miseriis expediretur. Quemadmodum enim ille, qui committit peccatum v. g. furti aut fornicationis &c. non ex odio Dei, sed impulsu inordinatæ passionis &c. propterea non censetur committere speciale peccatum contra charitatem DEI, sed satisfacit in Confessione exprimendo illud peccatum v. g. luxuriæ, vi cujus expressionis Confessarius satis potest intelligere, eum quodammodo læsisse charitatem Deo debitam, quandoquidem talis læsio imbibitur generaliter in omni peccato, secundum communissimam DD. videndam apud P. Sporer *tr.* 2. *c.* 5. *sect.* 4. *n.* 46. ita pariter Confessarius ex tali Confessione potest satis liquido intelligere, Titiam vi homicidii perpetrati peccasse quodammodo contra charitatem sibimet debitam.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia puella honestissima, dum jussu heri sui tempore nocturno, aut certe jam satis obscuro (nescio quo fine vel cujus negotii causa) per publicam civitatis plateam ingreditur, ab aliquo non minus feroci, quam lascivo milite stupri intentandi causa de repente obruitur, quæ in tam evidenti tum animæ, tum etiam pudicitiæ & corporis perdendi periculo constitutam se cernens, dum subito alium quendam civem sibi perbene notum præterire animadvertisset, eundem proprio nomine compellando imploravit, quatenus se e præsenti periculo vellet eripere. Civis ille rei novitate nonnihil perturbatus, dum propius accessit, advertit militem stricto pugione mortem sibi minitantem, ni quantocyus inde discederet: hac de causa illico abiit vias suas, relinquendo Semproniam in tanto periculo trepidantem. Jam ad nostrum propositum quæri potest. 1. Utrum Sempronia fuerit obligata ad implorandam opem civis prætereuntis? 2. An Civis imploratus fuerit obligatus ex charitate ad ferendam opem Semproniæ?

218. R. Ad primum. Sempronia fuit obligata ad clamandum, & implorandam opem transeuntis civis. Ratio est: quia obligatus ad finem, eo ipso censetur obligatus ad media in eundem finem necessaria juxta notissimam illam Regulam; atqui Sempronia tenebatur ad servandam pudicitiam & non admittendam copulam: in hunc vero finem maximopere necessarium judicavit implorare opem civis prætereuntis, qui, tametsi fortassis se solo non fuerit sufficiens, potuisset tamen, utpote constitutus in civitate, aliorum auxilio liberare Semproniam, utputa vocando milites, quibus actu incumbebat custodire civitatem, vel alios concives in vicinia &c. &c. Videantur ea, quæ in casu haud multum absimili diximus *in tr. prælim. Conf.* 2. *n.* 40.

219. R. Jam ad secundum. Civis imploratus fuit quidem obligatus succurrere Semproniæ, eandemque pro viribus e præsenti periculo liberare, utputa implorando aliorum auxilium, veluti proxime dictum fuit. Casu quo

tamen moraliter loquendo id non potuisset, sibique rationabiliter timuit de periculo vitæ, dicendum foret, quod non peccaverit abeundo, & relinquendo Semproniam trepidantem &c. Ratio hujus colligi potest & debet ex dictis *num.* 213. quia nullus tenetur cum jactura aut periculo vitæ temporalis succurrere proximo in gravi duntaxat, & non extrema necessitate salutis constituto: atqui Sempronia non fuit constituta in extrema necessitate salutis spiritualis, id est, in tali, e qua non potuisset seipsam liberare; quando quidem steterit in ejusdem arbitrio, consentire delectationi carnali vel non: quo consensu non præstito utique non peccasset, neque incurrisset jacturam salutis, sed potius reportasset ingens meritum: ergo cum tanto periculo vitæ Civis præteriens non tenebatur succurrere Semproniæ, esto hæc fuerit constituta in evidenti periculo nedum pudicitiæ, sed & salutis perdendæ. Videantur de hoc Filliuccius *tr.* 28. *cap.* 2. *num.* 37. Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. vel Michel *ubi supra num.* 4.

At, nunquid licuisset Semproniæ, utpote non valenti alia via evadere, injustum aggressorem occidere v. g. cultello vel alio instrumento eundem confodiendo eo fine, ut evaderet præsentissimum periculum animæ & pudicitiæ?

220. R. Licuit probabilissime, si supponatur, quod alia via nequiverit declinare periculum. Ita hodiedum contra Matthæucci & Henno, aliosque paucos tenent insignissimi DD. Filliuccius, Molina, Azorius, Sporer *tr.* 5. *cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 165. Illsung. *tr.* 4. *disp.* 3. *num.* 68. Lessius *de just. lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 12. *num.* 76. Sayrus *lib.* 7. *Clav. Reg. c.* 10. *num.* 36. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 6. *art.* 2. *num.* 12. Viva in *propos.* 18. *ab Alexandro VII. damnatam n.* 12. Cardenas *Crisi Theolog. dissert.* 21. *cap.* 2. *art.* 4. *num.* 47. qui mox *num.* 48. subdit, hunc, aliosque ejusdem generis Casus admittendos esse ab omnibus ex regula: *vim vi repellere licet. l. ut vim. ff. de just. & Jur. Et Cap. si vero* 1. *de Sentent. Excomm. & cap.* 2. *de homicid.* Ratio est: quia bonum pudicitiæ merito præfertur cunctis opibus & thesauris rerum fortunæ: ergo si cum defensione inculpatæ tutelæ fas est occidere illum, qui injusto modo nititur tibi eripere aliquod bonum fortunæ magni momenti aut pretii: quidni cum eodem modaramine inculpatæ tutelæ liceat occidere injustum aggressorem pudicitiæ. Accedit insuper, quod talis puella ab injusto aggressore exponatur evidenti periculo peccati: & licet peccatum ipsum non sit certo futurum: eo quod puella non possit consentire delectationi, nihilominus periculum peccandi certum est, & evidentissimum, prout nemo prudentum non videt.

Dices tamen contra hoc. Non perditur bonum pudicitiæ per stuprum, sed potius juxta effatum S. Luciæ notissimum, castitas duplicatur ad coronam, modo puella consensum constanter excludat: ergo cum hæc possit, immo debeat non consentire, pariter non obstante stupro potest conservare bonum pudicitiæ: ergo propterea nullatenus licet stupratori auferre bonum vitæ.

221. R. Ad hanc instantiam cum distinctione. Non perditur bonum pudicitiæ mentalis, ubi puella constanter excludit consensum, *conced.* pudicitiæ corporalis seu etiam integritatis, *neg. ant. cum conseq.* Certum quippe est, quod propterea claustrum virginale violetur, & puella exponatur periculo diffamationis publicæ, aliorumque graviorum incommodorum, si ex tali congressu evaderet prægnans & gravida, prout revera contingere natum est, esto supponatur nolle consentire in delectationem naturaliter subsequentem. Profecto nisi in hoc casu liceret vim vi repellere, etiam occidendo injustum aggressorem, hujusmodi homines foverentur in frequentandis stupris, & aliis sceleribus, prout bene observat. Illsung. *tract.* 4. *disp.* 3. *numer.* 68. Nec refert, quod invasor injustus propterea sit incursurus nedum corporis, sed & animæ seu æternæ damnationis periculum &c. Non enim puellæ juste se defendenti, sed culpæ injusti aggressoris hoc adscribendum est, quippe qui propria sponte & propriæ libi-

libidinis æstu sese exposuit huic tanto periculo.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus Confessario sequentem proponit Casum. Reverende Domine inquit: Concivis meo domicilio proximus una cum Uxore & tota reliqua sua familia jacet maligna febre correptus, & lecto affixus ita, ut ne unus quidem alteri possit porrigere haustum frigidæ: jamque unus & alter ex ipsis fatis concessit, quos novissime subsecuta fuit infirmaria, id est, vetula quædam, auctoritate Magistratus ad infirmantium obsequia deputata: hac de causa (pergit ulterius Cajus) nedum alii omnes in vicinia, verum insuper Medicus tam corporalis, quam spiritualis summopere horrent ingredi illam domum, opemve ferre decumbentibus: Quæro jam (ait Cajus) an tenear ego, utpote maxime vicinus opem ferre decumbentibus, non obstante evidenti periculo infectionis? Quid Confessarius sciscitanti Cajo?*

222. R. Confessarius Cajo dicet, eum quidem per se loquendo laudabilissime facturum succurrendo suo vicino in tanto periculo constituto; nihilominus non teneri ad succurrendum cum tanto vitæ & infectionis periculo. Ratio prioris de se liquet, laudabile enim & summe meritorium est, erga proximum suum exercere actum charitatis præstantissimum: atqui Cajus succurrendo suo vicino in his circumstantiis, ubi is videtur quodammodo derelictus ab omnibus, exercebit actum præstantissimum charitatis: ergo laudabilissime faciet saltem per se loquendo.

223. Dico: *saltem per se loquendo*; nam, si vita Caji supponatur esse necessaria aliis pluribus v. g. Uxori vel prolibus propriis &c. aliisve consanguineis ad bonum temporale, vel etiam ad salutem animæ, non bene faceret exponendo vitam propriam pro vita alterius sui vicini velut hominis privati, uti supponit Casus, quin potius graviter peccaret contra debitum ordinem charitatis postponendo nedum vitam propriam, sed & uxoris, proliumque commoda vitæ sui proximi. Hac de causa S. Augustinus *lib. de mendac. cap. 6.* ait: *si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, jam non diligit proximum sicut se ipsum, sed plus, quam seipsum, quod doctrinæ regulam excedit.* Videatur Babenstuber *eit. tr. 5. disp. 1. art. 4. num. 26.* Herincx *disp. 11. num. 88.*

224. Ratio autem posterioris hæc est: quia præceptum de conservanda vita alterius non potest cum gravi detrimento vitæ propriæ obligare; esset enim nimis asperum & durum præceptum: at, qui se exponit periculo amittendi vitam propriam pro conservatione alterius, procul dubio grave detrimentum subit, vel hujus subeundi periculo sese exponit: ergo ad hoc minime tenetur. Ita Saa, Navarrus, Toletus & Lopez quos citat & sequitur Castropalao *tom. 2. tr. 6. disp. 1. punct. 8. n. 2.*

At, inquies fortassis contra hoc. Vicinus Caii supponitur nedum in gravi, sed omnino in extrema necessitate salutis corporalis constitutus: atqui constituto in extrema necessitate tenemur succurrere quantum valeamus: ergo & Cajus a Confessario fuit obligandus ad succurrendum, eo præsertim, quod periculum vitæ ex parte Caii non sit tam propinquum, sicuti supponitur esse ex parte proximi.

225. R. Distinguendo & explicando *min.* tenemur proximo in extrema necessitate constituto succurrere, quantum possumus moraliter, id est, sine æquali damno, vel periculo damni æqualis, *concedo*. Quantum possumus præcise physice, at non moraliter, prout evenit in hoc casu, *nego min. cum conseq.* Etenim charitas bene ordinata postulat, ut quisque vitam propriam præferat vitæ proximi, præsertim hominis privati.

Adde insuper, quod cum tanto periculo ne quidem in extrema necessitate constituto proximo teneamur succurrere titulo charitatis præcise (aliud namque foret, si insuper accederet titulus justitiæ, prout fit in medico corporali aut spirituali) ubi inveniuntur alii, qui possent & deberent succurrere: atqui in nostro casu procul dubio potuere inveniri alii, qui debuissent aut certe potuissent succurrere: immo in tali casu ex officio incumbit Magistratui vel Superiori

 periori

periori communitatis cujuſcunque demum, ut provideat hujuſmodi hominibus extreme indigentibus de neceſſariis, ne hujus occaſione vel defectu tota communitas inficiatur. Suadendum igitur potius fuiſſet Cajo, ut rem deferat ad Superiorem communitatis, aut propriis expenſis alium infirmarium ſubſtituat, quo facto procul dubio abunde ſatisfaciet charitati proximo ſuo debitæ.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

226. COlliges ex hactenus dictis primo, contra præceptum charitatis tribus modis peccari poſſe mortaliter, & primo quidem omittendo actum dilectionis, quando hoc præceptum obligat. 2. Diligendo Deum aliter, quam oportet diligere. 3. Per formale odium DEI. Quantum ad primum, id eſt, ad omiſſionem dilectionis, pauci peccant mortaliter; dum enim fideles exequuntur opera præcepta v. g. audiendo Miſſam, orationi incumbendo, & præſertim dicendo orationem dominicam, & illa verba: *Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua* &c. ſincero ex corde proferendo, exercent actum charitatis, & quidem amicitiæ; quia per hoc appetunt Dei gloriam in quantum Deo bona: rurſus dum tentationibus ad mortale peccatum incitantibus reſiſtunt, eo quod ſciant hujuſmodi peccatis Deum offendi, profecto exercent actum amoris erga Deum; ſecus enim procul dubio conſentirent, & Deum offenderent &c. prout cum Lorca & aliis prudenter notat Cardenas *in criſi Theolog. diſſert.* 6. *c.* 2. *art.* 3. *a n.* 24.

Quantum ad ſecundum modum peccatur, dum quis ita animo comparatus eſt, ut Deum quidem diligat v. g. propter vitam & gloriam ſempiternam, nunquam tamen dilecturus, ſi ea ſpes præmii abeſſet: quod quidem rarius inter vere fideles contingere natum eſt: frequentius tamen quam par eſt inveniuntur homines, qui totum ſuum amorem & affectum collocant in hiſce temporalibus, parum curantes de Deo, modo ſæculi hujus voluptatibus & peritturis illiciis ſemper perfrui poſſent. Et hi procul dubio verſantur in ſtatu peſſimo, utpote præferentes hæc bona temporalia ultimo ſuo fini, qui eſt Deus infinite bonus, & hoc ipſo ſuper omnia amandus.

227. Colliges ſecundo; Odium formale Dei eſſe peccatum omnium graviſſimum; quia in hoc peccato immediate ac per ſe involvitur averſio formalis ab ultimo fine, Deo ſcilicet infinite bono; qualis averſio formalis in aliis peccatis non reperitur, licet omnis, qui mortaliter percat, convincatur, quod virtualiter ſaltem ſeſe voluerit avertere ab ultimo ſuo fine. Equidem verum eſt, quod nullus poſſit Deum, utpote infinite bonum qua bonum odiſſe; quando quidem bonitas non ſit objectum motivum odii ſed amoris; nihilominus cum homines ſubinde ſoleant apprehendere Deum velut auctorem quorundam malorum ſeu calamitatum, utputa infirmitatum, perſecutionum &c. hinc rariſſime quidem, non tamen nunquam ſolent concipere odium formale erga Deum haud quaquam abſimiles illis inſenſatis & formalibus ſtultis, qui dum e cœlo cadentibus nimbis aut nivibus obruti nonnihil gravantur, Deo, Sanctis, & omnibus elementis maledicunt. Videatur S. Thomas 2. 2. *q.* 34. *art.* 1.

228. Colliges tertio, quod tametſi nemo vi ſolius charitatis teneatur cum periculo vitæ propriæ ſuccurrere proximo in gravi duntaxat neceſſitate ſalutis conſtituto, ſecundum dicta *n.* 213. fieri nihilominus poſſit, ut quis ad hoc teneatur, caſu quo titulo charitatis inſuper accedit alius titulus v. g. pietatis aut juſtitiæ: hac de cauſa juxta *Communiſſimam Doctorum* videndam apud Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 3. *n.* 3. Valentiam, Caſtropalao & alios, animarum Paſtores aliique Superiores, quibus ex officio incumbit procurare ſalutem ſpiritualem ſuorum ſubditorum tenentur cum periculo vitæ corporalis ſuccurrere periclitantibus: idipſum tenendum & aſſerendum eſt de Medicis, certo ſalario conductis &c. Ratio clara eſt: quia ſimiles procul dubio ſtrictiori vinculo tenentur ad ſuccurrendum, quam alii

alii ex mero titulo charitatis obligati: ergo cum isti teneantur succurrere proximo in extremo salutis Spiritualis periculo constituto, dicendum, quod illi, utpote ex justitia simul obligati, teneantur succurrere in necessitate etiam gravi duntaxat. Hac de causa Parochis tempore pestis, vel alterius persecutionis sibi, suisque ovibus v. g. ab hæreticis imminentis, non licet fugere, nisi forte ad breve duntaxat tempus ob rationabilem causam alium subrogent, ad idem officium vere idoneum & capacem: neque fas est in talibus circumstantiis officio suo renunciare, nisi in promptu sit alius, qui cum bona venia Episcopi vel quorum interest, velit in se suscipere & exequi idem officium; quia juxta effatum Christi Domini *Joan.* 10. bonum Pastorem decet *dare animam suam pro ovibus sibi concreditis*: fugere vero mercenariis est proprium. Herincx *cit. disp.* 11. *n.* 96.

229. Colliges quarto, ordinatam charitatem postulare, ut inter ipsos proximos servetur quidam ordo dilectionis, ita scilicet, ut unus magis, quam alter diligatur, & uni prius, quam alteri succurratur. Ita *communissime Doctores*. Ratio est: quia natura ipsa & lumen naturale nobis congenitum nobis dictat, esse faciendum selectum inter diligendos, & magis (ceteris partibus) diligendos esse illos, qui nobis sunt conjunctiores, hac de causa videmus, matres majori dilectionis affectu ferri erga suos natos, quam erga extraneos: quod pariter in brutis animantibus naturali instinctu duris cernere licet: cum ergo inclinatio charitatis perficiat inclinationem naturæ, dicendum profecto est, illos esse magis secundum ordinem charitatis diligendos, qui nobis magis sunt conjuncti; quod vel inde etiam haud obscure licet colligere, quia odium parentum est longe gravius peccatum, quam odium extraneorum; quam ob rem *Levitici* 20. is, qui maledixerat patri vel matri, jubebatur occidi, non item, qui maledixerat alteri. Videantur de hoc D. Thomas 2. 2. *q.* 26. *a.* 6. Castropalao *tr.* 6. *disp.* 1. *pu.* 10. *n.* 3. Filliuccius *tr.* 28. *n.* 47. *& seqq.* Herincx *part.* 3. *tr.* 1. *disp.* 11. *n.* 101.

230. Colliges quinto, in bonis ad naturæ, & vitæ corporalis conservationem pertinentibus consanguineos præferendos esse aliis non consanguineis: quin immo universaliter loquendo charitas ordinata postulat, ut sive in temporalibus sive etiam in spiritualibus, illis prius succurramus, qui nobis sunt respective conjunctiores sive sanguine, sive amicitia, sive Religione, ita, ut quo major, intimior aut nobilior est conjunctio, eo majori ardore; studio & conatu teneamur indigentibus succurrere; quæ quidem omnia fundantur in lumine naturali, inquit Henno *cit. disp.* 6. *quæst.* 11. *concl.* 2. Quod & D. Augustinus *lib.* 1. *de Doctr. Christ. c.* 28. clarissime tradidit, inquiens: *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur.* Ex quo idem Henno, *l. cit.* & Herincx *disp.* 11. *n.* 102. & alii inferunt, in casu, ubi omnibus indigentibus subveniri nequit, esse succurrendum 1. Patri. 2. Matri. 3. Uxori. 4. prolibus. 5. Fratribus & sororibus. 6. aliis consanguineis juxta gradus propinquitatis &c. licet alii velint, Uxorem a Marito præferendam esse Patri & Matri, saltem extra casum extremæ necessitatis. Ratio autem nostræ responsionis est: quia tametsi Uxor, utpote una caro cum marito, & filii velut pars inde decisa videantur eidem magis conjuncti, nihilominus beneficia tum temporalis tum spiritualis etiam vitæ videntur obligare nos, ut prius illis, quam istis succurramus. Quidquid demum sit de hoc, illud nobis solatio esse potest, quod ex subversione hujus ordinis raro peccetur graviter, eo præsertim, quod in praxi sæpissime occurrant tales circumstantiæ, quæ cuivis prudentum suadent, esse huic potius, quam illi, esto fortassis magis conjuncto subveniendum, vel quia utriusque necessitas non est æqualis, vel quia prioritas unius exigit contrarium. Videantur de hoc Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 3. *n.* 6. vel Filliucius *loc. cit. a n.* 50. Ex his ulterius

231. Colliges sexto, in rebus pertinentibus ad civilem communicationem

ceteris paribus) Concives esse præferendos aliis extraneis, quemadmodum etiam in rebus bellicis commilitones præferri oportet aliis non commilitonibus. Ratio est: quia ceteris paribus civis civi, commilito commilitoni conjunctior est, quam aliis; Quod tamen intelligas velim, quando commilito aut civis habet actionem & causam justam, non item, quando habet causam injustam: unde dum civis, vel miles, vel studiosus &c. incipit rixas vel insolentias sine justa causa, propterea que vel Superiorum auctoritate, vel aliorum injuriatorum violentia compescitur aut vapulat, minime sequitur, quod huic potius, quam legitimæ auctoritati debeas assistere. Videatur Laymann *loc. cit.* vel Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 4. *n.* 29.

232. Colliges denique septimo, creaturas rationales, homines scilicet, juxta sanum charitatis ordinem esse præferendas creaturis irrationalibus. Ita *omnes* saltem speculative loquendo, licet in praxi non raro contrarium contingat. Ratio autem huius illationis est: quia charitas proximi fundatur super communicabilitate beatitudinis; id est: tenemur proximum diligere, in quantum ad imaginem & similitudinem Dei creatus, ejusdem beatitudinis æternæ nobiscum capax: atqui solæ creaturæ rationales, non item irrationales sunt capaces beatitudinis: ergo juxta ordinatam charitatem tenemur homines præferre creaturis irrationalibus vel brutis animantibus, tametsi etiam hæc amore naturali sint digna, in quantum deserviunt ad gloriam Dei propagandam, vel ad nostram, proximorumve utilitatem, juxta illud *Exod.* 23. *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Pessime proin, & prorsus inordinate faciunt v. g. Maritus, qui animalia sua magis diligit, quam uxorem propriam, aut liberos: pessime item, ac perverse omnino agere noscuntur mulierculæ illæ, aut domicellæ, quæ teneriori dilectionis affectu feruntur erga catellos suos vel feles, quam erga Deum ipsum, vel certe erga homines, præsertim pauperes & egentes, quibus subinde (utinam non nimis frequenter!) negant bolum panis, catellos e contra carnibus nedum nutriunt, sed & saginant. Videatur noster A. R. P. Kazenberger *in Supplem.* I. *Confer.* P. *Sargar. Confer.* 57. *n.* 76. vel Reiffenstuel *Theolog. mor. dist.* 6. *tr.* 4. *n.* 14.

CONFERENTIA OCTAVA.

De Dilectione Inimicorum.

SUMMARIUM.

233. *Nedum amicos, sed inimicos etiam tenemur diligere.*

234. *Recensentur breviter signa charitatis tam communia, quam specialia.*

235. *Signa communia charitatis quivis tenetur exhibere suo inimico.*

236. *Nisi vel charitas, vel justitia, vel alia justa causa contrarium suadeat.*

237. *Non tamen tenemur ei exhibere signa specialia charitatis;*

238. *Nisi forte per accidens, in casu necessitatis, &c.*

239. *Præterea quivis nostrum tenetur non odisse suum inimicum, neque eidem malum qua tale, vel per modum injustæ vindictæ velle aut imprecari:*

240. *Quin potius eidem ex corde dimittere offensam;*

241. *Non tamen necessario injuriam, præsertim damnosam.*

242. *Dilucidatur breviter, quidnam intelligatur nomine offensæ, & quid nomine injuriæ.*

243. *Tenemur ulterius proximum nostrum, etiam inimicum, in certis circumstantiis diligere actu interno.*

244. *Qui alium offendit, tenetur quærere reconciliationem v. g. veniam ab eo petendo &c.*

245. *Nisi suppetat alius modus magis conveniens attenta qualitate tum injuriæ, tum etiam personæ offendentis & offensæ.*

246. *Ubi vero duo se mutuo offenderunt, regulariter loquendo ille tenetur prius quæ-*

quærere reparationem charitatis, qui prius præbuit causam offensæ.

247. *Qui vero ab alio fuit offensus, ordinarie tenetur acceptare reconciliationem, eidemque ex corde indulgere offensam.*

248. *Casu quo offendens veniam postulat tempore & modo opportuno.*

249. *Resolvitur Casus I. cujusdam conjugatæ, quæ odium implacabile conceperat erga quandam puellam a se educatam, novissime vero in flagranti adulterio deprehensam.*

250. *Quam propterea licuit sine mora domo expellere.*

251. *Eidemque una alterave vice supplicanti, veniam negare, nec deinceps amplius in domo admittere.*

252. *Insuper hæc Uxor de jure non amplius tenetur Marito adultero reddere debitum.*

253. *Charitas nihilominus, a Confessario eidem bene inculcanda, omnino suadet contrarium.*

254. *Resolvitur Casus II. de quadam vetula, quæ gravissime tulit, quod ab alia fœmina ter fuerit amore Dei rogata, ut dissolveret maleficium.*

255. *Nihilominus supposita deprecatione tenebatur offendenti ex corde remittere offensam.*

256. *Ad quid teneatur illa, quæ causam offensæ dedit, si vetula nolit esse contenta hac deprecatione?*

257. *Resolvitur Casus III. de quodam Malefactore condemnato ad patibulum, qui Judices paulo ante suam mortem provocavit ad vallem Josaphat, seu ad extremum Judicium.*

258. *Qua appellatione non obstante Judices potuere tuta conscientia procedere ad executionem sententiæ latæ.*

259. *Et talis malefactor a Confessario ne quidem sub conditione absolvi potuit aut debuit, nisi retractaverit prius appellationem injustam.*

260. *Quid Confessario hujus Malefactoris in his circumstantiis specialiter observandum, vel agendum fuerit.*

261. *Confessario inimicorum quam cautissime & prudentissime procedendum est:*

262. *Et ante omnia pænitens eo disponendus, ut suo inimico ex corde dimittat offensam.*

263. *Quid observandum circa eos, qui dicunt, se non posse amplius oblivisci injuriæ sibi illatæ?*

264. *Qui se mutuo offendunt, & deinceps ad longum tempus, vel omnino in perpetuum nolunt amplius sibi invicem loqui &c. versantur in malo statu.*

265. *Secus dicendum foret, si ad modicum tempus duntaxat abstinerent vel abstraherent a collocutione, &c.*

266. *Qui ab oratione communi positive excludit inimicum, per se loquendo peccat mortaliter.*

267. *Undenam gravitas vel levitas peccati in hoc casu practice desumenda sit?*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Dilectione inimicorum.

QUæres primo, utrum non solum amicos, sed & inimicos teneamur diligere?

233. R. Affirmative. Ita *Catholici omnes*. Hoc enim inculcat Christus D. apud *Matth. c. 5. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*: quo loco Christum nedum consilium, sed verum præceptum dedisse teste Mastrio *Theolog. mor. disp. 10. num. 53. communissime* tenent Theologi, unde & S. Gregorius *hom. 37. in Evangel. jubemur* (ait) *& inimicos diligere*. Accedit ratio: quia ex dictis supra *num. 207.* tenemur diligere proximum: atqui inimicus per hoc, quod inimicus sit, non desinit esse proximus: ergo & hunc tenemur diligere; non quidem qua inimicum, id est, qua affectum prava affectione erga nos, sed quatenus est capax beatitudinis & Divinæ fruitionis.

Quæres secundo, an, vel quænam Signa charitatis teneamur exhibere proximo nostro, etiam inimico?

234. Ante Responsionem breviter advertendum puto, alia dici signa charitatis *communia* seu generalia, alia vero *specialia* & particularia. Communia cen-

fentur illa, quæ communiter omnibus fine delectu perfonarum exhiberi folent; uti eft 1. orare pro omnibus, faltem in communibus orationibus ab Ecclefia, vel a Deo in hunc finem inftitutis. 2. falutantem refalutare, feu etiam gratias agere pro falute. 3. alloquenti refpondere. 4. poftulanti merces vendere. 5. communia officia vel obfequia præftare, quæ fcilicet aliis omnibus in civitate, collegio vel monafterio verfantibus exhiberi folent. Specialia autem charitatis figna merito appellantur illa, quæ non paffim cuivis exhiberi folent, fed amicis duntaxat, uti funt 1. ægrotum invifere. 2. mæftum confolari. 3. egenti fuccurrere, etiam extra neceffitatem extremam. 4. pecunias mutuare. 5. Hofpitio vel convivio excipere &c. 6. ad familiare colloquium admittere &c. uti explicat P. Sporer *tr.* 3. *decalog. c.* 6. *fect.* 2. *n.* 22. *&* 25. his notatis

235. R. Jam ad quæftionem. Quivis noftrum tenetur fuo inimico, quantumvis in inimicitia perfeveranti exhibere figna communia charitatis, nifi charitas ipfa, vel juftitia, vel alia rationabilis caufa contrarium prudenter fuadeat. 2. non tamen tenemur eidem, præfertim in inimicitia perfeveranti, exhibere figna fpecialia charitatis, faltem per fe loquendo. Ita poft S. Thomam 2. 2. *q.* 25. *art.* 8. *&* 9. & S. Bonaventur. 3. *dift.* 3. *art.* 1. *q.* 3. cum *communi DD.* tenent Laymann *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 4. *n.* 2. Sporer, Reiffenftuel, Herincx, Babenftuber, Michel &c. Ratio prioris eft: quia figna communia charitatis vi naturæ & focietatis humanæ debentur omnibus: at de his, quæ communi focietati funt debita, nemo eft exemptus: hinc fit, quod ex negatione, omiffione feu etiam fubtractione talium fignorum proximus merito argueret, nos male erga ipfum affici, ac proin non fine nota fcandali eidem adminiftrati feu dati in pari erga nos odio, feu etiam malevolentia obfirmaretur &c.

236. Dixi tamen: *Nifi charitas ipfa, juftitia, vel alia caufa rationabilis prudenter contrarium fuadeat* &c. Nam in primis charitas contrarium fuadet, quando is, qui offendit, prævidetur ex negatione fignorum communium agniturus fuum errorem, propterea que & correcturus, qui fine negatione talium fieret deterior, infolentior aut audacior. 2. Juftitia contrarium fuadet, quando fimilia figna ex jufta abominatione delicti jubemur intermittere, juxta illud Joann. 2. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis* &c. Similiter Parens aut Superior jufte negare poteft filio vel fubdito communia charitatis figna ceteris exhiberi folita, quatenus hoc modo eundem caftigando ad meliorem frugem reducat, corrigat, vel inter difciplinæ terminos coerceat &c. 3. denique inter alias rationabiles caufas denegandi hæc figna communia charitatis merito recenfetur gravitas injuriæ: itemque fignificatio feu etiam expreffio jufti doloris inde concepti &c. prout tenet Diana *part.* 2. *tract.* 15. *refolut.* 62. & rurfus *part.* 5. *tr.* 13. *refolut.* 89. Lorca, aliique plures.

237. Ratio autem pofterioris eft hæc: quia figna fpecialia charitatis eo ipfo, quod fpecialia fint & extraordinaria, non funt debita omnibus: ergo multo minus debentur inimico, quippe qui, quod amicitiam diffolverit, non eft melioris, fed potius deterioris conditionis, quam alii; unde nec ex negatione talium fignorum prudenter arguere poteft, quod erga ipfum portemus malignum affectum, odium vel inimicitiam: confequenter per fe loquendo non ei debentur.

238. Dixi rurfus: *per fe loquendo* hujufmodi figna fpecialia charitatis non effe debita inimico; per accidens enim fæpius contingere poteft, ut teneamur etiam inimico exhibere figna fpecialia charitatis, idque potiffimum 1. quando is verfatur in gravi neceffitate five animæ, five corporis, nec alium habet, a quo fublevari poffit aut debeat, item fecundo, quoties negatio huiufmodi figni fpecialis evaderet fignum fpeciale odii aut inimicitiæ, prout contingere poffet, cafu quo inimicus fuppliciter poftularet veniam fui delicti, & tamen offenfus nollet eam dare. 3. Ratione fcandali, quando fcilicet negatio fimilium fignorum

vel

vel ipsi inimico, vel aliis præberet causam mali exempli, odii, majoris inimicitiæ &c. Videatur de hoc Sporer *cit. n.* 25. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 4. *num.* 35. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 4. *dist.* 6. *num.* 23.

Quæres tertio, quid adhuc præter illa signa communia teneamur præstare inimicis?

239. R. Tenemur insuper ad hæc duo, scilicet, 1. non odiisse inimicum, nec ei malum velle, quatenus ipsi malum est, seu ex affectu malevolentiæ. 2. tenemur eidem præsertim supplicanti & deprecanti remittere offensam. 3. non item injuriam. Ratio primi inde desumitur: quia præcepto charitatis jubemur diligere proximum *Matth.* 22. *&* *Luc.* 10. ergo hoc ipso virtualiter & implicite prohibetur eum odisse, eidemve malum velle ex affectu vindictæ aut malevolentiæ; prout amplius constabit ex dicendis paulo inferius *Confer.* 11. *a. numer.* 331. *ubi de odio proximi*.

240. Ratio autem secundi hæc est: quia Christus Dominus *Matth.* 18. id præcipit sub interminatione gravissimæ pœnæ, nunquam scilicet obtinendæ veniæ nostrorum delictorum, dum proposita parabola de servo qui noluit remittere debitum suo conservo, mox subjunxit: *sic & Pater meus cœlestis faciet vobis*, *si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* &c. Quod iterato inculcat *Lucæ* 17. dicens: *si reversus fuerit ad te*, *dicens*: *pœnitet me*; *dimitte illi* &c.

241. Ceterum, quod cum offensa non teneamur simul remittere injuriam, sed quivis contra suum inimicum (pro exigentia causæ) possit instituere nedum actionem injuriarum, petendo scilicet satisfactionem pro injuria, sed etiam actionem civilem, prætendendo scilicet satisfactionem seu restitutionem pro damno illato; quin immo, ubi gravitas injuriæ aut delicti id exigit, insuper actionem criminalem, petendo scilicet justam sceleris vindictam, modo NB. id fiat fine pravo affectu vel odio, aut animo se vindicandi &c. &c. Hodie communissime tenent Doctores, nominatim Castropalao *part.* 1. *tr.* 6. *disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 3. *&* 9. Valentia *to.* 3. *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. Laymann *lib.* 2. *tr.* 2. *cap.* 4. *numer.* 3. Reiffenstuel *theol. mor. tr.* 4. *dist.* 20. *numer.* 6. & fuse P. Sporer *cit. sect.* 2. *num.* 18. *& seqq.* Ratio est: quia charitas solum obligat, ut proximo non velimus malum ipsi indebitum, injustam scilicet vindictam, minime vero adstringit, ut ei condonemus aut remittamus bonum nobis debitum: atqui satisfactio pro injuria illata supponitur debita injuriato: ergo hanc non tenetur remittere, sed solam offensam &c.

242. Verum pro majori dilucidatione huius responsionis breviter declarandum existimo, quidnam per *offensam* & quidnam per *injuriam* intelligatur. Itaque nomine offensæ intelligitur *læsio seu irritatio voluntatis alterius*: nomine autem iniuriæ intelligitur *læsio juris alterius*; ex quo liquet, aliud esse offendere, aliud iniuriare proximum: & licet omnis iniurians per se loquendo offendat iniuriatum, non tamen vicissim omnis offendens iniuriat offensum, prout perbene explicat P. Sporer; nam, si amico tuo librum a te commodato postulanti rotunde neges, tametsi fine incommodo commodare potuisses, is procul dubio se sentiet a te offensum, at, in veritate dicere nequit, se propterea fuisse iniuriatum, quandoquidem nullum habuerit jus ad tuum librum.

Porro alia iniuria potest esse damnosa, alia non damnosa. Damnosa dicitur, quando per eam aliquid aufertur proximo, quod jam erat illius: e contra non damnosa dicitur, quando per eam nihil aufertur, esto usurpetur alienum fine iusta causa; ex gr. committis adulterium cum uxore Titii, at fine imprægnatione vel alio damno inde secuto, procul dubio per usum corporis infers iniuriam, non tamen damnosam, at vero, si uxorem simul imprægnasti, proptereaque Titius innocens cogatur alere prolem suppotitiam, intulisti eidem iniuriam damnosam. Quodsi res postea Titio innotescat, tenebitur quidem tibi ex corde remittere offensam, seu, quod idem est, dare veniam delicti, & nullum rancorem aut odium

erga

erga te portare: at vero minime tenetur tibi etiam remittere iniuriam, vel damnum inde sibi emergens, sed potest tuta conscientia contra te instituere actionem civilem, petendo satisfactionem debitam coram Judice competente, & damni resarcitionem. Videatur Sporer *cit. a. n.* 17.

At inquies, sufficitne, ut proximo nostro revera remittamus offensam, eidemve in necessitate constituto succurramus, an vero tenemur eum etiam actu interno diligere?

243. R. Non sufficit, quod offensam eidem remittamus, aut in necessitate succurramus, sed tenemur illum etiam actu interno diligere. Ita hodie communiter DD. Cardenas *in Crisi Theolog. dissert.* 8. *cap.* 4. *numer.* 34. Viva *ad propos.* 10. & 11. *ab Innocent. XI. damnatas numer.* 6. Matthæucci *in cautel. Confess. l.* 2. *c* 8. *nu.* 8. Henno *de virtut. disp.* 6. *q.* 9. *concl.* 2. Kazenberger *in Supplem. I. Confer. T.* Sargar. *Confer.* 58. *n.* 81.

Ratio est: quia de mandato Christi Domini *Joan.* 13. tenemur proximum diligere *sicut Christus dilexit nos*: atqui certum est, quod Christus nedum opere externo, sed & actu interno nos dilexerit: ergo &c. Et certe amor mere externus sine interno, non est verus amor, sed potius larva amoris. Ex quo liquet, ab Innocentio XI. justissime damnatas fuisse sequentes duas propositiones, quarum prior *num.* 10. ita sonat: *non tenemur proximum diligere actu interno & formali*: posterior *n.* 11. *præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*.

Quæres quarto, ad quid tenearis, si tu alterum quempiam offendisti?

244. R. Si offendisti eum signo aliquo externo, verbo scilicet, vel opere, teneris pariter quærere congruam reconciliationem externam, v. g. rogando veniam ab eo, nisi aliud medium vel modus reconciliationis magis conveniens suppetat. Ita *omnes*. Ratio desumitur tum ex illis Christi Domini verbis *Matth.* 5. *cap. si ergo offers munus tuum vade prius reconciliari fratri tuo*; tum ex eo etiam, quia jubemur diligere proximum & mutuam ad invicem charitatem portare 1. *Petr.* 4. *v.* 8. ergo quicunque charitatem læsit, tenetur modo moraliter possibili eandem reparare: atqui reparatio charitatis regulariter fit per reconciliationem, & hæc per veniæ petitionem: ergo quicunque proximum offendendo charitatem læsit, tenetur quærere reconciliationem modo moraliter possibili. Hac de causa D. Joannes Chrysostomus relatus a P. Sporer *cap.* 6. *sect.* 3. *numer.* 36. *in cit. l. Matth.* ait: *Qualis præcessit offensio, talis debet esse reconciliatio: si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare: si verbis offendisti, verbis reconciliare: si operibus offendisti, operibus reconciliare; omne enim peccatum, quo modo committitur, eodem modo de ipso pœnitentia agitur*.

245. Dixi: *Nisi aliud medium, vel modus reconciliationis magis conveniens suppetat* &c. Non enim semper necessum est, ut is, qui offendit, rogando veniam quærat reconciliationem cum offenso, præsertim in sequentibus casibus. 1. si iniuria non fuit gravis, vel si alter intulit vicissim graviorem, ut propterea delicta merito dici possint mutuo compensata. 2. quando aliter satisfieri potest læso v. g. per exhibitionem aliorum signorum specialium beneficentiæ, seu etiam amicitiæ, per oblationem pecuniariam &c. 3. quando læsus per petitionem veniæ prævideretur magis irritandus, aut certe eam non curaturus. 4. quando inter eius generis aut qualitatis personas v. g. Nobiles petitio veniæ in usu non est. 5. Quando offendens est Superior vel majoris auctoritatis, quam offensus, ut propterea non videatur conveniens auctoritati ipsius Superioris petere veniam, poterit is alio modo iam insinuato, scilicet exhibitione gratiæ specialis, aut singularis beneficii &c. placare animum subditi sui. Videatur de hoc de la Croix *lib.* 2. *num.* 189. Tamburinus *in Decalog. lib.* 5. *c.* 1. §. 8. *num.* 24. vel Kazenberger *cit. n.* 93.

At quid, inquies, si duo mutuo se offenderunt, uter eorum tenebitur prius quærere reconciliationem?

246. R. Per se loquendo, & ceteris paribus tenetur ille, qui prius offendit. Ratio est: quia prius offensus ceu prior tem-

tempore est potiore jure ad exigendam satisfactionem. Secus dicendum foret, si posterior intulisset longe graviorem injuriam, vel si esset longe inferioris conditionis; tunc enim teneretur prius quærere reconciliationem, esto charitatem posterius læsisset. Ita Filliucius *tr.* 28. *cap.* 1. *num.* 27. Sporer *cap.* 6. *num.* 40. de la Croix *loc. cit. num.* 190. Babenstuber *tr.* 9. *disp.* 1. *a.* 4. *num.* 43. ubi mox subdit, in dubio, uter prius alterum offenderit, standum esse arbitrio Confessarii, vel alterius boni viri, prout etiam advertit Azorius *tom.* 2. *lib.* 12. *c.* 3. *q.* 10.

Quæres denique quinto, ad quid tenearis, dum alter, qui te offendit, reconciliationem quærit, vel veniam petit? &c.

247. R. Teneris acceptare reconciliationem, tempore tamen & modo opportuno postulatam, eidemque signis etiam externis demonstrare seu manifestare, quod offensam ex corde remittas: quo non obstante potes tuta conscientia prætendere satisfactionem pro injuria, uti jam dictum fuit *num.* 241. Ita *ex Communi* DD. tradit Laymann *l.* 2. *tr.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. Filliucius *loc. cit. num.* 21. Bassæus *V. charitas num.* 14. Ratio prioris evidenter colligitur ex illis Christi Domini verbis apud *Matth.* 6. *cap. Si autem non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet peccata vestra.* Quod autem remissionem offensæ etiam inimico veniam postulanti teneamur manifestare, inde concluditur: quia secus faciendo monstraremus, nos gerere odium, aut certe aversionem grandem erga illum, & hoc ipso præberemus eidem causam scandali, seu perseverandi in inimicitia & aversione erga nos, propterea que contra charitatem graviter delinqueremus, saltem per se loquendo.

248. Dixi tamen, quod tenearis acceptare reconciliationem, dum inimicus veniam petit *tempore & modo opportuno &c.* Nullus enim te obligabit, ut illico post acceptam gravissimam injuriam des veniam postulanti; atrox quippe injuria præsertim ab inferiori illata Superiori, tam facili negotio decoqui nequit: unde talis merito dicetur non postulasse veniam *tempore opportuno*. Rursus non teneris illico acceptare reconciliationem, quando is, qui te offendit, non sincere sed potius illusorie deprecatur, prout fecerat ille, qui alterum Nebulonem flagitiosum vocavit, propterea que eidem deprecari jussus, coram Judice, in hæc verba prorupit: *ego te apellavi Nebulonem flagitiosum: hoc est verum. Quod autem te hodie debeam dicere hominem ingenuum, eo me compellit Superiorum auctoritas.* Videatur Tamburinus *loc. cit. §.* 3. *num.* 22. Azorius *ubi supra q.* 7. Filliuc. *num.* 25. vel Sporer *c.* 6. *sect.* 3. *n.* 44.

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici circa dilectionem, & reconciliationem inimicorum.

CASUS PRIMUS.

Titia ingenue fatetur, se concepisse implacabile odium & aversionem erga aliquam puellam, quam quidem jam a teneris annis velut filiam educavit, & enutrivit in propria sua domo, novissime vero eandem cum suo Marito in flagranti adulterio deprehendit; hanc ob causam eam nedum illico compulit domo exulare (Maritus etenim utpote complex criminis non fuerat ausus contradicere) sed insuper jam pluries veniam postulantem, non sine graviori indignatione a se repulit, nec eam alloquio amplius dignatur vel aspectu. Erga proprium vero Maritum fatetur se ab eo tempore concepisse extremam prorsus aversionem, propterea que hactenus eidem constanter negasse debitum, nec sibi videri possibile, ut deinceps unquam amplius eidem possit reddere. Quid in hoc Casu cum Titia, vel alia simili persona aget Confessarius?

249. R. in primis generaliter, in his & similibus Casibus, utpote non minus practicis quam frequentibus & difficilibus, a Confessario quam cautissime procedendum, & prudenter ponderandum esse nedum id, quod sola justitia, sed vel maxime etiam quod charitas justitiæ sociata postulat; secus enim de faci-

facili impingere poterit vel nimis gravando pœnitentem, vel eundem etiam nimis facile absolvendo ab oneribus, aut denique perplexitatibus, & conscientiæ scrupulis intricando. Verum ut res magis dilucidetur, lubet ad hunc casum proponere tria dubia practica. 1. An Titia tuta conscientia potuerit dictam puellam domo ejicere, & quidem illico sine mora? 2. An actu expulsam, & sæpius veniam postulantem potuerit tuta conscientia repellere, eidemque nedum alloquium, sed etiam aspectum negare? 2. Denique an hactenus juste potuerit, & deinceps etiam possit suo Marito negare debitum?

250. R. jam ad primum quæsitum. Potuit Titia sine scrupulo puellam domo expellere, velut Scortum ingratissimum; tum quia aliunde nullum habuit jus perseverandi stabiliter in illa domo, ideoque Titia eam expellendo non peccavit contra justitiam: atqui per hoc neque deliquit in charitatem; cum enim tam graviter læserit ius tori, immo & pietatem nutrici debitam; ex ulteriori porro cohabitatione Titia merito timere potuerit frequentiores relapsus, indeque consecuturam Dei offensam, animarum periculum, diffamationem domus &c. iure meritissimo eam expulit, ne fortassis videretur velle præbere fomentum pluribus criminibus, juxta illud, quod habetur C. 1. XXXII. q. 1. qui adulteræ cohabitat *parronus turpitudinis* dicitur, & particeps criminis efficitur. Nec refert, quod puella tam subito exulare coacta, videatur necessario subitura periculum bonæ famæ; etenim non Titiæ, sed sibi potius imputare debet, si quam notam aut sinistram suspicionem apud alios incurrat.

Accedit insuper, quod Titia vi justitiæ potuisset contra eandem puellam coram Judice instituere actionem iniuriarum secundum dicta *num.* 240. & hoc ipso eandem coram diffamare: quidni ergo a fortiori eandem sine mora domo ejicere, & diffamationem inde subsecuturam tuta conscientia permittere potuisset?

251. R. Ad secundum. Si Titia una tantum vel altera vice puellam repulit, etiam durius illam increpando, idque non ex odio personæ, sed solum ex abominatione criminis, vel ad correctionem & emendationem puellæ, vel denique ad amplius ostendendam gravitatem iniuriæ sibi illatæ, dicendum, quod non peccaverit. Ratio est: quia ubi iniuria, præsertim ab inferiore erga Superiorem (prout in præsenti contigit) fuit atrox, offensus vel offensa non tenetur illico ignoscere, secundum dicta *num.* 248. Nihilominus cum mulieres semel irritatæ, & a passionibus dominatæ, similia plerumque ex inordinato affectu vindictæ, vel etiam ex odio erga ipsam personam, a qua fuerunt offensæ, faciant; hinc oportet, ut Confessarius in similibus circumstantiis aut casibus pœnitentem examinet 1. quo fine, quave intentione & a quanto tempore puellæ supplicanti iamiam negaverit veniam? 2. eidem inculcet, quod quidem eandem ob periculum relapsus & alias rationes *n.* 250. insinuatas non amplius teneatur recipere in domum; nihilosecius communia signa charitatis inposterum non amplius possit, nec debeat denegare, sed potius bello modo eidem insinuare signis exterioribus, quod offensam iamiam remiserit, utputa casu quo fuerit denuo ab illa puella salutata, agendo eidem gratias pro salute, vel etiam resalutando &c. Ratio horum constare potest ac debet ex dictis *num.* 239. & 247. potestque de hoc videri Laymann *cit. l.* 2. *tr.* 3. *c.* 4. *num.* 4. vel Sporer *tr.* 2. *c.* 6. *sect.* 2. *num.* 23. Ubi bene monent, circa huiusmodi pœnitentes, sive Parentes supponantur sive alii Superiores &c. duo esse attendenda a Confessario, & bene ponderanda. *Primum*: an non hæc signa communia charitatis negent ex odio vel aversione animi erga delinquentem? *Secundum*, an vindicta non excedat gravitatem delicti; non enim possunt illis negare reconciliationem & veniam in perpetuum, sed solum ad eorum emendatione, vel alios fines bonos &c. Ita Sporer *l. cit.*

252. R. Jam ad tertium quæsitum huius Casus, Titiam nec hactenus peccasse, neque etiam (per se loquendo) pec-

peccaturam contra justitiam, negando debitum suo Marito adultero.

Ratio est: quia Maritus adulterando perdidit jus petendi debitum, privatio enim debiti est veluti pœna quædam conventionalis, jure naturali & Divino inducta, ait Sanchez, ut scilicet frangenti fidem fides non servetur: at, si non amplius habet jus petendi, procul dubio Uxor sine injuria eidem potest negare debitum, ergo negando non peccat contra justitiam. Et ita tenent *DD.*, *communissime* Sanchez *lib.* 1. *de Matr. disp.* 68. *n.* 4. de la Croix *lib.* 6. *p.* 3. *n.* 372. Laymann *tr.* 10. *part.* 3. *c.*1. *n.* 3. quod etiam colligunt ex *Matth. c.* 5. *&* 19.

253. Dixi tamen, Titiam *non peccaturam contra justitiam*, *&c.* Etenim contra charitatem adhuc probabilius peccabit, si propter unicum & simplex adulterium adhuc occultum, velit eidem perpetuo negare debitum, prout jam diximus *in Theolog. mor. Sacram. part.*3. *Confer.* 16. *n.* 388. Nam moraliter loquendo fieri haud potest, quin Maritus Uxori cohabitans ob denegationem debiti sæpe sæpius exponatur periculo incontinentiæ, consequenter & periculo salutis æternæ; e quo Uxor eundem procul dubio posset liberare reddendo debitum: atqui charitas obligat, ut proximo suo in tanto periculo constituto succurrat, ubi id moraliter loquendo fieri potest: ergo &c. Adde insuper, quod perpetua debiti conjugalis negatio procul dubio datura sit causam perpetuis discordiis & rixis; quandoquidem experientia quotidiana quasi probat, inter conjugatos vix reperiundum esse alium lapidem magis offensivum, animorumque divisivum, quam negationem debiti conjugalis, quippe ob quam amorem conjugalem nedum in alios vel alias dividere, sed erga se invicem prorsus perdere solent: quare cum Confessarius semper debeat pœnitentibus consulere & inculcare ea, quæ ad animarum salutem, pacem & concordiam magis conducere sunt nata, liquet profecto, Titiam omni modo fuisse inducendam ac persuadendam; quatenus dimissa nedum offensa, sed etiam injuria vi adulterii sibi illata, deinceps velit sese accommodare Marito.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia paupercula unicam habuit capram, & ultra parum, vel omnino nihil; hanc dum veneficio infectam dolenter animadvertit, hinc inde consuluit alias fœminas, qua ratione, quove medio capra a maleficio foret liberanda. Alia proin fœmina (nescio quo animo) Semproniæ persuaserat, ut certam quandam Vetulam accederet, eandemque tribus vicibus moraliter non interpolatis per amorem Dei rogaret, quatenus vellet capram suam a maleficio liberare: *accessit Sempronia: Vetulam rogavit modo præfato. Verum hæc illico quasi in furorem acta: quid, ajebat? ergone me Sagam esse credis, quod ter me rogando per amorem Dei, maleficium capræ tuæ illatum dissolvi postules? Profecto si quid callerem de hac arte, nedum capram tuam, sed & te ipsam novo maleficio intoxicarem: apage sine mora! vade vias tuas: tu ipsamet es Saga & malefica, nullius valoris, nulliusque honoris, propterea que aliis honorem adimere conaris &c. Jam apud Confessarium conqueritur Sempronia, quod dictam vetulam ab eo tempore summopere offensam, & sibi infensam sentiat, ita, ut dum in platea publica casu sibi invicem occurrunt, eadem vetula vel illico viam declinet, vel si id facere non possit, contra se (Semproniam scilicet) exspuat, aliaque convitia evomat. Quæritur jam ad hanc speciem facti* 1. *ad quidnam Sempronia?* 2. *ad quidnam Vetula illa obligetur?*

254. R. Ad primum conformiter ad dicta *n.* 246. Semproniam teneri nedum ad condonandas offensas a Vetula sibi illatas, sed etiam ad quærendam reconciliationem; nam qui prior offendit, per se loquendo tenetur prius quærere reconciliationem: atqui Sempronia prior offendit vetulam: siquidem ille modus, *ter scilicet per amorem Dei rogandi pro solutione maleficii* in nostra Germania saltem a plebe communi, & vel maxime a vetulis habetur summopere injuriosus & offensivus. Quia tamen minime consultum est, ut Sempronia personaliter accedat vetulam, ne fortassis utraque vehementius irritata, in graviores rixas, scommata, dicteria &c. erumpat;

hinc conſulendum eidem eſt, ut per aliam mediatricem, aut mediatorem deprecando, ſtudeat charitatem læſam reparare, & ſe pro poſſibili excuſare, quod ſcilicet ter per amorem DEI rogando, non intenderit eam velut ſagam proſtituere aut calumniari &c. ſed potius ex mera ſimplicitate id fecerit &c.

255. R. Jam ad ſecundum. Suppoſita hac deprecatione Vetula tenetur Semproniæ condonare offenſam, odiumque & omnem animi averſionem deponere, nec ſolum ab illis injuriis, contumeliiſque abſtinere, ſed potius e contrario Semproniæ communia ſaltem charitatis ſigna exhibere: ſecus non erit capax abſolutionis, veluti ex hactenus dictis, præſertim *a n.* 247. liquido conſtare poteſt, ac debet: neque vero ad hoc probandum alio indigemus argumento, quam illo infallibili effato Chriſti Domini apud *Matth.* 18. *c. v.* 35. mox ſupra *n.*240. relato: *ſic & Pater meus Cœleſtis faciet vobis &c.* Videatur Sporer *cit. c.* 6. *ſect.* 2. *n.* 31.

At quid, inquies, ſi ſuppoſita etiam deprecatione vetula nolit eſſe contenta, nec Semproniæ quantumvis quærenti amicam reconciliationem v. g. eam ſalutando, alloquendo &c. reſpondere &c. tenebiturne hæc ad plura, utputa ad iteratam deprecationem &c.

256. R. Eam in hoc caſu & in his circumſtantiis non teneri ad plura, neque ad iteratam deprecationem. Ratio eſt: quia Vetulæ nullum prorſus damnum intulit: ergo ratione damni ad nihil tenetur. Eſto etiam illam graviter offenderit, nihilominus exceſſus dignitatis vetulam inter & Semproniam non eſt tam ingens, ut vetula humili deprecatione ſeu petitione veniæ non debeat eſſe contenta: quare ſi hoc nolit, poteſt Sempronia tuta conſcientia abſtinere ab ulteriori ſalutatione, collocutione & ſimilibus amicitiæ ſignis, eo præſertim, quod alloqui vel ſalutare prætereuntem, vel ſibi occurrentem in platea &c. non ſit ſignum commune charitatis, omnibus exhibere ſolitum, prout experientia conſtat, ſed potius ſignum particulare, amicis duntaxat aſſuetum. Videatur Tamburinus *lib.* 5. *decalog. c.*1. *§.*3. *num.* 15. vel Sporer *loc. cit. n.* 35. Ubi tamen illico ſubjungit, quod ſi talis perſona prævideat, fore ut offenſus vel offenſa ex iterata gratuita ſalutatione vel allocutione emolliſcat, odiumque deponat, ex charitate teneatur denuo ſalutare, modo id ſine permagna moleſtia & difficultate poſſit; quia bonum ſpirituale proximi tenemur ex charitate procurare etiam cum aliquali noſtro, non tamen cum magno incommodo: & hoc vel maxime in noſtro caſu dicendum, eo quod Sempronia vetulæ dederit cauſam gravis indignationis.

CASUS TERTIUS.

CAjus tum propter pluries repetita furta levia, tum potiſſimum propter ſolennem rapinam nuper cum aliquibus ſibi ſimilibus factam, captus, incarceratus, & tandem ad patibulum condemnatus fuit: annunciata vero ſibi mortis ſententia haudquaquam ſe oppoſuit, ſed petiit Confeſſarium, cujus opera optime diſpoſitus gaudens ac lubens videbatur pergere ad locum ſupplicii, ad quem, dum pervenit, calceis jamjam exutus & ſpoliatus dixit ad carnificem: ergone ſerio res agitur mecum? quo reſpondente ſerio, petiit, ut ſibi ante mortem & actualem ſtrangulationem permitteret pauca verba loqui ad populum circumſtantem: tum vero jam in ſuperioribus ſcalæ gradibus inter manus carnificis conſtitutus, exorſus fuit fari in hunc modum: notum ſit omnibus ac ſingulis ſpectatoribus, me ad hoc infame mortis ſupplicium fuiſſe condemnatum propter quinque florenos & non plures, quos nuper ex rapina NN. facta reportavi: proteſtor igitur coram univerſo Mundo graviſſimam mihi irrogari injuriam, prout nemo non videbit: & hanc ob cauſam contra illos, qui me ad hoc infame ſupplicium condemnarunt, vindictam clamito, eoſque in vallem Joſaphat, & ad extremum Dei judicium provoco: *hoc inopinato eventu obſtupuere omnes, erectis auribus adſtantes, potiſſimum vero Confeſſarius, quippe qui hactenus ſibi perſuaſerat, Cajum quamoptime eſſe diſpoſitum. Quid ultra! ſubito fit ingens tumultus in populo, tandemque concluditur, executionem eſſe pauliſper differendam, præſentemque malefactoris ſtatum denunciandum*

dum judicibus utpote solemniter adhuc congregatis. Interim Confessarius omni possibili modo nitebatur persuadere Cajo, ut deposito odio & animi rancore desisteret ab illa appellatione, quippe quæ non deserviret in alium finem, quam ad perdendam corporis simul, & animæ vitam: ast, surdo videbatur canere fabulam; Cajus enim nil aliud respondit, quam, oppido injustum, & ab omni pietate alienum esse, homini ob quinque tantum florenos vitam auferre, & quidem tam infami supplicio. Unde non obstante hac appellatione paulo post redeunte scilicet cursore suspensus fuit. Quæritur jam 1. utrum Cajus appellando & provocando Judices ad tribunal Christi peccaverit? 2. An Judices non peccaverint saltem contra charitatem, jubendo Cajum strangulari, tametsi moraliter certo præviderint eum æternaliter periturum?

257. R. ad primum. Cajus appellando ad tribunal Dei peccavit mortaliter nedum contra charitatem, sed etiam contra justitiam; contra charitatem quidem, quia, ut ex ipsa specie facti liquet, injustam vindictam appetiit, nec ullatenus ignoscere voluit Judicibus; contra justitiam vero, quia a sententia utique justissime contra se lata appellando ad tribunal Christi Judicibus insignem calumniam imposuit, potestatique publicæ a Deo constitutæ rebellem sese exhibuit, non sine gravi scandalo spectatorum. Ita ex *communi DD.* tradunt Busenbaum *lib. 4. de Reo art. 2. in fine*; la Croix *lib. 4. num.* 1529. Laymann *lib. 3. tr. 6. cap. 6. num.* 8. Vega *in summa part.* 1. *cap.* 16. *ad Casum I.* Ex quo ad oculum liquet, Cajum in eo statu non fuisse capacem absolutionis Sacramentalis.

258. R. ad secundum quæsitum, Judices nec in leges justitiæ, neque etiam in legem charitatis impegisse ex eo, quod jusserint Caium strangulari. Ita *cum communi DD.* Amicus, & Salon *art. 2. contr. 2.* quem citat & sequitur Filliucius *tr. 29. part. 2. c. 2. n. 20.*

Ratio huius est: quia ad officium Judicis spectat malefactores occidere, veluti desumitur ex S. Scriptura *Exodi. 22.* ubi dicitur ad Moysen tanquam Judicem Israelitici populi: *maleficos non patieris vivere.* Et rursus *Deuteron. 21. & 22.* Deus præcepit occidi homicidas & blasphemos. &c. tum etiam quia æterna damnatio debet adscribi iniquæ & obstinatæ voluntati Malefactoris, quam posset, & deberet mutare, minime vero Judici, quippe qui eundem per Confessarium fecit adhortari ad pœnitentiam. Adde insuper, quod si hujusmodi maligni homines semel scirent, se ob similem obstinationem vel appellationem, vel denique ob periculum æternæ damnationis incurrendæ non amplius posse condemnari, nullus profecto inveniretur, qui non se monstraret pertinacem & rebellem: quatenus hac via evaderet extremum supplicium, utique non sine permagno præjudicio Reipublicæ; quare cum aliunde constet, semper maiorem rationem esse habendam pro salute boni publici, quam pro salute hominis privati: præsertim quando is ex propria duntaxat malitia se committit tali periculo, dicendum profecto est, quod Judices per hoc nec in minimo violaverint legem charitatis. Et certe, quamdiu Judex ferendo sententiam juxta leges procedit, merito flocci pendet, & ridet hujusmodi appellationes & provocationes ad tribunal Dei, hominibus malitiosis valde familiares, quibus utique Deus non præfiget alium Judicii aut processus ordinem. Secus tamen dicendum foret, casu quo Judex ex mera passione vel sine justa aut sufficienti causa hominem innocuum ad infame vel extremum mortis supplicium condemnaret. Legatur de hac materia Stengelius de judiciis divinis *tom. 1. cap. 37. §. 4. & seqq.*

At, inquies, nunquid Caius in hoc statu debuisset, vel potuisset saltem sub conditione absolvi: quandoquidem firmiter sibi persuasum habuit se injuste gravari: nec in illis circumstantiis potuit appellare ad alium Judicem, nisi ad Deum, ad quem alii plures etiam Sancti Viri leguntur subinde appellasse?

259. R. Caium nequidem sub conditione potuisse absolvi in eo statu; evidens quippe est & liquidum ex narrata specie facti, quod Judicibus nedum offensam, quam sibi videbantur intulisse,

tulisse, minime dimiserit, sed insuper animo vindicativo, utique non fine magna calumnia contra Judices, & cum scandalo totius Orbis, eos ad tribunal Christi provocaverit. Neque Cajum inter & alios Sanctos viros instituta paritas quidquam valet; præterquam enim, quod assumpta similitudo per se claudicare noscatur, illi Viri sancti, qui hinc inde leguntur appellasse ad tribunal Dei, nunquam id fecerunt desiderio injustæ vindictæ, uti Cajus, sed amore justitiæ duntaxat; multo minus appellasse quisquam Virorum Sanctorum legitur contra sententiam juste contra se latam.

Dices adhuc: quid ergo Confessario Caii in his circumstantiis agendum fuit?

260. R. Debuit eidem ante omnia proponere 1. imminens periculum æternæ damnationis. 2. iustitiam sententiæ contra ipsum latæ, quippe qui non propter quinque florenos præcise, sed propter damnum habituale Reipublicæ illatum, aut certe rationabiliter timendum, si huiusmodi rapinæ tolerarentur impune, damnatus fuit, conformiter juribus. 3. eidem inculcandum fuit gravitas scandali, quod toti orbi suo modo daret, casu quo fine revocatione appellationis factæ moreretur. 4. denique omni modo moraliter possibili fuit persuadendus, ut ante mortem publice protestaretur, se omnibus illis, qui quocunque demum modo ad suam mortem concurrerunt, ex corde dimittere offensam, & ignoscere. Si Caius hæc recusset, noverit Confessarius, eum velut indispositum ne sub conditione quidem posse aut debere absolvi; neque enim prudenter præsumi potest, quod laboret ignorantia invincibili suæ obligationis post plenariam instructionem a Confessario datam.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

261. Colliges primo, a Confessario magna cum cautela & discretione procedendum esse cum pœnitente, quem vel ex propria confessione, vel ex aliorum relatione certo novit hactenus in continuis rixis atque inimicitiis vixisse. Certum quippe & exploratum esse debet, nullum prorsus, quamdiu in inimicitia vult perseverare, utpote nolens remittere offensam sibi quomodolibet irrogatam, aut suo inimico exhibere signa communia charitatis, esse capacem absolutionis Sacramentalis, tum ob rationes jam supra datas; tum etiam, quia talis pœnitens, utpote actuali odio proximi sui implicatus, ponit obicem gratiæ sacramentali, proptereaque falsificaretur forma absolutionis non fine gravissimo Sacrilegio. Quodque ulterius circa tales pœnitentes difficultatem potissimum mihi videtur augere, est, quod subinde negatio signorum nedum communium, sed & specialium (quando scilicet antecedenter semper assueverunt similia sibi exhibere) possit cedere in notam inimicitiæ seu aversionis conceptæ; e contra in aliis circumstantiis personarum seu etiam locorum nonnunquam etiam signa charitatis communia intermitti possint fine nota inimicitiæ: liquet proin, quod a Confessario desuper consulto omnes circumstantiæ sint bene ponderandæ, & semper consulendum id, quod ad fovendam charitatem mutuam magis videtur conducibile; quia hoc modo melius prospicitur honori divino, & animarum saluti, ut de se liquet.

262. Colliges secundo, pœnitentem quemcunque demum hactenus in inimicitiis constitutum, ante omnia a Confessario eo esse disponendum, ut inimico suo ex corde remittat offensam; enim vero multos reperire est, præsertim e rudioribus, qui ab aliis graviter damnificati, aut processibus, litigiisve implicati, ignorant distinguere inter offensam atque iniuriam, existimantes sinistre, quod si suo inimico deberent ignoscere, eo ipso deberent una simul cedere iure suo; quam ob causam non raro audiuntur dicere, se durante hac lite seu processu non posse amplius confiteri &c. talibus a Confessario eximendus est scrupulus & sinistra persuasio, eisdem declarando, quo quidem inimico vel potius adversario suo teneantur ignoscere, id est, dare veniam ratione offensæ, nec desiderare iniustam vindictam,

ctam, neque idem male imprecari, per hoc tamen minime eos teneri ad cedendum jure suo, quin potius tuta conscientia posse causam suam prosequi coram legitimo Judice, exigendo satisfactionem, seu etiam restitutionem sibi debitam: neque hanc voluntatem quidquam obstare perfectæ reconciliationi cum Deo, dummodo eidem adversario suo exhibeant signa communia charitatis, & hac via demonstrent, se esse inimicos causæ tantum, non item personæ.

Sed quid si pœnitens Confessario respondeat: Domine, jam petii satisfactionem coram Judice, sed quia adversarius meus ex mera malitia debitum absolute & rotunde negavit, & ego aliunde illud probare non potui; hinc passus fui repulsam: cumque propterea jam a longo tempore una cum uxore & prolibus meis miserrima egestate premar; hinc non amplius possum oblivisci hujus injuriæ: quin potius dum vel a longe inimicum meum conspicio; bilem mihi moveri sentio, sanguinemque in venis ebullire.

263. R. Casum hunc utique satis practicum sua difficultate non carere vel ideo, quia cum causa offensæ vel potius inimicitiæ sit semper duratura, præsertim egestas multum premens; hinc merito timendum est, ne ex parte offensi pariter continuetur inimicitia. Expedit ergo, ut ante omnia talis pœnitens inducatur ad patientiam Christianam exemplo Christi Salvatoris nostris. 2. Ad plenam resignationem in voluntatem divinam, cujus admiranda dispositione similes injuriæ permittuntur, vel potius immittuntur ex altioribus motivis, & quidem Sanctissimis. 3. Ulterius examinari debet, utrum hujusmodi motus iracundiæ sint merum naturales, utpote, merum consurgentes ex impressione phantastica injuriæ acceptæ, an vero eidem sint etiam morales & liberi, ita scilicet, ut vere cupiat se vindicare, vel inimico suo male imprecari? si primum, concludendum est, pœnitentem versari in bono animæ statu, & capacem esse absolutionis Sacramentalis; quia motus mere naturales quontumcunque ad malum inclinantes, non sunt peccaminosi, nisi accedat voluntas libera. Si autem secundum, talis pœnitens non foret capax absolutionis, nisi serio adpromittat, se deinceps pro viribus cum divina gratia restiturum hujusmodi motibus iracundiæ seu malevolentiæ. Videantur de hoc Tamburin. *lib.* 5. *in decalog. cap.* 1. §. 3. *num.* 1. Sporer *ubi supra num.* 47. Matthæucci *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 18. Vel noster A. R. P. Kazenberger *in Supplem. I. P. Sargar. Conferent.* 61. *n.* 96.


264. Colliges tertio, eos non versari in bono statu, qui posteaquam se mutuo offenderunt, deinceps ad longum tempus, vel omnino in perpetuum nolunt amplius colloqui ad invicem, vel alia communia charitatis signa sibi exhibere mutuo, prout de duobus Religiosis, nec non de duabus Monialibus narrant Tamburinus, Sporer, & alii. Ratio hujus illationis est: quia cessatio loquendi ad invicem in tali casu per tantum temporis spatium continuata vel continuanda, merito præsumitur proficisci ab interno odio: nec dubium, quin tam diuturna animorum aversio inter contubernales quoscunque demum, instigante præsertim diabolo, datura sit causam innumeris passionum motibus, utputa odii, malevolentiæ, detractionis &c. &c. tum etiam, quia propterea nedum sibi, sed aliis Religiosis aut conturbernalibus gravi scandalo erunt, propterea que absolvi non debent a Confessario, nisi promittant ocyus resipiscere, & omne odium ex animo penitus abjicere.

265. Dixi tamen: *qui ad longum tempus, vel omnino in perpetuum* non amplius volunt colloqui; secus enim dicendum est de illis, qui ad exiguum duntaxat tempus abstinent, v. g. ad aliquot dies; nec non de illis, qui ob levem duntaxat causam inciderunt in hujusmodi discordias, aliunde vero noscuntur esse boni animi & probatæ virtutis, ut proin suspicari prudenter non liceat, eos id facere ex odio gravi, sed potius ex quadam passione animi non adeo gravi, vel ad manifestandum offensæ notam. Quocirca tamen Sporer *cit. c.* 6. *sect.* 2. *num.* 34. sapienter monet, hujusmodi abstinentiam ab alloquio &c. omnimodis dissua-

dissuadendam esse omnibus, præsertim vero personis religiosis, utpote aliunde vi sui instituti obligatis ad charitatem mutuam & ad sectanda perfectiora: oportet profecto, ut contubernales etiam sæculares sint liberales, ne dicam prodigi, in exhibendis sibi invicem mutuæ charitatis & amicitiæ signis; hoc enim nos reddit amabiles, sicut e contrario opposita morositas nos reddit odibiles Deo, Angelis, & hominibus.

266. Colliges quarto, contra charitatem proximo debitam mortaliter delinquere sequentes. 1. Qui in Orationibus communibus a Deo vel Ecclesia institutis *positive* excludit inimicum, secus si negative solum excluderet, scilicet actu non recordando de illo. 2. Item qui eleemosynam in omnes pauperes civitatis, vel aliud pium legatum distribuere jussus, suos inimicos excludit, tametsi pro his suffecisset. Item 3. qui reliquos suos cognatos aut consanguineos ad convivium invitans, alios sibi inimicos excludit, & non invitat, esto sint consanguinei. 4. Item qui alias solitus quosvis sibi notos in civitate, monasterio aut domo religiosa salutare aut alloqui, suo inimico salutationem vel alloquium negaret &c. Ita Sporer *citatus num.* 27. Verum in his multa circumspectione opus est, sicut jam diximus: non enim quilibet illico peccati mortalis a Confessario damnandus, vel in infernum omnino negato absolutionis beneficio relegandus est, quando quidem multæ causæ dantur, ob quas inimico, vel illi, qui gravem intulit offensam, communia etiam charitatis signa vel obsequia aliunde indebita negari possunt, prout ex dictis in hac Conferentia abunde constare potest.

267. Quocirca noster P. Herincx *part.* 3. *tr.* 1. *disp.* 11. *num.* 68. sapientissime omnino monere mihi videtur, in ordine ad discernendam gravitatem peccati in hisce casibus non tam considerandum esse bonum, a quo inimicus excluditur, quam utrum talis exclusio ex gravi aversione procedat, sitque hic & nunc graviter offensiva; etenim secluso odio interiori & scandalo non videtur, cur quis mortaliter peccet ex eo, quod beneficium aliunde indebitum, uti est v. g. invitatio ad convivium, solis præstet amicis, non item inimicis, quibus illud nullatenus debetur. Ego sane non video, quo minus scandalum & in tali casu evitari possit, modo tali inimico, vel aliis, quorum fortassis interest, bello modo significetur, negationem talis beneficii, v. g. invitationis ad convivium, non fieri ex odio, sed partim quia illud aliunde indebitum, partim etiam, quia inferendo hanc vel illam offensam sese reddidit indignum. Fateor tamen oppositum nedum tutius, sed & consultius esse ac conformius exemplo Patris nostri cœlestis, quippe *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos, ut dicitur Matth.* 5. *v.* 45.



CONFERENTIA NONA.

De Eleemosyna.

SUMMARIUM.

268. *Recensentur breviter multiplices actus charitatis.*
269. *Declaratur, quid sit actus misericordiæ.*
270. *Opera misericordiæ universim enarrantur quatuordecim.*
271. *Nomine eleemosynæ corporalis & proprie sumptæ intelligitur actus quo aliena indigentia corporalis sublevatur.*
272. *Datur præceptum in ipsa natura fundatum, vi cujus habentes abundantiam bonorum, tenentur indigentibus dare eleemosynam.*
273. *Hanc tamen illi duntaxat dare possunt, quibus competit expeditum Dominium, & libera administratio bonorum.*
274. *Annotatur breviter triplex necessitas proximi, scilicet extrema, gravis, & communis.*
275. *Rursus alia dicuntur bona, quæ vel 1. ad naturam, vel 2. ad statum conferr-*

servandum sunt necessaria, vel denique 3. superflua omnino.

276. *Proximo in extrema necessitate constituto, nemo quidem tenetur dare eleemosynam de sibi necessariis ad vitam, bene tamen de necessariis ad statum duntaxat conservandum.*

277. *In gravi vero necessitate constituto danda est eleemosyna de superfluis, aut certe non multum necessariis ad statum.*

278. *Denique in communi necessitate constitutis tenetur succurrere is, qui habet bona superflua suo statui.*

279. *Quocirca tamen dari possunt causæ rationabiliter excusantes.*

280. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*

281. *Utrum extreme indigenti teneamur succurrere gratis, an vero sufficiat, eidem succurri cum onere restitutionis.*

282. *Solvitur rursus quædam objectio contra hanc resolutionem.*

283. *Resolvitur Casus I. de quadam fœmina, quæ, ut liberius posset indulgere genio suo, ficto sub schemate paupertatis hinc inde collegit, vel potius expracticavit eleemosynas.*

284. *Utrum talis persona revera aquirat dominium eleemosynæ taliter expracticatæ?*

285. *Et utrum Confessarius teneatur eam obligare ad restitutionem?*

286. *Resolvitur Casus II. de quodam libertino, qui amplum patrimonium suum non quidem in pauperes, sed in commessationes dissipavit.*

287. *Utrum huic jam gravi egestate presso alii amici vel consanguinei teneantur succurrere quodam subsidio eleemosynario?*

288. *Resolvitur Casus III. cujusdam paupercula, mirum conquerentis, vel potius murmurantis contra constitutionem nuper editam, vi cujus probibitus fuit conquestus eleemosynarius.*

289. *Qua via tali personæ a Confessario fuerit occurrendum, vel quid eidem consulendum?*

290. *An vel quando catholici peccent non subministrando congrua sustentationis media conversis ad fidem Catholicam?*

291. *Quid Confessariis divitum, & simul nimis tenacium, vel potius avarorum observandum & agendum?*

292. *Divitibus, præsertim Ecclesiasticis vel maxime cavendum est, ne tempore caritatis aut publicæ necessitatis sua granaria recludant pauperibus intuitu augmentandi pretii.*

293. *Medici & Chirurgi nolentes pauperibus graviter decumbentibus operam suam gratis locare, peccant contra charitatem.*

294. *Pharmacopolæ tamen, aliive divites non tenentur quæque pretiosissima medicamenta gratis exhibere vel procurare eo fine, ut pauper extreme decumbens curetur.*

295. *Vi magni mandati tenemur proximo nostro duntaxat succurrere, in quantum moraliter loquendo possumus, & ipse ad evadendam miseriam indiget.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa dandam, vel non dandam Eleemosynam.

QUæres primo, quot dentur actus vel etiam effectus charitatis?

268. R. Actus seu etiam effectus charitatis præcipui numerantur sequentes, scilicet 1. Dilectio. 2. Beneficentia. 3. Gaudium. 4. Pax & 5. Misericordia. Ita *ex communi DD.* Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 4. *dist.* 6. *n.* 26. Explico brevissime singulos. 1. Nomine *Dilectionis* intelligitur actus voluntatis, quo proximo nostro (vel etiam Deo) volumus bonum; ex quo protinus 2. sequitur *Beneficentia*, id est, executio hujus bonæ voluntatis, vi cujus proximo pro possibili facimus bene. 3. Nomine *Gaudii* non venit actus charitatis, sed potius quidam charitatis effectus, passio scilicet mentis, vi cujus in bono amato & jamjam possesso quodammodo quiescimus. Similiter *Pax* non est actus, sed potius effectus charitatis: supposito enim quod Deum vel proximum sincere diligamus, nostram voluntatem ejusdem voluntati facillime accommodamus, ex qua voluntatum cohærentia naturaliter consequitur quædam animi tranquillitas

seu pax, juxta illud *Psal.* 118. *pax multa diligentibus legem tuam* &c. At.

Quæres secundo singulariter ad nostrum propositum, quid intelligatur nomine *misericordiæ ut sic?*

269. R. Misericordia juxta S. Augustinum *lib.* 9. *de civit. DEI. c.* 5. est *alienæ miseriæ in corde nostro compassio, qua, si possimus subvenire compellimur*. Verum quia misericordia etiam reperitur in Deo, nec non in Beatis, in quibus proprie nec passio, neque compassio, multo minus tristitia naturaliter inde consequens locum habet; hinc non abs re Misericordia ut sic generalius sumpta describitur a P. Herincx *part.* 3. *tr.* 1. *disp.* 12. *num.* 4. quod sit *affectus efficax subveniendæ miseriæ proximi;* per hanc enim movemur ad sublevandam alienam miseriam, quod fieri assolet per opera misericordiæ tum Spiritualia, tum etiam corporalia, veluti proxime patebit. Ex his vero facile colligetur, virtuti misericordiæ duo opponi vitia, scilicet 1. nimiam cordis mollitiem seu nimiam indulgentiam: hæc eidem opponitur per excessum & 2. nimiam cordis duritiem & crudelitatem, quæ misericordiæ opponitur per defectum.

Quæres tertio, quæ & quot sint opera misericordiæ?

270. R. Opera misericordiæ sunt septem corporalia, & septem Spiritualia, ideoque universim recte enumerantur quatuordecim, ita *omnes Catholici*, immo & pueri ex Catechismo respondere assolent. Corporalia sunt 1. Esurientes pascere. 2. Sitientibus potum dare. 3. Nudos operire. 4. Captivos redimere. 5. Ægrotos visitare. 6. Peregrinos hospitio suscipere. 7. Mortuos sepelire, quæ omnia nonnemo aptissime comprehendit sequenti versu: *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

Porro opera misericordiæ Spiritualia sunt 1. peccantes corrigere. 2. ignorantes docere. 3. dubitantibus recte consulere. 4. pro salute proximi orare. 5. consolari mæstos. 6. improborum injurias patienter ferre. 7. offensam remittere: hæc opera comprehenduntur in sequenti versu jam pridem notissimo. *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora,* Ubi sub ly consule insuper intelligitur doce ignorantes &c. Quia tamen Theologi communiter dimissis aliis actibus charitatis, utpote de quibus parum vel nihil difficultatis in praxi occurrere solet, examinare seu etiam fusius discutere solent duos actus principales, scilicet dationem Eleemosynæ & correctionem fraternam; hinc & nos majorum nostrorum vestigiis inhærentes, in hac Conferentia de Eleemosyna, in proxima autem de correctione fraterna agemus; postea etiam acturi de vitiis charitati oppositis.

Quæres proin quarto, quid sit Eleemosyna?

271. R. Nomine eleemosynæ sæpissime quidem intelligi rem in eleemosynam distributam, utputa panem, pecuniam &c. &c. quibus mediantibus proximi indigentia sublevari solet. Verum ad nostrum propositum sumitur pro ipso actu misericordiæ seu charitatis, quo contendimus miseriam alienam sublevare; unde etiam recte describitur: quod sit *alienæ miseriæ sublevatio*, in quo sensu sub se comprehendit omnia opera misericordiæ, tam corporalia, quam Spiritualia etiam. Communius tamen nomine eleemosynæ intelligitur actus seu opus misericordiæ corporalis, soletque describi, quod sit *actus externus, quo aliena indigentia corporalis sublevatur*. Ex quo facile liquet dationem eleemosynæ esse actum misericordiæ, quatenus procedit ex motivo sublevandi miseriam proximi, simulque esse actum charitatis, si fiat ob amorem DEI vel proximi, tametsi haud ignorem hujusmodi elargitionem posse insuper imperari ab aliis virtutibus v. g. pœnitentiæ, si fiat in ordine ad satisfaciendum pro peccatis: qua ratione *Tobiæ* 4. legitur: *Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat*. Et rursus *Eccl.* 3. habetur: *ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.*

Quæres quinto, deturne præceptum, dandi quandoque eleemosynam?

272. R. Affirmative. *Ita omnes Catholici*, Reiffenstuel *cit. dist.* 6. *num.* 35. Herincx *disp.* 12. *num.* 34. Matthæucci *in cautel. Confess. lib.* 2. *c.* 9. *n.* 2. ubi putat, hanc resolutionem esse de fide. Cujus ratio

ratio clare constat ex S. Scriptura *Eccl.* 4. ubi dicitur: *Eleemosynam pauperis ne defraudes*: & rursus *Luc.* 11. *verumtamen, quod superest, date eleemosynam*. Et ne quis putaret, elargitionem eleemosynæ esse sub consilio duntaxat, non autem sub præcepto, Christus Dominus *Matth.* 25. protestatur, se in die judicii ob denegatam sibi (in pauperibus scilicet) eleemosynam dicturum hujusmodi immisercordibus impiis: *Discedite a me maledicti in ignem æternum: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare* &c. atqui nullus damnabitur ob neglectum consilium tantum, sed ob neglectum præceptum: ergo evidens est, eleemosynam cadere sub præceptum.

Quæres jam sexto, quinam possint dare Eleemosynam?

273. R. Omnes illi & soli possunt, quibus competit rei dominium, & libera administratio: Alii autem non possunt nisi de obtenta, vel certe rationabiliter præsumpta licentia Domini. Ita ex *Communi DD.* Herincx *loc. cit. num.* 23. Matthæucci *cit. num.* 22. *& seqq.* Ratio clara est: quia elargitio eleemosynæ est actus donationis, vi cujus dominium transfertur in donatarium, at, illi duntaxat possunt donando transferre dominium in donatarium, qui habent dominium expeditum in rem; unde & *l.* 7. *ff. de donat. donatio* dicitur *quædam rerum suarum jactatio*: ergo illi duntaxat eleemosynam dare possunt &c. Ex quibus liquet, quod uxor de bonis sibi cum Marito communibus, filiusfamilias de bonis Parentum, servi & ancillæ de bonis dominorum suorum, Religiosi denique de bonis Monasteriorum suorum, in eleemosynam dare nequeant ultra id, ad quod se extendit licentia rationabiliter præsumpta, uti jam dictum fuit. Secus dicendum, si uxor habeat bona paraphernalia, vel alia sibi propria, vel si filius habeat bona castrensia &c. Nam de his, utpote suo dominio & liberæ dispositioni subjectis, possunt procul dubio donare pauperibus, & donando laudabilissime nec minus meritorie faciunt.

Quæres septimo, quibusnam pauperibus, & de quibus bonis aliquis teneatur dare Eleemosynam?

274. Ante responsionem necessario animadvertendum hic venit triplex necessitas proximi, cui succurrendum est; nam alia dicitur *extrema*, *gravis* alia, & alia *communis*. Extrema dicitur illa, quando quis defectu subsidii necessarii periclitatur de vita, vel propterea deberet incurrere aliud gravissimum damnum morti æquivalens saltem in morali hominum existimatione, uti sunt abscissio membri cujusdam principalis, carceris perpetui, infamiæ publicæ &c. Gravis necessitas appellatur, vi cujus imminet vere grave malum, utputa si homo deberet subire carcerem, vel notabilem jacturam bonorum, vel si deberet propterea deserere suum statum honeste acquisitum, si homo nobilis deberet serviliter laborare, vel, quod minus conveniens, mendicare &c. Denique in communi necessitate dicuntur versari illi pauperes triviales, qui vel in plateis vel alibi coguntur emendicare subsidia, & alii pauperes (uti vocant) domestici, qui ob conditionem status erubescunt mendicare, reipsa tamen non nisi cum magna difficultate sibi suisque necessaria ad convenientem vitæ statum procurare possunt, qui propterea subinde majori commiseratione digni sunt, quam alii pauperes triviales, quibus neque sanguinis, neque etiam status sui conditio prohibet postulare eleemosynam. Videantur dicta *de restit. Confer.* 10. *n.* 271.

275. Animadvertendum insuper est prius secundo, ex bonis corporalibus alia dici necessaria 1. ad vitam seu naturam, 2. alia necessaria ad status conservationem, denique 3. alia dicuntur superflua respective ad unum vel alterum statum. Ad naturam necessaria dicuntur, sine quibus aliquis vel propriam, vel suorum vitam sustentare non posset: quæ vero requiruntur non ad ipsam vitam, sed ad conditionem sui status v. g. nobilis &c. conservandam, appellantur necessaria ad conditionem status.

Denique illa bona, quæ nec ad vitam propriam vel suorum, neque ad conditionem status sunt necessaria, eo quod sine illis conservari possit tam vitæ, quam etiam condecens status & fami-

familiæ conditio, merito reputantur superflua seu superabundantia. Quocirca tamen bene notari debet, quod illa dicantur superflua statui, sine quibus *status præsens* convenienter potest conservari, veluti Doctor Angelicus 2. 2. *q.*32. *artic.* 5. *ad* 3. sapientissime tradit, inquiens, *superflua esse, quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest: nec oportet, quod consideret ad omnes casus, qui possent contingere in futurum; hoc enim esset de crastino cogitare; quod Dominus prohibet Matth. 6. sed debet dijudicari superfluum & necessarium secundum ea, quæ probabiliter, & ut pluribus occurrunt.* Ex quo cernere licet, quam juste ab Innocentio XI. damnata fuerit sequens propositio, inter alias *num. duodecima*: *vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui; & ait vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Videatur Cardenas *in Crisi Theolog. dissert.* 9. *c.* 1. & 2.

256. R. Jam ad propositam quæstionem 1. Proximo quantumvis in extrema necessitate constituto nemo quidem tenetur dare eleemosynam de bonis temporalibus sibimet ad propriam, vel suæ familiæ, Uxoris scilicet ac prolium &c. vitam conservandam necessariis; bene tamen 2. de necessariis ad solum statum conservandum. Ita *cum communi Doctorum* docet Castropalao *part.* 1. *tract.* 6. *disp.* 2. *punct.* 2. *num.* 5. & Matthæucci *loc. cit. cap.* 9. *num.* 6. Ratio prioris est hæc: quia propria vita secundum rectam rationem præferri debet vitæ alienæ; etenim & ordo charitatis postulat, ut quisque seipsum magis diligat, quam proximum, ideoque etiam sibi potius ac suis, quorum cura sibi incumbit, prospiciat, quam alienis: excipiunt tamen circa hoc Doctores casum, quando proximus esset persona publica, ex cujus interitu bonum publicum pateretur; vita namque privata postponenda est utilitati, & bono communi juxta rectam rationem. Verum hic casus utpote rarissimus parum negotii dabit Confessario in praxi.

Ratio posterioris pariter colligi debet ex ordine charitatis, qui nos obligat, ut vitam proximi præferamus propriæ dignitati vel etiam statui, ideoque ex iis saltem, quæ superflua sunt proprio statui, succurramus, ad vitam proximi quomodocunque conservandam.

277. R. secundo ad idem quæsitum. Proximo in necessitate vere gravi constituto tenemur succurrere non tantum de superfluis, verum insuper de utilibus, & non valde necessariis ad statum & decentiam personæ nostræ. Ita rursus Castropalao *cit. pu.* 2. *num.* 13. Babenstuber *tract.* 5. *disp.* 1. *art.* 5. *num.* 13. Henno, & alii. Ratio huius desumitur ex illo 1. *Joann.* 3. *filioli mei, non diligamus verbo neque lingua* (tantum scilicet) *sed opere & veritate*: At qui pauperi in vere gravi necessitate constituto non succurrit de iis, quæ sibi superflua sunt, vel certe non necessaria ad conservationem sui status, non diligit proximum suum opere & veritate. Hinc Doctor Gentium 1. *Timoth.* 6. *scribit*: *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere*, scilicet necessitate præsertim gravi laborantibus.

278. R. iam tertio. Pauperibus in communi duntaxat necessitate constitutis tenetur succurrere, quisquis habet bona nedum naturæ, sed etiam statui suo superflua. Ita *communissime* DD. post S. Thom. 2. 2. *q.* 32. *artic.* 5. Ratio huius satis evidens desumitur ex illo 1. *Joan.* 3. *cap. qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas DEI manet in eo?* Profecto videtur quædam inordinatio gravis, ita esse addictum opibus huius sæculi, ut stante etiam abundantia illarum renuat quis proximo suo ad imaginem DEI creato succurrere, tametsi absque ullo detrimento posset. *Dives igitur* (sunt verba R. P. Babenstuber *tract.* 5. *disp.* 1. *art.* 5. *num.* 19.) *qui propositum habet nunquam subveniendi pauperibus, communem necessitatem patientibus, ideoque universim mendicos eleemosynam petentes repellit, in malo statu esse, merito censetur*: licet fatendum sit, quod nemo teneatur omnibus dare, neque huic vel illi (in communi tantum necessitate constituto, ut supponitur) dare; sed tenetur distri-

ſtribuere ſecundum quod ſibi viſum fuerit opportunum, inquit S. Thomas *quodl.* 8. *art.* 12.

279. Quocirca tamen bene advertendum eſt, poſſe procul dubio ſæpe ſæpius intervenire cauſas rationabiles, hic & nunc excuſantes ab omni, vel certe a gravi peccato illos, qui renuunt dare, vel non dant eleemoſynam; nam in primis ab omni culpa eximendus eſt, qui huic vel illi pauperi non ſuccurrit, eo quod ignoret illius indigentiam. Nec non 2. ille qui rationabili motivo ductus huic vel illi pauperi triviali nihil dat, vel quia ſcit, dari alios magis egentes, vel quia nimis importune, vel etiam loco aut tempore minus opportuno poſtulavit. Vel tertio quia ſcit, dari alios, qui hujus vel illius neceſſitati ſuccurrere velint, vel omnino debeant.

At contra hoc inquies: ſi talis præſumptio excuſet a gravi peccato, plane cogimur fateri, quod nemo prorſus teneatur dare eleemoyſnam pauperibus, communi duntaxat neceſſitate laborantibus; nam quivis poterit prudenter præſumere dari adhuc alios, qui aut velint, aut etiam debeant ſuccurrere indigentiæ hujus vel illius.

280. R. Negando illatum; nam ſi nulla eſſet obligatio dandi eleemoſynam, procul dubio pauciſſimi darent: at, hoc ipſo non poſſet quivis prudenter ſupponere, dari alios, qui velint aut debeant pauperibus ſuccurrere, ut de ſe liquet: ergo ex hoc argumento potius inferendum videtur, quod divites & mediis abundantes teneantur ſuccurrere pauperibus congrua eleemoſyna.

Quæres denique octavo, utrum vi hujus præcepti (de danda ſcilicet eleemoſyna) teneamur proximo indigenti ſuccurrere gratis, an vero ſufficiat, quod eidem ſuccurratur cum onere, ſcilicet denuo refundendi id, quod datum fuit?

281. R. Cum diſtinctione. Vel enim ſupponitur is, qui hic & nunc in extrema neceſſitate verſatur, eſſe talis, qui ſaltem alibi habet bona propria ſive in re, ſive etiam in certa ſpe, utputa infallibiliter obtinenda ex hæreditate, aut ex proprio labore? Vel vero ſupponitur eſſe talis, qui neque hic, neque alibi, nec in re, neque in ſpe habet bona propria, ex quibus compenſare valeat id, quod fuit datum? ſi prius: dicendum, quod tali nemo teneatur gratis, id eſt, ſine onere recompenſandi ſuccurrere, bene vero ſi ſupponatur hoc poſterius. Ita cum *communiori* DD. tenet Caſtropalao *tr.* 6. *diſp.* 2. *punct.* 4. *num.* 2. & 5. Ratio prioris eſt: quia in ejuſmodi caſu proximus revera nequit dici abſolute conſtitutus in extrema neceſſitate: neque enim reipſa extreme pauper dici poteſt, qui alibi habet bona vendibilia, aut oppignorabilia: quin immo vel ſola ſpes aquirendi tanto pluris æſtimatur, quanto major eſt aut certior: ergo talibus nemo tenetur gratis omnino ſuccurrere, ſed ſatisfacit charitati mutuando interim cum onere denuo refundendi. Ratio autem poſterioris peti debet ex dictis *numer.* 273. quia ſcilicet nomine eleemoſynæ intelligitur gratuita & liberalis donatio facta aut facienda in ordine ad ſublevandam indigentiam pauperis: at, qui nec in re, neque in ſpe quidquam habet, ſimulque hic & nunc extreme indiget, procul dubio opus habet eleemoſyna: ergo huic gratis & ſine onere ſuccurrendum erit. Et certe, ſi neque in hoc caſu quiſpiam teneretur gratis ſuccurrere indigenti, prorſus e medio tolleretur obligatio dandi eleemoſynam; quod tamen a Theologo Chriſtiano, ne dicam Catholico, minime admittendum eſt. Videatur Laymnan *l.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *numer.* 6. vel Filliucius *tr.* 28. *c.* 3. *n.* 80.

Dices contra hoc. Præceptum Eleemoſynæ ſolum obligat ad ſublevandam indigentiam proximi: atqui hæc ſublevatur etiam tunc, quando pauperi ſuccurritur cum onere denuo recompenſandi id, quod præſtitum fuit tempore neceſſitatis: ergo &c.

282. R. *Negando Majorem abſolute*, vel gratis diſtinguendo, præceptum eleemoſynæ ſolum obligat ad ſublevandam indigentiam proximi, & quidem gratuito, *concedo*. Non gratuito, *ſubdiſt.* quando indigens habet alibi bona in re, vel certe in probabiliſſima ſpe, *concedo*; tunc enim præceptum eleemoſynæ non ob-

obligat simpliciter : quando indigens nulla prorsus habet bona , neque in re , neque in spe , *neg. Major. cum conseq.*

§. I I.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici circa Eleemosynam pauperibus elargiendam.

CASUS PRIMUS.

TItia *fœmina non minus astuta quam malitiosa , quo facilius genio suo posset indulgere , hinc inde apud Nobiles præsertim , quibus hactenus fuit incognita , pauperrimam se dictitabat , quos , ut facilius ad misericordiam inflecteret , finxit , se uterum gestare , & partui jam proximam : quin & nuper insigniter quendam Confessarium decepit , dum sub specioso schemate , quod hujus extremæ necessitatis causam nulli præterquam Confessario aperire possit , eundem eo adduxit , ut a quodam Patrono notabilem eleemosynam sibi impetraret ; hanc vero (more solito) magna ex parte , licet nondum ex integro consumpsisse , vel potius dilapidasse fatetur . Quæritur jam 1. an , vel quomodo Titia peccaverit ? 2. An revera obtinuerit dominium eleemosynarum hinc inde tam subdole expracticatarum ?*

283. R. ad primum . Titia graviter peccavit . Ita ex communi DD. Matthæucci *lib. 2. cautel. Confessar. cap. 9. num.* 31. Ratio est : quia cum gravi dolo & deceptione petiit & accepit rem alienam Domino rationabiliter invito , qui , si cognovisset fictionem , probabiliter nunquam dedisset huic personæ eleemosynam . Nec refert , quod fortassis a pluribus non obtinuerit quantitatem notabilem ; quia saltem habuit animum malitiose obtinendi , scilicet sub ficto paupertatis extremæ titulo .

Insuper eo ipso aliis pauperibus haud exiguam intulit injuriam ; partim quia hæc eleemosyna alteri pauperi fortassis fuisset data ; partim etiam ex eo , quod si Dominus resciverit , se fuisse ab hac fictitia paupere insigniter deceptum , deinceps procul dubio non amplius erit tam liberalis , quo fiet , ut alii vere indigentes destituantur subsidio charitativo . Accedit insuper , quod Titia in ordine ad palliandam suam nequitiam abusa fuerit Sacramento pœnitentiæ : nec dubium , quin si in ipso actu Confessionis decepit Confessarium , in materia tam notabili mentiendo , sacrilege fuerit absoluta , velut indisposita & merum ficta pœnitens . Secus quoad hoc ultimum dicendum foret , si supponatur extra Confessionale imposuisse Confessario .

284. R. jam ad secundum quæsitum hujus Casus , Doctores minime convenire quoad hoc ; Lessius namque *lib. 2. de just. cap. 18. dubit. 17. num.* 132. ConincK , Soto & alii plures absolute affirmant , pauperem fictitium aquirere dominium eleemosynæ , eo quod pie præsumendum , quod Dominus eam principaliter voluerit elargiri ob amorem DEI & proximi , & secundario duntaxat ac minus principaliter ad sublevandam indigentiam hujus vel illius pauperis ; esto proin hoc secundum motivum , vel potius finis secundarius supponatur fallere , quia tamen adhuc subsistit primarius , hinc valida censeri debet donatio &c. &c. quemadmodum matrimonium valet , si habes animum ducendi hanc , quam putas divitem , esto talis non sit .

Econtra vero communior Sententia , cui subscribunt Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 3. Herincx *de charit. disp.* 12. *num.* 32. Henno *de virtut. disp. 6. q. 12. art. 1. conclus. 6. circa finem* , Castropalao *tract. 6. disp. 2. punct. 14. numer.* 5. Babenstuber *ubi supra numer.* 26. Navarrus & alii absolute negant , a paupere fictitio aquiri dominium ; quia inquiunt , eleemosyna ex sua natura importat donationem liberalem , quæ pro motivo essentiali respicit sublevationem pauperis : ergo si is , cui datur non sit verus , sed fictitius pauper duntaxat , cessat ex parte dantis voluntas donandi , & hoc ipso voluntas transferendi dominium . Ego cum P. Vega *in Summa part. 2. cap. 21. cas.* 3. existimo , utramque sententiam mox relatam esse vere probabilem , prout rationes utriusque perpendenti facile constabit , ni fallor .

Er-

Ergone, inquies, Titia a Confessario obliganda est, ut eleemosynas hinc inde fraudulenter obtentas restituat?

285. R. Si certo constaret, quod Dominus noluerit dare eleemosynam, nisi vere pauperi, vel sub tacita saltem conditione paupertatis realis, procul dubio Titia a Confessario foret obliganda ad restituendam pecuniam acceptam vel ipsi Domino immediate, vel saltem aliis vere pauperibus, idque ob rationem mox datam pro sententia Scoti & aliorum sequacium. Nihilominus cum inprimis certo non constet, quod dans hujusmodi subsidium nolit transferre ejus dominium nisi in vere pauperem, aliunde vero Confessarius hanc obligationem vix, aut ne vix quidem persuaderet, ita, ut merito timendum, ne talis persuasio potius vergat in laqueum animæ; hinc censeo, eum omnino prudenter facturum, si interdicta deinceps hac malitiosa praxi, ceteroquin obligationem restitutionis omnino dissimulet, præsertim respectu illorum, a quibus modicum accepit; quia de talibus facilius præsumere licet, quod non desiderent tam modicum sibi refundi. At vero si quantitas eleemosynæ sit valde magna, vel si sit per modum gratialis continuanda v. g. annuatim, vel de mense in mensem &c. omnimodis obligandam existimarem Titiam, ut sin minus per se ipsam saltem per alium virum prudentem satagat explorare mentem Patroni dantis, an scilicet is esset contentus, si sciret, se quandam eleemosynam notabilem distribuisse, vel deinceps etiam distributurum ficto duntaxat pauperi, an vero potius exigeret eandem sibi restitui, aut certe deinceps non amplius daret: quo facto haud quaquam erit difficile Titiæ dare resolutionem congruam. Videatur Lessius *loc. prox. cit.* Vel ConincK *disp.* 27. *dub.* 6. Castropalao *tr.* 6. *disp.* 2. *pu.* 14. *n.* 4.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius amplam hæreditatem a Parentibus sibi relictam intra respective exiguum temporis Spatium, non quidem in pauperes (quibus ne obulum quidem vel nummum unquam dederat) sed in luxum, commessationes & alia familiæ suæ probra expendendo, vel potius dilapidando consumpsit: modo miserrima egestate pressus, & nedum ab illis, quibus paulo ante benefecerat, verum etiam ab amicis seu consanguineis, quos hoc vivendi genere haud modicum afflixerat, derelictum se sentiens, velut alter filius prodigus dissipata jam substantiæ portione hinc inde stipem postulat, sed qui succurrere velit, nemo est: enim vero ab extraneis jubetur implorare amicorum seu etiam consanguineorum suorum opem; hi vero eundem repellunt, causantes, esse perditum quidquid impenditur Sempronio, quippe qui solet abuti amicorum suorum beneficentia ad prostitutionem suæ familiæ. Dubitatur jam primo, num Sempronius censendus sit graviter deliquisse ex eo, quod de sua substantia, ampla scilicet hæreditate, nullam prorsus fecerit eleemosynam? 2. Utrum Consanguinei teneantur eidem succurrere subsidio charitativo?

286. R. Ad primum practice loquendo videtur Sempronius non esse condemnandus gravis peccati (nisi fortassis cuipiam in extrema vel certe gravi necessitate constituto etiam rogatus negasset subsidium charitativum eo tempore, quo adhuc mediis abundavit) Ratio hujus resolutionis est: quia tametsi mediis abundantes teneantur per se loquendo sub gravi obligatione pauperibus in communi necessitate constitutis stipem dare; nihilominus plusquam certum est, quod hujusmodi homines assueti genio suo indulgere, & commessationibus sua bona dilapidare, hanc obligationem gravem vel non apprehendant, vel certe etiam ea non apprehensa pauperibus hinc inde tribuant, dum nimia prodigalitate bona sua dissipantes nullam quasi metam suæ liberalitati ponunt, quousque tandem mediis deficientibus, volentes nolentes eo adiguntur.

287. R. Jam ad secundum quæsitum: Consanguinei vel alii propinqui tenentur quidem Sempronium liberare ab extrema necessitate eidem suppeditando media ad vitæ sustentationem necessaria, nisi is aliunde sibimet sufficiat ad procurandam sustentationem congruam: quia secundum dicta *n.* 276. proximo in extrema necessitate constituto quivis abundans mediis (quid ni a fortiori consanguineus? &c.) tene-

tenetur succurrere. Nihilominus cum Sempronius supponatur nedum sua bona cum dedecore & prostitutione familiæ suæ dilapidasse, & fortassis adhuc plura contraxisse debita, quibus solvendis non amplius par est, judico, quod ab istis oneribus non teneantur eundem eximere, esto etiam propterea fuisset incarceratus; supponitur enim voluntarie sese conjecisse in talem necessitatem, & quidem cum dedecore suæ familiæ; tum etiam quia consanguinei sine permagna difficultate non poterunt eum liberare &c. Et quis, amabo! prudenter obligabit consanguineum, immo & Parentem, ut filium, quem longa consuetudine expertus fuit omnia dilapidare & abligurire, etiam cum detrimento & prostitutione suæ familiæ, quis inquam talem obligabit, ut eundem post dilapidatam substantiam sibi competentem, & post contracta fortassis plura debita, redimat a vexa creditorum vel a carcere?

CASUS TERTIUS.

Caja paupercula multum conqueritur, quod jamjam extrema paupertate & indigentia prematur; partim quia Marito suo non permittitur, ut suum opificium libere exerceat; partim etiam, quia stante moderna ordinatione non amplius fas est mendicare: & licet de communi pauperum cassa singulis septimanis recipiat aliquot crucigeros, hanc tamen eleemosynam ait nequaquam sufficere ad procurandum victum, sibi, quinque prolibus, & Marito necessarium, multo minus ad solvendum censum pro habitatione, ad ligna, luminaria, & alia hujusmodi procuranda: his de causis nedum conqueritur, sed potius murmurat mirum in modum contra illam constitutionem, vi cujus prohibitus fuit conquestus eleemosynarius. Quæritur jam 1. an Cajæ querelæ sint justæ? 2. quid eidem a Confessario fuerit consulendum?

288. R. Ad primum quæsitum, Cajam non juste, sed male fuisse conquestam, & pejus adhuc murmurasse contra illam constitutionem, vel potius contra illius auctores. Ratio est: quia dicta constitutio sapienter omnino fuit facta, tum ad tollendam hominum inertium ignaviam & desidiam, tum etiam ad stimulandam eorum solertiam: experientia enim docuit, quamplures illa facultate libera mendicandi fuisse abusos ad ignaviam, otium, immo & alia graviora vitia, qui, tametsi potuissent laborando sibi procurare necessaria, maluerunt tamen mendicando id præstare, quatenus possent liberius indulgere otio. Quare cum hujusmodi fæx Reipublicæ sit summopere nociva, & ex libera facultate mendicandi passim omnibus, etiam vagabundis plerumque vitiis deditis, concessa, teste experientia nata sint sequi plurima incommoda & damna Reipublicæ, merito fuit introducta memorata constitutio, vi cujus ex communi pauperum cassa jubetur subveniri vere indigentibus. Videatur de hoc Herincx *cit. disp.* 12. *n.* 30. & 31.

289. R. Jam ad secundum quæsitum. Caja a Confessario jubeatur quærere primum Regnum Dei & justitiam ejus, scilicet observando mandata, Deum super omnia amando, præ oculis habendo, & rogando &c. una cum suis prolibus, & firmissime sperando in divinam providentiam, quæ juxta infallibile promissum Christi Domini *Matth.* 6. *v.* 33. *eis adjiciet omnia necessaria.* 2. Edoceatur, illam constitutionem, quantumvis odiosa videatur pauperibus, non fuisse factam sine vere gravibus & ponderantibus motivis mox allegatis, ideoque jubeatur nedum omnem malevolentiam deponere, sed deinceps etiam cavere ab omni detractione & dicteriis &c. 3. Eidem bene inculcetur, neque Principem, neque Magistratum aut Rempublicam teneri ad simpliciter, & quidem gratis omnino, sustentandas integras familias; neque enim hoc foret possibile: sed solum ad succurrendum indigentibus pro possibili: principalem vero curam providendi de necessariis tum sibi, tum Uxori etiam & prolibus, tam jure naturali, quam etiam civili incumbere Patrifamilias, qui, si non permittatur libere suum opificium exercere (prout sane justissime prohiberi potest multis, præsertim extraneis) conari debet alio labore conveniente sibi suisque lucrari panem, & interim suam inopiam tanto libentius ferre, quanto liberius prævisa

hac

hac indigentia & impossibilitate se, uxorem ac proles nasciturας alendi, in talem necessitatem sese conjecit, dum matrimonium iniit.

At vero, inquies adhuc: quanta hæc est miseria, vel potius immisericordia, quod pauperes extranei præsertim, qui ob amorem fidei seu veritatis Catholicæ, Patria, Parentibus, quin & melioris fortunæ spe contemptis, aut certe postpositis ad civitatem Catholicam confugiunt, fidem Catholicam hæresi abjurata profitentur, & ferventissime Deo servire noscuntur, nihilominus non solum congruam sustentationem obtinere nequeunt, sed potius hac civitate relicta alio, vel omnino in patriam redire jubentur, utique non sine evidenti periculo denuo reincidendi in antiquam hæresin?

290. R. Ex supposito, quod talis homo revera amore veritatis duntaxat professus fuerit Catholicam fidem, & in hac Deo ferventer servire noscatur, male procul dubio facturum, quisquis eundem compulerit ad deserendam civitatem vel locum Catholicum, & ad redeundum in patriam; quia cum talis homo nedum jure naturali, sed & divino teneatur manutenere veritatem semel agnitam, nec non de sibi ad vitæ corporalis sustentationem necessariis providere, profecto nedum contra charitatem proximo debitam, sed etiam contra justitiam peccare convincitur, quisquis hujusmodi pauperculo vitæ subsidia nedum e communi pauperum cassa negat, sed insuper prohibet, ne mendicando charitativum subsidium hinc inde quærat, vel quod adhuc pejus est, eundem compellit ad redeundum in Patriam acatholicam, non sine evidenti periculo salutis æternæ. Rationem hujus liquido colligere fas est ex hactenus dictis: quia constituto in extremo vel certe gravissimo periculo nedum tenemur virtute charitatis pro viribus succurrere, sed insuper virtute justitiæ obstringimur eundem non impedire, quo minus mediis licitis sibi comparet necessaria ad salutem animæ vel etiam corporis.

At vero, quod subinde cum similibus solito rigidius procedatur, fortassis in causa est: quia pauci reperiuntur, qui præcise amore veritatis seu fidei Catholicæ ducti hanc profitentur: plurimi econtra deprehenduntur, qui ob alia motiva profana, utputa ob sustentationem, ampliorem promotionem & similia potius simulant, se velle accedere Ecclesiæ, reipsa autem semper manent Catholici, tepidi, immo nullius prorsus valoris, utpote otio, aliisque vitiis dediti, existimantes sibi deberi commodam sustentationem apud Catholicos vel ideo duntaxat, quod fidem Catholicam fuerint saltem pro foro externo amplexi; unde etiam hac negata non raro audiuntur nedum conqueri, sed potius minitari, quod velint denuo velut canes reverti ad vomitum, seu amplecti hæresin semel abjuratam, minime advertentes, quod ex tali relapsu sibi potius, quam Ecclesiæ aut veræ fidei noceant. Sapienter proin omnino fit, dum in talium vitam ac mores exactius indagatur, quatenus veris fidei ac veritatis Zelatoribus opportnno charitatis subsidio subveniatur, aliis vero hypocritis id, quod minime debitum, subtrahatur. Videantur de hoc Bonacina *disp.* 3. *de char.* *q.*4. *pu.* 6. *n.* 19. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 5. *n.* 23. vel Herincz *part.* 3. *tract.* 1. *disp.* 12. *n.* 30.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

291. Colliges ex hactenus dictis primo, a Confessario modeste adhortandos, vel, ubi opus fuerit gravius objurgandos esse illos divites, qui mediis & pecuniis abundantes pretiosa quæque recludunt in suis cistis, pauperibus vero charitativa vitæ subsidia negant; prout multorum perversa praxis, vel potius avaritia fert. Ratio huius desumitur ex illo Apostoli 1. *Timoth.* 6. ubi ait: *divitibus hujus sæculi præcipe* (NB. non dicit consule) - - *facile tribuere*: ergo si huic obligationi nolint satisfacere, a Confessario debent modo congruo ejusdem admoneri vel omnino redargui. Hinc noster Henno *tr. de virtut. disp.* 6. *q.* 12. *conclus.* 3. *Resol.* 2. non abs re ait: Confessarios, qui huiusmodi hominum Confessiones excipiunt, se suosque pœniten-

tes perdere, nisi serio de illorum obligatione ipsos moneant.

292. Colliges secundo, quam DEO & naturæ humanæ sint exosi divites illi, præsertim Ecclesiastici, qui tempore publicæ necessitatis granaria frumentis redundantia reclusa tenent sub spe majoris pretii aut lucri; quibus *Proverb.* 11. haud immerito dicitur: *qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; Benedictio autem super caput vendentium.* Ita Castropalao *tr. 6. disp. 2. pu.* 5. Kresslinger *in addit. post. n.* 42. *ad tr.*4. *dist.* 6. *theol. mor. R. P. Reiffenstuel.* Henno *loc. cit. Resol.* 3. qui mox *Resol.* 6. ulterius subdit *lethalis culpæ reos esse illos, quibus ob vestium pompam, epulas frequentiores & splendidiores, ædium magnificentiam, ludos immoderatos, curiositatis lenocinia, & equorum multitudinem, nihil superest dandum pauperibus; quia revera substantiam pauperum devorant:* nam juxta D. Thomam 2. 2. *q.* 66. *art.* 7. *Res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum* (NB. non canum aut equorum superfluorum) *sustentationi*, & rursus *q.* 78. *art.* 1. *ad* 4. ait idem Doctor Angelicus: *Dominus non solum decimam partem; sed omnia superflua jubet exhiberi pauperibus.*

293. Colliges tertio, Medicos & Chyrurgos, qui pauperibus graviter decumbentibus, eo quod solvendo non sint, operam suam negant sine graviori & justa causa, graviter peccare: idipsum tenendum est de Medico spirituali, præsertim ex justitia obligato, uti sunt DD. Parochi & Pastores animarum; necnon de Advocato, qui renuit gratuito suscipere patrocinium pauperis, non habentis alium, a quo in judicio defendatur, dum miser versatur in gravi periculo, v. g. ne injuste damnetur capitis vel ad triremes vel ad carcerem perpetuum &c. Ratio colligitur a simili; sicut enim is, qui negat subsidium ex bonis sibi superfluis proximo graviter indigenti, eum non diligit opere & veritate, ita nec ille, qui denegat alia auxilia circa suum detrimentum, præstabilia. Aliud dicendum foret, inquit Sylvester *Verb. Advocatus num.* 11. si Advocatus ipse (idem dic de Medico & Chirurgo) esset tam pauper, ut gratis patrocinari non possit. Videatur Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 6. *num.* 5. vel Bonacina *de charit. q.* 4. *pu.* 6. *n.* 9.

At quid, si pauper lethaliter decumbat, simulque moraliter certo prævideatur, fore, ut pristinæ sanitati restituatur, casu quo eidem pharmaca pretiosissima applicarentur: econtra vero fore, ut moriatur, si eidem applicentur minus pretiosa & minus efficacia, tenebiturne Pharmacopola præsertim dives, vel alii bene habentes cum magnis etiam sumptibus similia gratis administrare vel procurare?

294. R. Cum Castropalao *tr.* 6. *disp.* 2. *pu.* 2. *n.* 8. Laymanno *cit. n.* 4. Sporer *tr.* 3. *in decalog. c.* 6. *n.* 51. Negative. Ratio est, quia ipsusmet infirmus quantumvis potens & mediis abundans, vi charitatis sibimet debitæ non teneretur magnam summam expendere in ejusmodi media extraordinaria, sed satisfacit huic præcepto utendo mediis ordinariis: ergo multo minus tenetur alius quantumcunque dives eidem gratis subministrare medicamenta tam pretiosa & hoc ipso extraordinaria. Ob eandem rationem nemo tenetur pro salvanda vita proximi, quam inimicus injuste, vel a fortiori Judex juste adimere tentat, expendere valde notabilem summam v. g. centum aut plures aureos; secus enim facile contingere posset, ut passim inimicus suum adversarium conaretur redigere ad eas angustias, in quibus alter bene habens cogeretur pro eodem magnam expendere summam. Excipit tamen Sporer; nisi persona in tali necessitate constituta sit conjunctissima, ut filius Patri aut Matri; quia talem etiam aliquot millibus existimat redimendum, si status vel sunt superflui, vel non admodum necessarii. Verum hic casus erit rarissimus; nec dubium, quin etiam in hoc omnibus bene perpensis dari possit causa excusans v. g. Parentem, quo minus filium degenerem liberet.

295. Colliges denique quarto, vi magni mandati de diligendo scilicet proximo nos duntaxat adstringi ad succurrendum in quantum moraliter, id est, sine permagna difficultate possumus, proximus indiget: tum quia charitas utpote benigna, non obligat ad moraliter im-

impossibile; tum etiam quia non obligat, nisi proximus supponatur constitutus in aliqua necessitate: ergo ubi vel deficit necessitas, vel occurrit moralis impossibilitas, cessat obligare charitas. Ex quo facile liquet, quod si proximus eget duntaxat usu rei v. g. usu equi vel navis vel etiam vestis &c. ad evadendum periculum ex injusta persecutione sibi imminens, non tenearis eidem dare dominium equi aut vestis &c. sed satisfacias dando solum usum. Videatur Laymann *loc. cit. n.* 6. Castropalao *ubi supra punct.* 4. *n.* 1. vel Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 5. *num.* 18.

CONFERENTIA

DECIMA.

De Correctione Fraterna.

SUMMARIUM.

296. *Nomine Correctionis Fraternæ intelligitur monitio charitativa ad emendationem proximi.*
297. *Quæ non tantum lege naturali, sed & divina positiva debetur proximo delinquenti vel erranti &c.*
298. *Suppositis tamen nonnullis circumstantiis;*
299. *Unde hoc præceptum omnes quidem obligat, sed non omnes æqualiter.*
300. *In modo corrigendi per se loquendo observandus est ordo a Christo Domino præscriptus;*
301. *Nisi ex certis circumstantiis prudentia aliud dictet.*
302. *Superiores Religiosi juste possunt præcipere, ut Frater Fratrem, socius socium delinquentem immediate denunciet sibi, Superioribus scilicet, quando delictum tale est, ut inde publica infamia vel damnum possit redundare in totam Religionem.*
303. *Non item quando delictum nemini, præterquam ipsimet delinquenti nocivum est, simulque sperari potest fructus ex correctione Fraterna; Excipe rursus:*
304. *Nisi talis Religiosus supponatur sponte renunciasse juri in suam famam &c.*
305. *Quidnam Superiori agendum, casu quo is intelligit, delictum aliquod prætermissa correctione Fraterna sibi immediate fuisse delatum?*
306. *Resolvitur Casus I. cujusdam famulæ, referentis suspectum lascivum commercium filiæfamilias cum suo proco;*
307. *Quæ a Confessario eo adigenda fuit, ut pro possibili illud impediret.*
308. *Secus dicendum, si moraliter loquendo id non potuisset.*
309. *Resolvitur Casus II. cujusdam Mariti, gravati uxore ac famulo vitiis admodum deditis.*
310. *Utrum vel quomodo ancilla teneatur corrigere Dominam, vel etiam famulum vitiis deditum?*
311. *Quid si Maritus vel alius Superior supponatur eidem vitio subjectus cum uxore aut subdito?*
312. *Quænam cautelæ observandæ sint præsertim Religioso, cogitanti alium denunciare suo Superiori?*
313. *Resolvitur Casus III. cujusdam Religiosi dubitantis, an teneatur suum Confratrem immediate denunciare suo Superiori.*
314. *Et quid, si hoc statutis particularibus vel generalibus Ejusdem Religionis præcipiatur.*
315. *Hoc præceptum de Correctione fraterna utpote affirmativum duntaxat, non obligat pro semper, ideoque nonnunquam prudenter potest, immo debet differri correctio.*
316. *Nihilominus per se loquendo tanto obligat strictius, quanto delictum est majus vel perniciosius etiam soli delinquenti.*
317. *Religiosis sæpius incumbit, quam sæcularibus obligatio corrigendi proximum etiam venialiter tantum delinquentem.*
318. *Idque a fortiori intelligendum est de Superioribus Ecclesiasticis & Religiosis.*
319. *An subditus, animadvertens a Superiore dissimulari aut prætermitti correctionem fraternam, teneatur illam supplere?*
320. *Concionatores volentes e suggestu corrigere aut carpere vitia populi, uti*

uti debent magna discretione & circumspectione.

321. *Nemo tenetur proximum fraterne corrigere, nisi certo constet, eum deliquisse.*

322. *Neque etiam in casu, quo dubitatur, sitne correctio privata & fraterna profutura potius, quam obfutura;*

323. *Nisi delinquens supponatur constitutus in mortis articulo, & de salute æterna periclitari.*

§. I.

Proponuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Correctione fraterna.

QUæres primo, quid sit correctio fraterna?

296. R. Nomine Correctionis fraternæ intelligitur monitio charitativa proximi ad emendandum, vel etiam impediendum ipsius peccatum. Ita *in re Communis DD.* esto in modo hujus descriptionis non nihil varient. Dicitur autem monitio charitativa; tum quia a charitate præcipitur; tum etiam quia corrigens debet duci motivo charitatis, ad emendationem scilicet & ad bonum spirituale proximi, non vero ad ejusdem punitionem, uti facit Judex.

Dicitur 2. *ad emendandum, vel impediendum peccatum &c.* tametsi enim ordinarie correctio fraterna fieri non soleat, immo nec debeat, proximus jam peccaverit, juxta illud Christi Domini *Matth.* 18. *si peccaverit in te frater tuus, corripe eum* &c. quia tamen hoc præcepto nil aliud intenditur nisi bonum animæ, prout *loc. cit.* patenter innuitur; hinc rationabiliter omnino fieri potest ac debet, casu quo proximus prævidetur lapsurus, nisi moneatur, aut corrigatur; quod vel maxime etiam Superioribus Religiosis observandum est, ubi prævident delictum subditi &c. &c.

Quæres secundo, utrum correctio fraterna cadat sub præceptum vel potius sub consilium duntaxat?

297. R. Cadit sub præceptum & non tantum sub consilium. Ita rursus *Communissime DD.* Enimvero Christus Dominus absolute dicit *Matth.* 18. *si peccaverit in te frater* (id est proximus) *tuus, vade, & corripe eum.* Ratio est: quia lumen naturale dictat, subveniendum esse proximo nedum in corporis, sed etiam in animæ necessitate constituto, eo præsertim, quod hujus semper major sit ratio habenda, quam illius. Unde non immerito R. P. Paulus a S. Stephano *in sua Theologia morali de charit. tr.* 4. *disp.* 3. *dub.* 3. §. 2. *n.* 34. ait *miror, quomodo* (verba Christi mox relata) *ab aliquibus dicantur solum esse consilii & non præcepti, cum eorum praxis servanda sit vi legis naturalis.* Videtur de hoc noster A. R. P. Marinus Panger *lib.* 4. *de pœnit. disp.* 5. *q.* 4. *n.* 43.

Quæres tertio, utrum hoc præceptum obliget in omni casu, vel vero in quibusdam duntaxat circumstantiis?

298. R. Non obligat in omni casu, sed in certis duntaxat, quando scilicet simul concurrunt sequentes circumstantiæ. 1. Quando certo constat de peccato vel periculo spirituali proximo imminenti. 2. quando simul probabile est proximum se non emendasse, neque emendaturum præcisa correctione fraterna; quia eleemosina egentibus tantum, & non aliis debetur, 3. si alius æque idoneus non adsit, qui possit, vel omnino debet corripere deliquentem 4. si simul appareat probabilis spes fructus seu emendationis; cessante etenim fine, cessat obligatio agendi propter finem. 5. denique non teneris proximum corrigere, nisi habeas occasionem, locum, & tempus opportunum, possisque sine gravi damno tuo facere: quodsi ex conditionibus aliquid desit, præceptum hoc non amplius obligat, juxta communem DD. videndam apud Busenbaum, Babenstuber, Henno & alios passim. Id nunc tamen circa hoc advertendum est, quod, ubi correctio hic & nunc otiosa quidem, seu frustranea aut importuna, alio tamen tempore magis commoda & profutura prævidetur, non debeat absolute intermitti; sed tempore aut loco magis opportuno fieri; quia cum tali tempore fructus & finis sperari possit, simulque proximus indigeat, omnino charitas suadet, ut correctio fraterna fiat, quemad-

madmodum etiam eleemosyna corporalis vel maxime illo tempore fieri debet, quo proximus potissimum indiget alieno subsidio. Videatur Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *p.* 4. *pu.* 7.

Quæres quarto, utrum hoc præceptum obliget omnes æqualiter, an vero unum potius, quam alterum?

299. R. Omnes quidem obligat in circumstantiis mox recensitis, at, non obligat omnes æqualiter. Ratio prioris desumitur tum ex præcepto Christi, quod nullum eximit a charitate proximo exhibenda, unde etiam *Eccli.* 17. dicitur Deus *mandavit unicuique de proximo suo* &c. tum etiam, quia omnes sumus commembra ejusdem corporis mystici, quod est Ecclesia: certum autem est ex lege naturæ, quod unum membrum teneatur pro possibili succurrere alteri: ergo omnes ad hoc adstringimur. At quod non omnes æqualiter, sed Superiores præsertim magis obligentur quam subditi ad invicem, ex eo facile suadetur: quia subditus respectu sibi æqualis ex charitate tantum, e contra vero Superiores respectu sibi subjectorum nedum ex charitate, verum insuper ex justitia tenentur impedire peccata, consequenter etiam uti correctione fraterna: quod vero de Superioribus dictum, id ipsum dictum intelligas velim de Patrefamilias respectu sibi subjectorum. Vide si placet Palaum *tr.* 6. *disp.* 3. *pu.* 7. *num.* 8. vel Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 7.

Quæres quinto, sitne in correctione fraterna servandus aliquis ordo seu modus?

300. R. Est sine dubio & quidem per se loquendo sub gravi culpa servandus ordo ille, quem Christus *Matth.* 18. præscripsit, nisi prudentia aliud dictet. Ita primo corrigendus seu charitative admonendus est proximus in secreto. 2. si hæc admonitio nihil fructificet, ulterius corripiendus est coram uno aut altero teste: quod si delinquens neque hoc modo resipuerit, oportet illud delictum denunciari Ecclesiæ, id est, Superiori, non quidem illico tamquam Judici ad punitionem, sed potius tanquam Patri ad emendationem delinquentis. Liquet hoc totum ex ipsis verbis Christi Domini *loc. cit.* ubi ait: *si peccaverit in te* (id est, coram te, inquit Paulus a S. Stephano) *frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ratio autem hujus est: quia debemus famam proximi etiam peccatoris conservare, quantum possumus, quamdiu apud alios est adhuc integra.

301. Dixi tamen: *nisi prudentia aliud dictet*. Nam in hoc præcepto non minus, quam in aliis plerisque magis attendenda est Domini intentio, quam verba: atqui certum est, intentionem Domini eo collimasse, ut suaviori modo quo possemus, niteremur proximum delinquentem reducere ad meliorem frugem, ubi autem modus ille suavior prævidetur nihil omnino fructificaturus, adhiberemus paulo duriorem, utputa vel immediate adhibendo testes, vel illis etiam relictis delinquentem immediate denunciando Superiori; atque hinc prædictus ordo non est servandus in sequentibus casibus 1. quando crimen est publicum; quia, ut ait S. Augustinus *serm.* 16. *de verbis Domini*: *ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus*. 2. Quando crimen est perniciosum Reipublicæ aut Ecclesiæ vel Religioni, estque periculum in mora, ut sunt v. g. proditio civitatis, & crimen hæreseos, & immo cum hæretici utpote pertinaces non soleant corrigi admonitionibus privatis, sæpesæpius etiam ne quidem publicis; hinc ordinarie prætermissa omni admonitione denuntiandi sunt Episcopis, aut Inquisitoribus, præsertim si præsumant dogmatizare: hac de causa S. Thomas 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *ad* 3. dixit: *quando imminet periculum multitudinis, non habent ibi locum hæc verba Domini*, scilicet de correctione fraterna. 3. item in casu, quo peccatum vestitur certa circumstantia vel ex parte peccantis, vel aliunde, ratione cujus creditur immediate deferendum ad Superiorem.

4. di-

4. denique, quando proximus majoris perfectionis studio renunciavit sponte juri in suam famam contentus, ut suum delictum immediate denuncietur Superiori. Ita Henno *tr. de virtut. disp. 6.q. 12. art. 2. conclus.* 5.

Quæres sexto, Utrum quilibet Superior Religiosus possit suo subdito sub gravi culpa vel etiam pœna v. g. casus reservati &c. præcipere, ut crimen alterius confratris quantumvis occulte commissum, aliunde tamen, quam ex Confessione Sacramentali cognitum prætermissa omni correctione fraterna immediate sibi tanquam Patri manifestet?

302. R. Cum distinctione, potest enim, si crimen de se sit valde scandalosum & perniciosum seu etiam diffamatorium totius Communitatis, non item 2. si crimen nemini præterquam soli delinquenti noceat, simulque appareat probabilis spes fructus & emendationis ex correctione fraterna. Prima pars hujus asserti est communiter recepta inter Doctores, secundam vero strenue propugnat noster A. R. P. Marinus Panger *lib. 4. Sent. de Sacr. Pœnit. disp. 5. q. 4. numer.* 57. referens pro eadem D. Augustinum *Serm. 16. de verbis Domini* notissimo *cap. si peccaverit. 2.q.* 1. D. Thomam 2. 2. *q.* 3. *art.* 7. *ad quartum*. Filliuc *tom. 2. tr. 28. cap. 7. n.* 146. Sporer *tr. 3. in decalog. cap. 6. sect. 3. assert. 5. num.* 105. Eandem tenent Stephanus a S. Paulo *de charit. tr. 3. disp. 3. dub. 3. num.* 35. Michel *theolog. Canon. moral. tom. 2. part. 1. q. 3. §. 8. num.* 21. aliique plures. Ratio prioris est, quia lumen naturæ & ordinata charitas dictat, potiorem rationem habendam esse pro bono totius communitatis, quam pro bono hominis privati: ergo si bonum, id est, fama vel honor totius Religionis conservari nequeat, nisi cum aliquali diffamatione seu etiam denunciatione hominis privati: profecto recta ratio dictat, quod hic potius, quam tota Communitas debeat pati: atqui ubi delictum ex se est valde perniciosum vel redundans in detrimentum seu etiam diffamationem totius Communitatis, aliter servari non potest honor Religionis: ergo Superior juste præcipit, ut subditus taliter delinquentem immediate sibi denunciet: Secus non esset satis provisum bono totius Communitatis Religiosæ. Ceterum nomine talium delictorum ego intelligo non tantum illa delicta, quæ *immediate*, *per se*, & *directe* vergunt in perniciem boni publici, uti est v. g. proditio, disseminatio hæreseos, vel etiam falsæ monetæ, seminatio discordiarum inter fratres, furtum grave, impugnatio vel machinatio contra institutum, diffamatio seu etiam traductio Superiorum præsertim Generalium, vel Religiionis coram aliis præcipue sæcularibus, consuetudo detrahendi aut susurrandi &c. Verum etiam illa quæ *indirecte lædunt* totam communitatem scilicet in honore, uti est v. g. lapsus carnis cum altero Sexu, publica ebrietas præsertim coram sæcularibus, discursus scandalosi præsertim in materia luxuriæ, suspectum consortium &c. Enim vero hujusmodi delicta si notorie fiant, gravissime labefactant honorem totius Ordinis seu etiam Religionis, vixque fieri potest, ut talis Religiosus scandalosus alios non pertrahat ad sui imitationem, prout bene notarunt Suarez *de charit. disp. 8. sect. 6. numer.* 12. & Thomas Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 18. numer.* 50. ergo cum cuilibet Superiori nedum permissum sit, sed etiam sub gravi obligatione incumbat, defendere honorem suæ Religionis, & avertere scandala in populo, plane dicendum est & fatendum, quod possit justissime præcipere, ut hujusmodi delicta immediate sibi denuncientur.

303. Jam Ratio secundæ partis hujus asserti dari potest ac debet sequens: quia obligatio correctionis fraternæ nedum in jure divino secundum dicta *num.* 297. sed insuper etiam in jure naturæ, utputa in illis principiis: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, & *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* &c. fundatur: at quivis Religiosus per se loquendo potest rationabiliter velle & desiderare, ut non immediate denuntietur Superiori, quando delictum nemini præterquam sibi est perniciosum, neque etiam hanc denuntiationem exigit bonum publicum, ut de se liquet: ergo

ergo cum lex naturæ Superiorem Religiosum vel maxime etiam stringat, dicendum, quod iste nequeat sua auctoritate contrarium præcipere: & contrarium faciendo male præciperet, si subditus supponatur talis, qui privatam correctionem acceptando sese corrigeret: male autem præsertim contra jus naturæ præcipienti impune non pareri, aliunde notum est; nam *obedire oportet magis Deo, quam hominibus. Act. 5. v.29.* Porro nomine delicti soli delinquenti nocivi ego intelligo illud, quod ex se nec proximi aut communitatis læsivum est, neque etiam scandalosum saltem in his vel illis circumstantiis, prout universim sunt illa delicta, quæ merum occulte committi solent, uti est v. g. procuratio pollutionis S. V. crapula vel ebrietas facta sine nota aliorum præsertim sæcularium &c.

304. Dixi tamen rursus, *per se loquendo id præcipi non posse* &c. Secus enim dicendum est 1. quando subditi sponte renunciarunt juri suæ famæ, prout in Societate JESU fieri jam supra *n.* 310. insinuavimus; nam volenti & consentienti non fit injuria. Secus itidem dicendum est, quando delictum est publicum seu notorium; quia talis subditus ipso facto supponitur amisisse jus in famam suam, esto etiam Kerchove & alii nonnulli contrarium teneant. Secus denique dicendum foret, casu quo rationabiliter prævidetur, correctionem fraternam nihil profuturam, sed potius obfuturam, id quod vel inde haud obscure colligi potest ac debet, si scilicet delinquens sit homo ferocis seu etiam pertinacis animi, perversæ vitæ, & jamjam inveteratus in sceleribus, aut pluries sine effectu correctus &c. Videatur Herincx *ubi supra num. 96.*

305. Quæres septimo, quidnam Superiori agendum, casu quo is intelligit aliquod crimen mere occultum ad se immediate fuisse delatum, prætermissa correctione fraterna?

R. In tali casu ipse Superior debet adhibere privatam admonitionem, quemadmodum debuisset, si ipse Superior solus delictum occultum fratris agnovisset. Et ratio est: quia Superior tunc debet supplere vices subditi, qui omisit correctionem fraternam. Quare etiam nequit exinde non convictum juridice condemnare, esto possit ac debeat eidem sollicitius invigilare, uti bene notat Herincx *cit. num.* 94. Quocirca tamen magna discretione opus est; unde etiam P. Marchantius *tom.* 3. *tr.* 8. *sect.* 3. *q. un. conclus.* 3. sapienter ait: *Videant, qui statim omnia deferunt ad Superiores, unde gravamina intolerabilia, subditorum lites, contentiones, & oppressiones parvulorum sequuntur, quod malum maxime hoc tempore regnat, dum in iis, quæ suspicionem vix in rigore causare possunt, palpones, & adulatores audiuntur, immo & detractores, & pacis inimici foventur sub titulo Zeli & vigilantiæ. Et hic est fere abyssus Prælatorum, in quam ob clamorem innocentium a DEO præcipites ruere permittuntur.* Ita Doctor cit.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur casus practici de fraterna Correctione proximi.

CASUS PRIMUS.

Titia famula Confessario consilii causa refert, quendam procum valde frequenter tempore nocturno venire ad filiam familias sui heri, insciis omnino Parentibus: qui procus, cum alia via ad cameram suæ amasiæ pervenire non possit, semper solet transire per cameram Titiæ, hæc vero, quia sibi facile persuasit, eos non convenire animo vacandi precibus, sed potius libidini, nuper subducto pessulo suæ cameræ eidem proco interclusit aditum, quod dum altero die filiafamilias per procum intellexit mirum in modum irata, Titiam increpavit, jurejurando asseverans se eam durius adhuc tractaturam, si deinceps vel pessulum subducere præsumeret, vel de hisce conventiculis nocturnis cuipiam mortalium aliquid manifestaret: timet proin Titia hinc duriorem tractationem, eo præsertim, quod dicta filia familias sola quasi totam domum gubernet; illinc vero DEI offensam si protinus omnia dissimulet; quam ob rem postulat scire, an tuta con-

conscientia possit similia dissimulare & permittere, aut quid sibi agendum?

306. Ad hunc Casum, quod si Titia revera sine periculo gravis sui detrimenti, seu etiam durioris tractationis, rixarum &c. nequeat hujusmodi conventicula impedire, possit tuta conscientia rem totam dissimulare & permissive se habere; tum quia admonitio seu etiam correctio charitativa prævidetur nihil fructificatura; tum etiam quia sola charitas neminem obligat ad impedienda peccata alterius, nisi id facere possit sine pergravi aut notabili suo incommodo: ergo si Titia supponatur non posse illa conventicula impedire sine prætensis illis incommodis, potest tuta conscientia in ordine ad illa conventicula se habere merum permissive, nullatenus tamen positive concurrendo ad illa, utputa proco aperiendo januam, cedendo lectum suum in ordine ad concubitum illorum, vel etiam litteras amatorias, invitatorias &c. ab una parte ad alteram deferendo, prout amplius constabit ex dicendis *paulo inferius, ubi de scandalo a num.* 362. Videatur de hoc R. P. Kresslinger *addit.* 3. *post num.* 48. *ad tr.* 4. *dist.* 6. *Theolog. moral.* R. P. *Reiffenstuel.*

307. Dixi tamen: *Si Titia sine periculo gravis detrimenti nequeat hujusmodi conventicula impedire*: non enim video, cur in tali casu res non posset intimari Parentibus, ita, ut complicibus minime innotescat, se a famula fuisse proditos: non enim necessum est, ut Titia immediate per se ipsam illos prodat, sed satis erit, ut modo meliori ac tutiori sive per se, sive per alium commonefaciat Parentes, quatenus paulo solertius invigilare velint suæ domui, præsertim tali & tali tempore, scilicet nocturno, quo ipsis imminere videtur periculum detrimenti &c. &c. Quo facto deinceps Parentibus incumbet præscindere occasionem, & impedire scandala &c.

At quid, si talis famula respondeat Confessario: P. Reverende, jam semel monui Parentes, at illi nolunt impedire, vel interdicere filiæ hanc familiaritatem; vel quia procum, de quo habent magnam dependentiam timere debent, vel etiam quia libenter viderent, si idem procus filiam duceret in uxorem: potestne hoc supposito famulæ permitti, ut deinceps rem omnem dissimulet?

308. R. Potest sine dubio permitti, ut merum negative se habeat, non item positive, ut jam dictum est. Ratio hujus facile eruitur ex jam dictis; quia famula non tenetur ex justitia impedire hujusmodi peccata, sed ex sola charitate: atqui hujus debito iam satisfecit admonendo nedum filiam, sed etiam Parentes ipsius; ergo si hi, quibus principaliter nedum ex virtute pietatis ac charitatis, sed etiam justitiæ incumbit impedire talia peccata & conventicula scandalosa, nolint ea impedire, potest famula permissive se habere, eo præsertim, quod aliter absque gravi suo incommodo impedire non possit. Væ tamen hujusmodi Parentibus, qui intuitu pinguioris fortunæ aut matrimonii favorabilioris impia commiseratione filiis aut filiabus omnia permittunt, dissimulant, vel quod adhuc peius, viam sternunt ad frequentiora conventicula solum inter & solam etiam sub crepusculo, vel omnino tempore nocturno instituenda, non advertentes, quod dum hac via prolibus quoad temporalia melius ptovisum cupiunt, nedum proles, sed se ipsos etiam periculo æternæ damnationis exponant; nam experientia teste hujusmodi matrimonia plerumque malum sortiuntur exitum, DEO in vindictam præteritorum criminum justissime disponente, ut quanto ardentius lascivo amori indulgentes prius cum offensa DEI sese amarunt, postea matrimonio jam copulati tanto implacabiliori odio non sine offensa & afflictione Parentum, & aliorum scandalo sese persequantur.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius jam pridem advertit suam conjugem diversis vitiis ac vanitatibus deditam, similiter & famulum satis vitiosum esse ac lubricum nedum in verbis, sed etiam in gestis, quem propterea uxor velut sibi haud absimilem magni æstimare, favoribusque prosequi assolet pro pos-

possibili: e contra vero ancillam modestiæ præ primis, aliisque virtutibus deditam sæpesæpius durioribus verbis increpare, eandemque velut hypocritam seu etiam (Germanice loquendo) eine scheinheilige Bet-Schwester *redarguere assolet. Fatetur proin Sempronius vir valde honestus, hæc & similia sibi summopere displicere, nihilominus non audet corrigere uxorem, eo quod ab hujus arbitrio quasi tota sua fortuna dependeat: famulum pariter non vult corripere, eo quia iste totam quasi domum gubernat, propterea que rationabiliter timet, ne correctus vel correptus abeat vias suas in præjudicium totius rei domesticæ. Quæritur jam Theologus, an Sempronius ex modo allegatis motivis tuta conscientia possit dissimulare correctionem fraternam seu charitativam tam respectu famuli, quam uxoris etiam?*

309. R. Sempronius nequit in hoc casu tuta conscientia omnem correctionem etiam charitativam dissimulare; certum quippe est, quod Maritus ceu Caput Mulieris *ad Ephes.* 5. *v.* 23. teneatur hanc nedum ex charitate, verum insuper ex justitia corrigere pro possibili; nec dubium quin & famulum sin minus ex justitia, saltem ex charitate corrigere vel potius corripere teneatur, quantum moraliter potest. Neque vero ab hoc opere tam facile absterreri debet; certum quippe est, quod quemadmodum honestas & Sanctitas vitæ alicui familiæ DEI benedictionem, e contrario vita scandalosa etiam unius duntaxat vel alterius personæ maledictionem supra integram domum aut familiam attrahere soleat, veluti Scriptura Sacra nos docet exemplo Putipharis, cujus domui Dominus benedixerat propter innocentiam Joseph *Genes.* 39. *c. v.* 5. & exemplo Heli 1. *Reg.* 2. *v.* 22. & 31. cujus domum Deus gravissime castigavit ob neglectam ab eo filiorum correctionem, de quo D. Gregorius 2. *part. Pastor. c.* 6. ait: *quia enim falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum Judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit*. Videatur de hoc Castropalao *tr.* 6. *disp.* 3. *punct.* 7. *num.* 8.

At inquies, teneturne etiam Ancilla in tali casu Dominam suam vel famulum corrigere?

310 R. Non tenetur. Ratio est: quia præceptum de fraterna correctione cessat obligare casu quo hæc certo prævidetur nihil profutura, vel datur alius, qui efficacius delinquentem dehortando fraterne corrigere potest ac debet: atqui in nostro casu datur alius, scilicet herus, cui primario incumbit corrigere Dominam & famulum: & certe correctio seu etiam admonitio charitativa famulæ in his circumstantiis non solum nihil prorsus fructificaret, sed potius subministraret majoris odii, indignationis & rancoris fomenta, vi cujus Titia merito timeret graviores persecutiones: atqui ubi hujusmodi circumstantiæ occurrunt, prudenter omnino correctio fraterna intermittitur. Hac de causa D. Augustinus relatus *cap. si quis dist.* 7. *de pœnit.* dixit: *si scirem, meam correctionem tibi non prodesse, silerem, non monerem &c.* Illud nihilominus consulerem tali ancillæ, ut protinus satageret Sanctæ conversationis exemplo potius, quam verbis corrigere suam Dominam; cum enim exempla nedum movere soleant (uti verba) sed potius trahere, profecto plus emolumenti spiritualis sperare licet exhibitione boni exempli, quam exhortatione verbi: juvabit insuper jugi obsecratione apud Deum instare pro conversione errantium, quatenus Deus omnipotens, in cujus manu corda nostra sunt, velit potentia dexteræ suæ eos reducere ad meliorem frugem.

Dices adhuc. Sed quid, si Maritus (idem quæri potest de Parente respectu filii, & de quocunque Superiore seu etiam Prælato respectu sui subditi) supponatur subjectus eidem vitio, cui uxor est dedita, tenebiturne nihilominus eam corrigere?

311. R. Affirmative. Ita cum communi DD. Filliuc. *tr.* 28. *c.* 5. *n.* 123. Castropalao *tr.* 6. *disp.* 3. *pu.* 7. *n.* 3. Herincx *ubi supra disp.* 12. *n.* 69. Ratio est: quia propter peccatum nemo eximitur a lege divina: atqui correctio a Superiore debetur inferioribus ex lege divina & naturali: ergo &c. Et hoc potissimum tenendum est de peccatoribus

occultis, quorum delicta a subditis non sunt cognita. Fatendum tamen est, peccatores notorios minus esse aptos ad correctionem aliorum delinquentium; timere etiam debent, ne a subditis, quos corrigere volunt, eisdem dicatur: medice cura te ipsum. Unde etiam S. Gregor *in Pastor. & post Eumd.* D. Bernardus *serm. 2. post pascha* ait: *quorum vita despicitur, necessum est, ut & praedicatio contemnatur*. Et licet vi hujus praecise praecepti (de correctione fraterna scilicet) nullus quantumvis malitiosus teneatur specialiter a vitiis abstinere, & virtutum studio incumbere: quemadmodum nullus, qui bona sua dissipavit, tenetur comparare sibi divitias eo fine, ut possit dare eleemosynam indigentibus; certum nihilominus esse debet, Praelatos, quibus ex officio incumbit saluti subditorum invigilare, vi muneris hujus arctius adstringi ad virtuosam vitam, quatenus efficacius sibi commissos in viam salutis dirigere, vel ubi opus fuerit, etiam corripere valeant, uti bene advertit noster P. Herincx *part. 3. tr. 1. disp. 12. n. 69.*

CASUS TERTIUS.

Cujus Religiosus optimae quidem voluntatis sed exigui intellectus, consilii causa venit ad suum Confessarium, asserens, se nuper vidisse alium quemdam e Confratribus graviter excedentem nedum contra regulas temperantiae, sed etiam religiosae modestiae in loquendo & conversando cum persona alterius sexus, propterea que vehementer dubitare, an non teneatur Superiori suo similia immediate intimare in ordine ad praecavenda scandala: quid Confessarius huic dubitantio respondebit?

312. Ante responsionem directam Confessarius bene notet, in his & similibus casibus multa prudentia ac discretione opus esse, nam ante omnia debet attendere ad qualitatem personae denuntiandae, an scilicet sit bonae vel malae famae? an nunquam de tali delicto accusata aut certe suspecta fuerit? itemque vel maxime, an appareat spes alicujus fructus seu etiam emendationis ex correctione fraterna; nam si sit persona superba, durae cervicis, & proterva; quae non tam ex fragilitate, quam pravitate & malitia peccare solet, minor erit spes correctionis seu etiam emendationis; secus, si sit persona non proterva, sed docilis aut simplex, quae potius ex ignorantia, inadvertentia malitiae, seu etiam levitate peccavit; secundo, advertendum etiam est ad qualitatem delicti, an scilicet ex se sit valde scandalosum, & in his vel illis circumstantiis redundans in diffamationem totius Religionis? an vero soli delinquenti nociturum & omnino mansurum occultum? &c. tertio, insuper debet Confessarius attendere ad qualitatem illius, qui vult denunciare, an scilicet capax sit ad adhibendam correctionem fraternam nec ne? &c. Jam his omnibus suppositis, & bene ponderatis.

313. R. ad speciem hujus facti, vel potius ad dubium propositum cum distinctione. Si enim excessus ille contra regulas temperantiae & honestatis commissus sit merum in occulto, ita ut rationabiliter credi possit, illum in nullius, praeterquam ipsius delinquentis damnum ac detrimentum redundaturum, simulque (spectata qualitate tum personae corrigentis, tum etiam corrigendae) appareat probabilis spes emendationis ex fraterna admonitione, tunc Confessarius suo Clienti debet consulere ac praecipere, ut per se ipsum bello modo fratrem lucrari & corrigere conetur, minitando etiam, quod si deinceps simile quid videret, illud vellet aliis, quorum interest, deferre &c. Quodsi Confessarius prudenter judicet, consultius esse, ut ipsusmet delinquentem charitative moneat, procul dubio magnum charitatis opus praestabit, dum conabitur lucrari fratrem suum.

At vero, si ex parte corrigendi nulla vel exigua prorsus appareat spes alicujus emendationis, vel si fama delicti jam usque eo invaluit, ut credatur proxime idem delictum divulgatum iri cum prostitutione totius Ordinis, Monasterii, aut Religionis &c. simulque ex denunciatione immediate ipsimet Superiori facta praecaveri posse huic prostitutioni, Confessarius hujusmodi clien-

clientem nedum poteſt, ſed etiam tenetur obligare, ut immediate rem deferat ad Superiorem non quidem tanquam ad Judicem, ſed velut ad Patrem ſpiritualem, prætermiſſa omni correctione fraterna, ob rationem jam ſupra *num.* 302. datam: quia ſcilicet ordinata charitas poſtulat, ut honor & fama totius Communitatis præferatur honori vel famæ hominis privati, præſertim ubi ex taciturnitate aut diſſimulatione publicum ſcandalum eſt timendum. Videantur de hoc Sayrus *in clav. Reg. lib.* 11. *c.* 4. *nu.* 4. Kerchove *in ſtatut. general. c.* 6. §. 2. *num.* 57. Stephanus a] S. Paulo *ubi ſupra* §. 2. *num.* 35.

At, inquiet fortaſſis nonnemo, vi ſtatutorum generalium quivis ſubditus tenetur delicta gravia ſui confratris quantumvis occulta, modo extra confeſſionem Sacramentalem cognita, prætermiſſa omni correctione fraterna Superiori ſuo tanquam Patri in ordine ad correctionem immediate denunciare: ergo Confeſſarius tenetur talem ſubditum obligare ad immediatam denunciationem, eſto etiam ſupponatur, quod hac præciſa delictum nunquam prorſus patefieret, vel aliis innoteſceret?

314. R. In primis, hoc ſtatutum hodie neque in noſtra Provincia, neque etiam in tota familia Nationis Germano-Belgicæ vigere, & certe de hoc nihil prorſus, ſed contrarium potius in iiſdem legitur prout advertit noſter A. R. P. Marinus Panger *lib.* 4. *de pœnit. q.* 4. *num.* 92. Dato tamen & ſuppoſito, quod in tua Provincia hoc vigeat (ſalvo meliori judicio) breviter reſpondendum arbitror, quod quidem Confeſſarius talem clientem teneatur obligare ad denunciandum, quando delictum tale eſt, ut ex ſe, vel ex circumſtantiis, in quibus fuit commiſſum, natum ſit redundare in publicam infamiam & detrimentum totius Communitatis, non item ſi ſit tale, quod nunquam redundabit niſi in detrimentum ſolius delinquentis ſecundum dicta paulo ſuperius *num.* 303. Ratio prioris eſt: quia, ſi ſtatutum ſupponatur obligare duntaxat ad denuncianda delicta toti communitati pernicioſa &c. omnino juſtum eſt & ſaluberrimum: juſto autem Superioris mandato obtemperandum eſſe, aliunde conſtat: ergo &c. Nec refert, quod tale delictum v. g. imprægnatio fœminæ præciſa tua denunciatione maneret omnino occultum; quia lex fundata in præſumptione periculi communis (uti eſt hæc) non ceſſat obligare ex eo, quod in caſu particulari per accidens communitati nullum ſequatur periculum, veluti diximus *in tract. prælim. de actib. human. confer.* 15. *n.* 417.

Ratio autem poſterioris colligi poteſt ac debet ex dictis *num.* 303. quia ſtatutum obligans ad immediatam denunciationem delicti, quod in ſolius delinquentis damnum redundat &c. non eſt juſtum, utpote contrarium legi naturali ac divinæ poſitivæ. Hac de cauſa P. Panger *loc. proxime cit.* exiſtimat, illud ſtatutum (de quo fuſius R. P. Reiffenſtuel *lib.* 5. *decret. tit.* 1. §. 2. *n.* 70.) pro altera familia conditum & videndum *cap.* 10. §. 1. *n.* 2. & 3. vi cujus *fratres, cum primum ad conventum redierint, jubentur ſociorum ſuorum exceſſus notabiles, ſi quos commiſerint, Guardianis atque Superioribus ſecreto inſinuare, etiam ſine prævia monitione delinquentis* &c. illud inquam ſtatutum eſſe intelligendum de delictis valde ſcandaloſis duntaxat, qui ſcilicet ex ſe nata ſunt redundare in infamiam & detrimentum totius Ordinis aut Conventus, non item de illis qui nemini præterquam ſoli delinquenti nocebunt, niſi prævideatur, correctionem fraternam nihil prorſus fructificaturam. Et certe S. Thomas hic *art.* 7. *ad* 5. docet, *quod ſi Superior inferioribus præcipiat, ut, qui peccata corrigenda cognoſcunt, ea referant* (ſcilicet Superiori) *id intelligendum eſſe ſalvo ordine correptionis fraternæ a Chriſto inſtitutæ*: idipſum de ſimilibus ſtatutis tenet Bannes 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *dub.* 2. *ad* 7. eumque ſecutus Kerchove *in ſtatut. general. c.* 6. §. 2. *n.* 60.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

315. Colliges ex hactenus dictis primo præceptum hoc de correctione fraterna utpote affirmativum duntaxat, non obligare semper & pro semper. Unde omnino consultum est, ut interdum nonnihil differatur, & exspectetur tempus magis opportunum v. g. donec delinquens fuerit magis dispositus, vel a passione inordinata iræ &c. liber & sibi præsens. Ex quo facile deducet quisque prudentum, quam imprudenter faciat v. g. Uxor, Maritum suum corrigens, vel potius corripiens & increpans, dum is vel crapula tinctus, vel alia passione obrutus est: quamque imprudenter faciant alii Superiores quicunque demum subditos suos actualiter quacunque demum passione præsertim vindictæ aut iracundiæ &c. obrutos corrigere tentant &c.

Ratio est: quia cum finis correctionis non sit alius, quam emendatio & bonum spirituale delinquentis, de se liquet, hanc non esse adhibendam, nisi probabiliter saltem sperari possit fructus fraternæ correctionis: atqui ubi animus subditi jam est præoccupatus passione prædominante, prudenter sperari nec potest nec debet fructus: ergo in talibus circumstantiis correctio secundum regulas prudentiæ nedum potest, sed etiam debet intermitti, aut certe in aliud tempus magis commodum differri. Vid. Filliuc. *tr.* 28. *c.* 6. *n.* 138. vel Bonacina *disp.*1. *q.* 4. *pu.* 7. *n.* 9.

316. Colliges secundo, præceptum hoc de fraterna correctione tanto strictius obligare, quanto gravius noscitur esse delictum, etiam soli delinquenti perniciosum; quia cum nos stringat ad sublevandam proximi indigentis miseriam & indigentiam spiritualem, profecto tanto efficacius obligare debet, quanto amplius proximus noster indiget, & quanto in majori periculo versatur. Quo fit, ut potius teneatur corrigere peccantem mortaliter, quam venialiter tantum delinquentem: quin immo ob peccatum veniale præcise non tenemur corrigere proximum, nisi appareat certa spes fructus, simulque sine gravi incommodo nostro id facere possimus, quæ duæ conditiones, cum rarius simul concurrant, eo ipso efficitur, quod sæculares saltem rarius teneantur corrigere proximum propter peccatum veniale &c. uti observat Filliucius *lib. cit. c.* 5.

317. Dixi *Sæculares saltem*. Fatendum quippe est, quod frequentius obliget Religiosos quoscunque etiam privatos; quia cum vi professionis nostræ teneamur ad majorem perfectionem, quam sæculares, peccata autem venialia præsertim crebrius repetita non modicum ponant obstaculum adipiscendæ perfectioni, de se liquet, quod teneamur nedum in nobis ipsis, verum insuper in confratribus nostris pro viribus eliminare has culpas veniales corrigendo seu etiam fraterne admonendo confratrem religiosum. Singulis ergo confratribus pro virili allaborandum, quando spes est alicuius fructus, ut leves quoque, attamen noxias transgressiones præceptorum inter se impediant, inquit recte Babenstuber *tr.* 5. *disp.*1. *art.* 5. *n.* 33.

318. Colliges tertio, a fortiori Superioribus, maxime Ecclesiasticis & Religiosis ceteris arctius incumbere obligationem de fraterna correctione respectu subditorum suorum. Unde etiam hi tenentur quandoque visitare, seu in vitam suorum subditorum inquirere; quod tamen prudenter & circumspecte faciendum, ne aliis detur ansa turbationis aut inquietudinis sinistræve suspicionis, prout de facili contingere posset, si nimis frequenter, præsertim sine gravi causa in aliquorum vel alicuius vitam singillatim inquirerent, vel si nulla etiam infamia aut indicio probabili criminis præcedente vellent inquirere, an iste vel iste non commiserit hoc vel illud crimen grave. Hac de causa nostra statuta generalia *c.*6. §.2. *n.* 6. expresse interdicunt, ne *Prælati nostræ Religionis inquirant nominatim de peccato alicujus, nisi is Religiosus fuisset infamia nota respersus de eo crimine, aut nisi essent indicia evidentia, vel probabiliora contra eum.*

At quid, inquies, si ego advertam confra-

fratrem ob hoc vel illud delictum non corrigi nec admoneri a Superiore, tametsi is deberet, & multo efficacius posset, teneborne ego illum corripere, an vero licet mihi rem dissimulare?

319. R. Teneris illum Confratrem corrigere, modo sine gravi tuo incommodo, id possis, simulque prævideas tuam correctionem profuturam. Ita Filliucius *ubi supra n.* 144. Bonacina *disp.* 1. *q.* 4. *pu.* 7. *n.* 6. Ratio est: quia proximus seu Confrater tuus versatur in necessitate Spirituali, nec habet præter te quemquam, cujus ope ab illa liberetur. Nihilominus cum plerumque Superiores hujusmodi correctionem intermittant, vel quia inde graviora mala timent, vel etiam quia eam nihil prorsus fructificaturam prævident; hinc censeo, hanc obligationem rarius a Superiore devolvi ad subditum: magna proin prudentia in tali casu opus est.

320. Colliges quarto, similiter Concionatoribus volentibus populi vitia corrigere e suggestu, prudenter ac circumspecte procedendum esse; nam in primis diligenter cavere debent, ne Prælatos Ecclesiæ e suggestu publice corripiant, nisi forte (quod Deus avertat) docerent hæresim; quia tunc publicum scandalum communitati datum, publica refutatione tollendum est, nec privata correctio ad hoc sufficeret. 2. Nunquam ad particularia vitia aut personas ita descendere debent, ut possint ab aliis facile agnosci non sine periculo prostitutionis publicæ seu gravis infamiæ. 3. Præcipue cavere debent, ne in ordine ad talem correctionem utantur notitia ex sola Confessione Sacramentali hausta; Secus enim auditores, de facili possent scandalizari, persuadentes se propter Confessionem secreto factam publice fuisse infamatos aut certe reprehensos, sicque ab hoc salutifero Sacramento absterrerentur, prout bene observat Stephanus a S. Paulo *ubi supra n.* 30.

321. Colliges quinto, te non obligari ad correctionem fraternam, quando delictum proximi non est certum, sed dubium duntaxat. Ratio est: quia fraternæ correctionis obligatio supponit in eo, qui vult aut debet corrigere, moraliter certam notitiam de delicto commisso juxta illud Christi Domini *Matth.* 18. *si peccaverit in te*, id est, *te sciente*, vel *coram te*, uti *communiter* exponunt SS. Patres teste Azorio *tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 12. *c.* 14. *q.* 1. ergo si non sis certus de delicto a proximo tuo commisso, neutiquam teneris illum corrigere, quin potius contrarium faciendo temet exponeres periculo vel injuriandi proximum innocentem, aut in te concitandi odium, vel indignationem.

At quid, inquies, si certus quidem sum de delicto commisso, incertus tamen, immo dubius omnino, sitne mea admonitio aliquid profutura, fructificatura, nec ne? teneorne in his circumstantiis correctionem charitativam adhibere?

322. R. Non teneris. Ratio est: quia ad instituendam correctionem prudentem supponi debet saltem probabilis spes emendationis, quæ sola est finis hujus præcepti secundum hactenus dicta: at, ubi ex circumstantiis personæ, loci, aut temporis &c. rationabiliter dubitare licet, sitne correctio fraterna profutura, nec ne, ibi nequit supponi probabilis, sed potius multum dubia spes alicujus fructus: ergo &c. Ita ex *communi* DD. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 5. *num.* 43.

323. Excipiunt tamen ab hac regula casum, quo talis peccator in mortis articulo constitutus de æterna sua salute extreme periclitatur; tali etenim adhibenda est correctio fraterna & charitativa, tametsi de hujus fructu aut felici eventu rationabiliter dubitetur. Ratio est: quia in hoc casu malum proximo imminens ex intermissa correctione fraterna est prorsus irreparabile: malo autem irreparabili etiam dubia spes alicujus fructus juxta rectæ rationis dictamen præferendum est: ergo tentanda correctio fraterna in hoc casu. Ita tenent Suarez, Bonacina, aliique, quos sequitur Castropalao *tom.* 1. *tr.* 6. *disp.* 3. *pu.* 5. *num.* 6.

CONFERENTIA UNDECIMA.

De odio, aliisque vitiis charitati oppositis.

SUMMARIUM.

324. *Recensentur breviter octo vitia charitati opposita.*
325. *Odium (seu vitium directe oppositum charitati) bene describitur, quod sit aversio voluntatis ab eo, quod velut malum apprehenditur.*
326. *Aliud dicitur odium inimicitiæ, aliud abominationis.*
327. *Odium inimicitiæ tam respectu DEI, quam proximi est intrinsece malum, & ex suo genere mortale peccatum.*
328. *Esto ob defectum sufficientis deliberationis subinde a mortali excusari valeat.*
329. *Odium abominationis respectu DEI similiter est intrinsece malum: at vero respectu proximi indifferens, ita, ut etiam subinde possit evadere bonum & laudabile.*
330. *An vel quando peccet, qui sibimet mortem exoptat?*
331. *Proximo sine justa causa maledicere, seu malum optare, & quidem serio, per se loquendo grande nefas est;*
332. *Non item, si fiat justa ex causa.*
333. *Neutiquam licet proximo efficaciter, seu etiam voluntate antecedente mortem optare præcise propter bonum seu emolumentum temporale nobis inde obventurum.*
334. *Secus dicendum, si hoc fieret propter majus bonum proximi spirituale præsertim v. g. ut salvetur &c.*
335. *Gaudere tamen ob emolumentum temporale quodcumque tibi e morte proximi obveniens, nequaquam illicitum est.*
336. Discordia *consistit in dissensione voluntatum circa bonum, quod ex charitate velle debemus.*
337. *Estque ex suo genere peccatum mortale.*
338. *Nomine* Seditionis *intelligitur dissensio civium &c.*
339. Contentio *est altercatio verborum ad impugnandam veritatem &c.*
340. *Estque ex suo genere peccatum mortale.*
341. *Resolvitur Casus I. cujusdam uxoratæ, quæ, dum advertit, Maritum suum gravissime affligi doloribus calculi & podagræ, eidem sincerissime exoptavit majorem intensionem dolorum.*
342. *An etiam juste eidem exoptaverit mortem ipsam?*
343. *Resolvitur Casus II. cujusdam ancillæ, asserentis, se summopere aversari, immo odisse famulum quemdam sibi domesticum;*
344. *Propterea que eidem sæpesæpius gravissima mala exoptasse.*
345. *An hæc teneatur in Confessione specifice exprimere illa mala maligno affectu exoptata?*
346. *Resolvitur Casus III. de quodam Professore, assueto impugnare sententias sui Collegæ, esto illas agnoverit verissimas.*
347. *An propterea censendus sit peccasse peccato contentionis?*
348. *In continuo odio vel inimicitia viventes male vivunt, & quid circa tales a Confessario observandum?*
349. *Parentes, qui ob minimos quosque defectus prolibus suis nescio quæ mala imprecari solent, modeste redarguendi seu etiam dehortandi sunt.*
350. *De strage Turcarum, aliorumve Ecclesiæ hostium gaudere, an vel qua ratione licitum sit?*
351. *An vel qualiter fas sit optare stragem Principis Catholici?*
352. *Quænam sit differentia inter odium, & invidiam.*
353. *Quomodo examinandus sit pœnitens sese accusans, quod odio habuerit proximum suum?*

§. I.

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos tangentes vitia charitati opposita.

Quæres primo, quæ, & quot vitia opponuntur charitati?

324. R. Vitia charitati directe, vel etiam indirecte & consecutive opposita communiter enumerantur sequentia octo, 1. odium. 2. invidia. 3. acedia. 4. discordia. 5. seditio. 6. contentio. 7. schisma. 8. scandalum. Quia vero de invidia & acedia ceu peccatis capitalibus jam egimus *in tractat. prælim. Confer.* 22. & 23. De schismate vero supra *Confer.* 3. *num.* 87. hinc in præsenti Conferentia nobis restat agendum de odio & reliquis vitiis charitati oppositis. De scandalo autem ceu materia Confessario summopere scitu necessaria in proxima Conferentia agemus. Neque me latet ab aliis communiter quasi hoc loco etiam tractari de bello nec non de duello, velut vitiis charitati oppositis: verum cum hæc mereantur fusius examen, consulto hanc materiam duxi differendam ad alium tractatum, ubi (DEO volente) agemus de quinto præcepto decalogi.

Quæres secundo, quid, & quotuplex sit odium?

325. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Odium ut sic recte dicitur alienatio, seu quædam aversio voluntatis ab eo, quod velut malum apprehenditur. Ita *cum communi* Herincx noster *part.* 3. *tr.* 1. *disp.* 13. *numer.* 1. Ratio hujus descriptionis facile liquet; odium quippe immediate ac directe opponitur amori: ergo quemadmodum amor consistit in quadam conversione seu etiam prosecutione voluntatis erga id, quod bonum apprehenditur; ita a contrario odium bene describitur per aversionem voluntatis &c. Et sicut Deus æque ac proximus noster dupliciter potest amari, scilicet vel amore amicitiæ, vel amore concupiscentiæ; ita pariter uterque dupliciter odio haberi potest. Hinc

326. R. jam ad secundum membrum hujus quæsiti. Odium ut sic recte dividitur in odium inimicitiæ, & in odium abominationis. Ita rursus *ex communi DD. Laymann l.* 2. *tr.* 3. *c.* 3. *n.* 1. Sporer *tr.* 2. *in decalog. cap.* 6. *sect.* 1. *n.* 1. Herincx *loc. cit.* Explico brevissime. Odium inimicitiæ (ab aliis appellatur odium Personæ) est, quo quis personæ sibi displicenti malum vult ac desiderat, & quidem sub ea ratione, qua eidem malum est: & hoc odium directe opponitur amori amicitiæ seu benevolentiæ. Odium vero abominationis (quod ab aliis dicitur odium qualitatis) est, quo rem, vel personam aliquam aversamur non secundum se ipsam, sed secundum aliquam qualitatem, quam in ea invenimus nobis contrariam, v. g. vinum qua acidum, medicinam quam amaram, hominem litigiosum qua talem &c. &c.

Quæres tertio. Quale peccatum sit odium inimicitiæ, & quale sit odium abominationis?

327. R. 1. Odium inimicitiæ nedum erga Deum, verum etiam erga proximum per se & intrinsece malum est, atque ex suo genere mortale peccatum. Ita Laymann *loc. cit. n.* 2. Ratio est: quia odium inimicitiæ secundum dicta immediate & directe opponitur maximæ virtuti, charitatis scilicet, de qua præcipuum mandatum habemus hac ratione jam superius *Confer. n.* 227. diximus, odium inimicitiæ erga Deum, utpote oppositum immediate summo bono, esse gravissimum peccatum.

328. Dixi tamen, odium inimicitiæ *ex suo genere esse peccatum mortale*, volens per hoc innuere, quod odium inimicitiæ, non quidem erga Deum ceu summo amore dignum, sed quatenus tendit in proximum, possit subinde excusari a peccato mortali. Ratio disparitatis inter utrumque hæc est: quia quisquis Deum odio habet, optando eidem quodcunque demum malum, vult (quantum de se) Deum non esse summum bonum, & hoc ipso Deum non esse Deum; quod utique nunquam desiderari potest sine maxima deordinatione contra rectum rationis imperium: at vero si ex displicentia seu odio etiam personæ erga proximum leve tantum malum eidem velis, ob parvitatem materiæ

riæ tale odium non erit, nisi venialiter peccaminosum. Ita Turrianus 2. 2. *disp.* 91. *dub.* 1. quem refert & sequitur Laymann *loc. cit. n.* 4.

329. R. Jam secundo: Odium abominationis erga Deum per se & intrinsece malum, atque ex suo genere peccatum mortale est: at vero odium abominationis erga proximum interdum culpa vacat, interdum laude omnino dignum est. Ita rursus *ex communi* Sententia Laymann *cit. n.* 5. Sporer *ubi supra n.* 2. Herincx *disp.* 13. *n.* 4. Ratio prioris colligi potest ex illo *Matth.* 19. ubi dicitur: *quid me interrogas de bono? unus est bonus Deus*, quo innuitur, solum Deum esse essentialiter bonum; ita, ut in eum nulla prorsus malitia, nullus defectus sive in sive extrinsecus, utputa ob productionem vel gubernium creaturarum, defectus cadere possit, juxta illud *Genes.* 1. *c. v.* 31. *viditque DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: ergo quisquis Deum abominatur, quacunque demum sub ratione, enormiter excedit contra legem naturalem ac divinam. Ratio autem posterioris est: quia odium abominationis erga proximum, est odium qualitatis: atqui certum omnino & exploratum est, quod non omnes qualitates in proximo repertæ sint amore dignæ, sed potius abominabiles, prout revera sunt omnia vitia, utputa luxuria, injustitia &c. ergo odium talium qualitatum nedum honestum, sed & laude omnino dignum est: quemadmodum ergo odium proximi quoad qualitatem simpliciter bonam, malum est, quoad qualitatem vero indifferentem indifferens; ita prorsus odium proximi quoad qualitatem malam & peccaminosam seu etiam vitiosam, omnino honestum est, atque laude dignum: hac de causa Regius Psaltes *Psalm.* 118. ait, *iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*. Et rursus *Psal.* 138. *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos.*

Quæres quarto, an, vel quomodo peccet, qui sibimet mortem optat, seu etiam imprecatur?

330. R. cum distinctione. Nam sibi mortem optare vel ad evitanda revera gravissima mala, quæ interdum videntur morte ipsa acerbiora; uti est v. g. diutina gravis infirmitas, condemnatio ad triremes vel carcerem perpetuum &c. vel ad perfectius amandum Deum, eundemque nunquam amplius offendendum &c. omni culpa vacat. At vero optare sibi mortem vel ex desperatione vel ex impatientia, vel etiam ob evadenda quæcunque levia mala, satis vituperabile est, & culpabile. Ratio hujus posterioris est: quia graviter repugnat charitati sibi debitæ sicut & rectæ rationi, velle sibi gravissimum malum ob evadendum aliud malum leve: & certe Diana *part.* 5. *tr.* 14. *Resolut.* 92. apud Busenbaum *lib.* 2. *de charit. dub.* 2. *Resolut. II.* peccati mortalis condemnat mulierculas, ob leviuscula quævis mala mortem sibi imprecantes. Ratio autem prioris sumitur a contrario: quia scilicet talis non supponitur sibi optare mortem qua sibi malam, sed potius qua illam apprehendit velut finem majorum malorum, juxta illud *Eccli.* 30. *melior est mors, quam vita amara*: atqui hoc nullatenus repugnat ordinatæ charitati neque rectæ rationi. Unde & Doctor gentium *ad Philipp.* 1. *c.* ait: *cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Et rursus *ad Rom.* 7. *v.* 24. deplorans vitæ hujus miserias: *infelix ego homo* (inquit) *quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Quæres quinto, sitne graviter illicitum proximo maledicere, seu optare malum?

331. R. Proximo serio maledicere sine justa causa, optando scilicet, ut eidem eveniat hujusmodi malum, est ex suo genere peccatum mortale. Ratio est: quia tale desiderium repugnat charitati ex suo genere graviter obliganti; pertinet enim ad odium proximi. Quin immo si talis maledictio proximo fiat in faciem, nedum charitati, sed & justitiæ graviter repugnabit, quandoquidem per talem contumeliam, honor proximi lædatur, ideoque contrahitur duplex malitia specie distincta, & in Confessione necessario exprimenda prout recte advertit Laymann *cit. c.* 8. *n.* 8. Fatendum nihilominus est, hujusmodi maledictiones sæpesæpius excusandas esse a peccato mortali, idque vel ob materiæ levitatem, vel ob impetum passionis prædominan-

minantem rectæ rationi ita, ut non fiant animo deliberato, sed potius ad ostendendam displicentiam vel indignationem conceptam erga delinquentem &c. quam ob causam Doctores satis communiter excusare solent parentes & dominos, dum suis prolibus aut subditis ex passionis impetu solent nescio quæ mala imprecari: solent itidem excusare rusticos, aurigas, pastores &c. dum suis pecoribus aliisve creaturis irrationalibus maledicunt; tales quippe interrogati, an serio maledixerint, optando scilicet, ut hæc mala eveniant, regulariter loquendo illico respondere solent: nequaquam mi Domine, quin immo si evenissent, vel maxime fuissem invitus &c.

332. Dixi etiam, esse mortaliter peccaminosum proximo *maledicere sine justa causa*; nam ubi justa causa intervenit, nequaquam illicitum est maledicere ex odio abominationis optando scilicet, ut proximo eveniat tale malum, idque vel propter majus bonum ipsius, quatenus scilicet a Deo punitus tandem errorem suum agnoscat, ac serio resipiscat, vel ut per hujusmodi punitionem injusta vexa, aliudve malum majus ab universali Ecclesia, vel ab integra aliqua communitate amoveatur. Hanc ob causam Parens filium, Superior subditum delinquentem, Judex reum juxta qualitatem seu etiam gravitatem delicti justissime castigant, infligendo iisdem etiam graviores pœnas, vel ut resipiscant, vel ut alii absterreantur &c. hoc enim totum fit, aut certe fieri potest absque odio aut displicentia personæ, sed potius amore illius, vel certe amore justitiæ, & boni publici conservandi seu etiam procurandi; quod utique omni culpa vacat: quin immo universaliter licite abominamur homines malos qua tales in ordine ad destruendam eorundem malitiam, eisdemque commeritas exoptamus pœnas, exemplo Regii Psaltis *psalm.* 54. dicentis: *veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum* &c. Fatendum tamen est hæc & similia a nobis viatoribus de facili non esse attentanda, eo quod semper timendum, ne sub colore justitiæ & justi odii abominationis lateat, vel clanculo subrepat verum odium inimicitiæ aut affectus vindictæ, præsertim si fiat respectu inimici, aut hominis aliunde infensi. Videantur de hoc si placet, Castropalao *part.* 1. *tr.* 6. *disp.* 4. *pu.* 1. *nu.* 9. & *seqq.* Laymann *loc. cit. n.* 7. Sporer *tr.* 2. *c.* 6. *sect.* 1. §. 4. *n.* 5. *per tot.*

At, inquies, licetne etiam proximo innocenti optare malum v. g. mortem temporalem &c. non quidem quatenus ipsi malum est, sed quatenus nobis cedit in bonum v. g. filio in ordine ad adipiscendam hæreditatem, vel aliam promotionem &c.

333. R. Optare proximo mortem ob aliquod emolumentum temporale nobis, alterive inde obventurum, & ita optare, ut voluntate antecedente divinam desiderando dicas v. g. o quam vellem, ut Deus hunc v. g. Parentem, consanguineum &c. e vivis tolleret, quatenus hac via possem adire hæreditatem, vel adipisci jus primogenituræ &c. hoc vel illud officium aut servitium &c. non vacat gravi culpa. Ratio est: quia graviter repugnat rectæ rationi & ordinatæ charitati, bonum longe inferioris ordinis præferre bono ordinis superioris: atqui hoc facit, quisquis ob bona temporalia sibi obventura exoptat proximo suo mortem &c. Hac de causa Innocentius XI. *an.* 1679. justissime damnavit sequentes propositiones, quarum prima, *num.* 13. ita sonat: *si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum*: altera, quæ est *n.* 14. *licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas*: tertia, *nu.* 15. inter damnatas ita sonat: *licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas*. Quæ propositiones si intelliguntur, ut jacent, ad minus scandalosæ sunt, ac piarum aurium offensivæ, prout nemo prudentum non apprehendet, & amplius ostendunt Cardenas, Viva, & alii plures scribentes de hac materia.

334. His-

334. His tamen non obſtantibus haud illicitum cenſeri debet gaudere, ſeu etiam inefficaci tantum affectu deſiderare mortem proximi eo fine, ut maius bonum ſpirituale, ſalus ſcilicet æterna eidem obtingat, vel ne Eccleſia a tyranno diutius injuſte vexetur, gravetur vel opprimatur &c. bonum quippe majus non ſine ratione, & hoc ipſo ſine læſione charitatis præfertur bono minori: at, ubi mors temporalis optatur propter bonum ſpirituale vitæ æternæ, vel propter ingens emolumentum totius communitatis, præfertur bonum maius bono minori, velut de ſe liquet: ergo &c.

335. Denique etiam gaudere de emolumento temporali, quod tibi obvenit ob mortem proximi, ita ſcilicet, ut non tam de morte, quam de ipſo emolumento, quod ſuppoſita jam morte tibi obvenit, gaudeas, omni culpa vacat.

Ratio eſt: quia hoc gaudium ſpecificatur a ſuo objecto: at, objectum hujus gaudii eſt duntaxat tuum emolumentum, quod ſuppoſita jam morte proximi tibi obtigit: hoc autem objectum non eſt inhoneſtum: nunquid enim triſtari deberes de tali emolumento? &c. ergo de hoc licite gaudes. Et ita expreſſe tenet la Croix *lib.* 2. *n.* 187. Cardenas, Viva, Babenſtuber & Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.*6. *ſect.* 1. *n.* 10.

Quæres quinto, quid ſit Diſcordia, & quale peccatum?

336. R. Diſcordia recte deſcribitur, quod ſit diſſenſio voluntatum circa bonum, quod ex charitate velle debemus. Ita poſt S. Thomam 2. 2. *q.* 37. *art.* 1. Reiffenſtuel *theolog. mor. tr.* 4. *diſt.* 7. *num.* 29. Ratio hujus deſcriptionis liquet a contrario, quemadmodum enim concordia conſiſtit in conſenſu voluntatum ſeu cordium &c. ita diſcordia recte dicitur conſiſtere in diſſenſu voluntatum; additur autem *circa bonum, quod ex charitate velle debemus*; agimus enim hic de diſcordia prout opponitur virtuti charitatis: at, ſi diſcordia non verſetur circa bonum, ſed potius circa malum, vel certe circa illud, quod eſt indifferens aut non obligatorium &c. talis diſcordia non opponitur charitati: quo fit, ut ſi proximo te invitanti ad ingrediendam cum illo eandem Religionem, renuas aut recuſes petitum: neutiquam incidas peccatum diſcordiæ: vel ſi invitanti & allicienti te ad actum malum, diſſentias & minime acquieſcas, non ſolum non peccas, ſed potius laudem mereris ac præmium tam coram hominibus, quam coram Deo.

337. R. jam ad alterum membrum hujus quæſiti. Diſcordia eſt peccatum contra charitatem, & quidem ex genere ſuo mortale. Ratio eſt: quia diſcordia tollit ingens bonum, ſcilicet pacem & concordiam cum proximo & quidem circa bonum, quod ex charitate velle debemus. Hac de cauſa Proverb. 6. dicitur Dominus deteſtari, *eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias*. Hoc tamen non obſtante diſcordia evadit peccatum veniale, ſi vel bonum illud ſit de ſe exigui momenti, vel ſi fiat quidem circa bonum magni momenti, at ſine ſufficienti deliberatione. Laymann *cit. cap.* 11. *numer.* 1. Filliucius *tr.* 28. *cap.* 9. *num.* 194.

Quæres ſexto, quid intelligatur nomine Seditionis?

338. R. Nomine Seditionis intelligitur talis diſſenſio civium, qua adverſantur bono pacis politicæ. Et quia pax atque unitas civium profecto habetur pro magno bono Reipublicæ, liquet, quod ſeditio ſit ex ſuo genere peccatum mortale, ſaltem ex parte illorum, qui pacem publicam ſubvertere nituntur, ſecus dicendum de iis, qui reſiſtunt pacis perturbatoribus: hi enim laudem potius merentur, quam vituperium; unde nec proprie debent, neque poſſunt dici ſeditioſi.

Quæres denique ſeptimo, quid ſit Contentio, & quale peccatum?

339. R. ad primum membrum hujus quæſiti. Contentio proprie dicta eſt impugnatio veritatis, ſeu altercatio verborum ad impugnandam veritatem, ut ſi quis cum altero verbis contendat ex intentione contradicendi iis, quæ de ſe clara, aut omnino fide Catholica credenda ſunt. Quocirca Valentia, Babenſtuber, & alii plures notant, tribus modis fieri poſſe hanc contentionem reſpectu veritatis, primo ſcilicet, ut contendens veritatem etiam agnitam impugnet.

ſecundo modo, ut contendens velit impugnare adverſarium, ſive falſum aſſerat, ſive etiam verum; tertio denique modo, ut contendens revera impugnet veritatem, quam culpabiliter non agnoſcit, vel potius non vult agnoſcere, prout hæretici vincibili ignorantia laborantes nolunt agnoſcere veritatem fidei Catholicæ. Jam, qui primo modo impugnat veritatem, eam formaliter, qui vero ſecundo & tertio modo, eam virtualiter impugnare dicitur, uti habent Valentia & Babenſtuber. *tr.* 5. *diſp.* 1. *art.* 6. *n.* 36.

340. R. jam ad ſecundam partem ejuſdem quæſiti. Contentio mox deſcripta eſt ex ſuo genere peccatum mortale. Ita ex Communi DD. Reiffenſtuel *ubi ſupra n.* 31. Filliucius *loc. cit. n.* 198. Ratio eſt: quia opponitur bono charitatis ac pacis, & quidem in materia gravi. Unde & Apoſtolus *ad Galat.* 5. inter opera carnis a Regno Dei excludentia enumerat *contentiones*, & rurſus *ad Rom.* 1. inter eos, quos Deus in reprobum ſenſum tradidit, recenſet eos, qui ſunt *pleni invidia*, *homicidio*, & *contentione*. Hoc tamen intelligendum eſt de contentione veritatis ſerio facta; nam ſi fiat præciſe exercitii Scholaſtici cauſa, vel ad eruendam & amplius dilucidandam veritatem, vel ad explorandam alterius doctrinam, acuendamve diligentiam &c. dummodo cum debita modeſtia fiat, omni culpa vacat: quodſi ſerio quidem, ac ſine ſufficienti deliberatione contingat, vel ſi impugnetur veritas exigui momenti, non excedet culpam peccati venialis, uti recte docet Filliucius *loc. cit.*

§. II.

Proponuntur & breviter reſolvuntur Caſus practici de Odio & maledicentia erga proximum.

CASUS PRIMUS.

Titia juvenis & jovialis puella nupſit cuidam Seniculo non tam amore perſona quam divitiarum allecta: quia vero idem Seniculus continuis quaſi doloribus calculi ac podagræ affligitur; hinc impatientiæ motibus prope tabeſcens ferre non valet hilarem uxoris animum: nec minus ejuſdem Seniculi animus premittur Zelotypiæ ſtimulis, quam podagræ, quam ob rem pati non vult, ut Titia ulli alteri viro familiariter colloquatur, quin & hujuſmodi colloquia nedum durioribus verbis, ſed ſubinde etiam verberibus eidem compenſat. Titia vero, quo innocentior & ab omni inboneſto conſortio magis remota, tanto amplius affligitur Mariti ſui duritie, & quia timore perdendi amplam hæreditatem eidem obloqui non audet exterius; hinc interius ſaltem ſæpeſæpius eidem exoptat dolores calculi ac podagræ, dumque ſubin eundem hujuſmodi doloribus oppreſſum mirum in modum ejulare audit, ipſa interius ſummopere gaviſa illud S. Franciſci Xaverii effatum (licet in ſenſu a mente hujus Sancti longe alieno) ingeminare ſolet: amplius Domine, amplius! Quin & mortem ipſam Marito ſuo nedum ſæpiſſime exoptat, ſed inſuper hujus impetrandæ vel accelerandæ cauſa Deum ac Cælites omnes interpellat. Jam dubitare licet, an vel qualiter Titia peccaverit ſuo Marito exoptando animitus dolores Calculi? & 2. quomodo exoptando Eidem mortem ipſam?

341. R. ad primum quæſitum hujus caſus Titiam exoptando ſuo marito vehementiores calculi dolores &c. probabilius peccaſſe mortaliter. Ratio eſt: tum quia afflictum voluit amplius affligi, & quidem doloribus intenſiſſimis, quales ſunt illi ex calculo & podagra orti; tum etiam quia ex majori dolorum intenſione non potuit e ſuo marito ſperare mitiorem ſui tractationem, & conſequenter non potuit deſiderare hujuſmodi intenſionem dolorum per modum medii in ordine ad evadendam hanc ſatis duram & intolerabilem mariti ſui converſationem: ergo convincitur hanc majorem intenſionem poſtulaſſe ſolum per modum vindictæ, ob malam ſcilicet tractationem hactenus expertam: at, qui per modum vindictæ proximo ſuo imprecatur grande malum, graviter delinquit ſecundum dicta *n.* 331. ergo &c. &c.

342. R. jam ad ſecundam partem hujus quæſiti, a Confeſſario explorandam eſſe mentem Titiæ, & interrogandam, an

an Deum, Sanctosque interpellarit ad impetrandam, vel etiam accelerandam mortem sui mariti vel per modum vindictæ ob malam tractationem &c. vel præcise eo fine, ut ab hac tyrannide tandem aliquando liberaretur? Si primum concludendum erit, eam mortaliter peccasse nedum peccato odii contra charitatem proximo debitam, sed etiam peccato Sacrilegii, contra virtutem Religionis, in quantum non sine permagna irreverentia ausa fuit implorare Deum, & Sanctorum patrocinium ad impetrandam gravem vindictam & castigationem sui mariti. Si vero supponatur secundum, dicendum foret, quod non peccaverit graviter. Ratio est: quia secundum communem DD. paulo *supra n.* 334. insinuatam in ordine ad evadendam hanc durissimam tractationem licite potuisset sibi mortem optare, & in hunc finem invocare Deum ac Cœlites: quidni ergo possit ex eodem fine sine peccato proximo suo optare mortem, Sanctorumque suffragia implorare?

CASUS SECUNDUS.

Sempronia fatetur, se summopere aversari quemdam famulum in eadem secum domo ac servitio constitutum; tum quia ab eodem nuper sine sufficienti causa fuit apud herum suum accusata; tum potissimum, quia homo est valde lubricus, qui vix non singulis discursibus suis solet immiscere quædam impudica, fœminasque atque puellas hinc inde sibi occurrentes tangere in partibus inhonestis saltem super vestes: his de causis Sempronia illius consortium, ubiubi demum potest, pro viribus declinare solet, eidemque jam sæpius nescio quæ mala utpote malam pestem, morbum gallicum, membrorum contracturam, & patibulum ipsum fuit sincero ex animo imprecata. Jam ad nostrum propositum dubitare licet. 1. An Sempronia peccet fugiendo & pro viribus declinando consortium dicti famuli, præsertim si alii quoque domestici id advertant? 2. an peccaverit eidem mox enumerata mala imprecando?

343. R. ad primum. Sempronia nec aversando famulum, neque etiam ipsius consortium pro viribus declinando peccat, quin potius laudabiliter agit: pudicitia namque nullibi minus, quam inter impudicos secura est, juxta illud *Psalm.* 17. *cum viro innocente innocens eris, & cum perverso perverteris.* Talis proin aversio, talis fuga a sceleratis qua talibus omnino laudabilis est, ac meritoria. Nec refert, quod alii domestici hujusmodi aversionem fortassis apprehendant; nam pariter possunt apprehendere, aut certe de facili instrui, hujusmodi aversionem non fieri in odium personæ, sed potius in odium qualitatis vitiosæ, quam jure merito quisque abominatur. Unde S. Thomas 2. 2. *q.* 34. *art.* 3. *in corp.* ait: *amor autem debetur proximo secundum id, quod a Deo habet, id est, secundum naturam & gratiam; non autem debetur eidem amor secundum id, quod habet a se ipso & diabolo, id est, secundum peccatum & justitiæ defectum. Et ideo licet habere odio peccatum in fratre, & omne illud, quod pertinet ad defectum divinæ justitiæ.*

344. R. jam ad secundum cum distinctione. Vel enim hujusmodi mala ei fuit imprecata per modum vindictæ, id est, propterea, quod ab eo fuerit delata seu accusata apud herum, & ob hanc causam eundem puniri desiderat; vel præcise eo fine, ut hisce pœnis excitatus & correptus a Deo, tandem resipiscat, se emendet, ac salvus fiat? Si hoc posterius: dicendum, quod non peccaverit ob rationem supra *n.* 332. datam. Si autem illud prius: concludendum erit, quod graviter deliquerit, & quidem toties, quoties moraliter interruptis vicibus eidem famulo tam grandia mala exoptavit, quandoquidem id graviter repugnet charitati proximo debitæ juxta dicta superius *num.* 331. Et quia in hujusmodi contingentiis quasi semper subesset periculum, ne irrepat quidam inordinatus affectus sinistræ affectionis vel potius passionis, hinc noverit Confessarius, muneris sui esse, ut pro viribus talem pœnitentem dehortetur, serioque moneat, ut si quidem proximi salutem sincero ex animo desiderat, studeat potius hanc gratiam precibus ad Deum fusis, sanctoq; Conversationis exemplo eidem impetrare.

At, inquies, teneturne pœnitens specifi-

eifice ac distincte in confessione exprimere differentiam malorum, quæ proximo suo fuit imprecatus?

345. R. Quoad hoc Doctores in diversas abire sententias, nonnullis affirmativam, aliis autem negativam tenentibus. Mihi probabilius videtur, quod pœnitens teneatur explicare diversitatem malorum circa bonum animæ, corporis vel fortunæ efficaciter exoptatorum; revera enim juxta communem Doctorum non satisfaceret pœnitens præcise dicendo: *damnificavi proximum*, sed tenetur exprimere, utrum illum damnificaverit in bono animæ, vel corporis, vel fortunæ: ergo probabilius tenetur etiam exprimere, utrum desiderio efficaci intenderit ipsi damnum in bono animæ vel vero in bono famæ aut fortunæ: nam actus efficaces secundum dicta *in tract. prælim. Conferent.* 3. *n.* 61. sumunt suam specificationem ab objecto, in quod tendunt: atqui certum est, quod bona animæ, vitæ, ac fortunæ specie morali differant: ergo & desideria efficacia lædendi hujusmodi bona.

Nec refert, quod eidem virtuti charitatis opponantur; quia etiam damnificatio in bono animæ, vitæ & fortunæ opponuntur eidem virtuti justitiæ, quo non obstante certum atque exploratum est, quod injuriæ contra hoc triplex genus bonorum illatæ specie infima moraliter differant. Liquet proin ex his (ni fallor) Confessarium omnino prudenter facturum, si ex tali pœnitente (casu quo is se ipsum non exprimit) interroget, quæ, vel qualia mala proximo suo serio & efficaciter exoptarit. Vide si placet Herincx *disp.* 13. *n.* 7. Suarez *disp.* 6. *de charit. sect.* 2. *n.* 2. vel Castropalao *tom* 1. *tr.* 6. *disp.* 4. *punct.* 1. *num.* 7.

CASUS TERTIUS.

Cajus certæ cujusdam facultatis Professor ad discordias & contentiones natus quodammodo videtur, enimvero Sententias sui Collegæ, esto illas judicet verissimas, auctoritati, rationique maximopere consentaneas, nihilominus acerrime impugnare solet, idque non exercitii, aut veritatis dilucidandæ causa, sed ut coram populo videatur major, ac in profunditate, soliditateque doctrinæ suæ eminentior illo; quod & hactenus, præsertim coram minus intelligentibus assecutus fuit, tum ob valde exquisitum argumentandi modum, tum præsertim ob linguæ, vocisque claritatem, qua alteri suo Collegæ haud modicum prævalet. Quæritur jam 1. *utrum Cajus peccet peccato discordiæ, &* 2. *an vel quomodo peccet peccato contentionis.*

346. R. Ad primum membrum hujus quæsiti, Cajum absque dubio incurrere peccatum discordiæ; quia ut refertur in specie facti, non consentit suo Collegæ in bono veritatis, sed potius ex mera protervia vel superbia veritatem agnitam impugnare solet eo fine, ut videatur major &c. Existimo tamen hujusmodi discordias (nisi aliunde in modo impugnandi, vel potius vituperandi aut vilipendendi adversarium cum notabili læsione honoris aut modestiæ excedatur) non esse graviter peccaminosas, nisi versarentur circa materiam fidei ac morum, ut proin ex tali discordia vel scandalum aliorum, vel perversio morum esset timenda, prout sapienter innuit noster P. Herincx *loc. cit. n.* 26.

347. R. Jam ad secundum membrum quæsiti hujus, minime ambigendum, quin Cajus peccaverit peccato contentionis, nedum humilitati, sed & charitati oppositæ; quandoquidem supponitur contendere eo fine, ut propriam auctoritatem extollat, alterius vero, scilicet Collegæ sui diminuat.

In ordine tamen ad dignoscendam gravitatem peccati rursus attendi debet materia contentionis, utrum scilicet contendere soleat circa veritatem mere Philosophicam, an vero circa veritatem Theologicam, id est, Fidem, aut bonos mores concernentem? Si prius illud supponatur, dicendum, quod non, nisi venialiter deliquerit; quia præcise egit contra veracitatem, cujus violatio ex suo genere non est graviter peccaminosa. Si vero secundum, per se loquendo peccavit mortaliter, eo præsertim, quod talis contentio vix, aut ne vix quidem fieri possit sine scandalo vel detrimento animarum, saltem tunc, quando impugnans nec verbis, neque etiam facto ipso ostendit, se præcise agere vel exercitii, vel

vel veritatis amplius eruendæ, aut dilucidandæ causa; quod in hoc casu non supponitur factum fuisse. Verum cum versemur in materia Sapientes tangente, sufficere arbitror Sapientibus hæc pauca dixisse, vel potius insinuasse, ne ultra quam oportet, aut in me est, sapere videar.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

348. Colliges ex hactenus dictis primo, eos, qui quasi in continuo odio erga proximum suum versantur, vivere in pessimo statu; id, quod vel maxime timendum 1. de conjugibus in continuis discordiis ac rixis viventibus. 2. item de famulis aut famulabus aliisve domesticis sese aversantibus, nec non de illis, qui ad duellum se provocarunt. Ratio de se liquet: quia quisquis odio prosequitur proximum suum, per se loquendo versatur in statu peccati mortalis, juxta illud 1. *Joan. 2. qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est.* Noverit proin Confessarius, quam caute cum talibus procedendum sit, ne Sacramentum administret indignis. Videatur Kazenberger *in Supplem. I. P. Sargar. Conferent. 16. num. 96.*

349. Colliges secundo, a Confessario dehortandos, & suo modo reprehendendos esse illos patentes, qui iracundiæ & impatientiæ motibus nimium subjecti, ob minimos quosque defectus aut errores prolibus suis nescio quæ mala tum corporis, tum animæ etiam imprecari consueverunt, utputa dicendo: diabolus te rapiat &c. eas in malam crucem, maledicta bestia, titio infernalis &c. Enimvero similia verba serio animo prolata in filium aut filiam nedum charitati, sed & pietati graviter adversantur: & licet videntur posse excusari ex eo, quod non tam animo deliberato, quam passionis inordinatæ impetu proferantur; certum nihilominus esse debet, quod hæc ipsa consuetudo maledicendi voluntarie retenta graviter sit peccaminosa, actusque inde profecti velut in causa ac radice voluntarii imputentur ad culpam gravem. Videatur Matthæucci *l. 2. c. 10. n. 14.*

350. Colliges tertio, licitum esse gaudere, immo etiam optare stragem turcarum, hæreticorum, & aliorum fidei Catholicæ hostium, ne scilicet veram Religionem, Deique cultum & communem omnium felicitatem evertant. Ita cum communi DD. Viva ad *propos. 15. ab Innocent. XI. damnatam num. 21.* Matthæucci *cit. l. 2. c. 8. nu. 25.* Ratio est: quia secundum rectam rationem & ordinatam charitatem bonum totius Reipublicæ merito præfertur bono hostium veritatis & membrorum diaboli: ergo etiam licite desideratur. Nec refert, quod præter mortem temporalem insuper supponantur incursuri mortem sempiternam; tum quia hanc non incurrent, nisi ex propria culpa; tum etiam quia diutius viventes in tali statu nedum salutem suam probabilissime nunquam fuissent operati, sed potius damnationem sibimet augmentassent. Et quia aliunde constat, bonum Reipublicæ Christianæ præstantius esse bono vitæ alicuius Rei, hinc non abs re possumus gaudere, justeque desiderare mortem talium hostium: quemadmodum ob conservationem totius boni publici Judex justissime ad mortis supplicium condemnat Reum, quem prævidet in sua impœnitentia obstinate moriturum, veluti diximus *supra Confer. 8. num. 258.*

At quid, inquies, de illo tenendum, qui audiens inter duos Principes Christianos v. g. Regem Galliæ & Imperatorem ortum esse bellum, semper solet gaudere, dum e novellis vel aliunde intelligit Gallos occubuisse, e contra tristari solet, ubi percipit, eos triumphasse?

351. R. Breviter cum distinctione. Vel enim gaudet de Gallorum strage, in quantum hæc vergit in Nationis illius eversionem, vel certe in damnum Regis Christianissimi, vel solet præcise gaudere de tali strage Gallorum, in quantum hæc conducit ad conservandam vel etiam restituendam tranquillitatem Patriæ, Pacemque in populo? Si prius; dicendum, quod graviter peccet; quandoquidem tale desiderium necessario sup-

ſupponat animum male affectionatum immo odio erga Chriſtianiſſimum Principem imbutum; quod utique rectæ rationi æque ac Chriſtianæ charitati graviter adverſatur. Si autem ſupponatur hoc poſterius, dicendum, quod non peccet. Ratio eſt: quia quilibet pacem ac tranquillitatem Patriæ ſuæ ac Reipublicæ Chriſtianæ licite exoptat. Hac de cauſa S. Mater Eccleſia publicas preces fundere ſolet ad Deum in ordine ad pacem conſervandam, ſeu etiam reſtaurandam inter Principes præſertim Catholicos. Neque etiam in hoc caſu neceſſum eſt, ut per ſe ac primario intendatur malum Principis Chriſtiani, ſed per ſe ſolum intenditur bonum Reipublicæ, id eſt pax & communis tranquillitas, quæ, cum obtineri non poſſit ſine malo ſeu etiam virium diminutione aut ſtrage alterius partis; hinc per accidens duntaxat & ſecundario quaſi intendi debet illud malum: hæc vero intentio non repugnat charitati Chriſtianæ; Secus enim nullum bellum foret juſtum aut licitum. Timendum nihilominus eſt, ne in hujuſmodi hominibus præſertim privatis ſub ſpecie pietatis ac Zeli juſti pro bono Patriæ ſæpeſæpius lateat vel irrepat malignus aliquis affectus, odiumve proximi, unde a Confeſſario potius ſuadendum eſt hujuſmodi pœnitentibus, ut ſi quidem ſinceri & ex animo nil aliud in votis habeant, quam pacem & tranquillitatem Reipublicæ, conentur eandem ſuis precibus & Sanctæ converſationis exemplo a DEO impetrare, omiſſis oblocutionibus vel etiam inutilibus contentionibus, quæ plerumque in ſimili caſu intervenire aſſolent.

352. Colliges quarto, odium inter & invidiam eam verſari differentiam, quod odium conſiſtat in quadam malevolentia erga proximum, vi cujus is, qui odium fovet, proximo ſuo malum vult, aut lætatur de malo ipſius in quantum eidem malum eſt: vel triſtatur de ejus bono, in quantum ipſi bonum: e contra invidia conſiſtit in quadam triſtitia de bono proximi, non præciſe quatenus ipſius bonum eſt, ſed quatenus vergit quodamodo in diminutionem honoris aut excellentiæ ipſius invidentis: itaque ſi doleas, quod v. g. Titius habeat hoc vel illud officium, tot aut tantas divitias &c. in quantum ipſi bona &c. diceris odio habere illum; at vero ſi non ideo præciſe doleas, in quantum ipſi bona ſunt, ſed quia tu non es tot ac tantis dotatus, vel quia tibi cedunt quodammodo in diminutionem honoris, invidus es dicendus, veluti poſt Campion. advertit Matthæucci *in cautela Confeſſarii lib. 2. c. 8. n. 21.* Vide etiam dicta *in tract. prælimin. Confer. 22. n.633.*

353. Colliges denique quinto, quomodo tactandus ſeu etiam examinandus ſit pœnitens, qui ſe accuſat, quod odio habuerit proximum; nam ſi ſe ipſum non ſatis exprimat, interrogari debet 1. an unum duntaxat, an vero plures odio habuerit, & a quanto tempore? 2. quoties eidem intra hoc tempus male imprecatus fuerit, & quænam in bono animæ, corporis, aut fortunæ? &c. 3. An eidem non negaverit communia ſigna charitatis, & quoties? 4. An actu cum eodem ſit reconciliatus, aut certe habeat animum quamprimum ſe reconciliandi cum illo; ſecus enim non eſſet bene diſpoſitus, neque capax abſolutionis Sacramentalis, ut de ſe liquet. Hæc tamen, uti jam monui, interroganda ſunt ſolum tunc, quando pœnitens ſeipſum non ſatis explicat, veluti ſæpius, quam par eſt, experiuntur Confeſſarii in excipiendis Confeſſionibus rudiorum; nam de aliis, qui ſunt cultiores aut magis docti, facilius præſumere licet, quod, ſi etiamnum de præſenti portarent odium erga proximum, non accederent Confeſſionale animo obtinendi abſolutionem Sacramentalem.

CONFERENTIA DUODECIMA.

De Scandalo.

SUMMARIUM.

ximus iisdem vel bene vel male uti possit, haud illicitum est, modo non vendantur scienter ad malum usum.

384. *Et quid, si dubitetur, sitne emptor abusurus nec ne?*

385. *Qui turpia seu lasciva &c. componunt, scribunt, pingunt vel repræsentant &c. graviter delinquunt.*

386. *Utrum ex metu mortis liceat adjuvare furem aut latronem in asportanda cista furtiva?*

387. *Fas est peccatum proximi permittere, vel ad id etiam ansam positivam de se merum indifferentem præbere eo fine, ut deprehensus corrigatur seu emendetur;*

388. *Non item eo præcise fine ut puniatur, aut mulctam solvere cogatur.*

389. *Ad quid teneatur ille, qui proximum suum scandalizavit?*

§. I.

Proponuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Scandalo.

QUæres primo, quid intelligatur nomine Scandali?

354. R. Nomine Scandali ut sic intelligitur *peccatum occasionatum*: proprie tamen loquendo de Scandalo, hujus nomine intelligitur *dictum vel factum, vel etiam omissum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ Spiritualis*. Ita S. Thomas & *alii DD. communissime*. Explico breviter singula. Dicitur 1. *dictum vel factum*; nedum enim loquendo, sed etiam agendo potest alteri præberi occasio peccandi: additur insuper 2. *omissum* &c. quia etiam omissione debiti officii, utputa horarum canonicarum, administrationis Sacramentorum &c. potest proximus scandalizari. Dicitur tertio *minus rectum*; enimvero tale dictum vel factum aut ex se malum esse potest, uti sunt v. g. blasphemia, detractio &c. aut saltem præfert speciem mali, ut si quis reipsa dispensatus in jejunio, die veneris comedat carnes coram aliis ignorantibus dispensationem. Unde etiam dicitur quarto, *præbens alteri occasionem ruinæ Spiritualis*; quia scandalosus vel positive intendit proximum inducere ad peccandum (quod proprie esset scandalizare) vel saltem prævidet, alios ex suo dicto vel facto sumpturos malum exemplum, acturosque id, quod DEI offensivum est.

Quæres secundo, quotuplex sit Scandalum?

335. R. Scandalum ut *sic communissime* partiri solet in activum & passivum. Nomine activi intelligitur illud dictum vel factum &c. quod alteri præbet occasionem ruinæ Spiritualis.

Nomine autem Scandali passivi intelligitur ipsa ruina Spiritualis proximi consecuta ex dicto vel facto &c. Ex. gr. tu loquendo coram juvene de puella innocente turpia, permoves eam ad delectationem carnalem, diceris active scandalizans, puella vero utpote a te pertracta in ruinam Spiritualem, dicitur passive scandalizata.

336. Porro Scandalum activum subdividi solet in *directum* atque *indirectum*: passivum vero in *datum* & *acceptum*, & hoc posterius in scandalum pusillorum & Pharisæorum. Explico rursus brevissime singula membra. *Directum* appellatur illud, quod datur in ruinam Spiritualem proximi, sive dein hæc ruina Spiritualis intendatur primario, prout intendunt dæmones tentando homines v. g. ad carnalia, sive etiam intendatur secundario, veluti intendere solent homines, dum v. g. voluptatis captandæ causa inducunt mulieres ad concubitum &c.

Indirectum Scandalum appellatur, dum aliquid dicis vel facis, quod vel malum est, vel speciem mali præsefert, ideoque natum est ad præbendam alteri occasionem peccandi, ut si die prohibita ab Ecclesia carnes comedas coram aliis fidelibus, qui ignorant te esse excusatum ab onere jejunii, ideoque tuo exemplo pariter manducabunt carnes non sine violatione præcepti. *Scandalum datum* dicitur, quod oritur ex dicto aut facto reipsa minus recto: *acceptum* vero quod accipitur ex dicto vel facto, vel de se indifferente, vel nullam speciem mali præseferente: quod si nihilominus ex tali aliquo facto homines vel ob ignorantiam vel ob fragilitatem scandalizantur, dicetur scandalum pusillorum, ut si homo lubricus ex ornatu mulieris etiam

jam licito labatur in parvum desiderium &c. Econtra vero si ob meram malitiam ex actione alterius de se etiam licita atque honesta accipias occasionem ruinæ Spiritualis, utputa de eodem male loquendo, detrahendo &c. dicitur scandalum pharisaicum, id est pharisæis proprium, quippe qui ex actionibus Sanctissimis Christi Domini, puta ex curatione infirmorum, conversatione cum peccatoribus &c. sumpserunt occasionem calumniandi, & murmurandi &c.

Quæres tertio, quale, & quam grave peccatum sit Scandalum illud activum & proprie tale?

357. R. Scandalum activum est ex suo genere peccatum mortale charitati repugnans, quoties quis tenetur abstinere ab illo dicto aut facto præbente occasionem ruinæ &c. idque probabilius verum est, tametsi ruina spiritualis proximi per se ac directe non intendatur, modo prævideatur subsecutura. Prima pars hujus responsi est communiter ab omnibus recepta, nam directe scandalizans intendit proximum damnificare in bono animæ utique de se summi momenti; quod procul dubio charitati proximo debitæ graviter repugnat. Secundam vero partem contra Paludanum, Vasquez, & nonnullos alios hodie tenet communior Doctorum, nominatim Laymann *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 6. Tamburin. *de Confess. lib.* 2. *c.* 1. *§.* 17. Sporer *tr.* 5. *in decalog. c.* 1. *n.* 16. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 6. *num.* 11. Felix Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *part.* 2. *c.* 2. *numer.* 328. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 4. *dist.* 7. *n.* 21. Et ratio hujus est: quia etiam in aliis materiis moralibus ad contrahendam malitiam specificam peccati sufficit voluntarium indirectum: ergo similiter sufficit ad contrahendam malitiam scandali. Et certe qui fornicatur in loco Sacro, esto directe non intendat irreverentiam loci Sacri, sed potius voluptatem &c. nihilominus fit obnoxius peccato Sacrilegii ex eo, quod in tali loco non abstineat ab ejusmodi actu, cum tamen deberet & posset abstinere: ergo similiter is, qui prævidet ex sua actione, a qua hic & nunc deberet abstinere, alios sumpturos occasionem ruinæ spiritualis, vere obnoxius efficitur peccato scandali.

Adde insuper, quod peccatum scandali perrarum foret inter homines, si semper requireretur directa intentio ruinæ spiritualis; cum hoc dæmonibus potius, quam hominibus proprium sit, ut jam diximus: at vero Scriptura Sacra videtur clare innuere, hoc peccatum scandali non esse rarum, sed frequens inter homines; unde etiam *Matth.* 18. *v.* 7. ait: *Væ Mundo a scandalis. Necessum est enim, ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.*

358. Dixi tamen, Scandalum *per se loquendo* esse peccatum mortale, ut per hoc innuerem, quod possit subin fieri veniale sive ob inconsiderationem seu indeliberationem, sive etiam ob parvitatem materiæ, ut si quempiam inducas ad peccatum veniale duntaxat: quia hoc in genere damnorum spiritualium censetur solum quid leve seu ruina parva, idque etiam verum est, quando peccatum veniale directe intenditur & quidem per actum moraliter peccaminosum v. g. per mandacium seu etiam detractionem gravem: ut tenet Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 6. *n.* 10. Id ipsum haud improbabiliter tenet Michel in sua Theolog. Canon morali *tom.* 2. *part.* 1. *q.* 3. *§.* 7. *nu.* 23. eum scilicet non peccare nisi venialiter, qui ex actione levi seu venialiter duntaxat mala v. g. levi joco &c. prævidet alium graviter lapsurum, v. g. in gravem iracundiam.

Addidi insuper: *quoties quis tenetur abstinere a tali dicto aut facto &c.* quemadmodum enim non datur semper obligatio abstinendi a tali actione, prout patebit ex dicendis, ita frequenter datur causa excusans a culpa Scandali. Unde jam

Quæres quarto, Utrum ob evitandum Scandalum teneamur intermittere opus, quod est de præcepto vel etiam de consilio tantum?

359. R. Primo ob evitandum Scandalum vel impediendum peccatum proximi nunquam licet vel ponere actionem intrinsece malam v. g. mentiri &c. vel omittere aliquam actionem in iis circumstantiis, in quibus omissio est vere peccaminosa præsertim intrinsece, uti est v.g. dissimulatio veræ fidei, casu quo urget præceptum

de

de profitenda fide exterius, in quo dissimulatio professionis habetur pro negatione, uti dictum fuit supra *Confer.* 2. *num.* 53. *& seqq.* Ita *communis* & certa sententia Doctorum, hac ratione irrefragabili fulta: quia non sunt ullatenus facienda mala, ut eveniant bona *cap.* 8. *&* 10. *XXXII. q.* 4. Unusquisque enim tenetur potius peccatum vitare in se ipso, quam in altero; quia ut ait S. Thomas 4. *dist.* 38. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 2. *Nullus autem debet Deum offendere parum, ne alius offendat multum; quia homo debet in infinitum plus diligere Deum, quam proximum.*

360. R. jam secundo ad idem quæsitum. Nemo per se loquendo tenetur omittere actionem seu opus præceptum, immo neque opus consilii, modo id fiat sine animo inducendi proximum in ruinam, & ex causa multum rationabili, ita scilicet, ut moraliter loquendo hujusmodi opera intermitti non debeant. Ita rursus *Communis* DD. Vasquez, Suarez & alii, quos sequitur Castropalao *de charit. tr.* 4. *disp.* 6. *punct.* 16. *numer.* 3. *&* 6. item Felix Potestas *loc. cit. numer.* 338. *&* 326. Ratio est: quia suppositis hisce conditionibus nemo nos obligare potest ad abstinendum ab ulla actione secundum se honesta aut permissa: & quisquis demum inde arripit ansam peccandi, suæ id potius vel pravitati vel etiam fragilitati adscribere debet, quam actioni nobis præceptæ, vel certe aliunde haudquaquam prohibitæ. Loquimur autem hic de eo, quod est de jure; secus dicendum foret, si loquamur de eo quod consilii vel charitatis causa subinde fieri expedit, prout paulo inferius dicetur. Insuper dictum fuit, quod nemo teneatur intermittere opus præceptum aut consultum modo id fiat *ex causa multum rationabili &c.* quænam vero tales censendæ sint, dicemus proxime *n.* 364.

Quæres quinto, sitne licitum cooperari peccato alterius?

361. Ante responsionem directam suppono, cooperationem ad peccatum alterius dupliciter fieri posse, scilicet vel 1. præbendo materiam ad peccandum v. g. potum excessivum, vel carnes die prohibita &c. vel etiam 2. concurrendo cum eodem ad eandem actionem peccaminosam v. g. furti, homicidii &c. Quocirca (ni fallor) Cardenas *in crisi Theolog. ad propos.* 51. *ab. Innocentio XI. damnatam dissert.* 31. *num.* 2. itemque R. P. *Michel ubi supra §.* 7. *num.* 15. & Felix Potestas *loc. cit. num.* 346. sapienter advertunt, hujusmodi cooperationem subinde fieri posse per actionem de se prorsus indifferentem, & ita quidem, ut hæc vel remote duntaxat & per accidens, vel etiam propinque aut proxime omnino deserviat ad peccatum. Ex gr. gestare seu etiam applicare scalam ad domum, aperire januam domus, vocare puellam, lectum sternere, portare litteras internuncias vel munuscula &c. sunt actiones ex sua natura prorsus indifferentes, prout nemo prudentum non videt; at vero, si fiant ad finem malum, ut si famulus succollet hero, sternat lectum, vocet puellam &c. eo quod idem Dominus velit cum ea habere rem &c. hujusmodi actiones evadunt malæ, & quidem (juxta opinionem Sanchezii, Lumbieri, Vivæ *ad propos.* 51. *numer.* 4. & aliorum) intrinsece; actus enim vel etiam medium de se indifferens sumit bonitatem aut malitiam specificam a fine secundum dicta *in tr. prælim. Confer.* 3. *num.* 66. atqui finis, ad quem assumuntur hujusmodi actiones, est intrinsece malus, uti supponitur, scilicet stupratio Virginis aut fornicatio: ergo &c. Jam quæsitum hoc potissimum intelligi debet de actionibus ex sua natura indifferentibus, an scilicet, vel quomodo his mediantibus fas sit concurrere ad peccatum alterius: quo notato & supposito.

362. R. Nunquam licet cooperari peccato alterius, sive dein administrando materiam v. g. carnes ad frangendum jejunium, sive etiam cooperando seu concurrendo ad actum peccaminosum eo fine, ut alter peccet. Ratio liquet ex mox dictis; quia scilicet talis cooperatio contrahit malitiam finis. Insuper nefas est scienter cooperari peccato alterius per actionem proxime influentem in ipsum peccatum, sive dein actio sit ex sua natura & intrinsece mala, uti est v. g. occisio innocentis, sive

sit mala ideo duntaxat, quia lege prohibita, uti est commestio carnis die ab Ecclesia interdicta &c. Qui enim proxime concurrit ad actum peccaminosum, convincitur directe velle peccatum, prout bene arguit la Croix *lib.2. num.* 252.

363. R. Nihilominus secundo. Licitum est cooperari materialiter tantum peccato alterius suppositis sequentibus conditionibus 1. si tuum opus aut cooperatio de se sit honesta aut saltem indifferens, & ad peccatum proximi merum remote ac per accidens se habeat, ita scilicet, ut nec physice, neque moraliter in illud influat. 2. si talem cooperationem præstes ex rationabili & ponderosa causa; minime vero eo fine, ut alterum adjuves ad consummationem peccati. 3. si peccatum alterius non teneris specialiter impedire, vel certe non possis. Ita in re *communis* DD. prout videre licet apud Sanchez *in decalog. lib.* 1. *cap.* 7. & *lib.* 3. *cap.* 8. Castropalao *tract.* 6. *disp.* 6. *punct.* 11. Tamburin. *in decalog. lib.* 5. *cap.* 1. §. 4. *nu.* 2. & 16. Sporer *tr.* 5. *cap.* 1. *sect.* 3. *n.* 41. la Croix *lib.* 2. *num.* 250. & 255. Ratio hujus resolutionis est: quia stantibus præfatis conditionibus non cooperaris proxime aut positive ad peccatum alterius, sed solum permissive seu negative te habes respectu illius, eo præsertim, quod illud impedire non tenearis vel certe non possis: atqui certum & exploratum est, quod ex rationabili ac ponderosa causa fas sit permittere peccatum alterius: ergo &c.

364. Dixi: *ex rationabili ac ponderosa causa &c.* Jam vero dubium exurgit, quænam censenda sit causa satis ponderosa ac rationabilis? Quocirca Doctores communiter fatentur, non posse statui universalem regulam, quemadmodum etiam peccata ipsa in sua gravitate non sunt æque ponderosa, neque etiam actiones æqualiter concurrentes; nihilominus ad aliqualem saltem ingenii sublevationem circa hujusmodi cooperationem licitam vel illicitam juvabit bene notare sequentes aphorismos. I. Tanto gravior causa ad licite concurrendum requiritur, quanto gravius est peccatum, cujus occasio datur. II. Tanto gravior causa &c. quanto probabilius est, te non cooperante alterum non peccaturum, & quanto certior est effectus peccati ex tua cooperatione. III. Tanto gravior &c. quanto propinquius tua cooperatio peccatum attingit. IV. Tanto gravior &c. quanto minus juris habes ad tale opus seu cooperationem. V. Tanto gravior &c. quanto magis peccatum repugnat justitiæ cum damno tertii. Ita in re Laymann *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. Busenbaum apud la Croix *l.* 2. *n.* 250. Sporer *ubi supra n.* 74.

Quæres sexto, sitne licitum ab altero petere opus, quodquidem sine peccato præstare posset, certo tamen creditur, aut prævidetur non præstiturus sine peccato?

365. R. Ob gravem & rationabilem causam licet, non tamen sine causa multum ponderosa. Ita *communis* DD. Ratio hujus ex dictis facile eruitur; nam si absque rationabili causa id facias, convinceris velle offensam DEI & ruinam proximi: e contra si id facias ex causa rationabili v. g. necessitatis &c. censeris permissive tantum te habere in ordine ad peccatum proximi, quod, cum impedire aliunde non tenearis, non tibi, sed illius malevolæ voluntati duntaxat imputandum est. Unde ulterius cum Sanchezio, Diana & Lugone recte infert Sporer *cit. tr.* 5. *cap.* 1. *sect.* 3. *num.* 76. & *seqq.* ob hujusmodi ponderosam causam tuta conscientia peti posse 1. a Parocho administrationem Sacramenti. 2. a Conjuge redditionem debiti. 3. a Saga vel mago solutionem maleficii &c. quando hi possent similia facere sine peccato, esto prævideantur cum peccato facturi. Secus dicendum foret, si id facere non possent sine peccato novo, ut si saga nequeat solvere maleficium sine novo maleficio. Videantur *Doctores cit.*

Quæres septimo, utrum fas sit suadere minus malum illi, qui jamjam determinatus est ad committendum majus sive ejusdem, sive etiam alterius generis, v. g. volenti occidere Petrum, suadere ejus vulnerationem aut mutilationem, vel volenti committere adulterium, suadere fornicationem sine læsione tamen juris tertio competentis?

366. R.

366. R. Probabiliter fas est, supposito quod suadens nequeat impedire utrumque peccatum, tam maius scilicet, quam minus, simulque nihil suadeat in præjudicium tertii. Ita contra non paucos tenent Sanchez, Lugo, Tamburinus, Sporer & alii plures; idque hac ratione, meo iudicio validissima: quia suadens e duobus minus malum, casu quo (uti supponimus) utrumque impedire nequit, omnino prudenter agit, quandoquidem aliud nihil intendit, nisi impedire graviorem offensam DEI, maiorisque mali proximo inde imminentis aversionem, veluti Loth fecisse legitur *Gen.* 19. dum Sodomitis volentibus abuti duobus viris (vel potius Angelis virorum speciem præseferentibus) dixit: *habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis -- dummodo viris istis nihil mali faciatis*. Videatur Sporer *cit. nu.* 56. atqui prudenter agens non peccat: ergo &c. &c.

At vero, inquies fortassis cum Laymanno, Castropalao & aliis adversæ Sententiæ patronis: inductio ad peccatum positive illud suadendo aut consulendo, præsertim quando actus ex natura sua malus est, nefas est nulla ratione excusabile: at, qui volenti committere adulterium, suadet fornicationem, suadendo illum inducit ad actum intrinsece malum, ut de se liquet: ergo nefas est &c. Confirmatur ex eo amplius; quia non licet mihi committere leve mendacium eo fine, ut impediam v. g. homicidium vel fornicationem, esto hæc sint longe graviora peccata: ergo nec licet suadere alteri fornicationem in ordine ad impediendum adulterium.

367. R. ad hanc obiectionem satis difficilem distinguendo Mai. inductio *absoluta* ad peccatum &c. nefas est &c. *concedo*, inductio non absoluta, sed *conditionata* potius, suadendo scilicet proximo, ut siquidem velit committere peccatum, potius committat id, quod minus est, nego Maior. &c. Nam in hoc casu non consulitur malum absolute, neque malum ut malum, se potius ut impeditivum est maioris mali: immo taliter inducens non intendit malum, sed potius commutationem maioris mali in id, quod minus est: hæc autem commutatio vel consultatio non est mala respectu illius, qui, ut supponitur, utrumque malum impedire non potest, tametsi vellet: ergo &c. Unde *ad Confirmationem* negatur *conseq. & paritas*: ideo enim ego committendo leve mendacium peccarem, quia in meo arbitrio stat mentiri vel non, ideoque & possum & teneor non mentiri: e contra vero minime stat in meo arbitrio impedire utrumque peccatum proximi: ergo non delinquo, dum proximo jamjam resoluto ad committendum majus malum suadeo minus, non quidem absolute, uti jam dictum fuit, sed potius conditionate, ut si quidem velit peccare &c.

368. Nec refert, quod illud minus peccatum sit fortassis alterius speciei, prout fornicatio ab adulterio differt, & ebrietas ab homicidio; nam majus peccatum suo modo comprehendit malitiam minoris, & aliquid ultra: neque etiam in tali casu, ut jam dictum est, suadetur minus malum absolute, sed potius hypothetice & ex supposito, quod utrumque impediri nequeat: hanc Sententiam velut probabilem tenent multi & gravissimi quidem DD. videndi apud Cardenam 2. *Crisi dissert.* 23. *numer.* 148. eamque probabilem agnoscunt Cardenas, Gobat *in Quin. tr.* 5. *cap.* 13. *numer.* 26. Diana *part.* 5. *tr.* 7. *resol.* 18. la Croix *lib.* 2. *numer.* 223. Fateor tamen oppositam sententiam esse tutiorem, & æque probabilem, sin minus probabiliorem, loquendo de eo, qui suadet, vel inducit ad minus malum omnino diversæ rationis a maiori malo, utputa ad ebrietatem, ne committatur homicidium, vel abortus procuretur &c. Ideoque hanc opinionem insinuare volui velut probabilem, minime tamen consulere.

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur casus practici de Scandalo.

CASUS PRIMUS.

Titia perbene novit Maritum suum furtis ac rapinis deditum, atque ex iisdem familiam alere, tantum nihilominus abfuit, ut eum dehortaretur, quin potius sibi fuerit congratulata, eo quod speraverit post pauca futurum, ut Maritus suspendatur, ipsa vero ab hoc onere matrimonii sibi intolerabili liberetur, cum potestate transeundi ad secunda vota. At vero spes hæc fefelit; nam Maritus quidem deprehensus fuit & incarceratus, non tamen ad mortem, sed ad virgas & perpetuam relegationem e Patria condemnatus fuit. Titia proin & Marito & mediis tum ad propriam, tum ad prolium etiam sustentationem necessariis destituta, hanc quærendam censuit corporis ac pudoris sui prostitutione: hunc in finem liberius denudare solet mammas, ut alliciat, itemque familiarius, aut verius loquendo, licentiosius conversari cum altero sexu, & frequentius uni alterive concedere usum proprii corporis. Quam primum vero animadvertit se concepisse, quærit occasionem conveniendi Maritum, utpote non ita procul in confinibus demorantem, eidemque offert usum corporis, quatenus hoc modo adulteria perpetrata palliet, & proles nascitura non alteri, quam Marito imputetur. Jam ad præsentem facti speciem ex dictis *in Conferentia* 10. *a* 298. facile (ni fallor) erui potest, an vel quomodo Titia peccaverit contra charitatem proximo debitam, omittendo correctionem fraternam: facile insuper ex dictis *Confer.* 11. *n.* 331. erui potest, quomodo peccaverit optando suo Marito infame mortis supplicium: controversia proin ad præsentis conferentiæ argumentum magis propria moveri potest 1. *an Titia tuta conscientia potuerit uti rebus furtivis ad suam suarumque prolium sustentationem, utputa carnibus ad comedendum, lana ad vestiendum, pecuniis furtivis ad providendum aliis necessitatibus domesticis?* 2. *An vel quomodo peccet liberius denudando mammas? &c.*

R. Ad primum quæsitum hujus Casus. Si Titia aliunde non habet media, quibus se suasque proles honeste sustentare possit, satis probabile arbitror, eam tuta conscientia uti posse illis rebus furtivis ad sustentandam familiam; idque hac ratione: quia Maritus nedum prolibus, sed etiam Uxori debet alimenta juxta *omnes per L. si cum dotem. §.* 2. *sin autem. ff. soluto matrim.* ergo Titia ceu uxorata potest ea prætendere a Marito; quod autem is nolit dare alia, quam furtive obtenta, per accidens se habet respectu Titiæ, quæ, utpote inevitabili necessitate pressa, acceptando hæc censeri debet merum permissive se habere in ordine ad peccata seu furta a Marito commissa: quemadmodum quævis uxor potest a Marito prætendere debitum conjugale, tametsi certo prævideat, quod ille non sit redditurus sine peccato, utputa sine pollutione aut dispersione seminis extra vas. Confirmatur hoc a pari; nam juxta communem Doctorum opinionem, cui etiam subscribunt Diana *part.* 5. *tract.* 7. *resolut.* 13. Sporer *tract.* 5. *cap.* 1. *sect.* 3. *numer.* 99. Babenbuster *tract.* 5. *disp.* 1. *art.* 6. *num.* 25. ob rationabilem causam (quam subministrat ipse famulatus seu subjectio) coqui & coquæ Dominis suis jejunium violaturis licite præparant carnes, easque ministrant, eo quod hæc actio natura sua non ordinetur ad peccatum, sed solum ad substantiam actus comestionis, spectantis ad nutrimentum Dominorum, cui per accidens conjungitur peccatum Dominorum, quod famuli & ancillæ moraliter loquendo impedire nequeunt, & hoc ipso non tenentur: ergo similiter, si Maritus nolit præbere alimenta, nisi furtive hinc inde ablata, Titia Uxor utpote gravi necessitate pressa, ea licite acceptat, de reliquo permissive se habens ad peccata Mariti, quippe quæ moraliter loquendo impedire nequit.

370. Dixi tamen; *Si Titia aliunde non habeat media &c. &c.* Certum quippe est, quod per se loquendo nefas sit consumere, & consumendo moraliter destruere rem alienam Domino rationabiliter invi-

invito, juxta illud *Tobiæ* 2. *v.* 21. *videte ne forte furtivus sit* (hædus) *reddite eum Dominis suis : quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere*. Neque etiam negari potest, quin hujusmodi consumptio nata sit præbere occasionem pluribus furtis a Marito continuandis : ergo cum ex dictis *n.* 365. tanto amplius vitanda sit omnis cooperatio ad peccatum proximi, quanto illud est majus, vel quanto propinquius, cooperatio ad illud accedit, concludendum plane est, quod Titia omni modo moraliter possibili teneatur abstinere a consumptione alimentorum furtive ablatorum : atqui hoc poterit, si aliunde habeat media ad suam, suarumque prolium sustentationem necessaria : ergo &c.

371. R. Jam ad alterum quæsitum in hoc casu. Titiam mortaliter peccasse, & toties quidem, quoties moraliter interruptis vicibus denudando mammas, vel licentiosius conversando cum personis alterius sexus studuit eos allicere ad venerea; tum quia finem pessimum sibi præfixit; tum etiam quia finem pessimum sibi præfixit; tum etiam quia talis denudatio, utpote de se fortiter attractiva ad venerem, est scandalosa & graviter peccaminosa; quam ob causam Elizalde *in Regul. moral. lib.* 8. *q.* 13. §. 9. relatus a la Croix *lib.* 2. *n.* 248. meo judicio recte ait : *homines videntes mulieres .... nudas credere dicereque possunt : istæ amari & appeti a nobis volunt & placere nobis : hæc autem est maxima motio & tentatio, & per se ad hoc ipsum ordinata : ergo est grave peccatum &c.* Quæ doctrina vel maxime confirmatur ex nostro casu, ubi Titia refertur ex hac ipsa intentione denudasse mammas, quod utique culpa gravi minime vacat. Hinc etiam in Confessionali tenebitur hanc circumstantiam explicare, quandoquidem regulariter loquendo mulier non præsumitur induxisse virum ad peccatum carnale cum scandalo, sed fuisse inducta, ideoque nec Confessarius hoc peccatum scandali satis colligere poterit, nisi a fœmina explicetur, prout bene advertit Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. *n.* 6. Sporer *ubi supra c.* 1. *sect.* 2. *n.* 20. aliique plures. Ceterum quomodo Titia deliquerit adulterando, prolesque spurias imputando, seu etiam supponendo Marito &c. & qualem inde contraxerit Obligationem restituendi damna &c. videri potest ex iis quæ diximus *in Theolog. Sacrament. part.* 3. *Conferent.* 10. *n.* 437. *ac seq.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius miles Veneri æque, ac verbis lascivis deditus sæpe sæpius in præsentia aliorum proferre assolet verba impudica & ad venerem allectiva, quibus aliis audientibus potuisset scandalum dedisse, tametsi probabiliter suspicetur, eos non fuisse scandalizatos eo quod (ut ipse ait) similia non libenter audiverint : insuper (accusandi, aut gloriandi potius causa dicam, nescio) fatetur, se nuper fœminam quandam ad concubitum sese insinuantem repulisse dicens : hodie ob certam causam nolo, sed cras me iterum convenias &c. Quæritur jam 1. *Utrum Sempronius effutiendo illa verba impudica in illis circumstantiis censendus sit peccasse peccato scandali?* 2. *An peccaverit peccato scandali ex eo, quod jusserit fœminam altero die reverti seu redire?*

372. R. Ad primum quæsitum, minime prorsus dubitandum, quin Sempronius graviter peccaverit peccato scandali; tum quia supponitur assuetus similibus verbis impudicis : qui autem pessima & detestabili hac consuetudine semel imbuti sunt, passim solent talia proferre coram aliis sine distinctione personarum, ideoque sæpius, quam par est, coram innocentibus, quibus per similia verba sin minus ad lapsum ipsum, certo tamen ad tentationes seu occasiones labendi materiam subministrare solent tanquam verissima & aptissima instrumenta diaboli : Neque etiam tam facile a culpa immunis esse existimari debet Sempronius ex eo, quod dicat, alios non libenter audiisse similia &c. esto enim ex hoc arguere liceat, illos actu non consensisse, neque etiam complacendo prolapsos fuisse in aliquam turpitudinem; nihilominus certum est, quod hujusmodi verba coram innocentibus prolata ex se scandalosa sint, id est,

nata

nata præbere occasionem ruinæ spiritualis: atqui peccatum scandali activi non consistit in actuali ruina aut lapsu proximi, sed potius in dicto, vel facto inductivo ad ruinam spiritualem: ergo ex eo, quod alii similia verba impudica non libenter audiverint, Sempronius minime excusari debet a peccato scandali: profecto etiam Christus Dominus non libenter audiverit illa verba a S. Petro non quidem mala, sed bona intentione prolata: *absit a te Domine, non erit tibi hoc* (ut scilicet patiaris) & tamen JESUS illico *conversus dixit Petro: vade post me Satana*, Scandalum es mihi, *quia non sapis ea, quæ Dei sunt; sed ea, quæ hominum*.

Ergone, inquies, Sempronius tenetur in confessione exprimere nedum consuetudinem illam scandalose loquendi, sed insuper etiam numerum, quoties scilicet talia verba protulerit, nec non & numerum personarum, coram quibus similia protulit?

373. R. Certum esse, quod teneatur exprimere pessimam illam consuetudinem, quippe quæ voluntarie retenta merito reputatur distinctum peccatum a discursibus inhonestis. Certum insuper est, quod teneatur per se loquendo dicere, quoties moraliter interruptis vicibus similia verba lasciva protulerit in iis circumstantiis, in quibus potuisset audientes pertrahere ad ruinam spiritualem; quandoquidem hæc sint numero distincta peccata: distinctio autem numerica peccatorum exprimi debet in confessione, prout disserte docet Concilium Tridentinum *ss.* 14. *de Sacram. pœnit. cap.* 5. *&* *can.* 7. Insuper etiam juxta probabiliorem ac tutiorem sententiam DD. tenetur exprimere numerum personarum, utpote valde augmentantem gravitatem peccati: quia tamen plerumque hujusmodi hominibus lubricis talis expressio moraliter loquendo impossibilis est; hinc sufficiet dicere: scandalo fui pluribus, tot & tot vicibus, &c. vel etiam tot, ac tot vicibus turpia loquendo aliis audientibus scandalo fui &c. Videatur Sporer *tr.* 5. *c.* 1. *sect.* 2. *n.* 19.

374. R. Jam ad secundam partem quæsiti in hoc casu. Sempronius resolvendo se ad fornicationem altera die committendam, & in hunc finem mulierem substituendo &c. absque dubio mortaliter deliquit contra virtutem castitatis, non tamen contra virtutem charitatis peccato scandali. Ratio hujus est: quia secundum dicta scandalum activum essentialiter consistit in dicto aut facto de se inductivo ad ruinam spiritualem alterius: atqui Sempronius dicto suo non induxit fœminam ad ruinam spiritualem; hæc enim antecedenter propriæ libidinis æstu jamjam determinata fuerat ad fornicationem; quandoquidem hac intentione convenit Sempronium more solito, propteraque ipsa potius, quam Sempronius culpam scandali contraxisse censeri debet. Hac de causa R. D. Augustinus Michel *in sua Theol. canon. morali tom.* 2. *part.* 1. *q.* 3. *§.* 7. *n.* 14. recte concludit, quod famulus Hero jam de se determinato ad fornicandum succollet, ut possit ascendere per fenestram &c. vel si jam actu rixantem adjuvet in ordine ad occisionem Adversarii &c. si ad amasiam scienter deferat litteras amatorias aut invitatorias ad peccandum &c. peccet quidem eodem gravi peccato quo Dominus contra virtutem castitatis, non tamen peccato scandali; quia Dominum non induxit ad peccandum, sed tantum adjuvit in ordine ad exequendum peccatum.

CASUS TERTIUS.

CAjus domum suam locaverat cuidam viduæ quam crediderat esse personam honestam: at vero contra omnem suam exspectationem paulo post ab aliis inquilinis audire cogebatur, eandem a nonnullis juvenibus immo & maritis multum suspectis frequentari, & quidem tempore nocturno, quo factum, ut rumor vel potius murmur per totam viciniam volet, & eadem vidua passim jam male audiat: hac de re Cajus majoris assecurationis capessendæ causa quondam in angulo ejusdem domus tempore nocturno sese abdidit & revera deprehendit, sparsum rumorem suo non carere fundamento; ast ne hoc quidem contentus omnimodæ veritatis depræhendendæ causa postea ab eadem vidua simulate petiit usum corporis, ad quem cum se promptam ac paratam sine mora obtulisset,

Cajus illam severissime reprehendit, plenusque indignatione domum se recepit. Jam vero dubitat 1. utrum tuta conscientia præfatam viduam possit protinus in sua domo tolerare? 2. An non reipsa peccaverit illam sollicitando ad concubitum, tametsi nunquam habuerit animum peccandi, sed potius explorandi mentem illius.

375. R. Ad primum quæsitum. Cajus non peccabit relinquendo viduam illam meretricem in domo sua, saltem usque ad terminum, quo juxta consuetudinem loci domicilia commutari solent. Ratio est: tum quia supponitur domum suam bona fide locasse, tum etiam quia vidua vi hujus jam obtinuit quoddam jus inhabitandi, quo sine periculo graviorum incommodorum & majoris prostitutionis privari nequit, vel quia alibi domicilium non statim inveniret, vel etiam quia Cajus alioquin censu juste percipiendo omnino carere deberet. Ex quibus liquet, quod dictam viduam absque gravi suo incommodo nequeat domo expellere: at, qui sine gravi suo incommodo nequit impedire peccatum proximi, potest se permissive habere in ordine ad illud: ergo Cajus tuta conscientia potest viduam illam protinus saltem ad tempus relinquere in domo sua; eo præsertim, quod locatio domus res sit de se omnino indifferens.

376. Dixi, Cajum posse relinquere viduam illam *saltem ad tempus*; practice enim loquendo sin minus de jure, saltem de consilio omnimodis suadendum erit Cajo, ut elapso termino locationis amoveat meretricem illam ad tollendum scandalum, cum enim interea possit aquirere alium inquilinum honestum, plane non videtur conveniens, ut dictam viduam (nisi emendatam) toleret in domo sua, eo præsertim, quod ex hujusmodi tolerantia haud modica infamia redundaret in ipsum possessorem domus, ac si vellet quodammodo favere operi meretricio &c. Idque vel maxime dicendum foret, casu quo hæc domus ratione situs esset magis accommoda ad alliciendos homines ad hujusmodi commercium carnale, aut tollerantia hujus meretricis multum noceret aliis fœminis honestis; tunc enim requireretur causa excusans magni ponderis, qualem adhuc sufficientem existimat Tamburinus *in decalog. lib.* 5. *c.* 1. §. 4. *n.* 34. si eadem domus non posset locari aliis honestioribus, proptereaque Dominus seu possessor deberet carere censu inde percipiendo &c.

377. R. Jam ad alterum quæsitum hujus Casus. Cajus sollicitando Viduam ad usum corporis, per se loquendo mortaliter peccavit, esto id non fecerit animo peccandi, sed potius animo explorandi mentem dictæ Viduæ. Ratio de se liquet: quia sollicitatio alicujus ad actum intrinsece malum est mala ex sua natura. Parum autem refert, quod Cajus non habuerit animum peccandi; nam exterius saltem monstravit, se hujus esse intentionis, & monstrando dictam Viduam, utut demum habitualiter male dispositam excitavit ad actualem consensum in peccatum mortale, copulam scilicet carnalem: atqui hoc non vacat culpa gravi juxta communem DD. videndam apud Sporer *ubi supra n.* 44. Michel *l. cit. n.* 13. & alios passimo ergo &c.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

378. Colliges ex hactenus dictis primo, a peccato gravi excusandam esse uxorem, quæ ad evadendam gravem offensam Mariti una alterave vice Sacrum non audit, vel non jejunat &c. Item 2. non peccare fæminam, quæ Sacrum etiam obligatorium intermittit ex eo, quod sciat juvenem lascivum ex suo aspectu prolapsurum in impuram complacentiam &c. præsertim si non habeat occasionem alibi audiendi Sacrum &c. possunt, inquam, similia facere ob evitandum Scandalum pusillorum, ad quod declinandum lex naturalis videtur fortius adstringere, quam lex positiva humana ad audiendum Sacrum &c. Non peccat fæmina (dixi) intermittendo similia ob rationes mox datas; probabilius nihilominus videtur, quod de rigore nec ad unum teneatur, neque ad alterum; vix enim in priori casu continget, ut Maritus possit esse rationabiliter invitus: in posteriori autem casu

ſu culpa non fœminæ Sacro intereſſenti, ſed potius impotenti libidini adoleſcentis imputanda eſt, proptereaque Illſung. *tr.* 3. *n.* 111. aliique plures Doctores merito negant in tali Caſu fœminam obligari ad abſtinendum ab ingreſſu Eccleſiæ &c.

379. Colliges ſecundo, a fortiori ad evitandum ſcandalum puſillorum intermitti poſſe, immo vero, ubi id ſine difficultate fieri poteſt, quandoque etiam debere intermitti, vel ad tempus differri opera illa, quæ ſunt de Conſilio duntaxat, vel aliunde merum permiſſa. Ex. gr. Fœmina aut Matrona honeſta ſciens ſe ardenter amari, & quoties conſpicitur ab hoc vel illo laſcivo juvene, carnaliter concupiſci: non ſine gravi offenſa Dei &c. omnino conſulto faciet, immo ex charitate etiam tenetur abſtinere a familiari etiam honeſta converſatione cum illo, neque ſe ejuſdem conſpectui ſine multum rationabili cauſa offerre: tenetur inſuper abſtinere a ſuperfluo vel etiam a minus honeſto ornatu, quando ſcit, hunc hactenus exſtitiſſe cauſam excitativam laſcivi amoris, Ratio horum eſt: quia magno charitatis præcepto adſtringimur ad præcavenda vel etiam impedienda aliorum peccata, quantum commode poſſumus, veluti ex communi omnium Catholicorum tradunt Caſtropalao *tr.* 6. *diſp.* 6. *pu.* 16. *n.* 6. de la Croix *lib.* 2. *n.* 345. Ob eandem rationem.

380. Colliges tertio, fœminam peccare adeundo hoc templum vel hoc Sacrum, cui novit intereſſe laſcivum corrivalem, a quo carnaliter concupiſcetur, vel ſolicitabitur &c. peccat, inquam; ſi æque faciliter vel ſine permagno incommodo poſſet accedere aliud templum vel intereſſe alteri Sacrificio; quia ſcilicet non ſatagit pro viribus impedire peccata proximi & offenſam Dei.

381. Dixi tamen: *Si æque faciliter, vel ſine permagno incommodo poſſet accedere aliud templum &c.* Enimvero quod cum notabili difficultate, incommodo, vel etiam detrimento propriæ ſalutis aut bonorum ſpiritualium non teneatur abſtinere a tali acceſſu in templum &c. apud omnes inconfeſſo eſt; tum quia oportet habere majorem curam ſalutis propriæ, quam alienæ; tum etiam; quia ſi talis juvenis diutius perſtiterit in ſuo luto, ſeu amore laſcivo, lapſus inde conſecuturi jam non infirmitati, ſed potius malitiæ inveteratæ imputari debunt; ob quam declinando neque charitas nos obligat; præſertim ſi cum incommoditate vel detrimento propriæ ſalutis fieri deberet. Videatur Sporer *loc. cit. n.* 37. *&* 38.

382. Colliges quarto, fœminis ſub reatu mortalis culpæ abſtinendum eſſe a cultu laſcivo & notabili nuditate corporis utpote de ſe provocativa & valde & attractiva ad venerem, puta mammis, uſquead pectus denudatis, aut veſtitu ante ventrem nimis tenui, ait Sporer, queis ego accenſendas arbitror fœminas veſtitu nimis curto, & nequidem ad genua uſque protenſo, utentes &c. Ratio ſimilium eſt: quia tales veſtitus ex ſe ſunt valde ſcandaloſi, & vix ad aliud nati quam ad præbenda innumera ſcandala ſine commoditate, quin potius cum permagna incommoditate illis veſtibus utentium, quam vel maxime tempore brumali ſentiunt. Et certe (ni fallor) experientia conſtat, in iis locis, ubi talis abuſus viget, ſemper plura peccata carnalia committi, quam in aliis, ubi honeſto veſtitu & corpore bene tecto incedunt. Merito proin P. Paulus Mezger *tom.* 3. *tr.* 10. *diſp.* 22. *art.* 5. *num.* 22. ait hujuſmodi mulieribus, laſcivo ſcilicet uſu utentibus, denegandam aſſe abſolutionem Sacramentalem, niſi abſtinere promittant. Alii nihilominus fœminas ſic nude incedentes in locis ubi talis conſuetudo (niſi tamen conſuetudo & non abuſus potius dici mereatur) jamjam viget, excuſant a mortali, licet omnes fateantur introductrices talium veſtimentorum in aliquam provinciam a peccato mortali excuſandas neutiquam eſſe, omnes prorſus a Confeſſariis ſerio dehortandas. Videantur de hoc Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. *n.* 11. Sporer *loc. cit. n.* 39. Buſenbaum apud de la Croix *lib.* 2. *n.* 243. Babenſtuber *tr.* 5. *diſp.* 1. *art.* 6. *n.* 23.

383. Colliges quinto licite adminiſtrari ſeu etiam vendi poſſe res de ſe itaindifferentes, ut ad bonum vel malum

uſum

usum applicari queant. Et quidem casu quo liquido constat, eas non desiderari ad malum usum, nemo prorsus dubitat; major tamen controversia & difficultas consurgit, quando proximus moraliter quasi prævidetur, aut perpensis omnibus circumstantiis prudenter creditur abusurus tali re v. g. gladio, veneno &c. Quocirca tamen respondendum videtur cum distinctione. Vel enim materia illa, aut instrumentum quodcumque de se indifferens, supponitur proxime deservire ad malum usum uti gladius furioso ad occidendum &c. Vel remote duntaxat, uti carnis aut vini administratio ad frangendum jejunium; Si prius, dicendum, quod non liceat similia vendere præcise ob lucrum cessans ex venditione, & certe prorsus nunquam licebit vendere talem rem ad usum seu etiam finem malum v. g. medicamentum ad procurandum abortum, gladium ad occidendum inimicum &c. Si vero supponatur posterius, licebit talem materiam remote duntaxat se habentem ad peccatum vendere ex illo duntaxat motivo, ne lucro justo inde capiendo frauderis, præsertim si alii supponantur adesse, qui sine scrupulo venderent. Hac de causa excusantur caupones & laniones, dum carnes aut vinum præbent illis, quos advertunt legem temperantiæ aut jejunii transgressuros. Excusantur itidem, qui meretrici fucum, aut vestem, quibus forsan abutetur, vendunt; quia administratio talium, utpote de se merum indifferens, merum remote se habet ad ipsum peccatum, quod proin abutenti minime vero administranti debet imputari in tali casu. Videatur Illsung *cit. tr.* 3. *n.* 112. vel Viva *ubi supra ad proposit.* 51. *n.* 6. Tannerus *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 9. *dub.* 5. *n.* 144. Tamburinus *ubi supra* §. 4. *n.* 38.

At quid, inquies, si dubitetur duntaxat, utrum Emptor petat hanc rem v. g. mercurium vel Arsenicum &c. ad bonum, vel vero ad malum usum?

384. R. Rursus cum distinctione. Nam si dubites merum negative, ita scilicet ut non habeas prudens motivum dubitandi ex circumstantiis loci, personæ, temporis, aut modi petendi &c. collectum aut colligendum, sine scrupulo poteris vendere; nemo enim præsumi debet malus, quousque talem sese probaverit.

At vero casu quo ex circumstantiis mox recensitis, vel aliunde occurrit prudens motivum dubitandi de abusu, major procul dubio requiritur cautela & causa gravior vendendi seu etiam administrandi, quamvis causa ista non debeat esse adeo gravis, inquit Viva ubi supra *n.* 7. Quocirca tamen Pharmacopæis, Claustrariis & aliis, hujusmodi officialibus præcipitur singularis cautela.

385. Colliges sexto graviter peccare illos peccato scandali, qui componunt, scribunt vel describunt, repræsentant in Theatris, vel pingunt turpia seu lasciva, & ad venerem provocantia, utputa 1. imagines nudas alterius Sexus. 2. qui scribunt aut scriptas litteras ad concubitum aut turpem amorem invitatorias scienter deferunt ad concubinam. 3. peccat itidem famulus, qui hero suo fornicaturo januam meretricis aperit, vel eum in eandem domum comitatur, eo fine ut Dominus custodia vel auxilio famuli stipatus liberius indulgere possit veneri &c. Secus quoad hoc ultimum dicendum foret, si comitatus famuli se habeat per modum meri obsequii sine ullo influxu in peccatum Domini, vel cooperatione ad illud. Secus itidem dicendum foret, si famulus merum dubitet, nec sit certus, an herus bono an vero malo fine hanc vel illam domum frequentet, vel an litteræ, quas deferre jubetur, aliquid mali contineant; *in dubio enim non debet præsumi delictum l. merito ff. pro socio*. Videantur de his Busenbaum apud de La Croix *l.* 2. *n.* 243. Felix Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *part.* 2. *c.* 2. *a n.* 361.

At quid, si Dominus metu mortis famulum, aut fur vel latro eodem metu alium quempiam adigat, ut sibi sit auxilio v. g. in asportanda cista furtiva, vel inferendo alio damno temporali v. g. in incendio domus vel segetum? &c. licebitne huic parere sine peccato?

386. R. Id nullatenus ne metu quidem mortis fas esse existimant ConincK *disp.* 31. *de charit. dub.* 7. *n.* 104. eumque

que fecutus R. D. Michel *cit. q.* 3. §. 7. *n.* 10. hac ratione: quia directe cooperari vel exequi actionem intrinsece malam, ab alio intentam intrinsece malum eft, & eo ipfo nullatenus cohoneftabile: atqui: ergo &c. Hoc tamen non obftante ego probabiliorem arbitror Sententiam Caftropalai *tr.* 6. *difp.* 6. *punct.* 11. *num.* 10. Molinæ *tom.* 1. *de juft. difp.* 115. & aliorum plurium, afferentium id effe licitum ob evadendam mortem. Ratio hujus opinionis eft: quia urgente periculo vitæ ad evadendam hanc extremam neceffitatem poffet famulus feipfo alteri auferre rem temporalem fine crimine furti, quandoquidem Dominus in talibus circumftantiis nequeat rationabiliter effe invitus: ergo a fortiori ad falvandam vitam propriam poteft adjuvare alterum auferentem. Unde liquet, quod talis ablatio refpectu famuli nequeat dici furtum, vel actio intrinfece mala; nec mirandum, quod eadem actio phyfice individua a duobus procedens moraliter loquendo poffit effe aut dici mala refpectu unius, non item refpectu alterius, prout pluribus exemplis demonftrari poffet. Secus tamen merito dicendum putat Sporer *tr.* 5. *c.* 1. *fect.* 3. *n.* 62. fi Dominus a fuo fervo petat adjuvari ad mutilationem vel occifionem innocentis; qui cum innocens non fit Dominus membrorum vel vitæ (uti eft vel effe poteft refpectu aliorum bonorum temporalium) hinc nequit confentire in fui mutilationem vel occifionem, propteraque cooperatio famuli femper maneret illicita, velut intrinfece mala.

387. Colliges feptimo fas effe peccatum proximi permittere vel etiam ad illud anfam pofitivam de fe mere indifferentem præbere eo præcife fine, ut deprehenfus corrigatur feu emendetur in pofterum v. g. Maritus habens uxorem graviffime fufpectam de adulterio, poteft tuta confcientia exeundo eidem relinquere occafionem conveniendi adulterum, eo fine ut in flagranti deprehenfa corrigatur. Item Dominus vel Pater familias habens fervum aut filium de infidelitate aut furtivis ablationibus fufpectum, nedum tacendo vel diffimulando ad tempus poteft v. g. exire, fed etiam pecuniam fuo modo expofitam relinquere, vel clavem non fubtrahere de arcula, e qua creditur probabiliter ablaturus pecuniam &c. Ratio eft: quia Pater familias hoc modo non concurrit formaliter ad ipfum peccatum, fed folum occafionem vel materiam peccandi relinquendo, ad ipfum peccatum permiffive fe habere cenferi debet ob rationabilem caufam, ut fcilicet majora mala tum fibi, tum famulo etiam aut filio imminentia impediat, & delinquens efficacius corrigatur.

388. Dixi tamen, fimilia fieri poffe *eo fine, ut delinquens emendetur*. Neutiquam enim fas eft fimilia permittere vel etiam pofitivam caufam præbere eo præcife fine, ut deprehenfus mulctam folvere cogatur; quia cum mulcta exigi non valeat, nifi fuppofito peccato, ficut tamen emendatio delinquentis poteft intendi etiam non fuppofito novo delicto; hinc, is, qui caufam pofitivam vel anfam præbet ad obtinendam mulctam convincitur velle ipfum peccatum velut quoddam præfuppofitum ad exigentiam mulctæ. Et ita tenent Sanchez *lib.* 10. *de matrim. difp.* 12. *num.* 52. Bonacina *difp.* 2. *de peccatis quæft.* 4. *punct.* 2. §. *unic. num.* 28. Caftropalao *de charit. tr.* 6. *difp.* 6. *punct.* 5. *num.* 2. fœda ergo (inquit perbene Sporer *tr.* 5. *c.* 1. *fect.* 3. *num.* 68.) & iniquiffima eft praxis proditorum certæ urbis, ubi prohibitum eft bibere in Cellariis Ecclefiafticorum fub quinque florenorum mulcta in fingulas menfuras, qui potitantibus fefe immifcent, & ad liberius bibendum alliciunt ad majus fuum lucrum, fcilicet ad mediam partem mulctæ captandam.

379. Colliges denique octavo, eum qui proximo innocenti fuit fcandalo, teneri faltem ex charitate ad tollendum fcandalum & ad procurandam emendationem ejufdem five verbis & factis & exemplis, enimvero fi fecundum dicta fuperius *Confer.* 10. *n.* 299. quivis chriftianus ex lege generali charitatis & fpeciali præcepto fraternæ correctionis tenetur corrigere errantem vel peccantem, profecto confequens eft, quod ex charitate fraterna tanto amplius

qui-

quilibet stringatur ad procurandam emendationem proximi, quanto efficacius meminit se prius eidem dedisse causam ruinæ spiritualis. Utrum autem ex justitia pariter teneatur ad procurandam emendationem, non ita certum est, immo longe probabilius, quod non, nisi per vim vel fraudem proximus fuit inductus ad peccandum. Et ita tenent Laymann, Lessius, Azorius, Lugo *disp.* 9. *de just. sect.* 1. *a n.* 8. aliique Recentiores præsertim. Ratio est: quia nemo tenetur ex justitia ad compensationem damni alieni, nisi huic intulerit injuriam: atqui juxta *Reg.* 27. *Jur. in sexto scienti & volenti non fit injuria*: ergo si alium absque vi vel fraude merum consulendo aut suadendo induxisti in peccatum, non teneris ex justitia, sed ex charitate duntaxat ad procurandam emendationem delinquentis. Unde etiam *L. Consilii ff. de Reg. Jur.* dicitur: *Consilii non fraudulenti nulla est obligatio* (scilicet ex justitia) Et rursus *L.* 2. *ff. mandati habetur*: *Nemo ex consilio obligatur, etiamsi non expediat ei, cui dabatur, quia liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium*. Videantur, quæ diximus *de Restitut. Confer.* 7. *n.* 200. & 201.

CONFERENTIA

DECIMA TERTIA

De virtute Religionis in genere & de Oratione.

SUMMARIUM.

390. *Quid intelligitur nomine Religionis in genere?*
391. *Et quid nomine virtutis Religionis in specie?*
392. *Objectum immediatum hujus virtutis est cultus DEI.*
393. *Recensentur breviter undecim actus Religionis.*
394. *Quid sit devotio, & quid, esse devotum?*
395. *Quid sit oratio proprie dicta?*
396. *Et quænam conditiones vel qui actus ad hanc sint necessarii?*
397. *Oratio alia dicitur mentalis, alia vocalis.*
398. *Terminative & ultimate solus Deus orandus est: respective tamen etiam Sancti utiliter orationibus implorantur.*
399. *Omnis Viator, sive justus sit, sive peccator nedum utiliter potest, sed etiam tenetur orare.*
400. *Recensentur breviter nonnulli Casus, vel potius circumstantiæ temporum, in quibus tenemur orare.*
401. *Similiter pro omnibus Viatoribus nondum constitutis in termino &c. tam amicis, quam inimicis etiam orandum est.*
402. *Bona spiritualia ad animæ salutem conducentia absolute sunt petenda a Deo, temporalia vero sub conditione, si scilicet, & in quantum conducunt, vel non obstant saluti animæ.*
403. *Oratio debet fieri humiliter, pie seu devote, & constanter.*
404. *Resolvitur Casus I. Cujusdam personæ, quæ orando sæpius a Deo postulavit, ne supposito etiam lapsu in fornicationem evaderet prægnans, vel diffamaretur coram Mundo.*
405. *Quæ tandem contrarium animadvertens & experta, per octo circiter menses ne unicum quidem Pater aut Ave dixerat.*
406. *Licet vero propterea, defectu scilicet orationis, plura fortassis peccata inciderit, non tamen ob id duplex peccatum semper commisit.*
407. *Resolvitur Casus II. de quodam, qui preces vi confœderationis debitas pro defuncto ad aliquod tempus distulit, eo quod olim ab eodem fuerit offensus.*
108. *Et quid tenendum de illo Malefactore, qui recitando Pater noster ad illa verba: dimitte nobis -- sicut & nos dimittimus &c. positive solebat excludere inimicum suum?*
409. *Occurritur breviter cuidam difficultati contra datam resolutionem factæ.*
410. *Resolvitur Casus III. Cujusdam sponsæ, quæ Deum, cœlitesque implorare consueverat, ne sponsus mutato animo*

mo Monachum induens a sponsalibus resiliret.

411\. *Propterea tamen non videtur arguenda alicujus peccati,*

412\. *Bene vero ex eo, quod Sanctorum Patrocinium imploraverit eo fine, ut Parens sponsi velut unicum nuptiarum obstaculum brevi moreretur.*

413\. *Virtus Religionis inter virtutes morales præstantissima est;*

414\. *Et sæpesæpius aliarum etiam virtutum actus imperare solet.*

415\. *Recensentur breviter nonnulla principalia impedimenta devotionis.*

416\. *Quid causæ sit, cur sæpius frustra videamur orare?*

417\. *Ad omnem orationem præter intentionem saltem implicitam* orandi, *insuper necessario requiritur attentio interna.*

418\. *Hæc attentio potest esse triplex, scilicet vel 1. materialis, vel 2. litteralis, vel etiam spiritualis seu mystica.*

419\. *Omnis voluntaria distractio sive directa sive etiam indirecta seu interpretativa est peccaminosa.*

420\. *Non item distractiones, quas sæpius quidem quam par est, involuntarie patimur.*

421\. *Oratio oblata pro pluribus non est tantæ efficaciæ, quantæ est illa, quæ offertur pro uno tantum, vel pro singulis in particulari.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos, tangentes Virtutem Religionis, & Orationis.

QUæres primo, quidnam intelligatur nomine Religionis in communi?

390\. R. Nomen Religionis ut sic alii a *religando* derivatum volunt; eo quod Religio nos Deo specialiter religet seu adstringat: alii a *Relegendo*, eo quod ea, quæ ad cultum divinum spectant, sæpius relegenda sint &c. Reipsa autem tripliciter sumitur I. pro virtute, qua Deo debitum cultum exhibere nitimur. II. pro certa quadam formula cultus divini omnibus communi; quo sensu dicimus in hac vel illa Regione aut Provincia vigere Religionem catholicam, in alia non &c. III. Sumitur non minus frequenter pro statu Religioso, id est, pro certo quodam & stabili modo vivendi, quo Professores ejusdem sese per tria vota substantialia, paupertatis scilicet, castitatis & obedientiæ adstringunt ad perfectius serviendum DEO, observando in hunc finem certas quasdam Regulas &c. Et in hoc sensu dicitur alia Religio Seraphica S. P. N. Francisci, alia Religio Sancti Benedicti, alia Sancti Dominici &c. &c.

Quæres jam secundo, quid sit Religio proprie talis in specie?

391\. R. Religio proprie talis recte describitur, quod sit virtus moralis, inclinans ad debitum cultum Deo tanquam primo rerum omnium principio exhibendum. Ita Lactantius *lib. 4. divin. institut. cap. 28. communissime* receptus a Doctoribus, Herincx *part. 3. tr. 4. disp. 1. num. 1.* Sporer *tr. 2. decalog. cap. 7. sect. 1. num. 2.* Dicitur 1. *Virtus*; quia est bona qualitas mentis &c. Dicitur 2. *moralis*, ut per hoc noscatur differre ab aliis virtutibus, Theologicis præsertim, quæ secundum dicta superius suis locis, immediate tendunt in Deum, non sic hæc virtus Religionis; unde etiam additur; *ad debitum cultum* (id est honorem ac venerationem &c.) & quidem *tanquam primo rerum omnium principio*, ideoque cum debita animi submissione, & agnitione nostræ erga eundem dependentiæ ac subjectionis ad contestandam scilicet supremam Dei excellentiam &c.

Quæres tertio, quodnam sit objectum Religionis?

392\. R. Objectum immediatum Religionis (sive ut alii loquuntur) *objectum quod*, est cultus Deo debitus: hoc objectum alio nomine appellatur *materiale*, quia est quasi materia, circa quam occupatur hæc virtus: idem cultus *qua Deo ceu supremo Domino debitus* dicitur objectum *formale*; quia scilicet Deo ceu supremo Dominatori a suis creaturis debetur cultus & omnimoda subjectio. Denique *objectum cui* est ipse Deus, quippe cui ob supremum in nos dominium & excellentiam debetur talis cultus & vene-

veneratio vel potius adoratio prout in Conferentia proxima amplius dicetur. Ratio horum est; quia virtus Religionis est inter omnes virtutes morales præstantissima, esto non sit Theologica: licet proin pro suo objecto immediato non possit habere Deum immediate, necessum tamen est, ut circa aliquid Deum proxime contingens occupetur: atqui hoc est cultus Deo ceu supremo Domino, principio & ultimo fini nostro multiplicibus ex titulis debitus: ergo &c. Videantur Lessius *lib. 2. de J. & J. cap. 36. dubit. 2.* Herincx *loc. cit. num. 2.* Reiffenstuel *tr. 5. Theolog. moral. dist. 1. num. 6.*

Quæres quarto, quinam, & quot universim sint actus Religionis proprie talis?

393. R. Actus Religionis proprie talis mox descriptæ a Doctore Angelico *2. 2. q. 82. art. 4.* & aliis Doctoribus communiter enumerantur undecim, scilicet 1. devotio. 2. oratio. 3. adoratio. 4. Sacrificium. 5. oblatio. 6. primitiæ. 7. decimæ. 8. Votum 9. juramentum. 10. adjuratio, & 11. laus Dei. Quocirca (ni fallor) sapienter advertit Sporer *loc. cit. n. 6.* I. Devotionem esse actum Religionis immediatum & elicitum, ac semper internum, reliquos vero actus mox recensitos esse actus Religionis mediatos & imperatos, e quibus alii sunt mere interni, uti oratio aliique affectus merum mentales: alii vero in & externi simul, uti est Sacrificium & oblatio. Notat insuper II. ad actus mox recensitos referri debere omnes prorsus observationes sacras & ceremonias ad cultum DEI ordinatas, uti sunt erectio Altarium, celebratio festorum, observatio jejuniorum, usus rerum ab Ecclesia benedictarum, & vel maxime usus Sacramentorum; quia omnes hujusmodi actus, quatenus ad cultum DEI referuntur, sunt actus specialiter virtutis Religionis. Lubet jam unum alterumve actum ex recensitis paulo amplius dilucidare, reliquorum vero, qui non pertinent ad primum præceptum decalogi, explicationem differemus ad propria loca.

Quæres proin quinto, quid sit Devotio, & quid, esse devotum?

394. R. Devotio sumpta pro actu Religionis est actus creaturæ rationalis, offerentis se ipsam ad servitium DEI. Ratio hujus facile colligitur ex ipsa nominis ethymologia, quod a devovendo derivatur. Si vero sumatur devotio pro ipso habitu, recte dicitur, prompta voluntas faciendi & exequendi ea quæ ad obsequium vel servitium DEI pertinent: & hæc quidem acceptio moderno sæculo videtur usitatior; nam illi, qui quatumvis per vota solemnia Deo adstricti parum curant de servitio & cultu divino &c. non devoti, sed potius indevoti coram plebe habentur. Videantur *DD. citati*.

Quæres sexto, quid sit Oratio? & quænam conditiones vel actus ad veram orationem requirantur?

395. R. Ad primum membrum hujus quæsiti: Oratio proprie dicta est actus virtutis Religionis, quo homo DEO velut auctori omnium bonorum supplicat pro aliquo bono impetrando. Ita in re Communissime Doctores, quos vix non iisdem terminis imitatur Marchantius noster Tribunal *tom. 2 tract. 2. part. 2. tit. 2. quæst. 1.* Bonita hujus descriptionis amplius patebit ex dicendis. Illud solum animadvertendum est, quod hic descripserimus orationem proprie & rigorose sumptam; nam largius loquendo sumi quandoque solet pro pio animi motu in Deum; quo sensu S. Damascenus *lib. 3. orthodox. fid. cap. 24.* ait: *oratio est ascensio mentis in Deum* &c. quin immo in sensu adhuc latiori alii nomine orationis intelligunt quamcunque actionem bonam factam cum pia erga Deum intentione, seu mentis devotione; & in hoc sensu Venerabilis Beda in illud *Luc. 18. cap. oportet semper orare, & non deficere* ait: *semper orat, qui semper secundum Deum operatur*.

396. R. Jam ad secundum membrum ejusdem quæsiti. Ad veram & proprie dictam orationem quatuor actus suo modo concurrere debent, scilicet duo ex parte intellectus, & duo ex parte voluntatis se tenentes. Ex parte intellectus supponi debet I. practica cognitio divinæ excellentiæ, potentiæ & bonitatis, vi cujus & vult, & potest nobis benefacere II. Itidem supponi debet

bet practica cognitio nostræ ad Deum subjectionis, dependentiæ, exigentiæ & infirmitatis, secus enim nunquam Deum sincere deprecaremur pro impetrando tali vel tali beneficio, quemadmodum non solemus rogare hominem, qui vel non potest, vel non vult nobis benefacere, aut cujus ope non indigemus.

Porro ex parte voluntatis ad orationem essentialiter requiritur I. desiderium impetrandi aliquod bonum, & II. explicatio, seu practica propositio hujus desiderii per modum deprecationis seu piæ petitionis, vi cujus nitimur Deum commovere ad conferendum nobis illud bonum: atque in duobus his actibus, uti jam dictum fuit, essentialiter sita est oratio proprie dicta, juxta probabilem opinionem Scotistarum. Liquet proin ex his, quid Theologo morali respondendum sit ad illam quæstionem speculativam potius, quam practicam: utrum scilicet oratio pertineat ad intellectum, an vero ad voluntatem potius?

At, inquies, quotuplex est oratio?

397. R. Oratio ut sic communissime dividi solet I. in *mentalem tantum*, & in *mentalem & vocalem simul* & II. in publicam & privatam. Ita ex *communi DD.* Herincx, Sporer Babenstuber *tract.* 5. *disp.* 2. *art.* 2. *numer.* 3. Declaro breviter singula membra. Oratio *mentalis tantum* est, quæ non voce, sed mente sola formatur, utpote exercendo erga Deum affectus internos circa mysteria fidei, perfectiones divinas &c. desiderandoque, ut ab omnibus agnoscatur, laudetur &c. Oratio autem *mentalis & vocalis simul* dicitur illa, quæ verbis seu vocibus internum mentis affectum exprimentibus efformatur: & bene omnino dicitur hæc oratio mentalis & vocalis simul, nam præciso interno mentis desiderio, vel affectu oratio merum vocalis seu verbaliter prolata nec nomen veræ orationis meretur, neque etiam fructum; tales enim Oratores merito sibi dictum existimare possunt illud *Isaiæ* 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Unde & quidam Poeta perbene cecinit: *Si mens non orat, frustra quoque lingua laborat*. *Oratio publica* vocatur ea, quæ nomine totius Ecclesiæ per Ministros Ecclesiæ Deo offertur, prout fit in SS. Missæ Sacrificio, processionibus publicis &c. *Oratio autem privata*, quam quisque privatim sive mente tantum, sive voce etiam depromit juxta illud monitum Doctoris Gentium 1. *Tim.* 2. *Volo ergo viros orare in omni loco*.

Quæres septimo, quis sit orandus?

398. R. Solus DEUS velut supremus & absolutus Auctor omnium bonorum tam naturæ, quam etiam gratiæ & gloriæ orandus est absolute & terminative: nihilominus respective, id est, tanquam Patroni & intercessores nostri apud DEUM ceu Auctorem & absolutum Dominum omnium bonorum nostrorum utiliter & sancte omnino rogari possunt nedum Beatissima Virgo Maria, aliique Angeli & Sancti in cœlis, verum etiam probabiliter animæ in purgatorio detentæ. Hæc responsio inter Doctores catholicos est *communissime recepta*, immo de fide, excepto ultimo membro, circa animas in purgatorio detentas. Ratio prioris est: quia solus DEUS est absolutus & supremus Dominus, cui soli competit libera potestas auctoritative omnia bona dispensandi, & de omnibus disponendi ad libitum sanctissimæ & ordinatissimæ voluntatis suæ: ergo ipse solus recte a nobis rogatur & invocatur terminative, id est, tanquam terminus ultimatus, ad quem nostra dirigitur oratio, & a quo ceu fonte omnium bonorum exspectamus miseriæ & indigentiæ nostræ sublevationem. Ratio autem posterioris non una duntaxat, sed plures de invocatione Sanctorum paulo inferius *Conferent.* 14. *numer.* 431. dabuntur. Quod autem animæ in purgatorio utiliter rogari queant, vel inde probabiliter suaderi potest; tum quia supponuntur actu constitutæ in gratia & amicitia DEI, ideoque tametsi miserias & indigentias nostras in individuo fortassis non cognoscant, nihilominus in genere saltem possunt orare, immo verosimilius orant pro iis, qui eisdem benefaciunt, vel suffragia earundem implorant; tum etiam

quia

quia Sancti Angeli nostri Custodes eis nostras orationes deferre, vel alio modo DEUS ipse nostras indigentias, nostraque desideria illis manifestare potest. Videatur de hoc P. Sporer *tr.* 2. *decalog. cap.* 7. *sect.* 3. *nu.* 13. vel Bellarminus *lib.* 2. *de purgatorio cap.* 15.

Quæres octavo, quibus orandum, & quando vel quam necessario?

399. R. ad primam partem hujus quæsiti. Omnis viator usu rationis præditus, sive justus sit, sive peccator, utilissime orat. Ratio colligitur ex illo Matth. 7. *Omnis qui petit, accipit*. Et licet peccator utpote inimicus DEI non mereatur de condigno exaudiri, nihilominus de congruo exaudiri solet, modo sincere DEUM deprecetur. Et ratio hujus est: quia impetratio ceu effectus orationis proprie dictæ non innititur justitiæ vel statui gratiæ supplicantis, sed divinæ misericordiæ & liberali promissioni DEI, qui dives est, ac pius in omnes tam justos, quam impios; qua ratione S. Augustinus *tr.* 44. *in Joan.* dixit: *si peccatores DEUS non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret: DEUS propitius esto mihi peccatori.*

400. R. jam ad secundam partem ejusdem quæsiti. Omnibus adultis ratione præditis oratio est necessaria ad salutem; quia juxta modernum ordinem divinæ providentiæ DEUS non solet nobis conferre auxilia gratiæ ad salutem necessaria, nisi ea humiliter orando postulemus juxta illud *Matth.* 7. *petite & dabitur vobis*. Tametsi autem difficile videatur assignare certum tempus, quo urget præceptum orationis, convenienter tamen & omnino probabiliter assignantur sequentia 1. urget eo tempore, quo peccator tenetur se reponere in statum gratiæ. 2. urget tempore gravis tentationis, si hæc alio congruenti remedio repelli non valeat. 3. urget in manifesto mortis periculo, 4. urget, quando Reipublicæ imminet gravis pressura, quæ aliter non, nisi orationis præsidio amoveri potest. 5. urget, quotiescunque aliquod auxilium divinum speciale nobis videtur necessarium ad salutem tum animæ tum corporis etiam, quidquid demum sit, utrum in similibus casibus præceptum orandi obliget per se, vel per accidens duntaxat. Profecto (ut præscindamus ab obligationibus particularibus Clericorum, vel aliorum sive ex voto, sive aliunde ad certas orationes adstrictorum) non desunt Doctores, qui peccati venialis saltem condemnant illos ingratissimos mortalium, qui mane aut vesperi, ante vel post mensam Deo ceu omnium bonorum Largitori debitas non rependunt gratias. Videatur Michel *tom.* 2. *part.* 2. *q.* 3. §. 3. *a n.* 12. Suarez *lib.* 1. *de orat c. ult. n.* 16. Castropalao *tr.* 7. *disp.* 1. *punct.* 8. *n.* 3. vel Lessius *lib.* 2. *de justit. c.* 37. *dubit.* 3. *n.* 12.

Quæres nono pro quibus orandum sit?

401. R. Orandum esse pro omnibus nondum constitutis in termino, ideoque non tantum pro nobis ipsis, quamdiu in hac miseriarum valle versamur, sed & pro aliis, nedum amicis, sed etiam inimicis. Ratio hujus desumi potest ex illo *Jacobi* 5. *orate pro invicem, ut salvemini* & rursum *Matth.* 5. ait Christus: *orate pro persequentibus & calumniantibus vos* &c. deinde omnes indigent gratia DEI & auxiliis supernaturalibus ad salutem necessariis: ergo omnino conveniens est, ut nedum pro nobis, sed & pro aliis tam amicis, quam inimicis oremus. Conveniens inquam est, ut pro inimicis etiam oremus, etsi præceptum orationis per se non obliget: in casu tamen, quo proximus noster specialiter indigeret orationis nostræ subsidio, per accidens saltem ex charitate teneremur pro eo orare: tenemur similiter nullum ex orationibus præsertim communibus excludere, prout amplius patebit ex dicendis. Videatur de hoc Herincx de Religione *disp.* 1. *n.* 25. vel Sporer *l. c. n.* 18.

Quæres denique 10. quid sit orandum seu postulandum a DEO? & quomodo?

402. R. ad primam partem hujus quæsiti. Bona ad salutem animæ necessaria, utputa dona supernaturalia gratiæ ac virtutum sunt a Deo postulanda absolute: e contra bona temporalia &

naturalia non sunt absolute postulanda sed sub conditione expressa, vel saltem tacita, si scilicet, & quantum ad DEI Gloriam, animæ salutem, vel usum salutarem nobis sunt proficua. Ita Filliucius *tr.* 23. *c.* 2. *n.* 46. & 50. Laymann *lib.* 4. *tr.* 1. *cap.* 1. *num.* 8. Ratio est: quia illud genus bonorum, quod ad consecutionem vitæ æternæ nobis est necessarium per se, est a nobis absolute petendum, quemadmodum salutem ipsam, ad quam ordinati sumus, jubemur absolute petere, & in eam pro viribus tendere, e contra illud, quod per accidens quasi ad salutem animæ ordinatum est, ita scilicet, ut sæpesæpius nobis possit esse impedimento salutis, non est absolute a nobis postulandum, ne forte illo abutamur, & salute excidamus: atqui bona supernaturalia sunt nobis ad salutem necessaria, bonis vero naturalibus sæpesæpius abutimur, & hæc possunt nobis reddi exitialia: ergo hæc conditionate, illa vero absolute a nobis postulanda sunt.

403. R. jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Præfata bona sunt a DEO postulanda 1. humiliter. 2. pie seu devote 3. instanter secundum divinæ providentiæ leges: *humiliter* quidem tum *quia oratio humiliantis se nubes penetrabit. Eccli.* 35. *v.* 21. tum etiam *quia DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* 1. *Petr.* 5. *v.* 5. *Pie seu devote*; secus enim oratio non foret actus Religionis, sed irreverentiæ potius erga divinam Majestatem, & hoc ipso indignationem potius mereretur, quam gratiam. *Instanter* denique seu perseveranter fieri debet juxta monitum Apostoli *Coloss.* 4. *Orationi instate*. Unde S. Augustinus *serm.* 5. *de verb. Dom. cap.* 5. ait: *ideo DEUS tardius nonnunquam dat, quæ petimus, ut tandem ferventius & perseverantius orantes plus etiam impetremus, ac petimus*. Hinc tandem additur: *secundum divinæ providentiæ leges*; secus enim oratio non esset ordinata, quin immo cum sæpesæpius nesciamus, quid nobis conveniat, posset non raro contingere, ut effectus obesset magis, quam prodesset animarum nostrarum saluti. Videantur de hoc fusius agentes Castropalao *part.* 2. *tract.* 7. *disp.* 1. *punct.* 7. *nu.* 6. *seqq.* & Reiffenstuel *tract.* 5. *dist.* 1. *a num.* 53. Michel *ubi supra* §. 3. *a num.* 5. Herincx *de Relig. disp.* 1. *n.* 28.

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici de Oratione.

CASUS PRIMUS.

TItia tota quasi desperabunda fatetur, se jam inde ab octo & amplius mensibus ne unicum quidem Pater noster vel Ave Maria dixisse, eo quod pluribus annis instanter DEUM rogaverit, ne permitteret se labi in quandam impudicitiam, multo minus in fornicationem, vel certe non in publicam infamiam, quæ ex hoc Crimine vel potius imprægnatione subsequi assolet, & nihilominus stantibus etiam tot precibus ad DEUM fusis nedum crimen fornicationis, sed & infamiam publicam modo incurrerit. Quæritur jam ad nostrum propositum 1. an Titia non peccaverit rogando DEUM, ne supposito etiam lapsu in fornicationem evaderet gravida? 2. An vel qualiter peccaverit ex eo, quod jam ab octo & pluribus mensibus ne unicum quidem Pater aut Ave MARIA dixerit?*

404. R. ad primum quæsitum. Titia probabiliter non peccavit ex eo, quod DEUM rogaverit, ne supposito etiam lapsu in fornicationem imprægnaretur aut diffamaretur. Ratio hujus est: quia supposito etiam lapsu *non imprægnari*, revera huic puellæ bonum fuisset, quatenus hoc modo infamiam publicam inde subsequentem evitasset: neque etiam supponitur postulasse a DEO, ut is modo illicitio impediret conceptionem, vel aliud quidpiam in actu conceptionis illicitum fieret, sed ut ex alio accidente (quorum procul dubio multa etiam sine peccato intervenire possunt) non evaderet gravida. Et quis, amabo! quis conjugatam peccati alicujus condemnabit ex eo, quod optet, vel Deum roget (prout revera sæpius faciunt) ne velit per-

mittere, ut ex concubitu conjugali concipiat, ne scilicet prolem nimis copiosam alere vel educare cogatur? Certe si talis fœmina voveret v. g. dare eleemosynam sub conditione: *si non conceperit ex tali congressu*, votum esset validum, & supposita conditione adimplendum, prout disserte docent Cajetanus 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. §. *sed quid dicendum*. Arriaga, Navarrus, eosque secutus Laymann. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.*2. *num.* 7. *in fine*; atqui votum non esset validum, nisi objectum hujus fuisset honestum & licite appetibile: ergo &c. &c.

405. R. jam ad secundum quæsitum. Titia per se loquendo graviter peccavit ex eo, quod per tot menses ne unicum quidem Pater vel Ave dixerit. Ratio est: quia præceptum orandi, vel certe non nimis diu differendi orationem *per se obligat*; atqui Titia orationem in morali hominum existimatione diu nimis distulit; cum enim singulis diebus tot tentationes occurrant, & tot pericula amittendi gratiam divinam, cumque quotidie in omnibus dependeamus ex adjutorio Dei, profecto sana ratio dictat, Deum voluisse, ut ad Eundem, a quo omne auxilium, orando & obsecrando recurramus sæpius. Merito proin Castropalao *cit. tract.* 7. *disp.* 1. *pu.* 8. *num.* 3. ait, dilationem unius mensis (quidni & octo mensium) gravem esse: idipsum docent Suarez *lib.* 1. *de orat. c. ult. n.* 16. Lessius *lib.* 2. *de just. c.* 37. *dubit.* 3. *n.* 12.

Sed quid, inquies, si Titia interim defectu orationis incidisse supponatur plura peccata v. g. fornicationis, judicandumne erit vel concludendum, quod semper commiserit duplex peccatum, unum scilicet contra virtutem Religionis, & alterum contra virtutem castitatis?

406. R. cum P. Herincx *cit. num.* 18. & R. D. Michel *loc. cit. n.* 16. Negative. Ratio est: quia obligatio orandi seu invocandi divinum auxilium in casu particulari necessitatis non oritur per se ex præcepto aut virtute Religionis, sed merum per accidens, in quantum scilicet oratio supponitur necessaria per modum medii ad evadendum lapsum in peccatum fornicationis, ideoque neglectus orationis constituit moraliter unum peccatum, sicut revera voluntas non orandi in tali casu censetur voluntas peccandi v. g. contra castitatem. Satisfaciet proin Titia in confessione exponendo numerum & speciem peccatorum v. g. fornicationis, nec erit necessum addere, quod hæc inciderit defectu orationis, licet secundum dicta teneatur confitendo dicere, quod per tot & tot menses orationem omnem neglexerit, idque ex contemptu quasi & desperatione &c.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius dum nuper obitum cujusdam pro quo vi confœderationis certas preces persolvere debuisset, ex litteris intellexisset, dicta suffragia consulto distulit, eo quod meminerit se ab eodem olim haud leviter fuisse offensum, ob eam vero injuriam se melius vindicare non posse, nisi hoc modo, quatenus scilicet defunctus ex dilatione suffragiorum diutius cogeretur luere in purgatorio. Quomodo Sempronius deliquisse censendus est?*

407. R. Censendus est in hoc facto vel potius omissione facti peccasse mortaliter. Ratio est: quia ex lege generali charitatis (nil dicam de obligatione particulari Sempronio vi confœderationis incumbente) quivis tenetur proximo suo etiam inimico non male, sed bene velle, immo quantum in nobis est, omne damnum grave ab eo pro viribus propulsare seu avertere: hoc enim modo Christus nos dilexit: hoc modo diligimus nosmetipsos, & hoc eodem modo jubemur diligere proximum *Joan.* 15. *c.* atqui Sempronius respectu defuncti id non fecit; sed potius contrarium voluit. Adde insuper, quod appetitus inordinatus gravis vindictæ sit mortaliter malus secundum omnes: atqui ex hac facti specie liquet, quod Sempronius differendo suffragia eo fine ut defunctus, a quo olim offensum se meminit, diutius detineretur in purgatorio, inordinatam vindictam & gravissimam quidem appetierit; quandoquidem fide divina jubemur credere, pœnas purgatorii esse gravissimas, easdemque animas in extrema miseria ac necessitate versari, quas nihilominus suffragiis nostris sublevare possumus, immo Sempronius, ut supponitur, vi confœde-

fœderationis debuisset : ergo hoc negligendo ex præfato fine , censendus est peccasse mortaliter. Merito proin P. Sporer *tr. 2. in decalog. c. 7. sect. 3. §. 3. n. 18.* ait , excusandos non esse a peccato mortali , qui nunquam vellent pro illis animabus , & maxime sibi conjunctorum orare , mox subdens : *praxis facillima est , si nihil speciale velis orare , in orationis dominicæ ultima petitione : libera nos a malo &c. pie te reflectas ad miseras illas animas.*

At , inquies , quomodo peccasse censendus est ille malefactor , qui jamjam condemnatus ad mortis supplicium , noluit ignoscere cuidam alteri , a quo proditus fuerat , propterea que ubi recitando orationem dominicam , pervenit ad illa verba : *& dimitte nobis sicut & nos dimittimus* &c. at non huic NN. velut inimico meo &c. quem nominetenus semper solebat exprimere ?

408. R. Etiam iste censendus est peccasse mortaliter ; tum quia contra expressum mandatum Christi Domini *Matth. 11. v. 25. & 26.* noluit ignoscere suo inimico , ideoque seipsum reddidit indignum venia & gratia reconciliationis ; tum etiam quia ex appetitu vindictæ illum exclusit a communi oratione, de mente Christi pro omnibus persolvenda , quod plane nullus Doctorum teste Herincx *cit. disp. 1. num. 25.* a culpa mortali excusandum censet ; etsi non ignorem , Castropalaum *tr. 7. disp. 1. pu. 6. nu. 6.* dubitare , an talis exclusio a communi oratione mortaliter , an vero venialiter duntaxat sit mala , si scandalum & vindicandi affectus supponatur abesse ; quod tamen in nostro casu minime supponi potest.

Dices tamen contra hoc : plus quam certum est , non omnes consecuturos salutem æternam : ergo nec possumus , multo minus tenemur orare pro salute omnium ; quin immo talis oratio non minus inepta , quam præsumptuosa esset . Unde & Christus Dominus non pro omnibus orasse , sed potius aliquos positive exclusisse legitur *Joan. 17. v. 9. Ego* , inquiens , *pro eis , rogo , NB. non pro Mundo rogo , sed pro his , quos dedisti mihi.*

409. R. *concesso anteced. disting. Conseq.* ergo non tenemur orare pro salute omnium *collective sumptorum* , trans. *distributive sumptorum* neg. conseq. Cum enim nobis ex certa revelatione non constet ; quinam ex massa totius humani generis sint salvandi velut electi , & quinam tanquam reprobi damnandi sint ; hinc omnino prudenter & sancte facimus , dum omnibus ac singulis gratiam , beatitudinemque postulamus . Immo vero tametsi de aliquo homine in particulari nobis ex revelatione divina constaret , eum damnatum iri ; quia tamen non minus certum est , neminem condemnari nisi ob demerita ; hinc juxta ordinem voluntatis divinæ etiamnum pro tali possemus DEUM interpellare , quatenus eidem velit dare auxilia gratiæ , quibus mediantibus suam operetur salutem ; in hoc enim nihil prorsus reperitur contrarium divinæ voluntati , quippe quæ vult *omnes homines salvos fieri 1. Timoth. 2. v. 4.* Illud vero exemplum Christi Domini nihil obstat : gratis enim concedimus , quod nemo teneatur quovis tempore orare pro omnibus , sed possit pro suo libitu (præcisa omni alia obligatione) orare modo pro illo , sicut Christus *loc. cit.* oravit specialiter pro suis Electis , non vero pro Mundo seu pro Reprobis : illud solum negamus , quod e communibus orationibus a DEO vel Ecclesia pro omnibus institutis , liceat aliquem excludere , eo præsertim , quod nulla rationabilis , & satis ponderosa causa videatur excogitabilis , quæ sufficiat ad cohonestandam hanc exclusionem . Videantur Suarez *lib. 1. de orat. cap. 15. a numer. 6.* Valentia *2. 2. dist. 6. q. 2. punct. 8.* Castropalao *part. 2. tr. 7. disp. 1. pu. 6. numer. 5. & 6.*

CASUS TERTIUS.

C*Aja desponsatæ DEUM ac Cœlites diu quasi noctuque orando solicitat , quatenus ex parte sponsi velint conservare , immo , & augmentare amorem sponsalitium , ne fortassis ille mutato animi proposito a sponsalibus resiliat , aut mundo prorsus valedicens Monachum induat . Et quia nuptias celebrare non licet prius , quam Parens sponsi vel vita excesserit , vel*

vel filio suo (sponso scilicet) officium suum sponte resignaverit; hinc eadem Caja, Sanctum Antonium, aliosque Sanctos Patronos suos sæpissime interpellat, velint meritis suis & intercessionibus rem eo deducere, ut dictus Parens vel brevi moriatur, vel certe officium, quod hactenus gesserat, filio suo resignet. Quæritur jam, an Caja hæc & similia tuta conscientia a DEO cælitibusque orando prætendere possit.

410. Primo Caja implorando DEI, Cælitumque opem ad impetrandum ex parte sponsi augmentum amoris sponsalitii (honesti tamen, uti suppono, non item carnalis & lascivi) non peccat, modo id faciat ordinate, id est, cum debita resignatione in divinam voluntatem, & conditionate potius, quam absolute, scilicet si ad DEI gloriam & ad animæ salutem conducat vel expediat. Ratio hujus resolutionis facile colligi potest ex dictis *numer.* 401. quia orando licite petimus a DEO bona etiam temporalia, in quantum hæc conducunt ad DEI gloriam vel animæ salutem: atqui amor sponsalitius sicut & augmentum hujus respectu Cajæ erat quoddam bonum, in quantum per modum medii conduxit ad assequendum honestum & favorabile matrimonium: ergo Caja hoc petendo a DEO & cælitibus non peccavit: peccasset tamen gravissime & sacrilege, si postulasset augmentum amoris etiam lascivi, valde communis inter hujusmodi personas, prout illico amplius constabit ex dicendis *num.* 412.

Dices fortassis contra datam resolutionem. Status Ecclesiasticus aut Monachalis est longe perfectior statu matrimoniali, ideoque & DEO gratior; ergo Caja inordinate, & hoc ipso illicite postulavit a DEO, ne sponsus contempto Mundo & statu conjugali Monachum indueret.

411. R. Negando Conseq. esto enim status Monachalis sit perfectior, respectu Cajæ tamen non fuisset melior, quin potius obstitisset assecutioni honesti matrimonii. Rursus status matrimonialis quamtumvis de se minus perfectus, potest nihilominus comparative ad hanc vel illam personam particularem esse magis conveniens, tum ad animæ salutem, tum etiam ad bonum familiæ, vel totius Ecclesiæ, propterea-que jam sæpius dispensatum fuit cum Clericis in voto castitatis in ordine ad contrahendum matrimonium, & ad propagandam familiam, prout videre licet apud Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 8. *n.* 6. Gobat. *Theolog. exp. tr.* 9. *n.* 149. Lessium *de J. & J. lib.* 2. *c.* 40. *n.* 141. Kugler *de Matrim. num.* 1662. & alios plures. Neque etiam semper tenemur orando a DEO petere ea, quæ sunt majoris perfectionis; secus enim, ut de se liquet, quævis Virgo, aut Juvenis teneretur potius a Deo postulare statum Monachalem, quam matrimonialem, quod, quam absurdum, quamque a veritate alienum sit, nemo prudentum non videt.

412. R. Jam secundo ad eandem facti speciem. Caja implorando DEI, Sanctorumque Patronorum suorum opem in ordine ad impetrandam mortem Parentis &c. probabilissime peccavit mortaliter, nedum contra virtutem charitatis proximo debitæ: sed vel maxime etiam contra virtutem Religionis peccato Sacrilegii. Ratio horum haud difficulter erui potest ex dictis *n.* 333. Enimvero optare cupiam mortem ob emolumentum temporale nobis inde eventurum, graviter repugnat charitati: in hunc autem finem DEUM, Cælitesque interpellare, idem est, ac illos velle facere auctores peccati, quod utique gravissime pugnat contra reverentiam DEO Cælitibusque debitam: atqui Caja hoc fecit; ergo dupliciter peccavit. Nec refert, quod mortem Parentis videatur non absolute, sed disjunctive potius, id est, vel mortem, vel resignationem officii desiderasse; nam per hoc satis patenter manifestavit, perinde sibi esse, sive per resignationem officii, sive etiam per mortem Parentis liceat transire ad connubium; quod cum sit bonum longe inferioris ordinis quam vita Parentis, inordinate postulatur per hujusmodi medium, velut constare potest ex dictis *loc. cit.* graviterque repugnat reverentiæ Sanctis debitæ. Unde non abs ratione Suarez *lib.* 1. *de orat. c.* 23. *n.* 4. Herincx *ubi supra n.* 27. Sporer *loc.*

loc. cit. num. 19. *in fine* docent, semper peccari mortaliter, quando a DEO petitur res etiam venialiter duntaxat mala; est enim gravissima & blasphema in DEUM irreverentia, petere ejus concursum vel auxilium ad rem quamcunque malam, sicque ipsum facere auctorem mali.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

413. COlliges ex dictis primo, virtutem Religionis inter morales esse præstantissimam; esto enim virtutes Theologicæ, utpote immediate DEUM respicientes qua tales nobiliores sint (præstantia enim virtutum desumi solet ab objecto præsertim formali, in quod tendere solent vel inclinare) quia tamen nulla alia virtus moralis tam prope accedit vel tendit in DEUM, sicut virtus Religionis, quippe quæ secundum dicta *n.* 292. pro suo objecto immediato habet DEI cultum, immo circa DEUM ipsum velut *objectum Cui* cultus exhibendus est, quod non habent aliæ virtutes morales, hinc merito aliis præfertur. Inde

414. Colliges secundo, ab hac virtute Religionis aliarum etiam virtutum tam moralium, quam Theologicarum actus utpote fidei, spei &c. imperari posse. Ratio est: quia actus similium virtutum possunt assumi velut medium in ordine ad colendum DEUM, quem cultum virtus Religionis immediate respicit velut suum objectum, uti mox dictum; atqui DEUS colitur nedum virtutibus fidei, spei & charitatis, sed aliis insuper virtutibus moralibus, præsertim misericordiæ, justitiæ &c. ergo hujusmodi actus possunt præcipi virtute Religionis.

415. Colliges tertio, virtutem Devotionis multipliciter impediri, vel omnino extingui posse: potissima tamen (teste Herincx *disput.* 1. *de Relig. n.* 11.) sunt 1. immoderata rerum temporalium solicitudo. 2. terrenarum consolationum nimia cupido. 3. indiscreta de ultimo vitæ suæ termino, id est, de adipiscenda beatitudine anxietas. 4. tanta in laboribus occupatio, ut animi recollectionem & spiritualia exercitia non compatiatur: subinde tamen reperire est tales, qui labores suos sive manuales, sive liberales cum humilitate DEO offerentes & consecrantes, majorem aliis devotionem sentiunt, teste eodem Herincx, qui utpote summis laboribus per complurium annorum curricula occupatus, & functus id ipsum expertus fuerit. Plura alia impeditiva devotionis prudens lector facilius experientia, quam lectione discet.

416. Colliges quarto, minime mirandum esse, quod multi videantur sibi frustra suas orationes fundere aut fudisse; tametsi Christus Dominus multis in locis, singulatim *Matth.* 7. *v.* 8. *omnis enim, qui petit, accipit*, itemque *Joannis* 16. *v.* 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis &c.* & alibi pluries videatur promisisse infallibilem orationis effectum. Non, inquam, mirandum est, quod multi videantur orare, & tamen nihil impetrare; quia mox allegatæ promissiones Christi intelligi debent velut conditionatæ, prout innuunt verba *in nomine meo*, id est Salvatoris &c. ideoque ad hoc, ut oratio sortiatur infallibilem effectum, necessum est, ut oretur humiliter, pie, & instanter &c. secundum dicta *num.* 403. atqui certum est, quod quamplures non observent dictas conditiones: ergo minime mirandum, quod videantur frustra orare, juxta illud *Jacobi* 4. *v.* 3. *petitis & non accipitis, eo quod male petatis*. Tametsi autem non raro videamur frustra orare; nihilominus divina pietas nostras orationes frustrari minime patitur; nam teste mellifluo Doctore S Bernardo *sermon.* 5. *in quadrages. de tripl. modo orat. unum indubitanter e duobus sperare possumus; quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius*. Videatur de hoc Sanctus Doctor.

417. Colliges quinto, ad omnem Orationem, etiam liberam seu non præceptam præter intentionem saltem virtualem aut implicitam *orandi*, insuper secundo necessariam esse internam attentionem & reverentiam. Ratio prioris est: quia recitatio quarumcunque demum precum

fine omni intentione orandi seu DEUM colendi, non est verus actus Religionis, consequenter, nec vera oratio, prout ex hactenus dictis clare liquet. Ratio autem posterioris est: quia lumen naturale dictat, cum DEO ceu ultimo fine & supremo immo infinitæ Majestatis Domino reverenter ac submisse agendum esse: at ubi nulla intervenit attentio interna aut reverentia, hoc non fit. Unde S. Bonaventura *lib. de perfect. vitæ c. 5.* ait: *indecens est valde, ut quis cum DEO loquatur ore, & aliud meditetur corde*. Et certe qui cum aliquo Principe aut Magnate loquitur, attendere debet ad ea, quæ loquitur, & interim cum aliis non miscere sermones, quanto magis cum DEO loquens debet esse attentus?

418. Quocirca illud breviter advertas velim a Doctoribus satis communiter distingui triplicem attentionem. Prima vocatur *superficialis* seu etiam *materialis*, quando scilicet ad sola verba attenditur, ne committatur aliquis error. Secunda dicitur *litteralis*, quando attenditur ad sensum verborum, seu quid verba significent. Tertia denique (quæ est omnium optima) appellatur *spiritualis*, qua scilicet attenditur ad DEUM ceu terminum, & ad finem orationis, potestque ab omnibus etiam idiotis, aut linguæ ignaris, in qua officium divinum recitatur, prout apud Moniales contingere assolet, haberi. Ita post Divum Thomam 2. 2. *q.* 83. *a.* 13. Filliucius *tr.* 23. *c.* 3. *n.* 74.

419. Colliges sexto, omnem voluntariam distractionem in oratione esse saltem venialiter peccaminosam, sive dein directe sit volita, sive etiam indirecte (quod tunc contingit, dum quis perfecte advertit se de hoc vel illo objecto ab oratione longe alieno cogitare, ideoque esse distractum, & tamen negligit cor suum seu mentem ad DEUM revocare) Ratio patet ex dictis: quia omnis hujusmodi distractio fit cum quadam irreverentia erga DEUM: ergo cum offensa levi saltem divinæ Majestatis. Quin immo P. Herincx *disp.* 1. *de Relig. n.* 31. voluntarias distractiones durante oratione ure divino præcepta, condemnat peccati mortalis; quod tamen procul dubio intelligendum putaverit de distractionibus ad longum tempns captatis; secus enim cum La Croix *lib. 6. part. 2. n.* 443. Diana, Bardi & aliis satis probabile existimo, quamcunque distractionem internam, etiam sub consecratione vel communione (modo absit periculum erroris) non esse nisi venialiter malam; partim quia secundum probabilem sententiam Doctorum essentia orationis subsistit cum distractione interna; partim etiam quia intentio virtualis orandi, quæ semper adhuc manet, sufficienter diriget omnes illas actiones, facitque, ut sint actus Religionis.

420. Dixi insuper: *omnem voluntariam distractionem* &c. Nam distractiones, quas sæpius quidem, quam par est, etiam contra voluntatis inclinationem patimur, non sunt peccaminosæ, eo ipso quod non voluntariæ, quin potius possunt esse occasio meriti, si cum patientia & humilitate sufferantur: quod vel maxime notari velim a quibusdam scrupulosis, qui ob quamlibet distractionem putant se graviter peccare, nec satisfecisse suo officio: tales enim non debent facile quidquam repetere, etsi in fine psalmi vel horæ advertant, se fuisse distractos, præsertim cum in repetitionibus eædem imperfectiones intercurrere soleant. Quare mente ad Deum revocata tunc pergendum est sine ulla turbatione vel anxietate, ait sapienter Herincx *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 4. *n.* 39.

421. Colliges demum septimo, orationem oblatam aut factam pro multis non esse tantæ efficaciæ & virtutis, quantæ fuisset, si pro uno duntaxat, vel pro singulis in specie fuissent oblata. Ratio est: quia tametsi efficacia orationis ultimate fundetur in divina promissione & liberalitate, certum nihilominus est, quod a DEO etiam attendatur moralis valor ipsius orationis, prout vel ex eo haud obscure colligere licet, quod oratio fervida pluris valeat apud DEUM, quam tepide peracta: atqui moralis valor orationis, dum pluribus applicatur dispersus quasi, procul dubio minor est pro singulis, quam si uni tantum fuisset applicatus: quia singuli in petitione illa communi confuse & indistincte intelliguntur, non item in petitione vel applica-

plicatione particulariter facta. Unde etiam Ecclesia sæpe orat pro aliquo peccatore speciali, quod non esset consultum, si oratio fusa ad Deum pro omnibus, singulis æqualiter prodesset, prout bene advertit Castropalao *loc. cit. punct. 7. n. 11.* Videatur Suarez *lib. 1. de orat. c. 27. nu. 6.* Vel Azorius *tom. 1. lib. 9. c. 5.*

CONFERENTIA

DECIMA QUARTA

De Adoratione DEI, Cultuque Sanctorum, & Sacrarum Reliquiarum.

SUMMARIUM.

JESU Christi, qui hinc inde in diversis Ecclesiis asservatur?

449. *Crux sacra Reliquiis partim approbatis, partim etiam non approbatis seu authentizatis licite exponitur publicæ venerationi fidelium.*

450. *Non item sine cruce solæ Reliquiæ partim authentizatæ, & partim non authentizatæ seu approbatæ.*

451. *Cuilibet fidelium fas est sacras Reliquias etiam non authentizatas penes se reverenter deferre v. g. in Capsula.*

452. *Neque ab iisdem abstinendum, eo quod simus homines fragiles, peccatis obnoxii.*

453. *Quo cultu Ceræ Papales (vulgo Agnus Dei dictæ) prosequendæ sint?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa adorationem DEI, & Christi &c. &c.

QUæres primo, quid sit Adoratio in genere, & quotuplex?

422. R. ad primam partem hujus quæsiti. Adoratio est exhibitio reverentiæ, qua alium reveremur, ipsi nos submittendo tanquam Superiori in recognitionem suæ Excellentiæ. Ita in terminis Matthæucci *in cautela Confessarii lib. 3. cap. 3. num. 62.* in re vero *communis* est Doctorum. Dicitur autem: exhibitio reverentiæ alteri *tanquam Superiori* &c. In hoc quippe differt adoratio ab honore, quod honor sit pariter contestatio seu testificatio de alterius excellentia, at non necessario *tamquam Superioris*, unde & æqualem, immo & inferiorem nobis honorare possumus: at vero adoratio fieri nequit, nisi Superiori, id est, tali, quem velut Superiorem agnoscimus, cujus & excellentiam contestamur, sive dein prostratione corporis, sive inclinatione capitis, aut genuflexione, sive denique pectoris tunsione, vel alio modo.

423. R. Jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Adoratio ut sic communiter quidem & recte dividi solet in Latriam, Duliam, & cultum politicum, quo quis testatur alterius excellentiam pure naturalem & creatam; verum cum hæc politica adoratio ad forum nostrum non pertineat; hinc, eam politicis relinquimus, adorationem vero ut sic a Theologis dicimus recte dividi in Latriam, Hyperduliam, & Duliam, Latria est cultus soli Deo debitus ob infinitam ipsius excellentiam. Hyperdulia est cultus creaturæ debitus propter excellentiam supernaturalem & sanctitatem singularem. Dulia vero est cultus Sanctis debitus ob creatam excellentiam sanctitatis, quam habent. Ratio autem hujus divisionis recte desumitur ex diversitate excellentiarum: cum enim adoratio secundum dicta consistat in contestatione excellentiæ alterius tanquam superioris, jam vero soli Deo competat suprema & infinita excellentia: singularissima autem excellentia competat hodie humanitati Christi ob unionem hypostaticam, nec non B. Virgini Mariæ ob dignitatem Maternitatis Filii Dei &c. alia denique sit excellentia Sanctorum seu sanctitatis, qua ceteris creaturis supereminent; hinc meritissimo jure adoratio ut sic partiri solet 1. in Latriam soli Deo debitam 2. in Hyperduliam humanitati Christi secundum se sumptæ debitam, nec non B. Virgini Mariæ. 3. denique in Duliam reliquis Sanctis debitam, prout amplius patebit ex dicendis.

Quæres jam secundo, qualis adoratio debeatur Deo?

424. R. DEO Triuno, & soli quidem, debetur adoratio latreutica, seu cultus latriæ. Ratio hujus liquet ex proxime dictis: soli quippe Deo triuno competit excellentia suprema & infinita tanquam Principio ac ultimo fini nostro: ergo huic soli debetur adoratio latreutica, ceu cultus supremus. Quin immo hoc verbum *Adorare*, prout perbene notavit Perrerius *in cap. 32. Gen.* teste Sporer *tr. 2. decalog. cap. 8. sect. 1. num. 5.* in vulgari christianorum usu ac sermone denotat solum DEI cultum latreuticum, proptereaque Sanctos colere quidem, non tamen adorare nos profitemur, sumendo adorationem stricte pro cultu latreutico; quo sensu *Deuter. 6. & Matth.*

Matth. 4. *dicitur: Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.*

Quæres tertio, qualis cultus seu adoratio debeatur Christo?

425. R. Christo debetur cultus latriæ, & quidem absolutus. Ita cum S. Thoma 3. *p. q.* 25. *a* 2. *communissime DD.* Ratio est: quia illi debetur cultus latriæ, & quidem absolutus, cui inest Divinitas: atqui Christo utpote constituto ex Natura divina & humana simul inest Divinitas, immo *omnis plenitudo divinitatis* juxta Apostolum *Coloss.* 2. 9. ergo huic debetur. Unde etiam *Hebr.* 1. dicitur *adorent eum omnes Angeli Dei.*

426. Quod vero hic de adoratione Christo debita diximus, illud ipsum dictum intelligas velim de Venerabili, & Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, quippe in quo vere & realiter Christum Dominum, ceu verum DEUM & hominem contineri, fides vera nos docet. Hac de causa Concilium *Trident. ss.* 13. *c.* 5. & *can.* 6. *de eod. Sacr.* ait: *si quis dixerit, in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum DEI Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idolalatras, anathema sit.*

At, inquies, qualis cultus debetur humanitati Christi secundum se præcise spectatæ?

427. R. Si humanitas Christi spectaretur præcise secundum se, id est seorsim quasi & a Verbo D. separatim sumpta, esset colenda duntaxat cultu hyperduliæ; quia ut sic spectata habet quidem excellentiam supernaturalem maximam super omnes creaturas ratione unionis hypostaticæ, non tamen infinitam, veluti paulo supra *num.* 423. jamjam insinuavimus. Verum enim vero cum humanitas Christi semper substiterit, & etiamnum subsistat subsistentia Verbi, ideoque realiter unita divinitati; hinc practice loquendo semper adoranda est cultu latriæ, id quod hodiedum confirmat perpetua praxis Ecclesiæ, quippe quæ in communibus orationibus ad Christum fusis nunquam auditur dicere: *ora pro nobis*, sed semper: *miserere nobis.* Unde & Concilium Ephes. *anth.* 8. definivit: *si quis audet dicere, assumptum hominem coadorari oportere quasi alterum alteri, & non potius una adoratione honorificat Emanuelem secundum quod factum est Caro Verbum; anathema sit. Rursus ex* 5. *Synodo* (*quæ fuit* 2. *Constantinopol.*) *can.* 9. habetur: *si quis non una adoratione DEUM Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio DEI Ecclesiæ traditum est; anathema sit.*

Quæres quarto, utrum etiam Sanctissimum Nomen JESU sit adorandum?

428. R. Hoc Sanctissimum Nomen adorandum est & colendum cultu latriæ respectivo. Ita *communiter Catholici* contra Calvinistas, præsertim Puritanos. Ratio est: quia hoc Sanctissimum Nomen nobis repræsentat & quodammodo innuit ipsum Christum Salvatorem nostrum tanquam verum Deum & hominem: ergo huic respective debetur idem cultus, qui absolute debetur Christo: atqui Christo debetur cultus latriæ absolutus: ergo cultus respectivus debetur ejusdem Nomini. Hac de causa Apostolus *Philipp.* 2. ait: *in nomine JESU omne genuflectatur &c.*

Quæres quinto, utrum Sancti a nobis licite colantur seu honorentur?

429. R. Affirmative. Ita *omnes Catholici* contra Calvinum, Lutherum, aliosque hæreticos seu Sectarios. Ratio est: quia ille recte colitur, cui competit singularis excellentia, velut ex hactenus dictis liquet, cum cultus aliud nihil sit, quam quædam contestatio excellentiæ in alio repertæ: atqui in Sanctis ceu specialibus Dei amicis reperitur singularis prærogativa excellentiæ supernaturalis; scilicet gratia & Sanctitas a DEO participata, sicut & intima amicitia cum DEO, qua perpetuo fruuntur: ergo &c. Hinc Doctor Angelicus 3. *part. q.* 25. *a.* 6. ait: *Sanctos DEI in veneratione habere debemus tanquam membra Christi, DEI filios & amicos, & nostros intercessores.* Idipsum constat innumeris aliis tum Sanctorum Patrum, tum etiam S. Scripturæ testimoniis, confirmaturque nunquam interrupta SS. Ecclesiæ Romano-Catholicæ praxi, prout constabit ex proxime dicendis *n.* 431.

Quæres sexto, qualis cultus debeatur Beatissimæ Virgini Mariæ?

430. R. Huic debetur cultus Hyper-

duliæ.

duliæ. Ita tota Ecclesia contra Bezam, aliosque Sectarios. Ratio est: quia Sacratissima hæc semperque illibata Virgo excellentia Sanctitatis & donorum gratiæ supernaturalium superat, & longe antecellit omnes Angelos & puros homines; ergo meretur cultum huic excellentiæ proportionatum, superiorem quidem reliquis omnibus Sanctis, inferiorem tamen Christo ceu vero DEO & homine simul: atqui iste est cultus hyperduliæ: ergo &c.

Quærer septimo, qualis cultus sit debitus reliquis Sanctis?

431. R. Reliquis Sanctis a Sancta Matre Ecclesia vi Canonizationis solemnis aut Beatificationis declaratis ut talibus, recte impenditur cultus Duliæ, etiam publicus: recte insuper iidem Sancti a nobis invocantur. Hæc responsio quoad utramque partem nedum est inter Catholicos communiter recepta, sed etiam de fide, utpote jam sæpius per diversa Concilia signanter *in Synodo 7. general. Act.* 7. nec non per Concilium Trident. SS. 25. *c.* 2. *de invocat. & venerat* SS. declarata, innumerisque SS. Patrum testimoniis roborata, prout passim videre licet apud DD. nostros. Ut proin ab hæreticis sine nota temeritatis & pertinaciæ negari sane non possit. Ratio prioris jam fuit data *n.* 429. Ratio autem posterioris, quod scilicet iidem Sancti a nobis licite invocentur, non quidem velut *per se* largitores & auctores bonorum, neque ut Mediatores immediati apud Deum (nam *unus est Mediator DEI & hominum JESUS Christus* 1. *Timoth.* 2.) sed velut Mediatores mediati sive subalterni duntaxat, quatenus videlicet ipsi meritis Christi interpositis a Parte nostro cœlesti nobis impetrent, seu etiam impetrarenojusventea,quæpostulamus:

Ratio, inquam, validissima hujus desumitur a pari; nam I. licet invocare homines, ut pro nobis orent apud DEUM; sic enim 1. *Reg.* 7. *dixerunt* (filii Israel) *ad Samuelem, ne cesses clamare pro nobis ad Dominum DEUM nostrum, ut salvet nos*. Item *Job.* 42. *v.* 8. dicitur: *Servus meus Job orabit pro vobis, faciemejus, suspiciam*: Denique *ad Rom.* 15. 30. ait Apostolus: *obsecro ergo vos fratres - - ut adjuvetis me in orationibus vestris prome ad Deum*. II. Licet invocare Angelos Sanctos; prout manifeste eruitur ex illo *Gen.* 19. *v.* 21. ubi Angelus ad rogantem Loth dixisse fertur: *ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es*: ergo Loth Angelum invocavit seu rogavit, ne subverteret &c. Immo & Angelum pro Jerosolyma intercessisse diserte narrat *Zach. c.* 1. *v.* 12. Idipsum habetur *Josue* 5. 13. & alibi locorum sæpius.

III. Etiam licite invocantur Sancti defuncti. uti habetur Baruch 3. 4. ubi *universus populus legitur DEUM rogasse* sequentibus verbis: *Domine omipotens Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel &c.* Ex quibus brevissime contra hæreticos conficitur sequens argumentum: licitum est invocare homines adhuc viventes, ut pro nobis vel apud DEUM, vel apud hominem alium intercedant, prout quotidiana experientia probat: licitum insuper est invocare Sanctos Angelos, & homines cum fama Sanctitatis defunctos, quorum intuitu Deum multa nobis contulisse beneficia, immo indies conferre constat ex hactenus dictis: ergo similiter fas est Sanctos in cælis jamjam existentes, meritisque abundantes invocare, quippe quia apud Deum multo potentiores sunt, quam nos homines in via adhuc degentes, nec minori erga nos charitate præditi, quibus proen nec voluntas intercedendi pro nobis dficit neque facultas: vel dent nobis Adversarii aliquam disparitatem.

At vero, inquiunt Hæretici, I. Soli Deo debetur honor invocationis, ut habetur *Matth.* 4. *v.* 10. II. Unus est Mediator DEI & hominum Christus Jesus 1. *Timoth.* 2. *v.* 5. III. Christi merita sunt infinita & ipse solus sufficit ad omnia nobis impetranda. IV. Sancti de vivis nihil sciunt: ad quid ergo juvet eos interpellare? V. *Apocal* 22. *v.* 9. Legitur Angelus Joannem avertisse ab invocatione, dicens: *vide ne feceris, conservus tuus sum, DEUM adora*: ergo Sancti nedum inutiliter, sed inepte etiam & illicite invocantur.

432. R. Simpliciter ad hæc omnia negando conseq. Ut vero constet, quo modo singulis objectionibus in particulari occurrendum, Respondeo breviter

ad I. distinguendo ant. Soli DEO debetur honor invocationis, *tamquam au-ctori* bonorum in cujus potestate est conferre vel non, conced. *tamquam intercessori*, neg. ant. cum conf. Ad II. R. disting. Unus est Mediator immediatus *mediatione redemptionis*, qui nos Patri suo reconciliavit, conced. *mediatione interpellationis tantum*, ita ut præter hunc nullus alius pro nobis intercedere valeat apud Deum, neg. ant. cum conf. Secus enim nec liceret invocare hominem, ut pro nobis roget Deum. Ad III. R. disting. ant. Christi merita sunt infinita *in actu primo*, conced. *in actu secundo*, ita ut nulla indigeant applicatione nostra vel Sanctorum cooperatione seu etiam intercessione impetranda, neg. conf. Et licet verum sit, quod absolute loquendo ipse solus sufficiat ad omnia nobis impetranda: ex hoc tamen inepte infertur, quod nullum alium præter Christum liceat interpellare, quemadmodum (ut ad hominem loquar) ex eo, quod Imperator vel Rex tuus solus per seipsum sufficeret ad te temporaliter beatificandum, inepte concluderes: ergo nullo alio intercessore indigeo &c. Ad IV. R. disting. ant. Sancti de nobis nihil sciunt *sine revelatione* a Deo iisdem communicata, con. *supposita tali revelatione*, quam sin minus de omnibus nostram salutem concernentibus, tamen de nonnullis procul dubio habent, præsertim si pecialiter in eum finem a nobis invocentur, neg. ant cum conseq. Secus enim quomodo possent in cœlis gaudere super uno peccatore in terris pœnitentiam agente, ut habetur *Luc.* 15. 7. nisi Deo revelante cognoscerent talem pœnitentiam? Si autem possint, immo actu cognoscant talem pœnitentiam, quidni etiam agnoscant nostras preces? Ad V. R. illo loco, prout ex littera liquet, nihil agi de invocatione, sed de adoratione, Qnod autem adorationem Joanni interdixerit, vel ideo contigit, quia Joannes tunc existimavit, illum qui sibi apparuit, esse Deum, proptereaque adorationem proprie dictam seu cultum latreuticum soli Deo debitum eidem deferre voluit; vel si supponatur interdixisse etiam adorationem minus proprie dictam seu cultum duliæ, dicendum, quod id fecerit propter dignitatem Apostolatus, & eminentiam Sanctitatis officiique in Joanne perspectam: absolute autem hujusmodi adorationem Angelorum non esse illicitam, clare colligitur ex illo *Genes.* 19. *v.* 1. ubi dicitur, quod cum Loth vidisset duos Angelos *surrexit, & ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram*, nec propterea ab Angelis fuit reprehensus.

Quæres octavo, qualis cultus debeatur SS. imaginibus Christi & Sanctorum ab Ecclesia Canonizatorum &c. &c.

433. R. dictæ imagines nedum in Ecclesiis aliisque piis seu etiam honestis locis licite ponuntur (prout quotidiana fidelium praxis probat) sed insuper honorari & coli debent cultu respectivo earundem Propotypis debito, ita scilicet, ut imagines Christi & Dei cultu latriæ respectivo; imagines B. Virginis cultu hyperduliæ, reliquorum vero Sanctorum imagines cultu duliæ respectivo colendæ sint. Ita fides Catholica contra Wiclefum, Carolstadium & Calvinistas reprobantes omnem prorsus usum imaginum, nec non contra Lutheranos, admittentes quidem usum imaginum in ordine ad conservandam memoriam, minime tamen in ordine ad aliquem cultum iisdem exhibendum, utpote quem prorsus superstitiosum existimant, prout constabit ex dicendis proxime. Jam vero hujus asserti nostri ratio fundatissima hæc est: quia quidquid Sacrum & Sanctum est, eo ipso veneratione est dignum seu colendum, prout nedum ratio naturalis dictat, sed & Sacra Scriptura satis clare innuit *Exod.* 3. *& Act.* 7. 33. ubi Dominus legitur dixisse ad Moysen: *solve calceamentum pedum tuorum: locus enim, in quo stas terra Sancta est.* Similiter 1. *Reg.* 6. Deus legitur septuaginta viros & plures de populo bethsamatico percussisse, eo quod Arcam Dei upote Sanctam non satis reverenter conspexissent &c. atqui imagines Christi & Sanctorum Sanctæ sunt; quandoquidem ex institutione sua peculiarem habent relationem ad Christum & Sanctos; imago quippe propria, & suo modo peculiaris est illius, cujus est imago, proptereaque Adversarii volentes nolentes coguntur fateri,

ri,

ri, quod dum imago alicujus honoratur, vel dehonoratur etiam ille cujus imago eſt, cenſeatur in morali hominum exiſtimatione honorari vel dehonorari ergo imagines Chriſti & Sanctorum honorandæ ſunt, oppoſitum vero faciendo hæretici peſſime faciunt, quemadmodum male facerent dehonorando effigiem v. g. Auguſt. Imperatoris, prout ipſimet negare minime poſſunt. Hac de cauſa (ut brevitatis cauſa præſcindam ab auctoritate Sanctorum Patrum etiam primitivæ Eccleſiæ, qui Sanctorum imagines verbo & exemplo honorari docuere, prout videre licet apud R. P. Julium Cæſarem *in ſuo Epitom. controverſ. demonſtrat.* 25. *cap.* 1. nec non ab innumeris miraculis, quibus D. O. M. venerationem hanc Religioſiſſimam conteſtatam ac probatam voluit) lubet duntaxat in medium & confirmationem hujus doctrinæ adferre Concilii Tridentini SS. 25. *de invocat. & venerat.* SS. ibi: *imagines porro Chriſti (inquit) Deiparæ Virgini & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam --- quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illa repræſentant &c. &c.*

At, inquiunt Adverſarii. I. *Exod* 20. (& rurſus *Deuter* 5. *v.* 8.) DEUS prohibendo ait: *non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea, neque coles*: ergo &c. II. Catholici idem faciunt hodie, quod olim Judæi & Idololatræ; quemadmodum enim nos in imagine Dei, Sanctorumve proteſtamur venerari non ipſum lignum vel lapidem, ſed Eum, cujus imago eſt, ita prorſus Idololatræ non idola ſua, ſed in idolis v. g. vitulo aureo Deum honorare voluere: ergo nulla eſt differentia inter catholicum & idololatram III. Si nos Catholici in imaginibus nil aliud veneremur, quam Prototypon, tunc unam imaginem v. g. Chriſti Domini, ſeu etiam B. Virginis deberemus æque venerari, quam aliam: at, hoc non facimus, nam unam votivis peregrinationibus vel etiam talibus votivis ſeu anathematibus honoramus, alteram non. ergo &c. IV. Denique (inquiunt) homo ed perfectior imago Dei, quam alia quævis inanimata vel etiam animata creatura, tamen hominem adorare propter prototypon nefas foret: ſimiliter nefas eſt adorare aliam quamcunque imaginem inanimatam &c. &c. Hæc ſunt principalia fundamenta Adverſariorum; ad quæ tamen facillime.

434. R. Ad I. Explicando textum allatum & diſtinguendo: non facies -- non adorabis ea, adoratione *Deo ſoli debita*, id eſt, culu *latriæ*, con. *adoratione* vel potius *cultu duliæ*, quem ſolum Sanctis aliis (præter B. Virginem &c.) debitum dicimus, neg. ant. cum conſeq. Nec obſtat, quod in cit. textu ſub disjunctione dicatur: *neque coles*: eſto enim imago merum materialiter ſpectata non mereatur cultum, meretur tamen hunc ipſum Prototypon, cujus eſt imago, veluti liquet in humanis: unde redit eadem diſtinctio: non licet colere *cultu latreutico*, con. *cultu duliæ* aut (reſpective) *hyperduliæ*, neg. ant. cum conſeq.

Ad II. Negando ant. contrarium enim clare liquet, de Judæis quidem *Pſ.* 105. *fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile, &* NB. *obliti ſunt DEUM, qui ſalvavit eos*. Gentilibus ſimiliter liquet ex illo *Pſ.* 95. *Dii gentium dæmonia* &c. item 1. *Cor.* 10. *quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non DEO*.

Ad III. Diſt. Maj. unam æque ac aliam deberemus venerari *quoad ſubſtantiam cultus*, imagines ſcilicet Chriſti cultu latriæ reſpectivo, imagines vero B. Virginis cultu hyperduliæ &c. conced. unam æque ac alteram etiam *quoad frequentiam* &c. neg. Nam Deus ipſe diverſas imagines diverſis (ut ita dicam) exornat beneficiis, dum intuitu hujus illiuſve miraculoſæ imaginis innumera quaſi confert nobis beneficia, quæ non ſolet conferre intuitu aliarum: mirandum proin non eſt, quod frequentior concurſus fidelium fieri ſoleat ad hanc potius, quam aliam imaginem: immo ex hoc ipſo Hæretici colligere poſſent ac deberent, quod non imagines ipſas, ſed DEUM potius revereamur in ſuis Sanctis, quorum intuitu nobis tam innumera confert beneficia.

Ad IV. negatur paritas. Cum enim homo (idem de Angelis judicium ferendum est) habeat *in se* quandam dignitatem naturæ rationalis, & excellentiam gratiæ seu talentorum, quam nulla habet imago inanimata; hinc majus foret periculum, ne adorantes hominem sisterent quodammodo in eodem velut termino, & hunc cultum non referrent ad Deum ipsum, cujus est imago. Accedit insuper, quod imaginem DEI omnes æqualiter participemus, ideoque in hoc passu nullus sit excellentior altero: ergo non est, cur unus alterum adoret, sed magis convenit, ut omnes adoremus DEUM, ad cujus imaginem & similitudinem omnes creati sumus.

Quæres denique nono, utrum etiam Sanctorum Reliquiis debeatur aliquis cultus aut veneratio?

435. Ante responsionem supponendum est, nomine Reliquiarum Christi intelligi lignum Crucis, sudarium, spinas ex corona, sanguinem &c. Per Reliquias autem Sanctorum intelliguntur Eorundem ossa, Sanguis, vestimenta, aliave mortificationis instrumenta, quibus carnem suam redegere in servitutem spiritus &c. Rursus solent Doctores distinguere inter Reliquias principales & non principales. Principales (teste Felice Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 1519.) sunt Caput, crus, brachium, aut illa pars corporis, in qua passus est Martyr, dummodo integra sit, & non parva, legitime ab Ordinario vel Ecclesiæ auctoritate approbata (huc insuper referri debent Crux Christi, spinæ & similia passionis instrumenta) e contra auricula, digitus, vestes Sanctorum &c. inquit idem Felix Potestas, non sunt Reliquiæ insignes. His suppositis & notatis

436. R. Ad præsens quæsitum. Reliquiæ Christi & Sanctorum in veneratione habendæ sunt & colendæ cultu respectivo: illæ quidem latriæ, istæ vero hyperduliæ aut duliæ &c. Ratio hujus responsionis inter Catholicos receptissimæ est: quia Deus ipse honorat Sanctorum suorum Reliquias, patrando per illas aut ad illarum præsentiam miracula: ergo & nos illas debemus revereri. Ant. constat ex S. scriptura 4. *Reg.* 2. DEUS Eliæ pallio stitit, & divisit aquas Jordanis. Item 4. *Reg.* 13. ad præsentiam Cadaveris Elisæi suscitavit mortuum. Rursus *Act.* 19. legitur per cinctoria & sudaria Pauli Apostoli sanasse ægrotos. Denique idipsum probant historiarum monumenta plena miraculis, DEUS fecit per Sanctorum suorum Reliquias, quibus omnibus fidem negare nemo potest, nisi stolidissimus & pertinacissimus ingenio. Profecto si Adversarii nolint credere auribus; oculis saltem credere debebunt, dum quorundam Sanctorum corpora & arida ossa odorato liquore, & salutari oleo perfusa atque manantia viderint, prout in multis orbis Christiani partibus monstrantur; Sapienter proin hæc veritas Catholica antiquissima Ecclesiæ praxi, & SS. Patrum testimoniis (apud R. P. Julium Cæsarem *in suo Epitome Controvers. demonstr.* 24. *c.* 1. videndi) roborata, etiam pridem in Synodo VII. *Act.* 3. *&* 7. nec non in Concilio Lateran. sub Innocentio III. definita, denuo contra Sectarios nostri temporis in Concilio Trid. *ss.* 25. *de Vener. SS. Reliq.* instaurata fuit sequentibus omnino verbis: *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viventium Sancta corpora: quæ viva fuerunt membra Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, a fidelibus veneranda sunt: per quæ multa beneficia a DEO hominibus præstantur* &c. &c. Ceterum quod cultu respectivo duntaxat venerandæ sint, constare potest ex dictis *n.* 433. de Sacris imaginibus: est enim utrobique par ratio.

Dices fortassis cum aliquo Hæretico I. In Scriptura Sacra nihil prorsus habetur de colendis Sanctorum Reliquiis; ergo hic cultus omnino reprobandus est: omnis quippe cultus arbitrarius a D. Paulo condemnatur *Coloss.* 2. 23. II. Quin potius contrarium Scriptura Sacra innuit, dum *Luc.* 11. 47. perhibet Christum Legis peritis dixisse: *væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos.* Ex quo liquet illos Prophetas fuisse Martyres Sanctos & tamen &c. ergo &c. III. Ex divina voluntate corpus Moysis defuncti occultatum fuit Judæis, ne illud

lud colerent, prout constat ex Epistola Catholica S. Jacobi Apostoli : ergo ne Sanctorum quidem Reliquiæ vel ossa sunt colenda. IV. Per cultum Reliquiarum diminuitur cultus & honor divinus : ergo &c. V. Denique cum Reliquiis committuntur innumeræ fraudes & deceptiones, dum verarum loco falsæ hinc inde sparguntur, prout vel ex hoc haud obscure convincitur, quod subinde de uno Sancto (sicut & de S. Cruce Christi) tam multæ circumferantur, ut si veræ essent, plane necessarium fuisset, vel eundem Sanctum plura habuisse corpora, vel certe corpus gigantæum; hinc non immerito natum est commune illud verbi verbium : *multorum Reliquiæ in terris honorantur, quorum animæ in inferno cruciantur.*

437. R. Ad I. disting. ant. In scriptura nihil habetur *per modum præcepti*, transf. *per modum exempli*, neg. ant. cum conseq. Nam *Exod.* 13. 19. legitur, quod Moyses discessurus ex Ægypto honorifice transtulerit ossa Patriarchæ Joseph: nec dubitandum, quin aliis præceperit, ut eadem ossa in veneratione haberent: an propterea Adversarii nostri Moysem condemnabunt superstitionis? Negari proin debet, quod hic cultus sit mere arbitrarius, utpote nedum exemplis SS. Scripturæ, sed & miraculis innumeris a DEO intuitu Sacrarum Reliquiarum patratis confirmatus.

Ad II. R. disting. ant. Christus legitur intonuisse væ : &c. eo quod Legis periti ædificarint Prophetarum sepulcra, idque *in honorem eorundem Prophetarum* velut SS. Martyrum, neg. *in honorem suorum Majorum*, qui Prophetas injuste occiderant, concedo, hoc enim Christus Dominus innuit dum *l. cit. vers.* 48. ait : *profecto testificamini, quod consentitis operibus Patrum vestrorum* (qui scilicet Prophetas occiderunt) Ex quo liquet, quam longe alieni scribæ & Pharisæi ædificantes dicta sepulcra fuerint ab intentione SS. Ecclesiæ Romano-Catholicæ.

Ad III. R. disting. ant. Corpus Moysis defuncti fuit Judæis absconditum, eo fine ut non colerent *cultu duliæ* nego, *cultu latreutico & superstitioso*, utpote soli DEO, & nulli alteri debito, concedo. Cum enim populus ille ad superstitiones fuerit promptissimus in tantum, ut etiam Vitulum aureum loco DEI habuerit, profecto fuisset maximum periculum, ne pariter videns Sacras Reliquias Moysis diceret : *Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti Exod.* 32. *v.* 4. Hujusmodi periculum longe abest a nobis, veluti ex doctrina hactenus tradita, & inter Doctores Catholicos plebemque Christianam communissime recepta quivis Adversariorum a fuco passionis alienus facile capiet.

Ad IV. R. negando ant. Nam per cultum SS. Reliquiarum potius augetur cultus DEI, quia non colimus eos, nisi in quantum fuerunt & actu sunt singulares DEI amici : talis vero cultus ultimate redundat in DEUM, quemadmodum honorifica illa translatio ossium Joseph Patriarchæ suo modo redundavit in honorem Patriarchæ Jacob, ceu Parentis optimi.

Ad V. R. disting. ant. Cum Reliquiis committuntur innumeræ fraudes, *contra mentem & intentionem Ecclesiæ*, conced. *juxta mentem Ecclesiæ*, neg. ant. cum conseq. Nam Ecclesia diligentissime solet inquirere in veritatem SS. Reliquiarum : ex eo autem, quod subinde malitia unius alteriusve fraus contingat, Sacrarum Reliquiarum cultus reprobari non debet, quemadmodum nullus prudentum judicat Sacramentorum usum, immo & aliorum contractuum, negotiationumve usum esse reprobandum, eo quod in similibus per hominum malitiam fraudes irrepere soleant, aut possint.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de invocatione Sanctorum, nec non de veneratione Sanctarum Reliquiarum.

CASUS PRIMUS.

Titius e Luthérano factus Catholicus sæpius quidem videbatur, immo & audiebatur ferventer orare, ita tamen, ut suas preces nunquam direxerit ad aliquem San-

Sanctorum, sed ad solum DEUM, eundem pro obtinendis beneficiis interpellando per Christum Dominum nostrum; Hujus rei causa, dum quondam ab uxore sua fuisset quodammodo correptus & interrogatus, cur ergo Sanctos nunquam invocet? respondit, DEUM solum posse, & velle hominibus benefacere, propterea que sibi non opus esse aliorum Sanctorum patrocinio. Paulo post uxor de Salute sui Mariti non nihil sollicita rem hanc narravit Confessario Titii, qui huic in proxima confessione injunxit certas preces de B. Virgine Maria, nec non & lytanias de omnibus Sanctis pœnitentiæ loco dicendas.

Quæritur jam ad hanc facti speciem primo, quid de fide seu etiam fidelitate Titii tenendum sit? 2. An Confessarius bene egerit dictam pœnitentiam injungendo, & an Titius potuerit obligari ad eandem persolvendam?

438. R. Ad primum quæsitum, de Titio merito dubitari, immo probabilius ex data responsione concludi posse, eum non esse bonum Catholicum: tametsi enim verum sit, quod DEUS solus seu se solo possit, immo & velit nobis benefacere, hancque ob causam ipsum solum velut fontem & auctorem omnium bonorum ultimato invocandum esse juxta dicta *in Conferent. priori n.* 398. ac proin Sanctorum invocationem non esse simpliciter necessariam ad salutem: quia tamen Titius hactenus nullum prorsus Sanctorum invocare voluit, quin potius protestatus fuit, Eorundem patrocinio se non indigere &c. profecto satis clare manifestavit, in pectore suo etiamnum aliquid de Lutheranismo latere, seque flocci pendere Sanctorum patrocinium velut inane commentum; quod utique sanæ Fidei & orthodoxæ Doctrinæ repugnat, docente Concilio Trident. *SS.* 25. *in decreto de invocat. Sanctorum, bonum atque utile esse suppliciter Eos* (Sanctos scilicet) *invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium Ejus JESUM Christum Dominum nostrum, qui solus noster redemptor & salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere* &c. &c.

439. R. Jam ad secundum quæsitum, Confessarium omnino prudenter & bene fecisse preces de Sanctis pœnitentiæ causa dicendas injungendo; cum enim Titius in fide fuerit suspectus (velut ex proxime dictis liquet) debuit sine dubio Confessarius Ejus dispositionem, mentemque circa cultum & invocationem Sanctorum explorare: atqui hoc vix alio modo commodiori præstare potuisset, quam injungendo dictas preces; tum quia per hoc medium consuluit honori conjugis, cujus dilationem Maritus inde nequaquam potuit colligere; tum etiam quia una simul consuluit reverentiæ Sacramenti & pœnitentis saluti: reverentiæ quidem, quia si pœnitens Sanctorum invocationem, cultumque contempsisset, procul dubio talem pœnitentiam non acceptasset, consequenter Sacramentum non fuisset frustratum: saluti autem; quia peragendo talem pœnitentiam cum ingenti salutis emolumento potuit magis ac magis disponi, seu etiam excitari ad cultum Sanctorum. Ceterum extra controversiam esse debet, quod Titius hanc pœnitentiam debuerit acceptare, quippe quæ gravitati delictorum, ut suppono, fuit commensurata, simulque reverentiæ Sacramenti, nec non saluti pœnitentis summopere proficua: tales autem pœnitentias quivis pœnitentum tenetur acceptare, velut ex professo diximus in Theologia Sacramentali *part.* 2. *Confer.* 9. *n.* 227.

At, inquies, quid tenendum de illis, qui invocant, quos norunt cum fama sanctitatis mortuos quidem, nondum tamen ab Ecclesia canonizatos aut beatificatos?

440. R. Si id faciant cultu privato duntaxat, minime culpandi, quin potius laudandi sunt: secus si illis vellent deferre cultum publicum, utputa precibus a tota Ecclesia ad DEUM directis eos invocando, eorumve nomina lytaniis inserendo &c. &c. Ratio est: quia universaliter loquendo (prout illico patebit ex proxime dicendis) cultus privatus laudabiliter & utilissime quidem defertur hominibus cum fama sanctitatis defunctis, non tamen cultus publicus: atqui invocatio illorum importat quendam cultum: ergo si hæc privatim fiat, laudabiliter, si autem publice in sensu proxime dicto & mox amplius declarando fiat;

cul-

culpabiliter omnino fit; quia contra constitutiones SS. Pontificum, uti mox dicetur.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia devota fœmina multa partim fama volante audierat, partim tiam legerat de insigni Sanctitate Venerabilis Matris Abbatissæ Rovoredanæ Mariæ Joannæ de cruce, quam ob rem longo tempore desideravit, tandemque obtinuit de eadem nonnullas recolas seu etiam Reliquias sacras, utputa numismata Sacra, coronulam precariam & similia: Quin & nuper sibi procuravit quandam effigiem Ejusdem Venerabilis Matris jacentis in pheretro vultu admodum rubente, instar dormientis (absque radiis tamen,) prout paulo post felicissimum obitum suum visa fuit; hanc vero effigiem Sempronia domi suæ supra quoddam altariolum collocatam venerari assolet, flexisque coram eadem politibus haud infrequenter ejusdem patrocinium implorare; & quia firmiter sibi persuasum habet, se nuper intercessione hujus insigne quoddam beneficium obtinuisse; hinc a quodam Sacerdote (oblato eidem congruo stipendio) petit, quatenus is vellet offerre quoddam SS. Missæ Sacrificium tum in gratiarum actionem, tum etiam in honorem ejusdem Venerabilis Matris, de cujus Sanctitate dubitandi locus jam nullus videtur superesse. Dubitatur nihilominus ad hanc facti speciem 1. an, vel qualem cultum præfatis Reliquiis Sempronia potuerit licite exhibere? 2. An memoratam effigiem licuerit ponere supra altariolum, eandemque flexis etiam poplitibus venerari? 3. Denique, an Sacerdos tuta conscientia potuerit acceptare stipendium pro Sacro ad memoratam intentionem offerendo & applicando, & quid huic specialiter fuerit observandum?

441. R. ad primum. Sempronia potuit dictis Reliquiis deferre *cultum privatum*, immo nedum licitum, sed & pium ac laudabile est hujusmodi Reliquias v. g. vestes, scripturas, instrumenta mortificationis aut pietatis, utputa libros, imagines &c. secum portare, ad collum suspendere, osculari, aliove simili cultu privato venerari. Ita Fagnanus *in c. cum ex eo 2. de Reliq. & venerat. Sanctor. n.* 11. quem sequitur R. P. Reiffenstuel *lib. 3. decret. tit.* 45. §. 2. *n.* 29. & 30. Ratio est, quia *in cit. cap.* 2. ab Ecclesia solum interdicitur, nequis præsumat *cultum publicum* exhibere Servis DEI nondum Canonizatis aut beatificatis: ergo a contrario cultus privatus censeri debet licitus.

442. R. Jam ad secundum quæsitum ejusdem Casus affirmative. Esto enim ad tollendos seu etiam præcavendos abusus, qui in hac materia potuerant irrepere, immo hinc inde privatis erroribus irrepsere, Urbanus VIII. *Bulla Sanctissimus* 39. itemque Bulla *Cœlestis Jerusalem* 134. videndis tum in *Bullario Cherubin. tom.* 4. tum etiam apud Reiffenstuel *loc. c.* §. 1. *n.* 19. esto, inquam, dictus Pontifex gravissime prohibuerit, ne imagines defunctorum, qui cum fama Sanctitatis aut insignis pietatis mortui quidem, nondum tamen ab Ecclesia Cononizati, aut Beatificati fuere cum aureolis, radiis, seu splendoribus pingantur, vel taliter pictæ habeantur, sive dein publice, sive privatim & in occulto asserventur, vel vero in Templis, Sacrariis, vel Oratoriis quibuscunque, præsertim ubi Sacrificium Missæ vel alia officia peraguntur &c. licitum nihilominus est eorum imagines sine radiis, splendoribus, aut aureolis depictas vel sculptas domi suæ habere, easque ibidem etiam videntibus aliis venerari: nam ut perbene advertit Reiffenstuel *in Theolog. mor. tr.* 5. *dist.* 1. *n.* 39. nomine cultus privati intelligitur ille, qui non exhibetur tanquam institutus ab Ecclesia vel nomine Ecclesiæ, sed fit ex peculiari devotione colentis, sive dein privatim, sive publice, videntibus scilicet aliis fiat: atqui Sempronia non colit dictam imaginem nomine Ecclesiæ, & imago ipsa supponitur depicta sine radiis seu splendoribus &c. licet supponatur picta vultu nonnihil rubente & viventis instar, prout post felicem transitum suum eadem Venerabilis Mater cunctis videntibus apparuit: ergo licite omnino hoc fit. Vide etiam, si placet, Lantusca *in Theatro Regular. V. Beatificatio n.* 2.

443. R. ad tertium quæsitum ejusdem Casus. Sacerdos potuit equidem acceptare stipendium congruum cum intentione celebrandi Sacrum tum in gratiarum actio-

actionem pro obtento beneficio, tum etiam in honorem dictæ Venerabilis Matris Rovoredanæ, ita tamen, ut Missam debeat sumere de festo aut feria eo die currente, non autem de ipsa Venerabili Joanna, aut de communi Virginum cum memoria seu invocatione Ejusdem. Ratio est: quia Missa fit nomine Ecclesiæ, ideoque censetur cultus publicus: atqui non licet cultu publico venerari Sanctum aut Sanctam nondum publica auctoritate Ecclesiæ albo Sanctorum vel Beatificatorum insertam, veluti habetur *c. 1. & 2. de Reliq. & Venerat. Sanctor.* nec non ex constitutionibus Urbani VIII. proxime allegatis: ergo non licet legere Missam de Venerabili Matre, vel cum speciali oratione de eadem, licet ex privata Sacerdotis intentione possit Sacrificium applicari quodammodo ad honorem illius: quæ intentio fit potius ex privata devotione; prout etiam fieri censetur, dum Sacerdos Missam applicat pro aliquo excommunicato non tolerato, &c. Videatur Sanchez *lib. 2. in decalog. c. 43. a n. 3.* vel Bonacina *disp. 3. in decalog. q. 1. n. 2.* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 5. dist. 1. n. 41.*

CASUS TERTIUS.

CAjus e Germania nostra Romam usque comitatus fuit quendam magnum Dominum, cui a servitiis exstitit; at vero dum in Patriam reverterentur, idem Cajus itineris & servitii hujus pertæsus, clanculo Dominum suum deseruit, una secum furtive asportans quandam cistulam, in quo diversæ Sanctorum Reliquiæ, nec non quædam Sanctæ Crucis particula continebatur una cum authenticis. Porro Cajus dictas Sacras Reliquias hinc inde suis amicis obtulit, reservando sibi Sacratissimam Crucis particulam, cujus loco alias nonnullas ex communi ligno formatas particulas aliis præsertim simplicioribus hinc inde distribuit & quidem lucri capiendi causa. Jam vero facti hujus pœnitens sciscitatur a quodam Theologo 1. quomodo peccaverit auferendo memoratam cistulam, in qua noverat, diversas Sanctorum Reliquias latere? Et 2. an vel quomodo peccaverit distribuendo falsas S. Crucis particulas lucri capiendi causa.

444. R. ad primum quæsitum, Cajum auferendo cistulam illam indubitanter commisisse peccatum mortale, & quidem sacrilegum. Ratio est: quia supponitur abstulisse rem, & quidem Sacram Domino rationabiliter invito: atqui tale furtum est sacrilegum: ergo. Nec refert, quod Sacræ Reliquiæ non sint pretio humano æstimabiles &c. hæc enim circumstantia non minuit, sed potius aggravat malitiam hujus furti Sacrilegi, prout bene advertit Castropalao *part. 2. tr. 8. disp. 1. pu. 6. n. 19.* Sylvester *verb. Reliquiæ q. 2.* Sanchez *lib. 2. mor. cap. 43. n. 23.* Azorius *1. p. l. 9. c. 8. q. 9.* & alii plures.

Ergone inquies, non datur parvitas materiæ in ablatione SS. Reliquiarum?

445. R. Posse quidem dari, sed suppositis certis conditionibus, scilicet 1. si auferatur pars valde exigua. 2. si in Ecclesia sint aliæ ejusdem Sancti partes (quibus de causis excusari possunt personæ, Sanctorum corpora conglebantes & ornantes, quæ plerumque aliquid clepere assolent, haud secus, quam Sartores de panno &c.) 3. si Reliquia furtive ablata non sit rara. Ratio horum est; quia gravitas hujus furti non tam ex quantitate, quam ex qualitate Sacrarum Reliquiarum dimetienda est; at, si S. Reliquia non sit adeo rara, vel in eadem Ecclesia ejusdem Sancti plures contineantur &c. Dominus non censetur graviter invitus, vel certe rationabiliter esse non potest: bene vero si S. Reliquia sit admodum rara, veluti judicio Dianæ *part. 5. Resolut. 35.* & Felix Potestas *Exam. Confess. tom. 1. part. 2. num. 1522.* est minima pars sacræ spinæ, seu coronæ spineæ, aut Sanctæ Crucis; quippe quæ tum ob dignitatem e corpore Christi participatam, tum etiam ob raritatem merito magni æstimari solent a vere fidelibus.

446. R. Jam ad secundum quæsitum ejusdem casus, Cajum procul dubio mortaliter peccasse loco verarum particularum de Sancta Cruce falsas hinc inde distribuendo: quisquis enim falsas Reliquias distribuit, DEO, Sanctis, ipsique S. Religioni haud exiguam injuriam facit, veluti mox infra *n. 464.* patebit. Cum vero

Cajus

Cajus feratur falsas illas particulas distribuisse lucri capiendi causa; hinc a Theologo desuper consulto specialiter indagari debet, an id fecerit cum pacto oneroso, scilicet vendendo illas particulas, an vero sine omni pacto, & ob meram spem aliquid per modum eleemosynæ propterea adipiscendi? Si primum, dicendum, quod incurrerit labem Simoniæ: esto enim supponatur re ipsa vendidisse particulas non sacras seu falsas, simulavit tamen exterius, se velle pro pretio temporali vendere rem spiritualem, & ad talem contractum alios simpliciores induxit cum scandalo, non sine gravi & perniciosa deceptione, & hoc ipso teneretur restituere pretium acceptum. At vero si absque omni pacto cum mera spe aliquid per modum eleemosynæ obtinendi id fecit, equidem a labe Simoniæ immunis erit, non tamen ab omni peccato; tum quia proximum suum decepit; tum etiam quia sinistram intentionem habuit, & contra prohibitionem Concilii *Trident. §. 25. in decret. de cult. & Venerat. SS.* per hujusmodi particulas turpem quæstum quodammodo intendit. Videatur de hoc Palao *loc. cit. pu. 6. n.* 18.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

447. Colliges ex hactenus dictis primo, nedum Christi Crucifixi effigiem verasque seu authenticas Sacratissimæ Crucis particulas, aliaque passionis instrumenta, utputa clavos, lanceam, spinas &c. sed & alias cruces ex quacunque demum materia efformatas, sive eisdem sit affixa, seu etiam appicta Christi effigies, sive non, licite a nobis adorari, seu etiam coli cultu latriæ respectivo. Ratio horum jam fuit data superius *num.* 431. quia imagini debetur idem honor & cultus respectivus, qui absolute debetur prototypo; & licet communibus crucibus, id est, ex quavis materia sine effigie Crucifixi efformatis, deberetur cultus inferior latria (quem Doctor Seraphicus 3. *dist.* 9. *art.* 1. *q.*4. *honorem venerationis* appellat; quia tamen hujusmodi cruces non solum efformantur in ordine ad repræsentandam crucem Christi, sed potius ad repræsentandum ipsum Christum pro nobis in cruce mortuum; hinc laudabilissime a vere fidelibus honorantur cultu latriæ respectivo.

At, inquies, quo cultu honorandus est sanguis JESU Christi, qui hinc inde in diversis Ecclesiis visitur & asservatur?

448. R. Juxta Vasquetii, Palai aliorumque opinionem honorandus est cultu latriæ respectivo; eo quod aliquando fuerit pars corporis Christi unita divinitati, licet defacto non amplius sit: e contra alii putant, Eum esse honorandum cultu latriæ absoluto, eo quod probabiliter etiamnum sit unitus divinitati, juxta notissimum illud S. Damasceni effatum: *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit*. Nec refert, inquiunt, quod non sit actu pars corporis Christi; nam sanguis ille sacratissimus in passione Christi per plateas Jerusalem hinc inde dispersus actu non amplius exstitit pars corporis Christi, & tamen meruit honorari cultu latriæ. Ita Valentia & alii nonnulli haud improbabiliter: placet nihilominus quoad hoc judicium nostri V. P. Cherubini Mayr *in suo Trismegisto continuato, ubi dist.* 3. *cap.* 1. *num.* 246. ait, in praxi optime facturum, qui hunc SS. Sanguinem honorat vel adorat cum intentione illum adorandi, sicut & quantum adorari potest ac debet: hoc quippe modo nec deficiet, neque etiam excedet in modo adorandi.

449. Colliges secundo, non esse illicitum crucem diversis Reliquiis etiam non approbatis, vel partim non approbatis, partim autem approbatis ornatam exponere publicæ venerationi. Ratio est: tum quia usus id jamjam obtinuit: tum etiam quia cum crux Reliquiis ornata in altari collocatur, non Reliquiæ, sed crux adoranda proponitur: quod autem unus fortassis vel alter Reliquias suo modo adoret, merum per accidens contingit, & ad cultum privatum, non ad cultum publicum referri debet. Ita Sanchetius *lib.* 2. *in decalog. cap.* 43. *num.* 17. eumque secutus Castropalao *loc. cit. disp.* 1. *pu.* 6. *n.* 11.

Dices. Nefas foret publicæ venerationi exponere Reliquias partim approbatas, partim etiam non approbatas: ergo similiter nefas est, exponere crucem ornatam Reliquiis partim approbatis, partim non approbatis.

450. R. *Negando conseq. & parit.* Nam ubi solæ Reliquiæ exponuntur publicæ venerationi, tam approbatæ, quam non approbatæ sine ulla differentia proponuntur publico cultui, quod posterius per Concilium Trident. *SS. 25. c. 2. de invocat. & venerat. SS.* &c. graviter fuit prohibitum: At vero ubi crux Reliquiis ornata exponitur, sola crux, uti jam dictum fuit, non item Reliquiæ censentur exponi publico cultui fidelium. Ita rursus Sanchez *loc cit. n.* 12. Castropalao *n.* 12. Bonacina *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 5.

451. Colliges tertio cuilibet fidelium per se loquendo fas esse sacras Reliquias, esto non recognitas ab Episcopo vel authentizatas, penes se reverenter portare v. g. in quadam capsula; idque partim quod hoc nullo jure fuerit prohibitum, partim insuper, quod talis devota gestatio mirum in modum deserviat, tum ad repellendas inimici infernalis tentationes; tum etiam ad excitandam fidelium devotionem: secus dicendum foret, casu quo subesset periculum, ne Sacræ Reliquiæ aliqua fœditate aut obscænitate polluerentur. Videantur Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 11. *pu.* 6. *in fin.* vel Bonacina *disp.* 3. *de adorat. qu.* 1. *pu.* 4. *n.* 7.

Dices fortassis contra hoc. Quicunque portans SS. Reliquias peccat, præsertim graviter, irrogat irreverentiam Sacris Reliquiis: ergo cum omnes simus fragiles, nec sit homo, qui faciat bonum & non peccet *Eccle.* 7. 21. consultius omnino videtur abstinere a portatione SS. Reliquiarum.

452. R. *disting. ant.* irrogat irreverentiam gravem & necessario in Confessione explicandam, *neg.* (nisi supponatur in contemptum SS. Reliquiarum peccare) irrogat irreverentiam levem & non necessario exprimendam, *conced.* & *nego conseq.* Nam perjurio, furto, fornicatione &c. SS. Reliquiæ per se & directe non offenduntur, neque irreverenter tractantur, sicuti nec specialiter coluntur ex eo, quod portans Sacras Reliquias faciat aliquod opus bonum: cum ergo aliunde Earundem portatio serviat ad excitandam devotionem, quivis fidelium ad hanc allici potius debet, quam absterreri. Videatur Azorius 1. *part. lib.* 9. *c.* 8. *q.* 6. vel Sanchez *lib.* 2. *decal. c.* 40. *n.* 27. & 28.

453. Colliges denique quarto, etiam illas ceras papales, quas quilibet Pontifex primo & septimo Pontificatus sui anno infra octavam Paschæ benedicere solet, & ob figuram Agni Eisdem impressam vulgo *Agnus DEI* appellari solent, magno in honore habendas esse, immo & cultu latriæ respectivo venerandas.

Ratio est: tum quia præseferunt imaginem Agni, qui pro nobis occisus fuit, & est *dignus accipere honorem & gloriam Apoc.* 5. 12. tum etiam quia propter preces Ecclesiæ in earundem benedictione adhiberi solitas, habent magnam virtutem contra fulgura, grandines, incendia &c. nec non ad repellendos dæmonum insultus. Unde neque pretio (nisi quantum eorum materia vel labor & expensæ ad transportam factæ valent) vendi debent, neque etiam minio, aurove aut alio colore pingi juxta constitutionem Gregorii XIII. *Omni certe studio &c.* 8. *Kalend. Julii* 1572. *editam*. Nihilominus quemadmodum Sanctorum Reliquiæ, ita etiam hæc Agnus Dei nedum a Clericis, verum etiam a Laicis tam unius quam alterius sexus licite tanguntur, modo id fiat debita cum reverentia; tum quia nullibi hoc prohibetur; tum etiam quia usus id jam jam obtinuit, nec quisquam prudentum facile piaculo sibi ducet hujusmodi contactum: secus si irreverenter vel sine omni prorsus devotione id fieret: Videantur *DD. proxime cit.* vel la Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 225.

CONFERENTIA
DECIMA QUINTA.

De Superstitioae in genere, nec non de Idololatria in specie.

SUMMARIUM.

454. *Superstitio generice sumpta est vitium Religioni oppositum per excessum.*
455. *Hæc immediate partitur in duo membra, scilicet in superstitionem cultus indebiti, & rei indebitæ.*
456. *Superstitio cultus indebiti seu incongrui rursus subdividitur in cultum falsum, & superfluum.*
457. *Explicatur brevissime superstitio cultus falsi,*
458. *Et Superstitio cultus superflui.*
459. *Prior species, cultus scilicet falsi est mortaliter; posterior autem ex suo genere venialiter duntaxat peccaminosa.*
460. *Superstitio rei indebitæ, id est, falsi Numinis rursus sub se continet quatuor species, scilicet 1. Idololatriam. 2. Divinationem. 3. Vanam observantiam & 4. Magiam.*
461. *Idololatria proprie dicta est Superstitio, qua divinus honor tribuitur alicui creaturæ sicut DEO.*
462. *Et hæc rursus solet dividi 1. in perfectam 2. in imperfectam, & 3. in simulatam.*
463. *Undenam Idololatria suam traxerit originem.*
464. *Resolvitur Casus I. de quodam Religioso confectore & commendatore Schedularum lucanarum, seu Immaculatæ Conceptionis.*
465. *Num obstetrix condemnanda sit Superstitionis ex eo, quod parturientibus assueverit dare tres schedulas cum infallibili spe felicis partus.*
466. *Satisfit breviter cuidam objectioni in contrarium.*
467. *Resolvitur Casus II. cujusdam militis assueti ante solis ortum dicere certam quandam orationem eo fine, ut sese redderet eo die invulnerabilem.*
468. *Reprehenditur damnabilissima praxis, qua nonnulli tentant se reddere invulnerabiles desodiendo quodammodo cutem inter & carnem SS. Eucharistiæ Sacramenttum.*
469. *Discutitur illud inane commentum de herbis, quæ dicuntur habere vim reddendi feras vel homines invulnerabiles.*
470. *Resolvitur Casus III. cujusdam pœnitentis dubitantis, an liceat uti virga coryli ad detegenda seu manifestanda maleficia.*
471. *Quid si talis virga supponatur diversis Sanctorum Reliquiis ornata &c.*
472. *Quid de usu Virgæ avellanæ & aliarum tenendum?*
473. *Recensentur breviter nonnulli casus, in quibus committitur cultus perniciosus.*
474. *Enumerantur rursus alii, in quibus committi solet cultus superfluus & incongruus.*
475. *Nec affectus devotionis vel bonæ fidei in similibus satis excusare videntur a peccato superstitionis.*
476. *Qui in Theatris repræsentant cultum aut Ceremonias Gentilium, neutiquam dici possunt idololatræ.*
477. *Multo minus nos Catholici ex eo, quod Sanctos, imagines vel Reliquias SS. honore congruo veneremur.*
478. *Vel quod SS. Eucharistiæ Sacramentum adoremus cultu latriæ debito.*
479. *Sitne licitum dæmoni propria sponte aliquid asserenti credere, vel eundem de aliis interrogare?*
480. *Quæ fides adhibenda sit dæmoni, dum exorcismis Ecclesiæ adactus aliquid revelat, vel asserit?*

§. I.

Præmittuntur , & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Superstitione & Idololatria.

QUæres primo , quid sit Superstitio in Genere?

454. R. Superstitio est vitium Religioni oppositum per excessum , quo vel Deo cultus indebitus , vel creaturæ cultus Deo debitu exhibetur . Ita in terminis Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *a.*4.*n.* 2. allegans D. Thomam 2. 2. *q.* 92. *art.*1. Dicitur autem 1. *Vitium* , & quidem *Religioni oppositum* . Quemadmodum enim aliæ virtutes , ita & virtus Religionis in medio consistit , & per consequens sicut contra alias virtutes , ita & contra hanc peccari potest & solet vel 1.per defectum : & dicitur *irreligiositas* prout infra *Conf.decima septima* amplius dicetur . Vel per excessum : & vocatur superstitio , eo quod sit quasi quædam superstatuitio , seu superflua observantia in cultu super statuta seu instituta maiorum . Dicitur 2. oppositum *per excessum* , non quidem ex eo , quod quoad substantiam Deus nimium colatur ; (nam cultus verus Deo utpote infinitæ dignitatis exhibitus nunquam dici potest nimius) sed dicitur excessivus quoad circumstantias , seu etiam modum colendi , quia scilicet non prudenter colitur vel non moderate , unde & ab aliis appellari solet cultus incongruus . Dicitur denique 3. vel *creaturæ cultus Deo debitus* : quod fit , quando vel diabolus vel alia creatura colitur loco Dei , vel ut Deus , prout amplius patebit per decursum .

Quæres secundo , quotuplex sit Superstitio mox descripta?

455. R. Superstitio generatim duplex est , veluti colligere fas est ex descriptione mox data . Enimvero per quamvis superstitionem vel colitur quidem verus Deus , sed modo indebito vel incongruo : & vocatur superstitio cultus incongrui seu indebiti . Vel colitur creatura loco Dei seu ut Deus , & hæc dicitur superstitio Rei indebitæ aut cultus falsi , Numinis scilicet . Utraque tamen hæc species subalterna superstitionis rursus sub se continet diversas superstitiones specie infima inter se distinctas ; unde

Quæres tertio , quot dentur species superstitionis ratione cultus indebiti seu incongrui?

456. R. Duæ dantur species superstitionis ratione cultus incongrui . Una vocatur superstitio cultus falsi : altera superstitio cultus superflui . Ita cum S. Thoma 2. 2. *q.* 93. *art.* 1. & 2. & *Communi DD.* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 5. *dist.* 2. *num.* 6. Explico brevissime utramque speciem .

457. I. Superstitio cultus falsi (ob modum scilicet colendi) appellatur , quando cultus est mendax vel quia falsis , id est , non amplius verum significantibus ceremoniis colitur Deus , vel quia materia aut forma Sacramentorum mutatur , prout faciunt hæretici nostri temporis , vel denique quia quis se fingit publicum Ecclesiæ Ministrum , cum tamen revera talis non sit .

458. II. Superstitio cultus superflui appellatur , quando quis nititur Deum colere quibusdam circumstantiis seu etiam ceremoniis , quæ neque ad ipsius gloriam neque ad devotionem excitandam , neque juxta institutum aut rubricas , sed potius contra rubricas Ecclesiæ excogitantur vel usurpantur .

Quæres quarto , quale peccatum sit superstitio cultus falsi , mox descripti , & quale peccatum superstitio cultus superflui?

459. R. Superstitio cultus falsi quoad illum modum colendi semper est peccatum mortale : superstitio autem cultus superflui ordinarie non excedit gravitatem peccati venialis , modo absit scandalum & contemptus Ecclesiæ . Ita Tamburinus *in decalog. lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *decalog. cap.* 37. *n.* 2. & *n.* 9. Bonacina *tom.*2. *disp.* 3. *q.* 5. *pu.* 1.

Ratio prioris est : quia per cultum falsum Deo irrogatur gravis irreverentia , populusque fidelis graviter decipitur , prout rem perpendenti cuipiam facile patebit . Ratio autem posterioris est : quia cultus superfluus repugnat con-

consuetudini, seu etiam ordinationi Ecclesiæ, ideoque involvit aliquam inobedientiam saltem venialiter malam, modo (ut jam dixi) scandalum absit & contemptus Ecclesiæ. Videatur de hoc Lessius *l. 2. c. 43. dubit. 1. n. 5.*

Quæres quinto, quæ, & quot sint species superstitionis rei indebitæ, seu falsi Numinis?

460. R. Hujus Superstitionis rursus communiter enumerantur quatuor species, scilicet 1. Idololatria. 2. Divinatio. 3. Vana observantia, & 4. Magia. Ita Herincx *part. 3. tr. 4. disp. 7. de Religion. num. 3.* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 5. dist. 2. n. 5.* & communior Theologorum, licet Filliuc. *tom. 2. tr. 24. n. 4.* superaddat maleficium, quod tamen potius videtur quidam effectus magiæ, ut infra videbimus. Ratio autem hujus divisionis satis congrua inde desumitur; nam vel diabolus honoratur ut quoddam Numen seu Deus; & tunc committitur idololatria; vel invocatur eo fine, ut aliquid occultum revelet &c. & habetur divinatio, vel denique ut in operando dirigat seu aliquid mirum efficiat ob applicationem vanorum mediorum &c. & dicitur vel vana observantia, vel magia; ad quam reduci potest, ac debet maleficium, prout amplius constabit ex dicendis. Jam de prima specie hujus superstitionis, id est, magia, in hac Conferentia nonnulla agemus, reliquas species proximis duabus Conferentiis discussuri.

Quæres sexto, quid sit Idololatria?

461. R. Idololatria stricte sumpta, prout scilicet constituit primam speciem ex enumeratis est superstitio, qua divinus honor tribuitur alicui creaturæ tanquam DEO, vel sicut DEO. Ita *ex communi DD.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 11. punct. 1.* Explico brevissime. Dicitur *superstitio*, loco generis, in hoc enim convenit idololatria cum reliquis speciebus superstitionis, immo suo modo reliquas omnes excedit, in quantum per nullam aliam tam patulo cultus soli Deo debitus tribuitur creaturæ, sicut per hanc. Additur insuper loco differentiæ: *qua divinus honor &c.* ut per hoc significetur, quod, quemadmodum ad cultum veri Dei, ita & ad veram idololatriam suo modo concurrere debeant tres actus, scilicet 1. quædam apprehensio seu existimatio divinitatis concepta de idolo. 2. quidam affectus internus reverentiæ, quo quis Idolo tanquam Numini sese vult submittere, & 3. quædam exhibitio signi externi, quo idololatria vult testificari suam submissionem &c. Dixi etiam: *ad veram seu propriam idololatriam*; nam late & metaphorice idololatrare dicitur, quisquis mortaliter peccat, & peccando in creatura ultimum suum finem collocat prout bene advertit noster P. Herincx *loc. cit. n. 4.* Verum hæc non est particularis species idololatriæ in confessione necessario exprimenda, cum aliunde per expositionem ipsius peccati mortiferi satis a Confessario intelligi possit.

Quæres septimo, quotuplex sit Idololatria?

462. R. Triplex communiter a Doctoribus assignatur 1. perfecta, 2. imperfecta, & 3. simulata. Ita Suarez *de Religion. tom. 1. lib. 2. c. 4. & 6.* Laymann *tr. 10. cap. 2. n. 5.* Perfecta dicitur, dum quis cultum DEO debitum exhibet Idolo, eo quod falso credat, id esse DEUM. Imperfecta est, dum quis bene animadvertens huic Idolo vel creaturæ nihil inesse divinitatis, nihilominus ex pravo affectu v. g. odii adversus DEUM, aut concupiscentiæ aliquid obtinendi v. g. a dæmone aliave creatura, eidem cultum externum exhibet sicut DEO. Simulata dicitur idololatria, dum quis ob metum v. g. Tyranni vel populi cultum soli DEO debitum exhibet Idolo vel creaturæ alteri, absque eo, quod recognoscat in illa quandam excellentiam, aut divinitatem, aut quod habeat internum affectum colendi ipsam, prout in annalibus Ecclesiasticis legitur de Sancto Marcellino Papa. Verum has duas posteriores species non esse proprie tales, liquido constabit ex dictis numero priori de idololatria proprie dicta.

Quæres denique octavo, unde Idololatria suam traxerit originem?

463. R. Primam hujus originem fuisse quoddam inordinatum desiderium, quo parentes quidam acerbo luctu dolentes (ut dicitur *Sapient. 14. v. 15.*) de

de filiis cito sibi raptis, erexerunt [quasdam statuas ,] in quibus filios tanquam præsentes cernerent. Deinceps ipsæ statuæ tanquam Numine quodam plenæ & animatæ coli cæperunt, & quia diabolus statuis illis, mox ut dedicatæ erant, se insinuavit, putavit cæca Gentilitas, se posse Deos facere. Ex his postea factum est, quod Ethnici capti pulchritudine & virtute corporum cœlestium & elementorum, nec considerantes, unde eam haberent, etiam eis cultum divinum exhibere cæperunt, eorumque imagines adorare, prout clare legitur *Sapient. cap.* 13. *v.* 2. *& seqq.* Tandem prava hac consuetudine amplius invalescentes eousque deventum est, ut cæca Gentilitas pro Deo coleret illud omne, de quo vel commodum sibi obventurum sperare, vel etiam damnum inferendum timere potuit; quam ob causam Lunam, Solem, Crocodilum aliasque bestias velut Deos colere cæperunt, falso sibi persuadentes hujusmodi creaturis vim aliquam invisibilem præsidere & connexam esse, a qua regerentur: quam proin precibus ac Sacrificiis placandam censuere. Ita sin minus in terminis saltem in re noster P. Herincx *p.* 3. *tr.* 4. *disp.* 7. *numer.* 5. omnino probabilissime. Videatur D. Augustin. *lib.* 8. *de civit. Dei cap.* 23.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Superstitione & Idololatria.

CASUS PRIMUS.

TItius Religiosus quotannis infra octavam immaculatæ Conceptionis notabilem quantitatem Schedularum (quas alio nomine ab Auctore derivato lucanas *appellamus) scribendo conficere & benedicere assuevit, earundem vero vim ac multiplicem virtutem mirum in modum extulit, ut sequitur.* 1. *quisquis hujusmodi Schedulam penes se portat,* nequit ullo veneficio infici. 2. *si tales Schedulæ defodiantur in quatuor angulis horti vel Agri, aut in stallis animalium, infantiumve cunis,* neutiquam infici possunt magorum aut sagarum infestationibus. 3. *Eædem Schedulæ prosunt parturientibus, ita, ut quem Mater paulo ante partum sumpsit, postea infans in lucem editus* vel supra frontem, vel intra labia manusve non raro deferre soleat in hunc mundum &c. *hæc & alia plura Titius de suis Schedulis hinc inde narrare assueverat, apposita tamen hac clausula, quod is, qui eas sumere vult per modum medicinæ spiritualis, debeat illas sumere* cum aqua benedicta trium Regum *ut vocant, & insuper in honorem Nativitatis Christi & immaculatæ Conceptionis dicere* ter Pater noster & Ave Maria, *nec non* ter Gloria Patri, *addito insuper;* Ave, Amen. *Hanc miram commendationem multiplicesque virtutes cum quædam vetula obstetrix intellexisset, illico postulavit a Titio sibi copiam fieri ejusmodi Schedularum: qua obtenta quotiescunque ad aliquam puerperam vocatur* 1. *ante omnia eidem porrigit tres Schedulas lucanas in aqua trium Regum sumendas.* 2. *jubet eandem dicere dictas preces adamussim.* 3. *denique infallibiliter sperare felicem partus expeditionem. Jam quæritur, utrum Titius & obstetrix illa non sint arguendi alicujus superstitionis?*

464. R. Primo ad hanc speciem facti, Titium conficiendo prædictas Schedulas neutiquam peccasse, certum quippe & exploratum est, memoratas Schedulas nedum ab Ecclesia hactenus fuisse toleratas, verum insuper a viris prudentiæ, discretionis ac Religionis zelo insignibus commendatas; neque vero dubitandum, quin earum intuitu Beatissima Virgo Maria sine labe originaria concepta devote se invocantibus plura contulerit beneficia, prout experientia multiplici compertum habemus. At vero, an Titius non sit arguendus alicujus superstitionis ob commendationem seu deprædicationem nimiam dictarum Schedularum, major est ratio dubitandi: videntur enim plures circumstantiæ superstitionem sapientes concurrere: Cur enim infra octavam, & non alio tempore confici deberent? Cur in aqua trium Regum, & non in alia benedicta? Cur ter & non sæpius dici Gloria Patri, & Pater noster & Ave? Cur superaddi deberent illa duo verba *Ave, Amen?*

Amen? Deinde: ubi scriptum aut revelatum a Deo legitur, quod nullus tali Schedula munitus, valeat intoxicari? quod animalia, horti, infantes &c. nequeant infici veneficio? profecto hæc omnia videntur manifestam sapere Superstitionem. Neque dubitandum, quin Titius mortaliter peccasset, si contra mentem propriam asseruisse supponatur, quod infantes recens nati (de quo certe authentice non satis constat) non raro soleant Schedulas lucanas a Matre paulo ante sumptas manibus deferre in hunc mundum: quisquis enim falsis miraculis cultum DEI vel Sanctorum promovere nititur, magnam Deo injuriam irrogat secundum dicta *num.* 459.

465. R. secundo, Obstetricem longe adhuc probabilius condemnandam esse Superstitionis. Si enim supponatur tres Schedulas porrigere parturienti & jubere, ut dicat ter Pater & Ave &c. eo quod existimet vim omnem & efficaciam positam esse in ipso numero ternario Schedularum vel orationum, tunc liquido constat de Superstitione juxta *communissimam DD.* videndam apud Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.* 9. *sect.* 3. *num.*27. Sin vero non numero Schedularum, sed fidei potius ac devotioni oratricis, vel potius potentissimo patrocinio ac meritis B. Virginis Mariæ attribuendum arbitretur beneficium felicis partus, bene quidem facit, at non videtur eximenda ab omni nævo Superstitionis ex eo, quod jubeat mulierem *infallibiliter expectare* felicem expeditionem partus. Ratio est: quia cum præter Sacramenta & Sacramentalia nihil omnino sit ex sacris verbis vel rebus, quod infallibilem habeat effectum (prout sapienter advertit Tamburinus *in decalog. l.* 2. *c.* 6. §. 1. *n.* 45. Felix Potestas *tom.* 2. *part.* 2. *c.* 6. *num.* 259. *&* *alii DD.*) illa autem sumptio Schedularum nec Sacramentum sit, nec quid Sacramentale, plane sequitur, quod si obstetrix vel parturiens ex hac sumptione vel etiam oratione infallibiliter exspectet felicem partus expeditionem, hanc exspectare debeat ope dæmonis tacite invocati sub larva pietatis. Unde enim, amabo! unde præfatarum Schedularum usui competeret tanta vis, & quidem infallibiliter? profecto non ex natura sua, ut de se liquido constat; neque etiam ex authentica institutione DEI, vel Christi vel Ecclesiæ: quia de hac nullibi constat: ergo ope dæmonis tacite invocati iste effectus infallibilis exspectetur, necessum est. Secus procul dubio dicendum est, ubi dictæ Schedulæ lucanæ sumuntur duntaxat ex devotione cum quadam pia confidentia in merita & præpotens patrocinium B. Virginis Mariæ, quippe quæ clientibus suis in necessitate constitutis pie admodum succurrere assolet, ubi id ad DEI gloriam & animæ salutem expediens judicat. Et hæc quidem dixerim non eo fine, ut vel Schedulas ipsas, vel Schedularum hoc modo sumptarum usum improbem, sed ne usus de se laudabilis tandem vertatur in abusum Superstitiosum summopere vituperabilem. Videatur Herincx *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 7. *n.* 25. vel Marchantius *tom.* 2. *tr.* 2. *p.* 3. *tit.* 1. §. 2. *q.* 2. *dub.* 1. *&* 2.

At vero, inquies, Magister cœlestis Christus jubet nos firmiter credere, quod simus obtenturi, quidquid petierimus: *habete fidem DEI*, ait: *Marci* 11. 22. *omnia quæcunque orantes petitis: credite, accipietis, & evenient vobis.* Similiter Jacobus Apostolus in sua Epistola *c.* 1. *v.* 6. jubet nos postulare a Deo *absque hæsitatione in Fide*: cur ergo obstetricem hanc Superstitionis alicujus condemnemus ex eo, quod jusserit parturientes infallibiliter exspectare felicem partus sui expeditionem?

466. R. ad hanc instantiam conformiter ad dicta superius *n.* 416. hujusmodi promissiones a Christo factas intelligendas esse *sub conditione*, quod scilicet simus obtenturi a Deo, quidquid petierimus, si nimirum id, quod orando petimus, sit expediens ad nostram salutem & DEI gloriam; non autem esse intelligendas *absolute* ita, ut quidquid petierimus sive bonum & conducens, sive etiam malum & excludens a salute &c. simus obtenturi: hoc enim posterius non peteremus in nomine Salvatoris &c. atqui certum est, quod etiam felix expeditio partus non semper conducat ad animarum salutem: ergo hanc nulla mulier potest infallibiliter exspectare. Ceterum gratis omni-

omnino fatemur, obstetricem non esse condemnandam alicujus Superstitionis, si sub præfata conditione duntaxat jubeat mulieres exspectare felicem partus expeditionem, idque cum pia confidentia in patrocinium B. Virginis Mariæ, non autem in numerum Schedularum, vel orationum. Cum vero aliunde multiplici experientia compertum habeamus, in his & similibus casibus aut circumstantiis, ubi præscribitur certus numerus orationum &c. & quidem cum infallibili exspectatione effectus, plerumque sive dein ex simplicitate, sive etiam ex malitia muliercularum irrepere quasdam observantias superstitiosas; hinc a Confessariis vel simpliciter dehortandæ sunt, vel melius erudiendæ, ne scilicet spem suam collocent in ipso numero vel circumstantiis, sed in DEO potius &c. &c.

CASUS TERTIUS.

S*Empronius miles Emeritus ingenue fatetur se eo tempore, quo olim castra secutus fuerat, parum, vel nihil omnino orasse, præter unicam orationem, quam singulis diebus infallibiliter ad DEUM fudit, vel ante solis ortum vel post ortum quidem, ast facie erga solem conversa; huic, cum quidam Theologus contradixisset, asseverando nulli prorsus orationi competere vim reddendi quempiam invulnerabilem; ille subridendo dixit: vos nescitis quidquam, neque intelligitis utpote nunquam experti: mihi certo constat, quod per eandem orationem non me solum, sed & alios commilitones, immo & canem meum reddiderim prorsus invulnerabilem, prout non semel sed sæpius experientia probavit. Quid judicii de Sempronio concipiendum?*

467. R. Judicandum & concludendum esse, quod Sempronius vixerit in malo statu, quamdiu medio illo usus fuit. Certum quippe & exploratum esse debet, quod nulla prorsus oratio ab Ecclesia defacto approbata habeat hanc vim, reddendi quempiam invulnerabilem; non enim ex natura sua, ut de se liquet; neque etiam ex institutione Dei, vel ordinatione Ecclesiæ; unde enim de hoc constat? ergo quisquis vi talis orationis infallibiliter exspectat effectum tam insolitum & naturaliter impossibilem, convincitur illum exspectare aliunde; atqui non a Deo, vel ab Angelo bono, quippe qui non volunt ullatenus cooperari ad hujusmodi Superstitiones, utpote contrarias voluntati divinæ: multo minus ab homine &c. ergo a diabolo: id quod vel inde patenter colligere licet cum Superstitione fuisse factum; nam si Sempronius credidisset soli orationi tantam inesse vim, plane nec ante solis ortum orasset, nec post ortum faciem versus solem convertisset. Sapienter proin advertit Illsung *tr.* 5. *disp.* 3. *n.* 284. *fin.* hujusmodi media apparenter pia tanto magis impie adhiberi, quanto magis vertuntur in contemptum DEI: vel enim creditur DEUS se solo posse efficere effectum postulatum intuitu orationis absque aliis ceremoniis? & hoc ipso frustra aliæ ceremoniæ adhibentur. Vel creditur non posse sine hujusmodi ineptiis & impertinentibus ceremoniis aut superstitiosis verbis? & hoc modo contemnitur non sine permagna injuria, quasi is non posset absque cooperatione diaboli aliquid operari. Vanissimæ ergo & prorsus superstitiosæ sunt orationes etiam ad Deum fusæ cum dictis ceremoniis, vel etiam in ordine ad effectum invulnerabilitatis.

468. Quod vero de oratione diximus, idipsum intelligas velim dictum de damnabilissima illa praxi, qua nonnulli impie & sacrilege abutuntur SS. Eucharistiæ Sacramento, utputa illud carnem inter & cutem defodiendo, sibique quodammodo incorporando eo fine, ut sint perpetuo invulnerabiles: damnatissima inquam est hæc praxis, utpote Reverentiæ tanti Sacramenti summopere injuriosa & sacrilege superstitiosa: non enim institutum legitur ad reddendum hominem corporaliter illæsibilem, sed potius ad conservandam vitam Spiritualem animæ.

Nec refert, quod unus fortassis aut alter sacrilege abutens hoc Sacramento testetur se fuisse invulnerabilem: præsumendum quippe est, hunc effectum non a DEO (utpote aversante & detestante omnem impietatem & commer-

cium diabolicum) provenisse, sed potius a diabolo, qui similibus Sanctuariis tanto dexterius novit abuti ad palliandum technas suas, quantum ob eorum Sanctitatem aptiora videt ad persuadendum hominibus, præsertim simplicioribus, nihil prorsus malitiæ sub iisdem posse latere.

At, inquies, constat multiplici experientia, nonnullas feras, Damas præsertim & cervos a venatoribus non potuisse trajici glandibus; quod plane prudenter refundi nequit, nisi in virtutem herbarum, quibus ejusmodi feræ vesci solent: ergo cogimur fateri, dari media, quibus homo naturaliter sese valeat reddere invulnerabilem, seu, ut vulgo dicitur, fest machen.

469. R. Negando conseq. Dato enim, quod aliquæ feræ a Venatoribus non potuissent glandibus trajici, hoc sane nullatenus adscribi deberet virtuti herbarum, sed dœmoni potius, aliisve hominibus malignis, quibus dœmon promisit se conservaturum animalia, ne occidi possint hoc vel illo modo &c. Memini sane me olim a quodam viro fide dignissimo & omni exceptione majori audivisse, se quondam vacantiarum tempore cum aliis pluribus interfuisse venationi, in qua venator comparere fecerat leporem, qui licet a pluribus jaculatoribus fuisset petitus grandine plumbea & hujus impetu ac virtute a nonnullis susque deque versus, a nullo tamen vulnerari, multo minus occidi potuit. Constat similiter de aliis venatoribus, quod arte magica, seu diabolica potius feras in districtu territorii sui contentas reddiderint invulnerabiles in tantum, ut a nullo feripeta potuerint occidi: quis autem prudentum non videat, hujusmodi effectus non herbarum virtuti, sed potius diabolicæ arti esse adscribendos? Id quod amplius

Confirmatur 1. Certum quippe est, quod, quemadmodum nullum prorsus animal ex sua natura est immortale; ita pariter nullum ex sua natura sit invulnerabile: tibi ergo asseveranti, vel potius somnianti id posse fieri, incumbit probare quodnam sit illud herbarum genus; quod si daretur in rerum natura, procul dubio jam pridem fuisset a Monarchis vel Principibus comparatum pro suis exercitibus tempore prælii seu conflictus usurpandum ab omnibus, velut medium omnibus loricis amplius proficuum ad conservandum exercitum. 2. Causæ naturales uniformiter operari solent: ergo si supponas herbam tanta virtute præditam, profecto omnes feras ejusdem saltem speciei v. g. cervos &c. de ea comedentes, deberet pariter reddere invulnerabiles, in quocunque demum territorio existant: at hoc in æternum non probabis, cum experientia contrarium probet. Denique 3. eadem experientia compertum habemus, quod si Venator aut feripeta utatur glande vitrea, vel alia de plumbo quidem, sed benedicta, illico possit hujusmodi feras trajicere: vel si gladium, pugionemve ter infigat terræ, aut eo mediante ter crucem efformet in aere, possit transfigere talem feram redditam invulnerabilem, prout hisce meis oculis aliquando vidi: at, hoc, ni fallor, evidens argumentum est, hujusmodi illæsibilitatem non ex aliqua causa naturali, sed a morali potius, vel ab ipso dæmone proficisci, quippe qui virtute pacti cum Saga vel Mago initi solet feras, vel etiam homines conservare invulnerabiles, non simpliciter, sed sub certis conditionibus tantum, utputa nisi tale vel tale instrumentum fuerit adhibitum, quo facto hujusmodi homines relinquit temporaliter, quatenus tanto securius illos capiat æternaliter gehennalibus flammis secum involvendos.

CASUS TERTIUS.

Cajus vehementer dubitat, utrum in sua domo non lateat quoddam maleficium eo potissimum, quod cum tota familia sua immo & pecoribus continuis quasi infirmitatibus obruatur, quamdiu domi se continent: e contra vero foribus egressi sin minus ex tota, magna saltem ex parte sublevari se sentiant. Cum vero plura jam media adhibuerit ad avertendum hoc malum, at sine effectu; hinc sciscitatur e Confessario, an non sibi liceat accersere quendam communi de plebe fabrum ferrarium, qui mediante quadam virgula naturali dicitur jam plura detexisse

xisse maleficia non sine ingenti solatio maleficiatorum. Quid Confessarius Cajo respondebit?

470. R. Confessarius respondeat Cajo, id neutiquam esse licitum, & ob id omnimodis abstinendum, tum a vocatione fabri, tum etiam ab usu virgæ in hunc finem. Ratio est: quia certum omnino videtur, usum hujus virgæ esse superstitiosum, vel enim hæc virga haberet ex sua natura vim detegendi maleficia, vel eam haberet ex institutione divina aut humana? atqui non ex sua natura; quia causa naturalis, uti supponitur hæc virga, nullam prorsus connexionem habere potest cum maleficiis, utpote consistentibus in composito quodam morali, id est, in quibusdam rebus v. g. crinibus, acubus, ovorum testis &c. quæ ex natura sua nullam prorsus habent vim, sed sunt tantum quædam signa, ad quorum positionem diabolus vi pacti cum Saga &c. initi solet nocere hominibus maleficiatis: ergo quicunque demum utitur tali virga in ordine ad detegendum maleficium, convincitur velle hunc effectum præstare ope alterius, & quidem agentis rationalis: atqui non ope Dei, vel Angeli boni, aut Ecclesiæ, quandoquidem nullibi constat, quod DEUS voluerit hanc vim maleficia detegendi conferri virgæ naturali: ergo ex tacita saltem invocatione & ope ipsius dæmonis &c.

At, quid, si talis virga supponatur artificiose terebrata, diversisque Sanctorum Reliquiis exornata, qualem quidam homo pariter plebejus fertur habere, licebitne hujusmodi virgam adhibere in ordine ad detegenda maleficia?

471. R. Licebit probabiliter, modo id fiat absque infallibili exspectatione eventus, sed potius cum pia quadam fiducia in patrocinium ac merita Sanctorum, quorum SS. Reliquiæ in virga continentur. Ratio est: quia secundum communissimam DD. opinionem jam superius insinuatam, fas est uti precibus & exorcismis Ecclesiæ in ordine ad dissolvenda opera dæmonis: quidni ergo pariter fas sit, uti tali Virga, vel potius Sanctorum Reliquiis in virga contentis ad eundem finem, modo in iisdem non collocetur vis aut fides infallibilis, multo minus in ipsa Virga secundum se sumpta.

Dices adhuc. Dantur certæ virgæ, quas merito dixeris divinatorias, eo quod iis mediantibus possint inveniri, seu etiam detegi thesauri, nec non venæ subterraneæ diversorum metallorum & aquarum: ergo similiter dari possunt virgæ, quæ naturaliter indicent maleficia latentia.

472. R. Etiam id, quod de virgis divinatoriis asseritur, verosimilius omnino esse falsum: esto enim, a nonnullis Doctoribus permittatur usus similium virgarum cum hac limitatione, si scilicet natæ sint in loco vicino venæ subterraneæ v. g. metalli aut aquæ &c. eo quod ob naturalem sympathiam habeant vim sese inclinandi, & inclinando se indicandi venam latentem v. g. auri &c. multo tamen probabilius mihi videtur, quod ne hanc quidem vim habeant ex sua natura; tum quia tales virgæ solent subinde flecti, ubi non sunt metalla, &c. e contra non flecti ubi sunt. Dein flecti solent ad nimis multa, quæ plane diversas habent naturas & exhalationes: ergo non agunt velut causa naturalis, quippe quæ semper eodem modo agit in iisdem circumstantiis. Et certum omnino esse debet, usum hujusmodi virgarum esse superstitiosum, si adhibeantur (prout hodie fieri solet a militibus vel furibus) 1. indifferenter undecunque demum natæ vel arreptæ, vel 2. ad detegendos quosvis thesauros aut res latentes; etiamsi ibi nullum esset aurum vel argentum, sed vestes duntaxat aliave mobilia. Item 3. si adhibeantur ubivis locorum, etiam supra terram, præsertim cum ceremoniis superstitiosis & impertinentibus. 4. Denique certum esse debet, per hujusmodi virgam v. g. coryli, vel aliam quamcumque naturaliter detegi non posse limites agrorum aut sylvarum, neque latrones vel homicidas, neque res perditas vel furto ablatas; nam quod hic vel ille lapis, hæc vel illa columna lignea &c. sit limen agri aut territorii &c. pendet mere ab arbitrio hominum ponentium & instituentium hæc signa, & ex illorum intentione, quæ sunt quid morale: atqui causæ naturales, uti esse de-

deberet virga Coryli, vel alia quæcunque, non attingunt moralia, quandoquidem cum his nullam prorsus habeant connexionem naturalem: similiter quod hic homo sit latro vel homicida, aut quod hæc pecunia sit perdita aut furtiva, est circumstantia mere moralis, qua non immutatur vis, aut modus naturalis agendi, quem habet virga. Videantur de hoc Sporer *tr.* 2. *decalog. c.* 9. *sect.* 3. *n.* 32. vel la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 35.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

473. Colliges ex hactenus dictis primo; superstitionem cultus perniciosi committi in sequentibus casibus. 1. Si quis hisce temporibus vellet Deum colere cultu aut ceremoniis Veteris Legis, jam pridem abrogatæ, vel 2. Si non Sacerdos vellet fungi officio veri Sacerdotis. 3. Si quis fidelibus proponat falsa Reliquias, aut falsis miraculis seu etiam beneficiis conetur promovere cultum Dei, vel 4. Si referendo falsas seu apocryphas sententias aut historias velut contentas in Sacra Scriptura, velit populum permovere ad pœnitentiam &c. Idipsum denique 5. tenendum est de iis, qui vel formam aut materiam alicujus Sacramenti immutant. Nam omnes isti supra cultum Deo debitum & approbatum aliquid suo modo statuunt, & quidem Deo ac vero cultui divino præjudiciosum, veluti ex dictis *n.* 459. constare potest; consequenter per se loquendo graviter delinquunt, esto non semper peccent graviter, vel ob simplicitatem, vel ob fidem bonam in eorundem simplicitate fundatam. Videatur Sanchez *lib.* 2. *decalog. c.* 37. *n.* 2. *&* 9 Vel Tambur. *lib.* 1. *decalag. c.* 6. §. 1. *n.* 33. *& seqq.*

474. Colliges secundo, cultus superflui condemnandos esse illos, qui v. g. preces fundendo adhibent certum candelarum vel potius cereorum numerum cum certo colore ac situ, aut cum certa corporis situatione v. g. versus aut contra solem. Item 2. qui gallinam albam potius, quam nigram offerunt, vel 3. Missam libentius audiunt a Sacerdote hujus, quam alterius nominis; &c. 4. qui diebus sabbathinis non volunt nere aut suere, nec tamen ab aliis operibus servilibus abstinent. 5. Qui in officio divino, & potissimum in celebratione SS. Missæ Sacrificii exercent ceremonias superfluas, immo expresse contrarias Rubricis ab Ecclesia præscriptis, utputa dicendo *Gloria* aut *Credo*, ubi non essent dicenda, vel formando plures *cruces*, &c. Hæc enim & similia contrariantur legitimo cultui divino ab Ecclesia instituto: ergo sunt superflua & vitiosa, licet subinde fiant sine peccato formali præsertim gravi secundum proxime dicta.

475. Dixi *sine peccato formali & gravi* &c. Neque enim omnimodis excusandi sunt ex eo, quod protestentur, se id facere ex mera devotione: Deus enim non recte colitur cultu reverentiæ divinæ, vel legibus ab Ecclesia præscriptis contrario: timendum proin, ne hujusmodi devotuli falsa pietate delusi existiment, se obsequium præstare Deo, cum tamen potius offensam incurrant. Vid. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 5. *punct.* 1. *n.* 4. vel Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *c.* 1. *n.* 5.

476. Colliges tertio, nullius idololatriæ arguendos esse illos actores, qui in scenis gentilium ritus repræsentantes, Jovi, aliisve idolis thus immolant, & nescio quas ceremonias, vel potius ineptias exercent; enimvero ex omnibus circumstantiis dant intelligere, se id non practicare animo serioso, seu animo idolum colendi, sed potius illudendi, aucerte exibendi duntaxat Gentilium ritus ineptos. Sayrus *in clav. Reg. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 7.

477. Colliges quarto, nos Catholicos ab hæreticis imprudenter incusari vel redargui velut idololatras, ex eo, quod Sanctos velut speciales Dei amicos honore debito prosequamur, vel Eorundem SS. Reliquiis congruum deferamus cultum. Ratio ex hactenus dictis facile patebit cuivis sano, & a fæce passionis alienato intellectui: nullus enim prudentum iisdem exhibet *cultum latriæ*, utpote soli Deo debitum, neque ullus sanæmentis Catholicus ipsis exhibebit cultum *veluti Deo*, sed cultum duliæ tantum,

tum, & quidem respectivum, juxta dicta superius *n.* 436. Vid. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 11. *punct.* 5. & 6.

478. Colliges quinto, Catholicos multo minus alicujus idololatriæ redargui posse, aut debere ab hæreticis ex eo capite, quod SS. Eucharistiæ Sacramentum adorent cultu latreutico. Ratio est: quia ille cultus adhibetur vero Christo sub speciebus Eucharisticis contento (neque enim adoramus panem vel vinum, utpote quorum substantia vi consecrationis omnino destruitur, neque etiam ipsas species velut motivum adorandi, sed ad summum per accidens velut terminum) atqui vero Deo debetur, & hoc ipso recte impenditur cultus latriæ: ergo etiam idem cultus debetur Venerabili & Augustissimo SS. Eucharistiæ Sacramento. Hac de causa Concilium Trident. *SS.* 13. *de S. Euch. Sacr. can.* 6. recte definit: *Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum DEI Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum - - - & Ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.*

479. Colliges sexto ab illis, qui dæmoni propria sua sponte aliquid afferenti fidem adhibent, non quidem committi idololatriam proprie, bene tamen improprie dictam. Ratio est, quia hoc modo dæmon velut mendaciorum pater ultra omne prorsus meritum honoratur, ob fidem ejusdem revelationi datam, quam certe nullatenus meretur, tametsi in hoc non videatur intervenire tanta irreverentia, quæ mortalem conscendat malitiam. Similiter si quis ex levitate animi vel curiositate dæmonem in Energumeno loquentem uno aut altero verbo imperativo interroget rem vanam & inutilem, non peccat, nisi venialiter, modo id non faciat animo discendi aliquid ab ipso; nam hoc esset, exspectare beneficium, & communicare cum illo, inquit la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 26.

480. Colliges tandem septimo, ea, quæ dæmon SS. Ecclesiæ exorcismis compulsus edisserit, absque peccato idololatriæ credi posse; tum quia Minister Ecclesiæ exorcizando diabolum non habet cum eodem quoddam commercium illicitum, nec eum colit, sed potius torquet; tum etiam, quia Deus non potest illum cogere ad mendacium. Attamen non facile fides eidem adhibenda est; quia adhuc dum relinquitur dubium, an a Deo fuerit coactus, an vero propria malitia ductus ad hoc vel illud asserendum, prout sapienter monet Lessius *in auctar. V. Magia, cap.* 6. Unde, si dicat, hunc vel illum esse magum, &c. non licet propterea apprehendere accusatum, nisi accedant alia indicia, inquit Gobat. *tract.* 11. *Theolog. experim. numer.* 794. Multo minus ei credendum erit, si dicat, se a Deo missum ad populi instructionem, ut qui non credunt Concionatoribus & Parochis, saltem sibi, diabolo scilicet, credant, idque esse extremum remedium, quo Deus uti voluit ad conversionem populi; nam hoc prorsus vanum est, & techna dæmonis, volentis errores suos cum vera doctrina insinuare, uti advertit idem Lessius, eumque secutus la Croix *loc. cit. n.* 25.



CONFERENTIA DECIMA SEXTA

De Divinatione, & vana observantia.

SUMMARIUM.

481. *Divinatio est superstitio, qua ex pacto cum dæmone occulta prædicuntur aut manifestantur.*
482. *Alia fieri solet cum pacto explicite, alia cum pacto implicite inito cum dæmone.*
483. *Divinationis cum pacto expresso recensentur breviter novem species.*
484. *Cum pacto autem implicito adhuc plures succincte explicantur.*
485. *Omnis divinatio superstitiosa est ex suo genere mortaliter peccaminosa.*
486. *Divinatio astrologiæ naturalis lau-*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Divinatione, & vana observantia.

QUæres primo, quid, & quotuplex sit Divinatio?

481. R. ad primum. Divinatio (prout hic sumitur) est Superstitio, qua ex pacto cum dœmone occulta prædicuntur, seu etiam manifestantur. Ita *ex communi DD.* Sententia Delrio *lib.* 4. *disquisit. mag. c.* 2. *q.* 1. Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 3. *num.* 1. Sporer *tr.* 2. *in decalog. cap.* 9. *sect.* 2. *num.* 12. Explico brevissime. Dicitur 1. *Superstitio*; quia est vitium Religioni oppositum per excessum. Dicitur 2. *qua ex pacto cum dæmone* &c. per quod divinatio differt tum a Prophetia, quæ immediate a DEO vel infundi solet, vel revelari; tum etiam a naturali conjectatione, quæ per industriam vel observantiam hominum gignitur, veluti de Astrologis & Medicis constat. Insuper per hæc verba quodammodo insinuatur malitia divinationis, eo quod per hanc cultus soli DEO debitus quodammodo attribuatur diabolo. Dicitur 3. *occulta*; id est, ab hominum notitia procul remota, sive de futuris contingentibus, sive de præsenti, vel præterito &c. Unde additur 4. *prædicuntur seu etiam manifestantur* &c. divinatio quippe non in sola interna notitia consistit, sed signis insuper ac verbis externe prolatis perfici solet, veluti experientia probat.

482. R. jam ad secundum. Divinatio ut sic duplex est *secundum omnes*. Una, quæ fit cum expressa dœmonis invocatione, sive hoc fiat verbis, sive etiam factis, utputa usurpando tale factum, cui dæmon respondere, seu etiam occulta manifestare noscitur. Altera, quæ fit cum tacita invocatione dæmonis, prout fieri assuevit, dum vana verba vel facta usurpantur, & ex talibus occulta manifestantur. Recte autem dicuntur vana, eo quod ex se, sine interventu dæmonis, nequeant manifestare occulta, prout amplius patebit ex dicendis de vana observantia *Conferentia sequente*: Castropalao *part.* 1. *tract.* 17. *disp.* 1. *punct.* 3. *numer.* 5.

Quæres secundo, quæ, & quot sint species divinationis cum invocatione expressa dæmonis, & quot cum invocatione tacita?

483. R. 1. Divinationis cum invocatione expressa dæmonis communiter enumerantur novem species, quarum distinctio desumitur ex diversitate modorum, quibus solet dœmon respondere, seu occulta manifestare; vel enim dæmon invocatus apparet variis imaginibus aut corporibus assumptis seu etiam efformatis ex aere: sicque manifestat occulta: & hoc dicitur *Præstigium*. Vel 2. per somnia certo situ aut ceremoniis decumbentis captata & dicitur *Somnium*. Vel 3. adhibitis certis signis aut carminibus mortui videntur resurgere & loqui occulta manifestanda &c. (quod nemo præter dæmonem facit) & dicitur *Necromantia*. 4. Subin diabolus vi pacti cum eo initi docet per homines arreptitios: & dicitur *Pytonismus*. Vel 5. dæmon manifestat similia per certa signa apparentia in corporibus terrestribus, utputa, in lapidibus, plumbo fuso, aut biviis &c. & dicitur *Geomantia*. 6. *Hydromantia* vero appellatur dum per signa apparentia in aqua 7. *Æromantia*, dum per signa apparentia in aere; 8. *Pyromantia*, dum per signa apparentia in igne manifestat &c. Denique nono *Aruspicium* dici solet, dum diabolus per signa apparentia in intestinis seu etiam arteriis Sacrificatorum animalium responsa dat, prout olim dedit cæcæ Gentilitati, veluti post alios observat P. Sporer *cit. num.* 13.

484. R. jam 2. Divinationis cum pacto implicito seu tacita invocatione dæmonis rursus duæ sunt species generales scilicet Sortilegium, de quo paulo infra *a numer.* 492. & Augurium late sumptum. Hoc posterius rursus subdividitur 1. in astrologiam judiciariam, de qua rursus *num.* 486. dicetur 2. in augurium proprie dictum, dum scilicet ex animalium seu etiam avium cantu aut vocibus divinantur occulta. 3. in auspicium, cum ex avium volatu &c.

4. In

4. in omen, dum ex hominis sententia præter intentionem prolata. 5. in onyrocriticam, dum ex somniis habitis &c. 6. in physiognomiam, dum ex totius hominis signis &c. 7. in metoposcopiam, dum ex fronte &c. 8. in Chiromantiam, dum ex manuum lineis occulta prædicuntur &c. Piget profecto plures hujusmodi ineptias recensere; tum quia Doctores in iisdem recensendis neutiquam conveniunt; tum præsertim, quia fusior earum explicatio ad praxin parum, vel nihil conducit, quandoquidem de se patulum est, quamlibet speciem per se loquendo esse mortaliter peccaminosam & illicitam. Quia tamen de nonnullis posset esse dubium, in quibus circumstantiis illicite usurpentur; hinc principaliores enucleatius ventilabimus in hac Conferentia. Jam vero

Quæres tertio, quale peccatum sit Divinatio?

485. R. Divinatio superstitiosa (de qua sola hic loquimur) ex suo genere est peccatum mortale, & nedum jure divino *Deuteron.* 18. sed & humano, *Can. qui divinationes: II. C. 26. q. 5.* & *Can. si quis Clericus &c. ibidem* prohibita sub infligenda excommunicationis pœna. Ita Doctores *unanimiter*. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 12. *punct.* 3. & 4. Laymann ubi supra *c.* 3. *n.* 4. Sanchez &c. Ratio est: tum quia omnis divinatio includit formalem contemptum Dei, dum ea, quæ a Deo peti deberent, a dæmone postulantur, vel hujus suggestu aut delusione potius divinantur; tum præsertim, quia involvit commercium cum dæmone, hoste infensissimo Dei, totiusque humani generis, quod plane recta ratio naturalis & natura humana abhorret, dictatque illud commercium explicitum rem esse prorsus detestabilem, neque in hoc facile reperietur ignorantia invincibilis, licet fateri cogamur (experientia teste) in illa divinatione, quæ fit cum pacto implicito duntaxat, subin non peccari nisi venialiter, idque triplici potissimum ex capite, vel quia 1. simpliciores non ita apprehendunt malitiam hujus taciti commercii cum dæmone, ideoque excusari possunt a gravi culpa ratione ignorantiæ; vel, quia prudentiores etiam non adhibent veram fidem; vel denique 3. quia ex mera levitate ac joci causa subinde tentant aliquid de futuro aut præterito occultum indagare per vanum medium, quo casu non tam superstitionis, quam vanitatis cujusdam de se venialis condemnandi sunt, veluti sapienter advertunt Valentia, Sanchez, Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *c.* 3. *n.* 4. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *art.* 4. *n.* 23. Felix Potestas *tom.* 2. *part.* 2. *c.* 6. *n.* 253. & alii plures.

Ergone, inquies, omnis divinatio ex astris petita illicita est & graviter peccaminosa?

486. R. Minime gentium; non enim illicita est, sed honesta & laudabilis divinatio astrologiæ naturalis, illa scilicet, vi cujus Astrologi ex astrorum concursu seu etiam influxu præsagiunt effectus quosdam naturales, seu necessario eventuros, utputa eclypses solis, vel lunæ, &c. vel etiam contingentes, & per alias causas naturales impedibiles, utputa tempestates, pluvias, aeris serenitatem, ventos, &c. Illa proin Astrologia duntaxat velut noxia & superstitiosa reprobanda est, quam judiciariam vocant, eo quod quidam Phantastici volentes sapere plus, quam oportet, ex puncto nativitatis (licet incertissimo) vel potius ex situ astrorum seu etiam constellatione &c. gestiunt præsagire nedum temperamentum, vel etiam inclinationem hominis recens nati, verum insuper alia plura contingentia futura ab arbitrio humano dependentia, utputa officia, dignitates, electionem status, v. g. matrimonium, Religionem, &c. aliosve effectus fortuitos, uti sunt incendia, submersionem, deprædationem, bella, Magnatum fata, &c. quo in genere nonnulli valde excedunt, licet vanitatis potius, quam superstitionis propterea arguendi &c. Hæc, inquam, & similia ex astris serio velut certo ac infallibiliter, immo & probabiliter duntaxat futura divinare, graviter illicitum est, & nedum in Scriptura Sacra *Isaiæ* 47. sed & a jure Ecclesiast. *cap. Illos* 26. *q.* 2. & *cap. Non liceat* 26. *q.* 5. itemque per Bullam *Sixti V.* jam pridem graviter prohibitum. Ratio est: quia hæc divinatio judiciaria nequit fundari in astris seu

caufis quibufdam naturalibus; fecus enim actum foret de noftra libertate quoad actus humanos ab arbitrio noftro dependentes. Neque fundari poteft in aftris velut fignis quibufdam: quis enim, amabo! quis, inquam, aftra hæc velut figna inftituit, aut vim portendendi futura contingentia libera iifdem indidit? Certe nec Deus, nec Angelus bonus, vel ullus mortalium: undenam enim tibi de hoc conftat? reftat proin, quod debeas illa apprehendere velut figna quædam a diabolo inftituta ex tacito faltem pacto: ergo funt graviter illicita. Ita Saurez *de Religion. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 17. Laymann *loc. cit. n.* 5. Sanchez *lib.* 2. *decalog. c.* 38. *n.* 30. Quin immo fimilia contingentia ex aftris vel conjecturaliter tantum prædicere, prohibuit idem Sixtus V. in motu proprio *Cœli & terræ* &c. jubens, ut contra tales ab Inquifitoribus procedatur, etiamfi id fe non certo affirmare afferant, aut proteftentur: tametfi non ignorem Caftropalaum, Sporer, la Croix, aliofque plures DD. exiftimare, hunc rigorem pro folo foro ex -- non item interno effe attendendum quantum ad illos, qui conjecturaliter præcife fimilia divinare geftiunt. Videatur Krefflinger *in addit. ad Theolog. mor. R. P. Reiffenftuel tr.* 5. *diftinct.* 2. *q.* 3. *poft numer.* 19. Vel Felix Poteftas *Examen. tom.* 2. *part.* 2. *numer.* 245.

At, inquies, quid de divinatione illa tenendum, quæ petitur ex phyfiognomia hominis?

487. Ante refponfionem notandum breviter, a Doctoribus diftingui inter duplicem phyfiognomiam, Philofophicam fcilicet, & aftrologicam. Philofophica (ab aliis naturalis) dicitur, vi cujus ex corporis difpofitione, vultus, manuumque, vel potius lineamentorum difpofitione fit quædam conjectatio prudens, v. g. de robore corporis, fana vel adverfa valetudine, phlegmate, hominifque naturali propenfione v. g. ad iracundiam, vel ad Melancholiam &c.&c. Aftrologica appellatur, vi cujus ex iifdem lineamentis aut fignis corporis prædicuntur alia non habentia connexionem, v. g. profpera vel adverfa fortuna, promotiones ad officia honorifica, divitiæ, paupertas, nuptiæ, ftatus vitæ, aliive eventus fortuiti, vel a libera hominis electione dependentes, immo & de præfenti v. g. quod fit adulter, fur, homicida &c. &c. Hoc prænotato

488. R. ad quæfitum. Divinatio defumpta ex phyfiognomia philofophica & naturali licita eft: non item illa, quæ petitur ex phyfiognomia aftrologica. Ratio utriufque facile conjecturari poteft ex dictis; nam divinatio prior petitur ex fignis habentibus naturalem connexionem cum effectu v. g. propenfione ad iram vel melancholiam: ergo ex bis prudenter & probabiliter, efto non infallibiliter poffunt prædici fimiles effectus: econtra pofterior divinatio petitur ex fignis nullam prorfus habentibus connexionem, uti jam infinuatum eft: ergo ex his fieri nequit, nifi imprudens & fuperftitiofa divinatio, per fe loquendo mortaliter peccaminofa. Secus dicendum, fi fupponatur fieri ex mero joco, prout femel factum fuiffe memini, dum quidam alteri maritato (quem ex aliorum relatione noverat effe mœchum) ex lineamentis manuum divinavit, quod ancillam præferat uxori, &c. &c.

Quæres quarto, fitne femper illicita divinatio ex fomniis petita?

489. Ante refolutionem rurfus animadvertendum eft, dari triplex fomniorum genus; aliud enim provenire poteft ex caufis naturalibus, utputa ex occupationibus vel cogitationibus tempore vigiliæ habitis, vel etiam ex temperamento feu humorum conftitutione aut commotione; enimvero Sanguinei læta; Colerici vero, qui fcilicet flava bile abundant, fæva, lites, jurgia, cædes &c. Melancholici, quia atra bile abundant, triftia, morbos fcilicet, infirmitates, oppreffiones, &c. Denique Phlegmatici aquarum fubmerfiones, ambulationes graves fomniare folent, ficut Medicorum perfuafio fert. 2. Aliud fomniorum genus datur, quod a diabolo immittitur per commotionem phantafiæ, dum in hac diverfas fpecies excitare folet, prout olim fecit in uxore Pilati, quæ propterea maritum admonuit fequentibus verbis *Matth.* 27. 19.

Nihil tibi & justo illi: multa enim passa sum hodie per visum (id est, somnium a diabolo immissum, uti exponunt Interpretes) *propter Eum.* 3. Tandem aliud datur somniorum genus a Deo immissum, prout legitur in Sacra Scriptura *Judic.* 7. de Gedeone; de Josepho & Magis *Matth.* 1. & 2. c. & alibi sæpius. Jam hoc notato

490. R. 1. Illicitum quidem ac superstitiosum est, ex somniis etiam naturalibus conjecturare futura contingentia libera, vel effectus mere fortuitos, non item bonam aut pravam affectionem animi. Similiter 2. quando sufficientibus, & quasi moraliter certis indiciis constat, somnium fuisse immissum a diabolo, nulla huic adhibenda est fides, bene vero, si moraliter constet, illud fuisse immissum a Deo. Ita sane *satis communiter* Doctores quoad utramque partem, prout videre licet apud Delrio *disquisit. mag. lib.* 4. *c.* 3. *q.* 6. *conclus.* 3. Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 13. *a n.* 6. Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.* 9. *n.* 18. & 19. &c. &c. Ratio prioris partis hujus resolutionis est; quia somnia naturalia solent proficisci a bona vel prava affectione naturæ, temperamenti, seu etiam phlegmatis, ideoque cum hoc habent naturalem connexionem, non item cum futuris mere contingentibus: ergo ex similibus prudenter quidem & absque omnis superstitionis nota fas est colligere temperamentum naturale &c. non item futura merum contingentia. Ratio autem posterioris est: quia, qui fidem adhibet somnio a diabolo sibi immisso, convincitur velle habere quoddam commercium cum eodem, velut suo Magistro ac directore: e contra vero, qui omnibus perpensis prudenter judicat somnium sibi a Deo fuisse communicatum, nedum prudenter potest, sed etiam tenetur illius ductum sequi: quis enim vere fidelium dubitet DEI consilia esse sequenda?

At, inquies, undenam discernendum erit, sitne somnium a diabolo potius, quam a DEO immissum.

491. R. Equidem in hoc discernendo magna discretione & cautela utendum esse, nequis a diabolo sese in Angelum lucis transformante fortassis decipiatur. Quem in finem juvabit præ oculis habere sequentes duas regulas. 1. *Si somnium impellit ad opus bonum, præsumere licet illud fuisse a DEO: e contra si impellat ad malum, vel ad aliquid præsumptuosum &c. potius concludendum est, illud fuisse a diabolo immissum & causatum.* Secunda Regula hæc est: *si quis post somnium se sentiat animo perturbatum, animo perplexum, minus promptum ad servitium DEI, & alia exercitia spiritualia &c. suspicari licet, illud somnium fuisse ingestum a diabolo*; e contra *si se inde sentiat alacriorem ad opera pietatis, & ad amorem DEI &c. prudenter præsumet, illud somnium fuisse a DEO, vel ab Angelo quodam bono causatum*: Diabolus enim ad bonum excitare non solet, sicut vice versa Deus & Angeli boni ad malum minime, bene vero ad bonum operandum nos solent impellere. Tandem si dubium prudens relinquatur, sit ne somnium a DEO, vel potius a diabolo causatum, illud vel omnino contemnendum, vel certe cum viro quodam discreto, id est, Spiritu discretionis pollente (invocato prius DEI auxilio) discutiendum erit, prout sapienter monet Del Rio *lib.* 4. *disquis. mag. c.* 3. *q.* 6. *post* 5. *conclus.* Vide, si placet Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 12. *punct.* 3. Vel Reiffenstuel *tr.* 5. *dist.* 2. *n.* 23.

Quæres quinto, an ergo usus Sortium semper sit illicitus?

492. Ante responsionem nota, nomine Sortium intelligi actionem, qua aliquid fit eo fine, ut inde deveniatur in notitiam alterius: Ex. gr. ut ex projectione taxillorum innotescat, quisnam jaciendo plus effecerit, ideoque & vicerit, ut eidem potius debeatur, quam alteri id, de quo sortiuntur, utputa vestis, pecunia &c. hoc modo milites leguntur misisse sortem, & sortiendo inter se divisisse vestimenta Christi. *Matth.* 27. *v.* 35. Triplex porro Sortium genus a Doctoribus communiter recensetur: primum appellant *divisorium*, quo indagatur quidnam cuivis tribuendum de bonis communibus v. g. de hæreditate &c. secundum dicitur *consultorium*, quo mediante indagatur divina voluntas circa agibilia vel non agibilia, v. g. an status religiosus sit amplectendus? tertium vo-

vocatur *divinatorium*, quo intenditur notitia de occultis v. g. quisnam sit auctor homicidii vel furti commissi &c. &c. *hoc. not.*

493. R. Jam ad quæstionem propositam. 1. Sortes divisoriæ licitæ sunt, præterquam in electionibus Ecclesiasticis. 2. Sortes vero consultoriæ rarius usurpandæ, denique 3. Sortes divinatoriæ nunquam sunt licitæ, & hoc ipso nunquam usurpandæ. Ita Sanchez, Bonacina, Filliucius *tr.* 24. *c.*4.*a n.* 94. Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.* 9. *sect.* 2. *n.* 21. *& seq.* Reiffenstuel *tr.* 5. *dist.* 2. *n.* 25. & alii Doctores *communiter*.

Ratio primi est: quia Sortilegium divisorium revera nil aliud importat, quam contractum, quo plures ad rem aliquam jus habentes inter se conveniunt & volunt, ut sit illius, cui sors obtigerit: atqui in hoc pacto de se nulla prorsus malitia apparet: ergo non sunt reprobandæ sortes divisoriæ. Dixi tamen; præterquam in electionibus Ecclesiasticis: nam in his debet eligi persona dignior, non autem respici fortuna vel sors melior. Unde etiam *C. fin. de Sortileg.* Pontifex concludit hisce verbis: *sortis usum in electionibus* (Ecclesiasticis scilicet) *perpetua prohibitione damnantes*. Ratio secundi est: quia regulariter loquendo DEUS vult, ut suam voluntatem indagemus, vel ab Ecclesia, vel per directionem Superiorum, Confessariorum, aut Concionatorum &c. non autem per sortes. Nihilominus in casu, quo talis modus, consulendi scilicet Superiorem &c. non suppetit, simulque necessitas vel alia causa honesta ac ponderosa id suadet, fas erit mediante sorte v. g. aperitione libri Evangeliorum, vel alterius devoti ascetæ, invocato prius auxilio divino, explorare quodammodo mentem divinam, prout nedum Sanctissimus Patriarcha noster Franciscus trina apertione libri Evangeliorum fecisse legitur, sed & alii plures Sancti. Ratio tertii hæc est: quia sortes divinatoriæ, utpote de se improportionatæ ad investiganda hujusmodi occulta, semper includunt pactum saltem implicitum cum dæmone: ergo sunt illicitæ. Hac de causa *c.* 1. *&* 2. *de sortileg.* sub gravibus pœnis prohibetur, ne per sortes inquiratur Auctor furti, vel quid in posterum futurum sit. Videatur Reiffenstuel *cit. tr.* 5. *dist.* 2. *num.* 25.

Quæres sexto, quid sit vana Observantia, & quomodo differat a Divinatione?

494. R. ad primam partem hujus quæsiti. Vana Observantia est superstitio, qua media inutilia & improportionata adhibentur in ordine ad aliquem effectum extraordinarium. Ita in re *communis DD.* prout videre licet apud Valentiam, Filliucium, Herincx & alios passim. Dicitur autem hæc observantia *vana*, tum quia se media de sunt inania & destituta virtute in ordine ad talem effectum; tum quia non raro frustra & vane, utpote sine effectu, adhibentur, diabolo non servante, vel non potente servare pactum &c. vel denique vana dici meretur, eo quod semper plus nocumenti Spiritualis inferat vano observatori, quam conferat emolumenti temporalis, prout bene notarunt *Doctores cit.*

495. R. jam ad alteram quæsiti partem. Vana Observantia a divinatione differt per hoc, quod hæc posterior sit quodammodo speculativa, quippe quæ tota quanta occupatur circa cognoscendos, conjiciendos, seu etiam prædicendos ac divinandos eventus occultos: e contra prior, vana scilicet observantia, sit prorsus practica, utpote occupata circa applicanda diversa media in ordine ad præstandos effectus extraordinarios. Ex gr. docet Ariolus, te fore infelicem illo die, quo surgens pedem sinistrum præ dextro exponis e plumis, vel quo persona primo tibi in platea obvians est vetula &c. tu vero captata hac instructione diligenter observas, ne pedem sinistrum prius quam dextrum exponas, aut dum vetula tibi primo occurrit, domum illico te recipis &c. in hoc casu Ariolus dicitur vanus divinator, tu vero vanus observator. Exemplum hoc, ni fallor, ad captum apposite in rem nostram deservit. Ceterum quod malitiam concernit, nihil prorsus inter se differunt, tam enim divinatio, quam etiam vana observantia ex suo genere est mortaliter peccaminosa, ob com-

commercium vel pactum saltem implicitum cum dæmone in utraque contentum, licet divinatio sæpius post se trahat peccatum scandali, quam vana observantia, quippe quæ non ita frequenter fieri solet coram aliis, aut certe non petit fieri, sicut vana divinatio.

Quæres septimo, quæ & quot sint species vanæ observantiæ?

496. R. Vanæ observantiæ communiter enumerantur tres species, scilicet 1. Ars notoria. 2. Observantia sanitatum, & 3. Observantia eventuum. Ita rursus satis communiter Doctores. Ad has enim species ceteræ omnes congrue revocari possunt, prout constabit amplius ex dicendis, sive dein cum pacto ex sive cum implicito contingant; in malitia enim substantiali superstitionis prorsus conveniunt, licet materialiter inter se differant, prout observant Suarez *lib. 2. de superstit. cap.* 14. *numer.* 10. *&* *cap.* 15. *numer.* 2. Castropalao *disp.* 1. *de superstit. punct.* 8. *numer.* 6. Jam lubet brevissime explicare, seu etiam declarare singulas species mox recensitas.

497. I. Ars notoria dicitur vana observantia in ordine ad consequendam scientiam infusam de rebus occultis per media inutilia, utpote per inspectionem quarundam figurarum in speculo, vel aere vel aqua apparentium, aut per prolationem verborum ignotorum &c. Hac arte teste Sporer, Reiffenstuel, Sylvestro, Herincx & aliis, uti solent Anabaptistæ, dum post sumptum poculum suæ cœnæ subito scripturarum aliarumve rerum hactenus ignoratarum scientiam assequuntur, dæmone illis procul dubio suggerente, prout vel inde haud obscure colligere fas est, quod Ecclesiæ exorcismis adorti eadem scientia non sine illorum confusione fuerint sæpius destituti, veluti refert Marchantius noster *tom.* 2. *tract.* 2. *part.* 3. *tit.* 1. *q.* 2. *§.* 2. Huc pariter revocandam existimo vanissimam illam Cabalistarum observantiam, qua ex computatione partim certorum verborum aut litterarum, partim etiam numerorum &c. tentant acquirere scientiam de futuris contingentibus, etiam a mero hominis arbitrio dependentibus, falso sibi persuadentes, iisdem litteris ac numeris quandam vim sive naturalem, sive supernaturalem ex simpathia astrorum vel aliunde obtentam, competere in ordine ad portenta illa occulta: sed quam inaniter hoc sibi persuadeant, constabit ex dicendis *num.* 502. *&* 503.

498. II. Vana observantia sanitatum est superstitio, qua adhibentur media inania & inutilia ad sanandos homines aut jumenta &c. velut contingit, dum ad recuperandam vel etiam conservandam sanitatem, vulnerum curationem, aut mitigationem dolorum usurpantur verba, signa, ceremoniæ inutiles, seu etiam incantationes &c. quæ neque ex sua natura, nec a DEO, nec denique ab Ecclesia habent vim in ordine ad talem effectum.

499. III. Denique vana observantia eventuum est superstitio, qua ex fortuito & casuali eventu homo sibi vel alteri aliquid prosperi aut adversi conjectans, suas actiones moderatur vel regulat juxta illam divinationem, ut si domo egressus anum aut leporem sibi primo obviam habuit, aut canem ululantem, picamve pictitantem audivit, proptereaque in malum omen illud accipiens, ocyus domum se contulit &c. Nec dubitandum, quin omnes ac singulæ species mox recensitæ ex suo genere mortaliter sint peccaminosæ, idque propter implicitum saltem commercium cum diabolo in hisce observantiarum generibus involutum. Nihilominus experientia teste fateri cogimur, simpliciores non raro a mortali peccato posse ac debere excusari; vel quia non apprehendunt malitiam superstitionis sub tali facto latitantis; vel certe quia absque firma fide vel certa exspectatione eventus similia practicant ex mera animi levitate, prout jam supra *n.* 485. animadvertimus.

Quæres denique octavo, undenam colligi debeat vel possit dictarum observantiarum vanitas aut malitia superstitiosa?

500. R. Vanitas artis notoriæ dignosci potest, vel ex eo, quod adhibeantur verba vel signa ignota, frivola, vel falsa, aut diabolorum nomina, puta Beelzebub,

zebub, Aſtaron, Zabulon &c. vel ſi quidem adhibeantur nomina & verba de ſe ſancta, nihilominus admiſceantur circumſtantiæ vanæ, inutiles, & omnino impertinentes ad ejuſmodi effectum, uti recte obſervant Laymann, Del-Rio, Gobat, Sporer & alii. Vanitas porro ſanitatum & eventuum deprehendi poteſt ac debet ex eo, vel quod medio adhibito nec ex ſe neque aliunde, a Deo ſcilicet competat vis producendi effectum exſpectatum; vel certe exinde, quod tametſi videatur de ſe habere aliquam vim ſeu etiam connexionem cum illo effectu, utputa ſanitate aut eventu, &c. nihilo ſecius aliæ nonnullæ circumſtantiæ accedere, ſeu etiam per modum neceſſariæ conditionis obſervari debeant, ex. gr. quod medicina contra febrim debeat eſſe confecta tali hora, tali loco, a perſona hujus nominis, vel ſumi in ſummo ſilentio, facie verſus januam verſa &c. quid enim hæc & ſimilia conferant ad efficaciam medicinæ? Vide de hoc Sporer *tr.* 2. *c.* 9. *ſect.* 3. *n.* 30. Filliucium *tr.* 24. *c.* 6. *a n.* 158. Vel Reiffenſtuel *tr.* 5. *diſt.* 2. *n.* 34.

At, inquies, quid, ſi dubitetur, an hoc vel illud medium non habeat vim ex ſua natura, vel certe ex inſtitutione divina in ordine ad effectum exſpectatum, licebitne illud adhibere?

501. R. Ubi certo, aut certo probabiliter conſtat, quod medium ex ſua natura præciſe non habeat virtutem producendi effectum, ſolumque dubitatur, an non habeat vim ex inſtitutione DEI vel hominum, &c. neutiquam fas eſt uti tali medio: e contra tamen 2. ubi omnibus perpenſis prudenter dubitatur, utrum medium illud ex ſola ſua natura non habeat virtutem ſufficientem ad hjuſmodi effectum de ſe & naturaliter poſſibilem, ex rationabili & urgente cauſa licite adhibetur, modo non accedant aliæ circumſtantiæ vanæ & ſuperſtitioſæ, ſimulque utens tali medio proteſtetur, ſe nolle effectum illum aſſequi, ſi non poſſit aliter, niſi ope dæmonis obtineri. Ita quoad utramque partem tenent Sporer *cit.* 31. & 33. Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *c.* 4. Tamburinus *in decalog. lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *n.* 63. & 68. Sanchez. *lib.* 2. *in decalog. c.* 40. *n.* 43. & 44. Ratio prioris eſt hæc: quia ubi cauſa ſuapte natura certo agnoſcitur eſſe impotens ſeu deſtituta vigore producendi effectum, ibi effectus aliunde exſpectari debet: atqui in hoc caſu exſpectari nequit a Deo, quippe qui nullibi legitur appromiſiſſe talem concurſum extraordinarium, & hoc ipſo neque ab alio Angelo bono: ergo ab Angelo malo. Ratio autem poſterioris eſt hæc: quia nemo prudentum negare poteſt, dari a parte rei mirabiles, & quaſi innumerabiles rerum naturalium, v. g. lapidum, herbarum virtutes &c. quæ nos penitus latent, vel quarum dare non poſſumus rationem convenientem, veluti de virtute magnetis in ordine ad attrahendum ſibi ferrum conſtat, & de aliis pluribus: ergo in caſu, ubi aliunde cauſa naturalis videtur & noſcitur habere virtutem operatricem in ordine ad effectum, & ſolum dubitatur, an habeat de ſe ſufficientem, neque aliunde accedunt vanæ obſervantiæ &c. plane non videtur, cur non ex gravi cauſa ſaltem fas ſit uti hujuſmodi remedio, præſertim cum proteſtatione, quod utens nolit obtinere effectum ope dæmonis: quandoquidem per talem proteſtationem prorſus excluditur omnis cultus, & omne commercium cum dæmone ineundum, veluti advertunt Doctores proxime allegati & citati.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de Divinatione, & vana Obſervantia.

CASUS PRIMUS.

Titius in arte cabaliſtica fundatiſſimum ſeſe exiſtimat, quam ob rem ſemel & iterum periculoſe ſatis decumbens per eandem artem ſuam exploravit, eſſetne ex hac infirmitate deceſſurus, nec ne? Confeſſarius in iiſdem circumſtantiis utpote valde periculoſis ab amicis Titii accerſitus eidem nitebatur perſuadere, ut mediante Confeſſione ſacramentali, aliiſque conſuetis Eccleſiæ Sacramentis ſatageret ſe diſponere ad beatam mortem; aſt, nil minus perſuadere potuit, Titio identidem replicante, ſe per artem ſuam cabaliſticam certo certius cogno-

gnoviſſe, nondum ſibi imminere horam mortis. Confeſſarius vero dubitare cœpit, quid de Titio judicandum, vel cum eodem in his circumſtantiis agendum?

502. R. Confeſſario concludendum fuiſſe, quod Titius in malo ſtatu nedum corporis, ſed & animæ verſetur, & hoc ipſo conandum, ut Titio perſuaderet ſeriam deteſtationem hujus artis revera ſuperſtitioſæ: certum quippe eſt, quod vi hujus artis cabaliſticæ non infallibiliter, immo ne quidem conjecturaliter, aut probabiliter divinari poſſit mors, aut ſanitas recuperanda, vel non recuperanda, veluti plurimis rationibus fundatiſſimis probat Delrio *diſquiſit. magic. lib.* 1. *c.* 4. *q.* 3. Neque enim ulla verba vel litteræ, neque etiam numeri aut cifræ (quibus Cabaliſtæ uti ſolent) neque eorundem combinatio aut computatio ullam habent vim, aut connexionem naturalem cum ſanitate (quemadmodum nullam habent cum divitiis obtinendis) nec poteſt iiſdem attribui vis aliqua artificialis vel ſupernaturalis: quo enim auctore hanc obtinuiſſent? Et certe, ſanitas ſemel deperdita recuperari nequit ſine mutatione ſeu alteratione, mediantibus qualitatibus activis facienda: atqui qualitates activæ exigunt & ſupponunt ſubjectum diſpoſitum, & ad operandum idonee præparatum, tale autem ſubjectum non ſunt, neque eſſe poſſunt verba vel litteræ, aut numeri, eorumve combinatio: ergo ſi ex his exſpectetur ſanitas recuperanda, prorſus ſuperſtitioſe, & vi impliciti ſaltem pacti cum dæmone exſpectari debet.

Nec dicat Cabaliſta, ſe ſanitatem non exſpectare recuperandam per artem cabaliſticam, ſed vi hujus duntaxat explorare, ſitne per alia medicamina eandem recuperaturus vel non? Nam

503. Contra hoc inane effugium redit idem argumentum: Verba, litteræ, numeri, eorumque combinatio æque parum habent connexionis naturalis vel artificialis aut divinæ &c. cum medicamentis neceſſariis vel proficuis, quam cum ipſa ſanitate, vel cum peritia aut ſolertia Medici; ergo quemadmodum ſanitatem ipſam nullatenus conferre valent, ita nec ex iiſdem conjecturari poſſunt medicamenta, vel Medicorum peritia aut ſolertia &c. ac per conſequens nec ipſa ſanitas recuperanda, vel non recuperanda. Mihi certe videtur hæc fraus diabolica non collimare in alium finem, quam ut Cabaliſtam faciat negligere omnem curam ſalutis æternæ, quo ſecurius eundem tandem pertrahat ad tartara: profecto ambit hac arte de futuris contingentibus præſertim a mero arbitrio humano dependentibus notitiam ſibi comparare infallibilem, tacite convincitur velle de ſimilibus inſtrui, vel dirigi ab aliqua alia cauſa occulta, & quidem ratione prædita: atqui non a Deo vel alio Angelo bono: ubi enim conſtat de promiſſione vel infallibili aſſiſtentia DEI? &c. ergo ab Angelo malo ſeu dæmonio.

At quid, inquies adhuc, ſi Titius velit quidem confiteri, nolit tamen hanc artem cabaliſticam deteſtari, ejuſve exercitium deſerere?

504. R. Si tam firmiter huic inhæreat, ut eidem etiam vim infallibilem divinandi futura attribuat, & deſuper admonitus ſimpliciter nolit ab ea deſiſtere &c. velut indiſpoſitus & vanus divinator abſolutionis capax non eſt, prout ex hactenus dictis liquido conſtare poteſt. Nihilominus caſu quo Confeſſarius animadverteret, hujuſmodi pœnitentem hactenus bona fide exercuiſſe ſuam artem, nec unquam apprehendiſſe gravitatem malitiæ ſub ea latentis: & a fortiori, ſi pœnitens ipſe ſupponatur nunquam adhibuiſſe fidem firmam huic artificio, ſed potius ex curioſitate ſimilia practicaſſe, aliunde vero videatur difficulter perſuadendus ad omnimodam fugam & deteſtationem illius, haud imprudenter acturum exiſtimo, ſi diſſimulata interim veritate eundem relinquat in bona fide, & præmiſſa generali deteſtatione omnium peccatorum eundem abſolvat ſacramentaliter, velut in caſu ſimili diximus ſuperius, *Confer.* 1. *n.* 34. & *in Theolog. Sacr. part.* 2. *Confer.* 18. *n.* 464. Præſtat enim in ſimilibus caſibus deſperatis diſſimulata veritate relinquere pœnitentem in bona fide, & peccare materialiter, eidemque adminiſtrare Sacramentum quodammodo dubium, quam omnino nullum, vel veritate declarata dare quodammodo cauſam peccatis formali-

malibus, deinceps ab eodem committendis. Videatur Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *numer.* 428. vel la Croix *l.* 3. *part.* 1. *num.* 36.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius post maturam deliberationem statuerat ducere uxorem, dubius autem quamnam ex pluribus puellis sibi oblatis deberet amplecti, intempesta nocte Sancti Andreæ, dum luna clarius incessit, facemque quodammodo prætulit, Sempronius ad ripam cujusdam fluminis se contulit (audierat enim ab alio quodam amico, se undecimam inter & duodecimam in eodem profluente velut in speculo quodam visurum imaginem futuræ sponsæ, at vero dum Sempronius super ripam stans superiori corporis parte nonnihil se inclinavit, quatenus formam puellæ ex aquis relucentem perfectius contemplari posset, ripa inopinato sub pedibus dilabente velut plumbum in flumen prolapsus fuit. Denique utut ægre emersus, & frigore algens hanc suam curiositatem detestatus fuit, grates millenas referens DEO, qui e tam evidenti vitæ discrimine ipsum liberavit. Jam ad nostrum propositum dubitare licet, sitne Sempronius culpæ gravis condemnandus ob hoc factum?

505. R. Minime dubitandum, quin Sempronius in hoc facto mortaliter peccaverit: quis enim prudentum vel primo etiam contuitu non illico apprehendat, hoc medium prorsus esse superstitiosum, utpote omni prorsus virtute, tam naturali quam supernaturali etiam destitutum in ordine ad hunc effectum. Et amabo! ad quid illa circumstantia, quod inspectio debeat fieri in hac nocte, scilicet S. Andreæ? ad quid, quod undecimam inter & duodecimam? Profecto sola aqua sine adminiculo alterius speciei impressæ non habet vim exprimendi, seu etiam repræsentandi effigiem futuræ sponsæ vel sponsi: at impressio illa speciei nec a Deo nec a bono Angelo, neque ab alio homine in iis circumstantiis prudenter exspectari potuit: ergo a solo dæmone, qui similibus sese immiscere solet, non alio fine, quam ut homines decipiat, ac secum in barathrum æternæ damnationis involvat.

506. Quod autem de inspectoribus aquarum dictum fuit, idipsum intelligas velim de inspectricibus certorum speculorum, eo fine, ut in iisdem prospiciant futurum maritum, vel ut deprehendatur auctor furti, homicidii, maleficii positi &c. Cum enim nullum prorsus sit speculum habens ex sua præcise natura sine interventu alterius speciei impressæ vim repræsentandi similia objecta; hujus autem speciei impressio a nullo alio, præterquam a diabolo prudenter exspectari possit, vel debeat, uti jam dictum fuit, hinc evidenter convincitur velle habere quoddam commercium cum humani generis hoste, quisquis tali medio utitur: quod vel inde amplius colligi potest; nam plerumque debet ab inspectricibus observari nonnullæ aliæ circumstantiæ prorsus vanæ, v. g. quod inspectio fieri debeat a tali persona, hujus & non alterius nominis, hac & non alia hora, cum tali situatione, vel (quod adhuc pejus) cum plena & perfecta denudatione corporis &c. &c. e quibus omnibus secundum dicta *n.* 500. haud obscure deprehendi ac colligi potest vanitas, & superstitionis hujus malitia, licet rursus fateri cogamur, similia subinde a simplicioribus practicari absque peccato mortali formaliter tali, ob rationes jam superius *n.* 485. & 499. datas.

At vero, inquies adhuc, quid de illo tenendum, qui nocte natalitia fertur sese locasse supra tripodem retro januam, seu portam Ecclesiæ, eo fine, ut hac ratione dignosceret, quænam ex fœminis intrantibus Ecclesiam esset saga vel non?

507. R. Auctor hujus facti nedum perniciosæ curiositatis, sed & damnabilis superstitionis est arguendus; tum quia medium hoc vel nullius prorsus potuit esse efficaciæ in ordine ad discernendas sagas, vel certe si quam habuisset efficaciam, eam non aliunde, quam a diabolo habuisset; tum etiam, qui factum hoc attentavit nedum tempore, sed & loco vel maxime incongruo, & quidem cum evidentissimo periculo temere judicandi de proximo etiam innocente: quis enim obligabit diabolum, ut nocentem potius, quam aliam innocentem tibi proponat velut Sagam? hoc autem facto nunquid gra-

graviter delinquens eandem habendo, vilipendendo &c.velut Sagam? &c. Hoc ipsum tenendum arbitror de alio quodam, qui, quotiescunque vetulam obviam sibi habuit, assueverat secreto erga illam pronuntiare certum quendam versiculum barbaricum, nullius scilicet prorsus significationis; & casu quo fæmina vel minimum qnid oblocuta fuisset, eam habere pro Saga seu Lamia; hoc enim sine permagna temeritatis nota fieri non posse, quisque prudentum facile capiet ob rationem proxime datam.

CASUS TERTIUS

CAja de consilio alterius cujusdam fœminæ in caligas sui mariti secreto insuit certum quendam herbarum fasciculum eo fine, ut deinceps ab inordinato lusu, cui hactenus nimium quantum deditus fuerat, retraheretur. Et quod mireris: fatetur insuper Caja se id practicasse effectu tam prospero, ut ab eo tempore advertat, maritum prorsus aversum ab omni lusu. Verum cum ob dictam causam multa contraxerint debita, ut propterea jam cogantur vivere in perpetua egestate & miseria; hinc sciscitatur ulterius, an sibi non liceat dicere illam satis notam orationem S. Chistophori eo fine, ut pecunias, vel alia media sustentationi necessaria obtineant? Jam ad nostrum propositum circa præsentem facti speciem dubitatur 1. Utrum, vel qualiter Caja peccaverit, insuendo caligis sui mariti fasciculum herbarum? 2. An non teneatur illum tollere, vel vero sufficiat præcise mutare animum, credendo scilicet, quod dictæ herbæ non habeant vim retrahendi maritum a lusu inordinato? 3. Denique quidnam de illa oratione Sancti Christophori tenendum sit?

508. R. ad primum quæsitum, Cajam procul dubio graviter peccasse, quandoquidem illud medium certo certius fuit superstitiosum, utpote omnino improportionatum in ordine ad effectum intentum: nam abstinentia vel cessatio mariti ab inordinato lusu dependebat præcise a libero ipsius arbitrio: atqui fasciculus herbarum caligis insutus naturaliter non potuit immutare arbitrium, seu voluntatem mariti; quia quæ naturaliter moveri non solet, nisi præsupposita cognitione objecti: objectum autem (fasciculus scilicet herbarum latenter insutus) nunquam fuit cognitum a marito: ergo non potuit habere vim naturalem movendi voluntatem.

Neque ulla prorsus videtur ratio asserendi, quod fortassis occultæ quædam exhalationes dictarum herbarum habuerint vim immutandi intellectum, & consequenter etiam retrahendi voluntatem ab inordinato lusu &c. Naturaliter enim loquendo illæ exhalationes prius debuissent immutare aliquem sensum: quandoquidem juxta sanam Philosophiam nihil esse possit in intellectu, quod non prius fuerit in aliquo sensu: atqui nullibi constat, neque est prudens ratio asserendi, quod vis dictarum herbarum, utpote prorsus incognitarum Marito, immutarit aliquem sensum, ac per consequens etiam intellectum aut voluntatem: ergo &c.

509. R. ad secundum quæsitum, Cajam a Confessario fuisse persuadendam, & suo modo obligandam, ut e caligis sui Mariti auferat dictum fasciculum herbarum, idque propterea, ne habeat occasionem in sua persuasione sinistra ulterius perseverandi. Profecto si firmiter credat dictis herbis nullam competere vim retrahendi Maritum ab inordinato lusu, nullam pariter sentiet difficultatem eas tollendi: sin vero supponatur etiamnum perseverare in hac sinistra persuasione, velut superstitiosa & vana observatrix privari debet beneficio absolutionis. Tametsi in rigore loquendo existimem, quod in hoc casu sufficeret, deponere sinistram persuasionem, nec simpliciter necessum, ut fasciculus herbarum tollatur; tum quia is supponitur nemini esse nocivus; tum etiam quia Caja poterit sibi persuadere, Maritum non propter herbarum fasciculum, sed proter alias rationes v. g. infortunium, aliave incomoda mutasse animum, ita, ut nolit amplius ludere. Hac de causa Sporer, aliique plures Doctores bene advertunt, universaliter loquendo non bene argui: hic vel ille usus fuit medio superstitioso v. g. ad febrim depellendam, & ex eo tempore sensit se liberatum: ergo medium illud juvit &c. Non, inquam,

quam, bene hoc infertur; potuit enim contingere, ut eo tempore, quo medium illud ſuperſtitioſum fuit applicatum, naturaliter ceſſaret materia peccans, unde febris ortum duxerat: quidni ergo ſimiliter contingere potuiſſet, ut eodem tempore, quo Caja applicavit medium ſuperſtitioſum, Maritus ex alio motivo, uti jam dictum fuit, luſum execraretur.

510. R. jam ad tertium quæſitum, neutiquam approbandum, vel etiam permittendum fuiſſe uſum illius orationis ad S. Chriſtophorum; quandoquidem hæc in rei veritate non eſt, niſi magica quædam incantatio, cum implicito ſaltem pacto, aut invocatione diaboli; nam tales ſolent ſperare ac credere, poſt certum tempus vel numerum orationum S. Chriſtophorum (verius dixeris diabolum) ſibi compariturum, & ſubminiſtraturum ſubſidia pecuniaria &c. ubinam autem hoc ſcriptum vel a DEO revelatum legitur? Licite quidem & ſancte pro quavis neceſſitate ſublevanda ad Deum recurrimus, & hunc in finem Magiſter cœleſtis Chriſtus Dominus noſter orationem dominicam nos docuit, quam cum pia in Deum ceu Patrem noſtrum cœleſtem fiducia quilibet tanto utilius, quanto frequentius orare poterit: hujus ergo uſum ac frequentiam Confeſſarius efficaciter inculcet, alterius vero omnino prohibeat, ob rationes jam datas. Vide, ſi lubet, Caſtropalao *part.* 3. *tr.* 17. *diſp.* 1. *pu.* 10. *num.* 9. vel Matthæucci *in cautel. Confeſſar. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 98. *& ſeqq.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

511. COlliges ex hactenus dictis primo, illicitum eſſe conſulere Cingaros, uti vocant, aut cingaras de futuris contingentibus, utputa de ſtatu deligendo, de proſpera, vel ſiniſtra fortuna &c. Ratio eſt: quia conſulendo datur iiſdem occaſio vel potius motivum, vel ope dæmonis divinandi, vel certe mentiendi; cum aliunde notitiam de futuris contingentibus habere non poſſint, niſi a dæmone. Eſto autem talis conſultatio ex joco (uti plerumque aſſuevit) facta, culpam venialem excedere non videatur, poteſt nihilominus fieri mortalis, ſi vel conſulens animo ſerio conſulat, & reſponſis firmam fidem adhibeat, vel certe prævideat cingaram dæmonem invocaturam, utendo medio ſuperſtitioſo, vel animo ſerio reſponſuram &c. &c. Sanchez *lib. in decalog. cap.* 38. *num.* 48. Matthæucci *loc. cit. n.* 112.

512. Colliges ſecundo, non eſſe illicitum uti ſcientia ope dæmonis acquiſita v. g. de effectu aut virtute naturali alicujus rei, modo dæmon ad actualem uſum concurrere non debeat. Ita *ex communi DD.* tenent Sanchez *cit. cap.* 42. *num.* 20. Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *cap.* 15. *numer.* 24. Tamburinus, Sporer &c.

Ratio hujus eſt: quia ſcientia de ſe eſt bona, quantumvis illicite acquiſita. Hinc fit, ut, ſi a dæmone didiciſti, quænam medicamenta naturalia ſerviant ad hunc vel illum morbum depellendum, licite ea applices &c. vel ſi noſti, quo medio aut via naturali tolli valeat maleficium, licite illud tollas, fere quemadmodum meretrix licite utitur pecuniis, opere ſuo meretricio male adeptis.

513. Colliges tertio, etiam in uſu ſacrarum rerum, utputa orationum, geſtatione ſacrarum Reliquiarum &c. intervenire poſſe vanam obſervantiam v. g. quod oratio debeat dici facie erga ſolem vel lunam verſa &c. hac vel illa hora &c. Hæc inquam & ſimilia innumera non niſi ſuperſtitionem ſapiunt; cum tales circumſtantiæ prorſus nihil conferant ad efficaciam orationis. Confeſſario proin incumbit, ut fideles, quos animadvertit hiſce ſuperſtitionibus deditos, bene inſtruat, docendo ac demonſtrando, quod ſimiles circumſtantiæ prorſus ſint vanæ ac inutiles, adeoque ſpem & fiduciam ſuam non in hiſce ineptiis ac inſaniis falſis, ſed potius in Dei bonitate ac clementia, nec non in Sanctorum meritis, vel eorum, quorum SS. Reliquias colunt, interceſſione collocare debeant, prout ſapienter monet Matthæucci *loc. cit. num.* 195. Hinc ulterius

514. Col-

514. Colliges quarto, graviter delinqui ab iis qui SS. & tremendo Missæ sacrificio abutuntur, sive procurando, ut illud legatur ex malo fine, sive ut adhibeantur aliæ circumstantiæ superstitiosæ velut necessariæ in ordine ad obtinendum aliquem effectum v. g. sanitatis, illæsibilitatis seu invulnerabilitatis &c. Hujus sacrilegæ superstitionis condemnandi sunt sequentes 1.] qui curant tot & tot præcise Missas v. g. tres & non plures legi, & quidem tribus diebus continuis, tribus Sacerdotibus hujus, & non alterius nominis, accensis tot & tot candelis &c. secundo qui certas scripturas, carthas & similia infra mappam altaris abscondunt, ut super easdem certus Missarum numerus legatur, quatenus postea iis mediantibus reddantur invisibiles, aut invulnerabiles &c. &c. Cum enim vanius nihil excogitari possit, immo nil nequius, quam credere, quod sine hujusmodi circumstantiis SS. Missæ Sacrificium nullum habeat effectum, vel quod iisdem observatis conferat ad hujusmodi fines nequissimos, hinc merito gravissimi Sacrilegii condemnantur, qui modo præfato abutuntur tremendo Missæ Sacrificio: licet ceteroquin malum non sit, in ordine ad bonum finem v. g. in honorem SS. Trinitatis curare, ut legantur tria Sacra, quinque in honorem Sacrorum quinque vulnerum &c. &c. Videatur Sanchez *l.*] 2. *in decalog. c.* 40. *num.* 40. *&* 41. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 5. *pu.* 4. *n.* 16. Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.* 9. *sect.* 3. *n.* 27. *fin.*

515. Colliges quinto, Superstitionis arguendas esse vetulas illas, quæ certarum orationum murmuratione, admixtis plerumque certis verbis nihil prorsus significantibus, aliisque ineptis Ceremoniis, utputa inhalationis, insufflationis, oscitationis &c. nituntur curare vulnera, vel procurare facilem partus expeditionem, aliosque morbos depellere vel ægras affectiones, item quæ 2. insufflando nonnulla verba in aurem præsertim animalium irrationalium, volunt subito depellere morbum. 3. qui vel quæ per prolationem certorum verborum volunt canes reddere mutos, aut sanguinem sistere, ne amplius diffluat v. g. ex naribus aut vulnere corporis &c. &c. Ratio similium facile potest erui ex dictis: nam pactum saltem implicitum cum dæmone sub schemate similium verborum latens facile potest colligi tum ex eo, quod circumstantiæ prorsus vanæ adhibeantur, (ad quid enim insufflatio verborum in aurem animalis ratione destituti, & nil prorsus intelligentis?) tum etiam, quia dicta verba de se sacra non habent vim infallibilem impetrandi tales effectus insolitos. Et licet me non lateat, a multis Doctoribus non improbari usum similium verborum, seu etiam versiculorum ex Psalmis &c. si cum pia in DEUM confidentia, & sine infallibili exspectatione a DEO desiderentur dicti effectus; existimo nihilominus hanc praxin, utpote plenam periculo, omnimodis a Confessario esse dissuadendam, vel ex eo duntaxat capite, quod pauci intra terminos piæ duntaxat confidentiæ sint substituri, præsertim si semel effectum ad prolationem dictorum versiculorum fuerint experti. Videatur la Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 29.

At inquies, quid tenendum est de pulvere Sympatico, quo nonnulli curare solent vulnera distantium?

516. R. Ab aliquibus Doctoribus usum hujus pulveris approbari cum hac tamen limitatione: modo vulneratus non nimium distet v. g. ultra trecentos passus &c. tum quia probabile est, dari aut possibilem esse *actionem in distans*; tum quia fortassis idem pulvis potest diffundere nonnullas qualitates per medium, quemadmodum cadavera defunctorum (teste S. Thoma, aliisque multis DD.) per multa milliaria solent emittere quendam odorem, vel potius fætorem: hac de causa credo in casu urgenti permitti posse usum hujus pulveris cum limitatione jam insinuata, præsertim si utens protestetur, se nolle quodcunque cum Cacodæmone habere commercium, neque etiam desiderare effectum sanitatis, nisi hæc naturaliter restitui vel obtineri possit.

Alii tamen Doctores satis communiter damnant usum hujus pulveris velut superstitiosum, eo quod incredibile videatur, quod qualitates hujus pul-

pulveris tam longe, per muros etiam & media corpora interjecta undequaque sese diffundere valeant: hæc opinio procul dubio tutior est, propatereaque usus ejusdem pulveris non facile approbandus a Confessario.

517. Colliges ex his sexto, id, quod de cura mediante pulvere sympatico mox diximus, pariter tenendum esse de transplantatione (uti vocant) sanguinis, dum scilicet Chirurgi sanguinem humanum e membris tabescentibus v. g. brachio, pede &c. extractum infodiendo trasplantant in arborem eo fine, ut membra tabescentia recuperent pristinum vigorem ad instar arboris reflorescentis. Mihi probabilius, immo propemodum certum & indubitabile videtur, quod hoc medium prorsus vanum sit & inane: quid enim virtutis aut vigoris corpori humano tabescenti conferat sanguis in arborem, præsertim multum distantem transplantatus? vel quid arbor distans corpori? Nec immerito S. Thomas aliique plures Doctores, quos sequitur Burghaber *centur.* 1. *cas.* 46. certæ superstitionis damnant eos, 1. qui pueros aut chartulas nomine puerorum inscriptas mittere solent per fissuram arboris, ut sanentur a ruptura, item 2. qui ferrum, quo læsi sunt, infigunt lardo porcino, ut sanentur; vel qui 3. arborem vel aliam rem ligant loco vulneris sanandi &c. &c. Qui plus hujusmodi ineptias & superstitiosas observantias (nam omnes recensere impossibile foret, nec capi possent libelli hujus angustiis) nosse desiderat, adeat R. P. Del - Rio *lib.* 3. *disq. magic. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 9. Gobat *theolog. expriment. tr.* 11. *a num.* 923. vel la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 29. *& seqq.*

518. Colliges septimo, superstitionis pariter condemnandos esse illos, qui ad procurandos vel obtinendos effectus extraordinarios adhibent artificialia qua talia, utputa imagines astronomicas, annulos, characteres, numeros arithmeticos. Ita Del-Rio *lib.* 1. *cap.* 3. *q.* 1. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 10. *pu.* 2. Sanchez, aliique plures. Ratio est: quia artificialia, utpote destituta qualitatibus alterativis nequeunt esse principium naturale alicujus operationis vel immutationis. Nec dici valet, quod habeant quandam virtutem naturalem ab astris sibi impressam: unde enim amabo! unde constat de tali impressione? vel quis artifex ex astris hunc influxum infallibilem impetrabit? Profecto cum quodvis artificiale qua tale sit voluntarium, dicendum potius foret, astra immediate influere in arbitrium artificis, & non in artefactum: at, hoc æque absurdum est quam illud, utpote omni fundamento destitutum, veluti colligi potest ex dictis ad casum primum hujus Conferentiæ: ergo &c.

519. Colliges denique octavo, nunquam prorsus fas esse uti medio, de quo certo constat, esse superstitiosum, & omni virtute in ordine ad talem effectum destitutum.

Ratio est: quia superstitio utpote intrinsece mala nullo casu nulliusve necessitatis intuitu cohonestari potest. Unde in simili contingentia nulla prodest protestatio, quod nihil cum dæmone velis habere commercii &c. opere enim ipso contrarium monstras, utpote gnarus tali medio nullam competere vim ex sua natura, neque etiam ex aliqua ordinatione divina, & tamen (uti supponitur) eodem uteris in ordine ad effectum, a nullo alio, quam a dæmone præstandum.

CONFERENTIA

DECIMA SEPTIMA

De Magia & Maleficio

SUMMARIUM.

522. *Utraque hæc species absque dubio est mortaliter peccaminosa.*

523. 524. & 525. *Breviter explicatur, quidnam Sagæ aut Magi valeant. 1. circa Elementa, 2. circa corpora humana, & 3. quid circa animas, vel in animas hominum?*

526. *Esto Sagæ non semper, fortassis tamen sæpius transferuntur a dæmone de loco in locum per aera.*

527. *Non ergo audiendi sunt Lutherus, Melanchton & alii, existimantes id duntaxat fieri, vel absolvi in mera imaginatione, nec esse, nisi diaboli illusionem.*

528. *Respondetur breviter ad principale fundamentum Adversariorum.*

529. *Maleficium recte dicitur: ars sive potestas nocendi aliis.*

530. *Hoc rursus a DD. distingui solet in philtrum amoris, & veneficium.*

531. *Quænam remedia sint adhibenda contra maleficia?*

532. *Nunquam fas est solvere maleficium per aliud novum maleficium, bene tamen per ablationem signorum.*

533. *Quidnam agendum sit, casu quo dubitatur, an magus vel saga possit medio naturali vel licito solvere maleficium?*

534. *Quid, si posset quidem, dubitetur tamen, an non medio superstitioso sit soluturus?*

535. & 536. *Solvuntur breviter duæ objectiones in contrarium.*

537. *Resolvitur breviter Casus I. de quodam lascivo, qui mediante philtro nisus fuit puellam honestissimam in suam trahere sententiam.*

538. *Quid Confessario agendum fuerit cum tali juvene pœnitente?*

539. *An Maleficium ab eo depositum potuerit tuta conscientia in eodem loco relinqui, an vero debuerit auferri?*

540. *Resolvitur Casus II. Cujusdam pœnitentis, qui ad recuperandam pecuniæ summam furtive sibi ablatam jussus fuit a quodam ariolo infigere clavum cistulæ, e qua pecunia fuerat subtracta.*

541. *Prorsus illicitum ac superstitiosum est, percutere seu etiam comburere animalia veneficio infecta, eo fine, ut saga eundem dolorem sentiens cogatur deinceps abstinere a nocumentis inferendis.*

542. *Fas nihilominus est, ponere tale signum contrarium, quo diabolus cogatur abstinere deinceps a maleficio continuando, seu damno inferendo &c. &c.*

543. *Sitne licitum ponere signum contrarium, de quo dubitatur, an non sit superstitiosum?*

544. *Resolvitur Casus III. de quodam puero decenni, qui parocho suo ingenue fassus fuit, se a Cacodæmone didicisse artem magicam.*

545. *Parochus huic illicite præcepisset, ut artis suæ probam monstraret ad oculum.*

546. *Potuit tamen tuta conscientia uti balneo, ut liberaretur a veneficio, quo ab eodem puero fuerat infectus.*

547. *Quomodo vel quibus de punctis puer iste, vel alius quicunque magus in simili casu specialiter sint examinandi?*

548. *Qua via, quibusve mediis ad frugem meliorem sint reducendi?*

549. *Opera magorum, quantumvis videantur mira, non tamen sunt vera miracula.*

550. *E quibus indiciis colligendum sit, an intervenerit verum miraculum a DEO, an vero operatio mere naturalis, aut diabolica?*

551. *Judex illicite peteret a Mago vel Saga productionem v. g. muris aut ranæ in testimonium artis magicæ &c.*

552. *Similiter illicitum est vertere scopam, vel projicere pulvinar versus januam eo fine, ut Saga cogatur remanere in cubiculo usque dum agnoscatur Persona.*

553. *Sitne licitum in ordine ad se liberandum ab infestatione dæmonis repercutere Sagam, esto illa propterea a dæmone esset graviter percutienda, aut intoxicanda novo maleficio?*

554. *Quid denique agendum cum pecuniis a diabolo obtentis, & an licite a mago expendantur?*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Magia, & Maleficio.

QUæres primo, quid sit Magia? & quotuplex?

520. R. ad primam partem hujus quæsiti, nomine magiæ ut sic seu in genere communiter intelligi *artem operandi mira*: communissime autem dividi solet in naturalem & superstitiosam seu diabolicam. Naturalis dicitur, dum hominum inventione aut ingenio mediantibus causis naturalibus (applicando scilicet activa passivis) admirandi quidam effectus, utpote transcendentes communem naturæ ordinem, producuntur. Et hanc magiæ speciem, etsi de se minime malam, Doctores communiter dissuadendam monent, eo quod sit valde periculosa, ac sensim sine sensu viam sternat ad magiam superstitiosam &c. Magia vero superstitiosa (de qua sola impræsentiarum tractabimus) perbene describitur, quod sit ratio seu *ars operandi mira ope dæmonis*, id est, per signa a dæmone instituta: quemadmodum enim magia naturalis utitur causis naturalibus; ita superstitiosa utitur quibusdam signis, quibus dæmon suo modo allicitur, vel vi pacti cogitur ad præstandum id, quod magus aut saga petit.

521. R. ad alteram partem ejusdem quæsiti. Magia superstitiosa seu diabolica ratione finis a mago aut saga intenti rursus est duplex; vel enim magus suam artem exercet eo præcise fine, ut sibi magnum acquirat nomen, vel sese ostentet, uti fecisse leguntur magi in Ægypto coram Pharaone producendo serpentes &c. & tunc dicitur simpliciter *magia*: vel exercet illam in ordine ad inferendum proximo damnum; & tunc appellatur *maleficium* seu etiam *veneficium*, veluti Herincx noster, & alii Doctores communiter docent, & mox amplius patebit ex dicendis *a n.* 529.

Quæres secundo; quale peccatum sit Magia?

422. R. Magia est ex suo genere peccatum mortale. Ita *omnes*. Ratio est: quia nunquam exercetur sine expressa, vel saltem tacita invocatione & commercio cum dæmone: atqui hoc commercium gravissime repugnat tum legi divinæ, tum etiam rectæ rationi nobis congenitæ: ergo &c. Nunquam proin in hac arte dari potest excusatio a mortali ob parvitatem materiæ, esto fortassis dari possit ob defectum sufficientis usus rationis, v. g. in infante ante septennium seducto &c. Immo vero ordinarie loquendo multa, & gravissima quidem peccata comitari solent magiam, utputa hæresis, infidelitas, abnegatio DEI, execratio SS. Trinitatis, B. Virginis & omnium Sanctorum &c. Idololatria, blasphemia in Deum & Sanctos, profanatio item & abusus rerum sacrarum, maxime Sacramentorum, nefariæ commixtiones cum dæmone, & alia innumera peccata luxuriæ, damna proximorum, præsertim infantium nondum baptizatorum, quorum postea officulis magi abuti solent ad varia præstigia, maleficia &c. ad mortem animalium, destructionem ac ruinam segetum &c. &c. teste Herincx *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 7. *num.* 30. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *art.* 4. *num.* 65. & Filliucio *tr.* 24. *c.* 7. *n.* 180.

Quæres tertio, quantum, vel quidnam Sagæ vel magi valeant circa elementa, nec non circa corpora & animas hominum?

523. R. primo, Sagæ & Magi, vel potius dæmones velut illorum Magistri circa Elementa possunt tria præcipue. 1. Excitare tempestates, grandines, fulmina, tonitrua, ventos. 2. Efficere possunt inundationes ac terræ motus, nec non incendia, ædificiorum ruinas &c. 3. Possunt insuper transferre integras segetes, vel integra pomaria de loco in locum, transponendo scilicet superficiem terræ aut terram, in qua arbores aut segetes erant plantatæ &c. Ratio horum est: tum quia gaudent maxima celeritate ac pote state, seu virtute movendi hæc corpora sublunaria de loco in locum; tum etiam quia pollent notitia rerum naturalium v. g. quo modo tonitrua aut grandines confici de-

debeant: proin facillimo modo possunt nubes in aliis etiam regionibus collectas coadunare ad locum, ubi magus demoratur, easdemque vel in pluvias resolvere, vel inducto frigore ita indurare, ut densissima grandine in terram decidant &c.

524. R. secundo. Circa corpora hominum Magi vel potius dæmones possunt sequentia: 1. Ea celerrimo motu transferre de loco in locum. 2. Eadem corpora transformare quodammodo, saltem extrinsece, mutando scilicet figuram, & ex aere vel crassis vaporibus terræ aliam v. g. lupi circumponendo &c. vel substituendo veram bestiam lupi, loco hominis subito in alium locum translati, & hoc etiam modo hominem reddere invisibilem &c. 3. Possunt causare varios morbos in humano corpore, vel quarto viceversa infirmatum aut vulneratum sanare &c. intellige semper: *per se loquendo & permittente DEO*.

525. R. jam ad idem quæsitum tertio. Circa animas hominum corporibus conjunctas dœmones, & ope ipsorum magi omnia possunt, quæ ex dispositione corporis & imaginatione dependent: utputa incitare ad amorem, ad odium, ad libidinem; potest enim diabolus efficere, ut objectum amandum semper obversetur phantasiæ amantis, vel objectum odiosum phantasiæ odientis, prout multiplici experientia constat, & amplius patebit ex dicendis a *n.* 537.

Circa animas tamen a corporibus jamjam separatas seu solutas, nec dœmones (nisi in damnatas puniendo illas juxta mensuram delictorum) neque etiam magi aliquid possunt v. g. excitando eas ab inferis. Hinc si magus aut Saga faciat spectrum quoddam apparere, minime credendum est, quod sit anima alicujus hominis defuncti, sed potius dœmon ipse sub tali forma latitans. Neque obstat illud, (inquit recte Babenstuber *cit n.* 68) quod 1. *Reg.* 28. de Samuele narratur, nam si vere apparuit anima Samuelis, id non factum est vi artis magicæ, sed ex peculiari ordinatione divina, ad majorem terrorem & confusionem impii Saulis. Videatur de his Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 16. Filliucius *tr.* 24 *c.* 7. *a n.* 171. vel Sayrus *in clavi Reg. lib.* 4. *c.*6. *a n.* 14.

Quæres quarto, sitne verum, quod Sagæ vel striges aliquando realiter ac physice per dæmonem transferantur de loco in locum?

526. R. Vix prudenter dubitari posse, quin subinde saltem portentur per aera de loco in locum, ita ut corporaliter intersint nefariis conventibus, & nescio quæ detestabilia ac nefanda scelera committant. Ratio est: quia in primis negari nequit, diabolum pollere hac potestate loco motiva: ex parte autem lamiarum seu strigum nulla prorsus apparet repugnantia. Adde insuper, quod hæc corporalis præsentia, & præsertim commixtiones illæ nefandissimæ, quas solent habere frequentissimas tum inter se, tum etiam cum ipso dæmone, longe efficacius alliciant, & quodammodo pertrahant aut cogant ad omne nefas: unde minime ambigendum, quin Cacodæmon hoc medio sæpesæpius utatur ad hunc finem, esto fortassis subinde interveniant nonnullæ illusiones dæmonis v. g. *circa situm loci ad quem*, vel *circa apparatum convivii*, *epularum* &c. Denique veritatem hujus opinionis probant experentiæ, & quasi innumeræ historiæ, prout videre licet tum apud Delrium *disquis. mag. lib.* 1. *q.* 16. tum etiam apud Sprengerum *in malleo malefic. part.* 2. *q.* 1.*c.* 3. Binsfeldium *de Confess. malefic. pag.* 202. & *seqq.* omnibus autem illis historiis fides negari nequit sine nota imprudentiæ, & intolerabilis pertinaciæ: ergo &c.

527. Scio equidem, Lutherum, Melanchtonem & alios nonnullos, etiam Catholicos, præsertim Juris Consultos asseruisse, lamias seu striges vere ac realiter per dæmonem non transvehi, neque deportari de loco in locum, sed illudi duntaxat, quatenus mille artium artifex earundem phantasiæ nescio quas species deliciarum, conviviorum aut epularum &c. imprimit, fere quemadmodum non raro aliis somniantibus solet accidere, esto a parte rei semper maneant in eodem loco, vel etiam lecto, &c. Verum quam perniciosa sit hæc senten-

tia nedum Ecclesiæ, sed & toti Reipublicæ Christianæ ac universo generi humano, peregregie demonstrat R. P. Del-Rio *cit. lib.* 5. *sect.* 16. Non enim alio collimare videntur Patroni hujus opinionis, quam ut deinceps nulla prorsus saga morte plectatur, veluti teste Babenstuber ex Ponzinibii, Wieri, & aliorum scriptis liquido colligitur. Et sane constat (ait idem Doctor) Judices quosdam iisdem deceptos dimisisse lamias vel impunitas, vel minus punitas, quam oportuerat, eo quod opinarentur, omnia, quæ confiterentur, esse illusoria, nec gravem pœnam mereri. Immo compertum est, alicubi illa tantum puniri scelera, quibus hominibus, vel brutis nocuerint: injurias vero ab ipsis Deo illatas per idololatriam, blasphemias, sodomiam, &c. tanquam mere illusorias insuper haberi, & non curari. Ita Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 2. *art.* 4. *n.* 71. & sapienter omnino: nam si Judex nolit animadvertere in sagam propter idololatriam, blasphemias, sodomiam, &c. eo quod hæc & similia a parte rei non faciant, sed potius a dæmone illusæ credant, se fecisse, plane non video, cur idem Judex non debeat pariter existimare, sagas a parte rei non nocuisse hominibus aut brutis, sed solum vi illusionis diabolicæ credere, quod talia damna intulerint, quo semel dato plane non apparet, cur ob hæc scelera potius quam ob illa debeat animadvertere in sagam.

At, inquies, *cap. Episcopi* 26. *q.* 5. dicitur: *quod Satanas -- mentem* (sagrum) *quam captivam tenet, in somniis deludens, modo læta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per devia quæque deducit* &c. moxque subditur: *quis vero tam stultus & hebes sit qui hæc omnia, quæ NB. in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitraretur?* ergo non vere ac realiter, sed in solo spiritu, ideft, phantastica illusione dæmonis transferuntur.

528. R. *in cit. capitulo* solum reprobari, quod sagæ cum Diana Dea paganorum, &c. vere & realiter transferantur per aera &c. prout legenti contextum ejusdem capituli patebit, minime autem doceri, quod omnia illarum peccata in sola phantasia vel imaginatione absolvantur. Unde in forma breviter responderi potest distinguendo consequens: ergo non vere ac realiter per aera transferuntur cum, vel per Dianam paganorum Deam, *conced.* non transferuntur per diabolum, saltem sæpius &c. uti jam dictum fuit, *neg. consequent.* Reli qua Adversariorum fundamenta confutata videri possunt apud Azorium *tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 25. *q.* 3. Suarez, Sayrum, Del Rio, Babenstuber *n.* 71. & alios proxime cit.

Quæres quinto, quid sit Maleficium? & quæ, vel quot species ejusdem?

529. R. ad primam quæsiti partem. Maleficium est ars, sive potestas nocendi aliis ex pacto expresso vel tacito cum dæmone. Ita Filliucius *tr.* 24. *c.* 8. *n.* 181. Tambur. *l.* 2. *in decalog. c.* 6. §. 2. *n.* 1. & alii *DD. communiter*. Ratio hujus descriptionis facile potest colligi ex dictis; nam maleficium convenit cum magia mox descripta, nec aliter ab ea differt, quam quod magia tendat ad potentiam dæmonis seu etiam magi &c. ostendendam aut magnificandam, ars vero malefica seu maleficium potius inferatur in ordine ad nocendum aliis.

530. R. jam ad alteram quæsiti partem. Duæ dantur species maleficii, e quibus prior vocatur *maleficium amatorium*, vel (ut alii loquuntur) *phyltrum*: posterior vero dicitur *veneficium*. Per philtrum seu etiam maleficium amatorium hominum animus flecti solet ad amorem carnalem & lascivum, propterea que sæpius quam par est inter conjugatos excitare solent rixæ, dum amor unius flectitur ad alienam personam. Veneficium vero appellatur illud, quo malefici utuntur ad nocendum aliis, sive in propria eorum persona, utputa occidendo, ægritudines immittendo, præsertim sterilitatem vel impotentiam &c. sive in aliis rebus mobilibus aut immobilibus, utputa, destruendo segetes aut vineas, subvertendo ædificia, vel occidendo animalia &c. Ita *Communiter DD.* nominatim Filliucius *loc. cit. n.* 182. Babenstuber *ubi supra n.* 73.

Quæres sexto, quænam remedia contra homines maleficos, vel potius contra ipsa maleficia sint usurpanda?

531. R. Duplicis generis remedia licite & utiliter possunt adhiberi, scilicet

cet vel 1. naturalia, quæ ordinarie a Medicis contra diversas ægritudines pro exigentia rerum præscribi solent, esto hæc plerumque non sint tam efficacia, casu quo infirmitas etiamnum in facto esse dependet a maleficio, eo, quia diabolus facile potest impedire eorum vim & efficaciam, aut certe restringere influxum &c. Vel 2. supernaturalia seu spiritualia, quæ prioribus sunt magis efficacia, cujusmodi sunt 1. magna fides & firma in Deum, Divorumque protectionem fiducia. 2. susceptio baptismi, si maleficiatus supponatur hactenus nondum fuisse baptizatus. 3. sincera ac dolorosa confessio peccatorum; cum enim peccata nostra non raro Deum moveant, ut diabolo permittat potestatem nocendi, consequens erit, ut si per veram peccatorum retractationem Divina Nemesis placetur, denuo diabolica potestas coerceatur. 4. devota sumptio seu participatio SS. Eucharistiæ Sacramenti. 5. Exorcismi ab Ecclesia approbati, quorum quanta sit vis & efficacia contra malignos dæmones, frequens monstravit experientia. 6. Aqua benedicta a ministris Ecclesiæ, quippe quæ ob preces Ecclesiæ pariter magnam habet vim ad evertendas dæmonis infestationes. 7. Reliquiæ Sanctorum, Cerei Sacri, item panis & sal benedictus, aliæque similes res ab Ecclesia benedictæ. 8. Signum salutiferæ & sanctæ Crucis, ad cujus contuitum dæmones terreri ac fugere assolent. 9. Invocatio SS. Nominis JESU, B. Virginis Mariæ, S. Angeli Custodis & aliorum Sanctorum. 10. Oratio, præsertim conjuncta jejunio. Lessius *lib.* 2. *de J. & J. c.* 44. *n.* 28. Bonacina, Reginaldus & alii.

Quæres septimo, sitne licitum accersere maleficium ejusve opera uti in ordine ad solvendum maleficium, quo bestia vel etiam homo fuit infectus?

532. R. cum distinctione. Nam ubi constat, quod maleficium a mago tolli non possit sine novo maleficio, id est, sine nova invocatione aut pacto cum dæmone, quo is cogatur aliquid de novo operari &c. non licet accersere maleficum ejusve opera uti, esto is aliunde supponeretur paratus ac promptus ad hoc præstandum. E contra vero, ubi certo aut certe probabiliter constat, maleficium tolli posse sine novo maleficio, sive dein præcise auferendo signa magica, utputa ligaturas, acus, fragmenta testarum, vitrorum, ovorum &c. sive etiam signa positive contraria apponendo, ast eo præcise ex fine, ut diabolus cogatur abstinere a maleficio inferendo seu etiam continuando, licite potest accerseri maleficus ejusque opera peti. Ita *cum communi Doctor.* Sayrus *in clav. reg. lib.* 4. *c.* 6. *n.* 26. Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.* 9. *sect.* 4. *n.* 40. *& seqq.* Sanchez *lib.* 2. *in decalog. c.* 41. *n.* 6. *&* 13. Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 18. *n.* 10. Ratio prioris est: quia maleficium ponere est actio intrinsece mala & nullo, quantumvis honesto fine cohonestabilis: atqui nunquam fas est petere ab alio actionem de se & intrinsece malam, esto is supponatur ad hoc paratus quemadmodum a meretrice etiam paratissima non licet petere usum corporis; quia hoc modo petens cooperatur ad malum, & est causa peccati, quatenus causat actuale exercitium, seu etiam voluntatem alterius quodammodo excitat ad peccandum: ergo nunquam fas est a mago petere solutionem maleficii, quando hoc solvi ab eo nequit sine novo maleficio. Ratio autem posterioris est: quia dum maleficium solvi potest sine novo maleficio, potest talis solutio nedum licite prætendi, sed & magus aut maleficus tenetur ex justitia (si ipse prius posuit) vel saltem ex charitate erga proximum, si non posuit quidem, possit tamen licite illud tollere.

At quid, inquies, si dubitetur, an magus vel quiscunque demum alius sciat aliquod medium licitum & honestum auferendi &c. licebitne illum accersere, vel ejus opera uti?

533. R. Non licet illico uti opera, sed oportet prius illum examinare, qua ratione vel quibus mediis maleficium velit solvere? Quod si recuset explicare modum solvendi, præsumendum erit (nisi aliunde de probitate viri constet) eum non soluturum sine novo maleficio, eo præsertim quod per media naturalia rarius tolli queant: supernaturalibus autem Laici, præsertim de probitate morum aliunde suspecti, uti non solent.

At vero casu quo explicat modum tollendi, rursus prudentum judicio disquirendum erit & examinandum, an in tali non lateat aliquod novum maleficium, fraus dæmonis, vel vana observantia, sive quoad substantiam ipsam, sive quoad ceremonias. Denique si omnibus examinatis supponatur remanere dubium, existimarem, quod possit solutio peti, cum expressa tamen protestatione, ne fiat novo maleficio, vel nova dæmonis operatione. Insuper sapienter advertit Lessius, Laymann. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 4. *num.* 9. Sporer *tr.* 2. *decalog. c.* 9. *sect.* 4. *nu.* 42. Del Rio & alii plures, de eo, qui maleficium posuit, facilius præsumendum esse, quod sciat modo licito, utputa ablatione signorum &c. illud tollere, quam de alio, qui illud non posuit; nam tales plerumque nova dæmonis invocatione comparare debent notitiam vel de maleficio ipso, vel certe de modo solvendi. Videatur Sporer *loc. cit. in fine*.

Sed quid, si magus sciat quidem medium licitum illud solvendi, dubitetur tamen, an non illicito potius & superstitioso, cum nova Dei offensa sit usurus?

534. R. In hoc casu adhuc licite peti posse solutionem a mago aut malefico; quemadmodum ob rationabilem causam licite peti potest mutuum ab eo, qui quidem posset dare, certo certius tamen prævidetur non daturus sine usura. Et ratio est: quia si magus possit licite, & tamen nolit, nisi medio illicito uti ad opus de se bonum, uti est solutio maleficii &c. tunc malitia hæc soli mago, non item solutionem petenti imputari debet, quippe qui hanc nec intendit neque petit, sed solam solutionem modo licito & honesto faciendam. Videantur dicta superius *Conferent.* 12. *num.* 365.

Dices contra resolutiones proxime datas, præsertim *num.* 532. Qui tollit signa magica eo fine, ut diabolus cogatur non amplius nocere, &c. effectum desideratum exspectare nequit a causa naturali, neque a voluntate humana, neque etiam per miraculum a voluntate DEI aut Sanctorum: ergo necessum est, ut illum exspectet a diabolo: at, hoc semper est illicitum, ergo &c.

535. R. Cum P. Herincx *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 7. *de superstit. n.* 36. hunc effectum sperari posse a DEO, quippe qui juxta ordinarium agendi modum non permittit diabolo hominibus nocere, nisi per malitiam seu malevolentiam aliorum hominum certa quædam signa malefica ponantur, quibus proinde signis sublatis per se a Deo sperari potest cessatio damnorum vel nocumentorum a diabolo alias inferendorum. Ex quo patet, negandam esse Majorem.

Dices rursus: quisquis modo præfato tollit signa magica, videtur saltem sese immiscere, & quandam habere partem cum pacto diaboli, quippe qui statuit positis hujuscemodi signis nocere, iisdemque ablatis cessare a damno inferendo: at omne pactum cum dæmone peccaminosum est, &c. ergo &c.

536. R. Rursus *neg. Major.* Nam in primis necessum minime est, ut dæmonem inter & maleficum duplex intercesserit pactum, sed potuit intervenisse unicum, scilicet *quod positis signis velit nocere maleficiato*; quibus sublatis ordinarie & regulariter loquendo non amplius permittitur a DEO, ut noceat. Deinde casu quo belli dux inaudit, quendam e suis cum hostibus iniisse pactum, quod iisdem velit dare signum aggrediendi seu etiam impugnandi urbem, &c. idemque belli dux hujusmodi signum tollat, vel ne ponatur, impediat, plane dici nequit, quod voluerit habere quoddam cum hostibus pactum, sed dici potius debet, quod pactum cum hoste a suo subdito initum velit annihilare seu destruere: idem ergo judicium ferendum est de eo, qui signa malefica tollit eo fine, ne diabolus deinde nocere possit. Videatur Herincx *loc. cit. n.* 37. Kreßlinger *addit. post. n.* 49. *ad tr.* 5. *dist.* 2. *Theolog. mor. R. P. Reiffenstuel*, vel Sporer *part.* 2. *Theolog. decalog. c.* 9. *n.* 41.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Magia & Maleficiis.

CASUS PRIMUS.

Titius lascivus juvenis amore cujusdam honestæ puellæ captus, cum eandem nec promissis, nec blandimentis aliisve lenociniis in suam sententiam pertrahere potuisset, tandem ope dæmonis impetrandum censuit, quod suis viribus impossibile apprehendit. Et vero vixdum ad instructionem cujusdam magi certas quasdam schedulas, nec non laminam metallicam diversis figuris ac characteribus insignitam clam defoderat subtus limen habitaculi, in quo præfata puella demorari consueverat, dum ecce! eadem puella quasi in rabiem acta illico velum capitis sui abjecit, & inconditis clamoribus ac gestibus vociferando nil aliud identidem ingeminando expressit, quam nomen dicti juvenis, cujus insano amore nedum jam capta, sed & a sensibus penitus alienata videbatur. Paulo post a parentibus suis Sancto Hilarioni præsentata, deprehensa fuit a diabolo obsessa, qui SS. Ecclesiæ exorcismis compulsus dictitavit, se a lascivo illo juvene coactum fuisse ad possidendam hanc puellam, neque etiam inde discessurum, usque dum maleficium seu phyltrum amoris subtus limen reconditum tolleretur. At vero sanctus vir, ne vel maligno hosti fidem, vel potestatem justo majorem attribuere videretur, relicto etiam phyltro partim meritis ac precibus suis, partim etiam SS. Ecclesiæ exorcismis diabolum compulit ad deserendam hanc creaturam, teste R. P. Stengelio tom. 2. c. 59. §. 11. Jam ad nostrum propositum quæri potest 1. an, vel quomodo Titius peccaverit in hoc facto? 2. quid eidem a Confessario fuerit præcipiendum? 3. an illud phyltrum amoris potuisset aut debuisset auferri?

537. R. ad primum quæsitum, Titium procul dubio gravissime peccasse, & quidem multipliciter 1. contra charitatem proximo debitam ratione scandali dati, dum puellam ad lasciviam pertrahere conatus fuit, atque hoc ipso 2. contra castitatem, sin minus in effectu, saltem in affectu deliquit. 3. insuper gravissime deliquit contra virtutem Religionis peccato superstitiosæ & magicæ observantiæ, dum phyltrum amoris ex pacto diaboli confectum defodit subtus limen habitaculi, propterea que minime dubitandum, quin incurrerit casum reservatum, secundum dicta *in Theolog. Sacram. part. 2. Confer. 13. n. 353.* idque a fortiori dicendum, si perversus ille juvenis supponatur hoc maleficium defodisse eo fine, ut puella a diabolo possideretur; quo casu gravissime peccasset nedum contra charitatem, verum insuper contra justitiam. Videantur ea, quæ in casu haud multum absimili diximus *part. 1. Theolog. decalog. Confer. 22. num. 641.*

538. R. ad secundum quæsitum. Si supponatur Titius (idem dic de alio quocunque simili) vere pœnitens redire ad Confessarium, huic incumbet accurate indagare in omnes circumstantias mox annotatas, præsertim an positive intenderit nedum seducere puellam, verum insuper reddere subjectam, seu etiam obsessam a diabolo? Jubeatur serio detestari sua peccata, præprimis commercium illud diabolicum; quod, cum efficaciter ab eodem fieri nequeat, nisi amoveantur illa signa diabolica; hinc 3. obligandus est ad illa auferenda & comburenda, quam primum moraliter loquendo id potuerit; secus enim non esset capax absolutionis, veluti rem consideranti facile patebit. Sanchez *lib. 2. mor. c. 41. n. 22.* Suarez *lib. 2. de superstit. c. 17. n. 13.* Herincx noster *part. 3. tr. 4. disp. 7. n. 39.*

539. R. Jam ulterius ad tertium quæsitum, illud phyltrum amoris potuisse sine omni peccato auferri; quia auferens propterea dici nequit novum cum dæmone pactum inire vel initum ratificare, sed potius annullare ac destruere, veluti constat ex proxime dictis *n.* 536. Nolim tamen per hoc improbare factum S. Hilarionis, quippe qui tanti procul dubio meriti apud Deum exstitit, ut relictis etiam signis magicis diabolum nedum a possessione puellæ deturbare, verum insuper ab inferendo deinceps quocunque damno compescere potuerit, prout sapienter

notat Castropalao *tr.* 17. *disp.* 1. *punct.* 11. *n.* 11. *in fine*. Ceterum quænam remedia spiritualia contra diabolum ipsum ejusdemque opera maligna sint adhibenda, quibusve armis hostis ille antiquus humani generis sit retundendus, videri potest tum ex dictis *n.* 531. tum ex iis, quæ tradit R. P. Del-Rio *disquis. mag. lib.* 6. *c.* 2. *sect.* 3. *per tot.* ad quem Lectorem benignum remittimus.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius tentatis quampluribus (at sine effectu) mediis spiritualibus, ut pecuniam furtive sibi subtractam denuo recuperaret, tandem consuluit quendam ariolum, a quo jussus fuit eidem cistulæ vel arculæ, e qua pecuniæ fuere subtractæ, adhibitis nonnullis ceremoniis ac precibus, clavum infigere, & ni fur pecuniam ablatam restitueret, altera die profundius intrudere, tertio denique die eandem cistulam mediante clavo omnino penetrare, quo facto fur eodem clavo confixus infallibiliter mortem oppeteret. At vero hoc remedium Sempronio nonnihil videtur suspectum; unde sciscitatur e Confessario, an sine peccato superstitionis eo uti possit. Quid respondendum interroganti?

540. R. Nedum usum hujus medii certo certius superstitiosum esse & prorsus damnabilem, sed & consultationem arioli fieri non potuisse a Sempronio sine gravi peccato. Ratio prioris est: quia secundum dicta *num.* 532. nunquam fas est solvere maleficium mediante novo maleficio; non enim licet facere malum, ut eveniat bonum: atqui, intrudere clavum cistulæ eo fine, ut eodem clavo torqueatur fur, & cogatur restituere vel omnino deperire, est ponere novum maleficium, & moraliter loquendo dæmonis opem implorare, ut ille furem pungendo cogat ad restituendum aut moriendum, prout clare colligi potest ex dictis *loc. cit.* & vel inde satis patet ad oculum, quod clavus cistulæ infixus naturaliter loquendo nequeat furem pungere aut torquere, multo minus ejusdem corpus utpote distans penetrare: ergo ope altioris virtutis id exspectetur, necessum est: atqui non ope Dei vel alicujus Sancti Angeli, vel hominis: ergo ope diaboli. Ratio autem posterioris est hæc: quia quicunque ariolum consulit, eidem præbet occasionem, immo quodammodo movet, vel ad novum cum diabolo commercium, vel certe ad exercitium seu executionem artis diabolicæ, aut certe ad mendacium: at, hæc omnia absque peccato fieri nequeunt, saltem per se loquendo, tametsi non ignorem, hujusmodi consultationes subinde a simplicioribus fieri absque formaliter gravi peccato; vel quia ignorant ariolum habere quoddam commercium cum diabolo, vel quia sperant ab eo aliquod medium naturale percipere, aut certe quoddam consilium absque peccato practicabile, prout fortassis etiam Sempronius noster fecit.

At, inquies, quid de Rustico illo tenendum, qui ob infestationem hominum maleficorum plura perdidit animalia, utputa equos, gallinas &c. neque etiam e lacte potuit amplius excludere Butyrum, proindeque ad se servandum indemnem equi demortui ungulam præcisam projecit in ignem, gallinam pariter mortuam cuidam mappulæ involutam totis percussit viribus: denique & lac superposuit igni eo fine, ut Saga vel magus cogerentur eundem dolorem ignis aut verberum sustinere a diabolo, & hac via absterrerentur ab ulteriori infestatione: quid judicii de his factis?

541. R. Conformiter ad dicta superius, hæc & similia fieri non potuisse absque peccato mortali, ob tacitam saltem invocationem, & implicitum commercium cum diabolo, quod ipso facto attentare merito censetur, quisquis tali medio utpote certo certius superstitioso utitur, juxta communissimam DD. sententiam apud Castropalao, Sanchez, Tamburinum, Sporer, Matthæucci *in cautel. Confess. l.* 1. *c.* 17. §. 14. *n.* 92.

Dices fortassis: si Rusticus nosset certo, diabolum cum mago aut Saga fecisse hoc pactum, quod velit impedire exclusionem Butyri, quamdiu supra vas coagulatorium non fuerit efformatum signum crucis, vel quamdiu in illud non fuerit injectum numisma v. g. S. Benedicti &c. aut infra illud vas positus cultellus. Rursus, si constaret, diabolum iniisse tale pactum, quod ad positionem

huius vel illius figni a Saga factam, tamdiu velit infantem infeftare, quamdiu is non fuerit collocatus fuper tripodem, aut per fcalam devolutus &c. procul dubio liceret Ruftico, aut cuicunque alteri fimilia facere eo animo ac fine, ut butyrum excludatur, aut infans ab infeftatione liberetur: quidni ergo & illud prius liceat, fcilicet projicere ungulam in ignem &c. &c.

542. R. *Neg. paritatem*. In priori etenim cafu folvitur maleficium per novum maleficium, id eft, novam invocationem, cooperationem, & commercium cum diabolo; quod femper nefas eft: e contra in cafu pofteriori non fit novum maleficium, fed potius deftructio prioris maleficii, & pacti diabolici; non enim ponitur talis actio vel fignum contrarium eo fine, ut diabolus invocetur aut honoretur, fed ut cogatur defiftere ab infeftatione, & v. g. infantem, vel lac relinquere in fuo effe naturali: quo fuppofito Butyrum naturaliter excludetur: atqui, ponere hujufmodi fignum contrarium, modo de fe honeftum fit vel indifferens, vacat omni culpa juxta *communiffimam Doctorum*, quam tenent Caftropalao *part.* 3. *tr.* 17. *difp.* 1. *pu.* 11. *n.* 8. Sanchez *lib.* 2. *decalog. c.* 41. *n.* 25. Filliuc. *cit. n.* 195. Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.* 9. *n.* 41. Tambur. *lib.* 2. *c.* 6. §. 2. *num.* 13. Hac de caufa cohoneftari poteft praxis Judicum, qui maleficos torquendos jubent veftibus exui, abradi capillos eorum aut lavari &c. ne tormenta non fentiant; potuit enim diabolus cum Saga tale pactum injiffe, quod eam velit reddere illæfibilem, quamdiu non fuerit lota, vel exuta veftibus &c. ergo a Judice licite ponuntur hujufmodi figna contraria, non quidem eo fine, ut cum Cacodæmone pactum ineat, vel conditionem ab eo pofitam adimpleat; fed potius ut pactum diffolvat, & quodammodo dæmonem impediat, quo minus Sagam aut magum reddat illæfibilem aut infenfibilem &c.

At, quid, fi dubitetur, an non tale fignum contrarium fit fuperftitiofum?

543. R. In tali cafu abftinendum prorfus exiftimant Sanchez aliifque multi & graviffimi DD. eo quod fine periculo Superftitionis adhiberi non valeat. Nihilofecius alii Doctores probabiliter licitum exiftimant, faltem cum proteftatione, quod non adhibeatur talis actio vel fignum eo fine, ut diabolus aliquid de novo operetur, fed ut a Deo coerceatur, ne ulterius nocere pergat. Videatur de hoc Herincx *difp.* 7. *de fuperftit. n.* 38. Leffius *c.* 44. *dub.* 6.

CASUS TERTIUS.

CAJUS puer decem circiter annorum D. Parocho fuo ultro fatetur, fe a Cacodæmone artem magicam didiciffe, jamque ab uno & altero anno frequentaffe conventicula Sagarum nocturno tempore celebrari folita; hinc 2. *nominetenus recenfet nedum locum in quo, fed & Perfonas plures alterius Sexus, Domino Parocho haud incognitas, quæ convenire folent: narrat infuper* 3. *chorearum, conviviorum, & epularum delicias; nec non* 4. *ceremonias & varios ritus, quibus diabolum in contemptum DEI & æmulationem fidelium flexo etiam poplite honorare, & adorare coguntur.* 5. *fatetur infuper, quod jam fæpius excitarit horribiles, grandines, ventos ac pluvias, cum ingenti fegetum fructuumque campeftrium detrimento.* 6. *pariter fat multa pecora fe intoxicaffe afferit. Quo vero dictis fuis majorem conciliaret fidem, cooperante fibi diabolo (quem fuam matrem appellare confueverat) eundem D. Parochum de repente claudicare fecit, poftea vero juffit, ut ad recuperandum greffum fefe lavaret in aqua naturali, mixta prius eidem modica quantitate aquæ benedictæ, quo facto R. D. Parochus illico priftinam fanitatem recuperavit. Cafum hunc non fictum, fed factum narrante eodem, cui accidit, intellexi, & quia valde practicus eft, ad noftrum propofitum eundem nedum proponendum, fed & paulo enucleatius ventilandum duxi. Itaque dubitare licet primo, an ad depofitionem dicti pueri R. D. Parochus potuerit prudenter credere, eum effe imbutum, & verfatum in arte magica, fœminafque ab eo recenfitas effe Sagas feu ftryges?* 2. *An non ad capiendum certius experimentum potuerit a puero petere, ut is in confirmationem dictorum fubito excitaret ventos ac*

ac pluvias , saltem sine detrimento aliorum , vel ut in sua præsentia sine mora produceret ranas aut mures ? 3. *an ad recuperandum gressum tuta conscientia potuerit uti balneo illo aqua benedicta mixto ?* 4. *denique quid circa hunc pœnitentem (si tamen vere pœnitens supponatur fuisse) R. D. Parochus debuerit observare aut examinare ?*

544. R. ad primum quæsitum. R.D. Parochus prudenter omnino sibi persuadere potuit, hunc puerum arte magica esse infectum & imbutum ; tum quia quivis Confessarius tenetur pœnitenti tum pro-tum contra se etiam loquenti credere ; tum quia propria confessio est optima probatio, *l. cum precum Cod. de lib. caus.* tum denique , quia repentina illa claudicatio , nec non subitanea pristini gressus recuperatio ad usum balnei præscripti firmissimum sane præbent argumentum cujusdam artificii magici a puero attentati : & certe nihil prorsus impossibile seu implicatorium in tota hac depositione pueri deprehendi valet ; cum ergo aliunde notum sit, dari hodiedum stryges ac magos, qui ope dæmonis similia practicare solent , plane non video, qua ratione vir prudens huic depositioni fidem negare deberet. Secus arbitror deferendo judicio circa mulieres ab eodem puero denunciatas ; cum enim sagæ ac magi diversis illusionibus a dæmone decipiantur , repræsentatione scilicet diversarum personarum eo fine , ut & innocentes in suspicionem criminis conjiciantur : immo vero , cum Sagæ ac magi veluti flagitiosissima dæmonis mancipia exemplo magistri sui omni possibili modo nocere conentur proximo ; hinc ob solam depositionem cujusdam Sagæ neutiquam fas est ferre firmum judicium , quod scilicet illæ personæ a puero denunciatæ revera sint stryges , esto fortassis Parochus haud imprudenter faceret , declinando quodammodo (ita ut alii non advertant) consortium talium personarum , præsertim ubi aliunde accedent alia non levia indicia de talibus personis . Videantur de hoc R. D. Augustinus Michel Theolog. *canon. mor. tom.* 1. *p.* 2. *appendic.* 2. *pu.* 5. *num.* 4. Tannerus *tom.* 3. *disp.* 4. *q.* 5. *dub.* 2. Diana 4. *part. tr.* 6. *resol.* 30. ubi recte docent ; neminem alias bonæ vitæ aut famæ a Judicibus sæcularibus capi posse ex sola denunciatione Sagarum, nisi alia gravia indicia accedant, cujusmodi recenset Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 5. *pu. fin.* & ex eodem Michel *loc. cit.*

545. R. ad secundum quæsitum negative . Ratio liquet : quia , cum similia a puero fieri nequeant sine novo maleficio vel invocatione dæmonis , plane sequitur, quod quisquis illum ad similia provocat , ponat causam scandali , quin immo aliquo modo cooperetur ad illud commercium diabolicum , utique non sine gravi peccato . Videatur Sanchez *lib.* 2. *in decalog. c.* 41. *n.* 4. Castropalao *ubi supra de superstit. disp.* 1. *pu.* 11. *n.* 6.

546. R. ad tertium quæsitum affirmative . Ratio hujus resolutionis liquet ex dictis supra *n.* 532. *&* 542. tum scilicet, quia talis ablutio est res de se omnino indifferens ; tum etiam , quia non supponitur fieri eo fine , ut diabolus aliquid de novo operetur vel sanitatem conferat , sed solum , ut a continuatione maleficii cesset , quo facto natura restituetur pristino statui & convalescet : at , cuilibet fas est per media indifferentia vel licita tendere ad recuperationem sanitatis : &c.

547. R. jam ad quartum quæsitum . R. D. Parochus (idipsum intelligas velim de quocunque alio Confessario) respectu talis pœnitentis duo præcipue observare debet , primo, examinando indagare in sentinam malorum seu peccatorum , quæ magi aut sagæ ordinarie committere solent . Secundo, præscribere media salutaria , quibus pœnitens in viam salutis reducatur . In ordine ad assequendum primum intentum , necessum erit interrogare quantum ad primum punctum : quo tempore sese mancipaverit diabolo ? item , an illo statim tempore agnoverit malitiam hujus mancipatus ? Quoad secundum : Caveat Confessarius indagare in numerum vel nomina personarum , quas dictus puer asseruerat interfuisse conventiculis diabolicis ; hoc enim non pertinet ad integritatem confessionis, quin potius præbere posset ansam detractionibus ,

nibus, finiſtris judiciis, vel ſuſpicionibus &c. Quantum ad tertium, oporteret quidem expiſcari numerum, quoties ſcilicet convenerint? quos ritus, aut ceremonias diabolo exhibuerint? verum cum hoc plerumque ab hominibus tam inveteratis in malitia recenſeri nequeat; hinc Confeſſarius debebit eſſe contentus, ſi pœnitens fateatur, quoties circiter per ſeptimanam, vel menſem, vel annum convenerint, & an diabolum velut Deum coluerint? Singulariter vero notet Confeſſarius, (quoad hoc punctum eſſe interrogandum, an pœnitens vere & ex animo abjuraverit SS. Trinitatem, B. Virginem, aliofque Sanctos, ita ſcilicet, ut judicaverit diabolo potius, quam Deo ac Sanctis honorem eſſe tribuendum &c. an vero id fecerit ex mera malitia & voluntatis perverſitate, ita ſcilicet, ut bene apprehenderit honorem non diabolo, ſed DEO potius & Sanctis tribuendum? nam ſi hoc poſterius judicavit, non eſſet hæreticus, nec incurriſſet caſum Bullæ Cœnæ, bene vero, ſi illud prius. Quantum ad quintum & ſextum interrogari debet, quoties circiter grandines cauſaverit? quot pecora intoxicaverit? quæ vel quanta circiter damna aliis cauſaverit? nam per ſe loquendo teneretur nedum ad tollenda maleficia hinc inde poſita, verum etiam ad reſarcienda omnia damna, licet plerumque hujuſmodi homines ob pauperiem & impotentiam phyſicam vel moralem excuſentur ab onere reſtitutionis, uti recte advertit Michel *loc. cit. pu.* 4. *num.* 5. Vid. Suarez *lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 14. *num.* 12. & *c.* 17. *n.* 13. Filliuc. *tr.* 24. *c.* 7. *n.* 180. Bonacina *diſp.* 3. *q.* 5. *pu.* 5.

548. Porro in ordine ad ſequendum ſecundum intentum primo, neceſſum erit excitare pœnitentem ad veram deteſtationem peccatorum ſuorum, & ad ſinceram compunctionem, exponendo eidem gravitatem flagitiorum, ſimulque proponendo periculum animæ, & æternæ damnationis, certo certius incurrendæ, niſi ſerio reſipuerit, ſecundo, declarando eidem infinitam Dei miſericordiam, qua ad reſipiſcendum vocatur, nec non immenſum amorem JESU Chriſti Salvatoris noſtri, tam boni & miſericordis Domini, qui pretio ſanguinis ſui & vult & poteſt quantumvis maximum peccatorem recipere ad priſtinum ſtatum gratiæ, modo is velit cooperari divinæ vocationi: econtra ingerat eidem tædium diabolici mancipatus & crudelitatis, qua ſuos ſibi adhærentes nedum in hac, ſed potiſſimum in altera vita tractare, eorumque ſervitia non niſi pœnalibus flammis ac cruciatibus per totam æternitatem compenſare ſolet. Tertio, conetur illum excitare ad firmam ſpem, quod ſcilicet non obſtante chyrographo vel ſubſcriptione &c. facta diabolo, nihilominus poſſit reſipiſcere & redire in gratiam, immo pertingere ad omnimodam Sanctitatem, veluti conſtat exemplis ſancti Anaſtaſii, Anaſtaſiæ, Cypriani &c. & multorum aliorum ex primis Chriſtianis, qui libros magicos Apoſtolis comburendos tradidiſſe leguntur *Act.* 19. *v.* 19. quarto judeatur fortiter contemnere dæmonis inſultus, quibus tales converſos multipliciter & fortiſſime quidem infeſtare aſſolet, quos cum patientia ſupportare oportebit. 5. ſingulariſſime vero Confeſſarius inſtruat talem pœnitentem de modo eliciendi frequentiſſimos actus charitatis erga Deum ceu ſummum bonum, contritionis de peccatis commiſſis, abrenuntiationis ſathanæ, cultus erga Beatiſſimam Virginem velut ſpeciale refugium peccatorum & advocatam, nec non aliorum Sanctorum, præſertim Cypriani & Anaſtaſii &c. de quibus proxime dictum. 6. denique jubeatur pœnitens ſeſe munire ſpiritualibus armis & auxiliis, utputa frequentando Sacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ, utendo aqua benedicta, nec non Sanctorum Reliquiis &c. &c.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

549. Colliges ex hactenus dictis primo, opera Magorum & ſagarum (quantumvis mira videantur & inſolita) non eſſe, neque dici poſſe vera miracula. Ratio eſt: quia Theologice loquendo miraculum illud duntaxat dici meretur, quod ita rarum & inſolitum eſt, ut ſim-

simpliciter excedat virtutem totius naturæ, seu omnium causarum naturalium: atqui opera magorum &c. nunquam excedunt totam virtutem causarum naturalium, quandoquidem omnia perficiantur vel motu naturali, vel applicatione activorum naturalium ad passiva &c. Videatur Delrio *lib. 2. disq. magic. quæst. 7.*

At, inquies fortassis, undenam igitur colligendum, sitne effectus aliquis vere miraculosus, vel naturalis, vel vero superstitiosus?

550. Circa hoc dignoscendum universalem regulam statui neutiquam posse, nihilominus juvabit multum notasse sequentia principia Theologica.

I. DEUS ordinarie non facit miracula nisi per homines Sanctos; unde si patrator mirabilium vel aperte sit improbus, vel suspectus de probitate vitæ ac morum, non facile credendum est, eum divina virtute sed potius ope diaboli adjuvari.

II. DEUS hodiedum raro facit miracula, neque id statis vicibus, vel ad cujusvis libitum: ex quo consequens videtur, pro suspecto habendum esse illum, qui ex hoc vel illo medio semper pollicetur certum & infallibilem effectum, sive corporalem, utputa morborum curationem, periculorum evasionem &c. sive Spiritualem v. g. quod homo non possit damnari, neque mori subitanea morte, vel sine prævia Confessione &c.

III. DEUS non facit miracula sine gravi causa, gloriam scilicet suam, hominumve utilitatem v. g. persuasionem veræ fidei &c. concernente. Ex quo prudenter colligere licet, quod si effectus aliquis mere inutilis, vanus, aut soli curiositati deserviens exspectetur per medium aliunde ex sua natura minus proportionatum, talis effectus superstitiosus potius, quam miraculosus censendus sit.

IV. DEUS non operatur miracula, nisi modis decentibus & honestis: ubicunque ergo fœdæ, frivolæ vel ineptæ circumstantiæ concurrere debent in ordine ad aliquem effectum insolitum, minime ambigendum est, quin effectus ille sit superstitiosus, & non DEO, sed Diabolo velut Auctori adscribendus.

V. Denique DEUS in operandis miraculis non adstringit se certis verbis, aut modis, sed modo isto, modo illo utitur pro suo beneplacito. Ex quo colligendum, merito suspectam esse habendam illam operationem, quæ certis verbis aut ceremoniis dicitur alligata, ita, ut secus neutiquam exspectari debeat vel possit. Videantur de his Fagundez *in 2. præcept. lib. 8. c. 4.* vel R. D. Aug. Michel *tom. 1. part. 2. appendic. 2. punct. 3. n. 13. & seqq.* ubi præsens punctum fusius declarat.

551. Colliges secundo, quod, quemadmodum Parocho aut Confessario non licet petere a Saga vel mago, aut in confirmationem vel probam artificii sui bene apprehensi producat v. g. ranam, aut ventos vel pluvias &c. veluti dictum fuit *n. 545.* ita pariter neque judicibus permissum vel permittendum esse, ut malefico præcipiant, vel alio modo cogant, quatenus is maleficium positum auferat certa quadam benedictione &c.

Ratio est: quia talis benedictio vel ceremonia superstitiosa reipsa nil aliud est, quam novum cum dæmone commercium, vi cujus is a mago cogitur, vel ad aliquid de novo operandum, vel a maleficio & infestatione cessandum: commercium vero cum diabolo esse nefarium, jam constat ex dictis. Videatur Sanchez *lib. 2. in decalog. c. 41. n. 10.*

552. Colliges tertio, non esse licitum vertere Scopam in tuo cubili eo fine, ut experiaris, sitne fœmina ad te ingressa lamia seu Saga, vel non. Neque etiam secundo fas est projicere pulvinar e lecto eo animo & intentione, ut lamia supra illud cogatur sedere, usque dum agnoscatur, quænam sit &c. Ita R. P. Kresslinger *addit. post n. 51. tr. 5. dist. 2. Theolog. mor. R. P. Reiffenstuel.* Ratio prohibitionis similium est (ait idem Doctor) quia hoc modo non solvitur prius pactum (quod alias liceret) sed præterea novum involvitur, cum Sagæ per similia non præcise in statum naturalem redigantur, sed præterea aliquid de novo facere cogantur, ad quod non, nisi

nisi mediante novo diabolico pacto adstringi possent. Ita ille.

Sed, quid, inquies fortassis, si ego sciam v. g. ex relatione Sagæ, dæmonem cum eadem hoc pepigisse fœdus: si tu percusseris Titium, ego eundem intoxicabo: at vero, casu quo ille te percusserit, ego Eum non inficiam, quin potius te (Sagam scilicet) percutiam aut torquebo: liceretne in hoc casu Sagam repercutere?

553. R. Si certo tibi constaret de tali pacto, minime dubitarem, quin adhuc Sagam licite repercuteres, non quidem animo, ut pactum dæmonis adimpleas, vel eundem ad aliquid operandum cogas, sed præcise, ut ab infestatione te liberes. Ratio est: quia repercussio hæc res est de se indifferens, & a te ponitur præcise eo animo, ut diabolus te non vexet: quod autem ille statuerit Sagam percutere supposita tua repercussione, id respectu tui mere per accidens se habet: posset enim hostis malignus cessare ab infestatione præcisa omni percussione vel afflictione Sagæ, aliunde etiam non teneris cum tanto tuo incommodo impedire afflictionem Sagæ, cum charitas potius consulat, ut tuæ, quam alienæ saluti vel incolumitati invigiles. Dixi tamen: *si certo tibi constet* &c. nam in dubio potius præsumendum foret, quod diabolus alios quoque præter Sagam voluerit involvere pacto aut commercio suo & certum esse debet ex hactenus dictis, quod in tali casu nefas foret repercutere Sagam eo animo, ut diabolum adigas ad affligendam Sagam. Videatur de hoc Sanchez *in decalog. lib. 2. c. 41. num. 21.*

554. Colliges denique quarto, Sagam vel magum licite uti posse pecunia a dæmone obtenta, modo constet, esse veram pecuniam, nec alteri subtractam. Ratio est: quia potuit contingere, ut dæmon talem pecuniam vel e fundo maris extraxerit, vel deprompserit ex thesauro, cujus nemo amplius habet dominium: ergo si supponantur veræ esse pecuniæ, licite expenduntur esto a diabolo male fuerint partæ seu obtentæ, quemadmodum v. g. meretrix pecuniam opere suo promeritam absque ullius injuria licite expendit ad usum honestum juxta *communissimam DD.* Dixi tamen rursus: *modo constet esse veram pecuniam, nec alteri subtractam* &c. Solet enim dæmon non raro dare pecunias apparentes duntaxat, quæ postea evanescunt, aut in carbones vel stercora converti solent: liquet autem de se, quod tales absque injuria aut damno proximi pro veris expendi non possint: similiter si constaret, pecuniam fuisse alteri furtive subtractam, deberet restitui Domino suo. Videatur Laymann *lib. 4. tr. 10. c. 4. n. 8.* Sanchez *lib. 2. decalog. c. 38. n. 96.* Vel Babenstuber *tr. 5. disp. 2. art. 4. n. 84.*

CONFERENTIA DECIMA OCTAVA

De Tenatione DEI, & Sacrilegio.

SUMMARIUM.

567.

567. *Sacrilegium locale tribus modis fieri assolet.*
568. *Quidnam intelligatur nomine rei Sacræ?*
569. *Sacrilegium reale quinque modis potest committi.*
570. *Peccatum Sacrilegii ex suo genere est mortale;*
571. *Non raro tamen per accidens quasi fit veniale tantum.*
572. *Resolvitur Casus I. de quodam Prædicatore Evangelico, qui hæreticis convertendis ex Zelo indiscreto videtur promisisse miraculum a DEO impetrandum.*
573. & 574. *Satisfit duabus instantiis contra resolutionem hujus casus factis.*
575. *Resolvitur Casus II. de quodam homine lascivo, assueto diebus festivis in Ecclesia oculos pascere aspectibus impudicis, & Sponsam suam sollicitare &c.*
576. *Nec non secreto sese polluere in eodem loco.*
577. *Quid tenendum vel agendum cum illis, qui se accusant de s. v. flatibus in Ecclesia emissis?*
578. *Resolvitur Casus III. Cujusdam custodis Ecclesiæ, dubitantis, an sua Ecclesia non sit habenda pro polluta, eo quod quædam mulier ab altera percussa, e naribus haud modicum Sanguinem effuderit in eadem?*
579. *Item, an non fuisset polluta, casu quo idem custos & alteram mulierem usque ad consimilem Sanguinis effusionem nervo bubulo coegisset, aut percussisset?*
580. *Utrum Ecclesia polluatur, casu quo vulneratio aut læsio fit quidem intra, effusio autem Sanguinis, vel mors ipsa consequitur extra parietes Ecclesiæ?*
581. *Qui irreverenter orando præsumunt impetrare a DEO id, quod alii devote orantes; item qui sine prævio studio vel justa causa cathedram conscendentes prædicare præsumunt, DEUM tentare merito reputantur.*
582. *Idem censendum de iis, qui absque justa causa martyrii periculo sese exponunt.*
583. *Item qui purgationem a crimine per ferrum candens, vel aquam bullientem attentant.*
584. *Obstrictus voto simplici, probabiliter non committit Sacrilegium stricte dictum, esto carnaliter peccet contra illud.*
585. *Bene vero ille, qui peccat cum persona voto solenni obstricta, aut in Sacris constituta.*
586. *Non item Novitius, nullum habens votum neque Ordinem majorem.*
587. *Auferens rem non Sacram e loco sacro, esto non depositam in Custodiam Ecclesiæ, probabilius committit Sacrilegium.*
588. *Potest insuper Sacrilegium committi peccato omissionis.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Tentatione DEI, & Sacrilegio.

QUæres primo, quid sit Irreligiositas per defectum, & quæ, vel quot sint ejus membra aut species?

555. R. Conformiter ad dicta superius, nomine irreligiositatis intelligi quendam defectum contra virtutem Religionis; quemadmodum enim virtus Religionis occupatur circa cultum DEO debitum, ita vitium Religioni oppositum, id est, irreligiositas ut sic opponitur cultui DEO debito, idque vel positive, seu per excessum, vel negative, id est, per defectum: & quia de irreligiositate per excessum hactenus jam egimus, restat, ut deinceps agamus de irreligiositate per defectum, quæ sub se comprehendit sex membra sequentia, scilicet 1. Tentationem DEI. 2. Sacrilegium. 3. Simoniam. 4. Blasphemiam. 5. Perjurium, & 6. Violationem Voti. De prioribus tribus in hoc tractatu agemus, posterioribus dilatis in proximum: qui DEO adjuvante aget de secundo præcepto decalogi.

Quæres secundo, quid sit Tentatio ut sic seu generatim sumpta, & quid tentatio DEI?

556. R. Tentatio ut sic dicitur *dictum vel factum ad capiendum de aliquo experimentum.* v. g. an sit prudens, doctus, fortis, in sua arte peritus &c. Porro alia dicitur *tentatio seductionis*, id est facta

in ordine ad seducendum, seu etiam inducendum ad peccatum, quo sensu Diabolus nos tentat, dum ad quodvis malorum genus allicit: alia vero appellatur *tentatio probationis*, quæ absque omni sinistro affectu solius experimenti capiendi causa fieri potest: & in hoc sensu Deus dicitur tentasse Patriarcham Abraham, Job, Tobiam & alios Sanctos, ut eorum obedientiam, patientiam, vel constantiam, amoremve experiretur. Videatur Sporer *tr. 2. in decalog. c. 10. sect. 2. n. 6.*

557. R. jam ad alterum membrum ejusdem quæsiti. Tentatio Dei proprie talis est dictum vel factum, quo quis absque justa causa explorat, an Deus sit v. g. justus, misericors, omniscius, &c. vel alia quadam perfectione præditus. Ita post S. Thomam 2. 2. *q.* 97. *art.* 1. Herincx noster *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 8. *numer.* 3. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 5. *dist.* 3. *num.* 3. Dicitur autem: quo quis *absque justa causa &c.* Nam ubi talis intervenit, non erit tentatio Dei dicenda, utputa si honor DEI, aut salus propria vel proximi v. g. ad tuendam fidem veram id exigat, vel si quis habeat donum miraculorum vel sanitatum &c. &c. E contra qui sine justa causa id facit, DEO irrogat gravem injuriam, sicut & in humanis servus contra observantiam suo domino debitam delinqueret, qui sine causa de Ejusdem virtute vellet capere experimentum, ait Herincx. Illud porro circa descriptionem datam observandum venit, quod *per experimentum divinæ perfectionis* Doctores hic intelligant omne extraordinarium opus vel auxilium Dei supra communem rerum ordinem præstandum, quo divina potentia vel sapientia exploratur &c.

Quæres tertio, quotuplex sit tentatio Dei?

558. R. Duplex est, scilicet 1. formalis sive expressa, & 2. implicita sive interpretativa. Ita rursus *communis DD.* Formalis dicitur, quando quis dubitans de aliqua perfectione DEI, eo fine positive aliquid facit, ut experiatur, an Deus habeat illam perfectionem v. g. ad explorandam Dei potentiam, impugnat fidem, vel Ecclesiam persequitur, volens experiri, an Deus possit eam defendere, prout a nonnullis hominibus perversissimis, ut a Nabuchodonosore, Juliano Apostata &c. factum legitur. Implicita vero seu interpretativa tentatio Dei appellatur, quando quis expresse quidem non dubitat de aliqua perfectione Dei, neque intendit de illa capere experimentum, nihilominus facit aliquid, quod suapte natura videtur referri non posse, nisi ad experiendam aliquam Dei perfectionem; ut si quis contempta & recusata omni medicina exspectet a solo Deo sanitatis restitutionem, vel si flumen sicco pede transire tentet &c. prout pluribus exemplis mox infra adferendis amplius patefiet.

Quæres quarto, quale peccatum sit Tentatio DEI?

559. R. Nedum formalis seu expressa, sed & virtualis seu implicita tentatio Dei sine justa causa facta est peccatum mortale ex suo genere. Ita *communissime DD.* Suarez, Sanchez, Reiffenstuel, Sporer, Illsung. *tr.* 5. *disp.* 3. *a.* 2. *n.* 287.

Ratio prioris est: quia, ut jam visum fuit, tentatio formalis & expressa procedit ex quadam incredulitate & dubitatione de divina perfectione, quam tentator sine causa justa explorare nititur: atqui per hoc præter peccatum infidelitatis, quam tentatio formalis involvit, gravissima injuria Deo irrogatur, prout haud obscure colligi potest ex punitione Judæis, Dominum Deum tentantibus, irrogata, *Psalm.* 77. Unde & *Deut. 6. & Matth.* 4. dicitur, *non tentabis Dominum Deum tuum.*

Ratio autem posterioris est: tum quia nedum formalis, sed & virtualis tentatio Dei adversatur excellentissimæ virtuti morali, scilicet Religioni; tum quia ponendo actionem aliquam, quæ ex sua natura non nisi ad explorandam aliquam perfectionem Dei referri posse videtur, irrogatur Deo gravis injuria, uti post Suarezium & alios bene notat Babenstueber *tr.* 5. *disp.* 2. *a.* 5. *n.* 8.

560. Dixi tamen: *ex suo genere esse peccatum mortale*; negari enim minime potest, quin tentatio implicita saltem sæpius contingat absque peccato mortali,

li, idque vel propter ignorantiam & simplicitatem, aut inconsiderationem; vel propter levitatem materiæ seu etiam periculi, cui tentator sese exponit, utputa si leviter infirmatus nolit uti medicamentis congruis &c.

Quæres quinto, quid sit Sacrilegium, & quotuplex?

561. R. ad primam partem hujus quæsiti. Sacrilegium ethymologice, id est, secundum nomenclaturam sumptum idem dicit, ac *rei sacræ legium*, id est, furtum. Reipsa autem bene describitur, quod sit rei sacræ violatio, seu etiam indigna tractatio rei sacræ qua talis. Dicitur autem 1. *violatio* &c. per quod Sacrilegium generice convenit cum aliis peccatis. Dicitur secundo, *rei sacræ*, id est, auctoritate publica ad cultum Dei deputatæ, seu etiam consecratæ &c. Additur tertio, *qua talis*, &c. In ordine enim ad dignoscendam malitiam Sacrilegii oportet attendere primo ad quid persona, locus, vel etiam res sit sanctificata? secundo, an aliquid factum sit contra illud, ad quod talis res vel persona fuit sacrata: atque hinc fit, ut v. g. sacerdos, utpote consecratus Deo, nedum ad serviendum, sed etiam ad caste serviendum, &c. fornicando committat Sacrilegium, non item alteri, v. g. detrahendo, quia ad hunc finem non fuit specialiter consecratus. Similiter ager Ecclesiæ est sanctificatus & Deo dicatus quoad hoc, quod sit exemptus ab oneribus laicorum, non item ut nullus per eum transeat, vel in eodem loco duellet: quo rursus fit, ut si quis laicorum oneribus agrum talem aggravare contendat, Sacrilegium incidat, non item si in tali agro duellet. Videatur de hoc Matthæucci *in cautela Confess. l.* 1. *c.* 17. §. 17. *n.* 123. vel Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 15. *punct.* 1.

562. R. jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Sacrilegium triplex dari potest, scilicet 1. personale, 2. locale, & 3. reale. Ita *omnes*. Ratio hujus divisionis est facilis, nam triplex datur genus rerum sacrarum, 1. persona, 2. locus & 3. res, prout a loco & persona distincta, & hæc omnia inhonorari, seu etiam indigna tractatione violari possunt, veluti experienta multiplici constat: atqui ex violatione personæ sacræ Sacrilegium personale, ex violatione loci sacri locale, & demum ex violatione, seu indigna tractatione rei sacræ Sacrilegium reale committi merito reputatur, veluti patet ex dictis: ergo &c. &c.

Quæres sexto, quot modis vel actionibus contingat Sacrilegium personale?

563. Ante responsionem notandum, nomine personæ sacræ hic intelligi omnem personam per sacram ordinationem, vel per statum Religionis: ejusve aliquam participationem ad cultum DEI dicatam: ideoque nedum Sacerdotes aut Clerici in sacris constituti, sed & fratres laici (ab aliis conversi vocantur) nec non & Moniales, utpote per solenne votum castitatis Deo singulariter consecratæ, sub nomine personæ sacræ comprehenduntur, veluti Herincx, Henno, & alii DD. *communiter* advertunt. Hoc notato

564. R. ad quæstionem. Sacrilegium personale quatuor modis potest contingere, 1. inferendo manus violentas in Clericum vel Religiosum, utputa percutiendo, mutilando, vel occidendo, aliamve atrocem injuriam eidem inferendo contra privilegium Canonis, *si quis suadente* 17. *q.* 4. 2. Personas Ecclesiasticas subjiciendo judicio fori sæcularis, vel ad illud trahendo, contra privilegium fori *cap.* 1. & *seqq. de foro compet.* 3. Ab iisdem personis Ecclesiasticis tributa vel gabellas exigendo, contra privilegium immunitatis *c.* 4. *X. de immunit. Ecclesiast.* quarto demum luxuriose violando corpus personæ Deo sacratæ, vel per Ordinem sacrum, vel per votum solemne castitatis &c. sive dein hoc fiat per concubitum, sive per pollutionem, sive denique per tactus impudicos, &c. &c. Ita rursus *communis* DD.

565. Quocirca cum Filliuccio *tr.* 24. *cap.* 9. *num.* 228. animadvertendum existimo, hæc sacrilegia specie morali inter se differre, eo quod præceptis formaliter diversis, id est, diversis ex motivis factis opponantur, consequenter judex sæcularis Clericum percutiens primum, dein violenter illum detinens seu incarcerans contra SS. Canones, non satis-

tisfaceret in confessione generaliter duntaxat dicendo, se manus violentas in Clericum injecisse, sed deberet insuper exprimere, id contigisse nedum percutiendo, verum insuper jurisdictionem in eundem exercendo, quæ posterior injuria longe diversa est ab illa priori, propterea que diversa seu distincta censura solet affici ab Ecclesia.

Quæres septimo, quot modis vel actionibus committatur Sacrilegium locale?

566. Ante responsionem supponendum est, nomine Ecclesiæ ceu loci sacri intelligi Ecclesiam, sacellum, altare, & quemcunque locum ad Missam vel officium divinum peragendum publica auctoritate deputatum, non item oratoria privata vel Eremitoria, esto fortassis celebratio Missæ in his fuerit permissa: non enim propterea hoc gaudent privilegio immunitatis.

Porro quoad locum sacrum bene notandum est, nomine hujus in ordine ad effectum refugii seu asyli capiendi intelligi, nedum Ecclesiam cum suis capellis, sed etiam cœmeterium, sacristiam, campanile, immo & monasterium totum &c. quia hoc immunitatis privilegium loco sacro concessum est aliquid favorabile, & hoc ipso late interpretari debet: e contra vero in ordine ad incurrendam speciem Sacrilegii nomine loci sacri intelligitur sola Ecclesia, vel Capellæ in eadem contentæ, &c. non item sacristia, vel campanile, aut monasterium: quia hæc materia velut odiosa stricte interpretari debet. De qua videri possunt Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 7. *num.* 5. Bonacina *disp.* 3. *q.* 6. *pu. un. n.* 9. August. Michel *ubi supra appendic.* 2. §. 10. *num.* 5. vel Felix Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 554. His notatis

567. R. Sacrilegium locale committi potest tribus modis. I. exercendo actum in loco sacro, per quem Ecclesia polluitur, prout fit 1. per voluntariam & culpabilem occisionem hominis, *c. præposuisti de consecr. Eccl.* 2. per voluntariam & mortaliter malam effusionem humani sanguinis, *c. un. de consecr. Eccles. in sexto* & 3. per culpabilem effusionem seminis humani, immo & probabilissime per copulam conjugalem absque necessitate in loco sacro exercitam. 4. per sepulturam hominis excommunicati saltem non tolerati, & 5. per sepulturam hominis non baptizati in loco sacro, *c. consuluisti de conf. Eccl.* & c. *Ecclesiam de conf. dist.* 1. De quibus videri potest D. August. Michel *Theolog. canon. mor. tom.* 1. *part.* 2. *appendic.* 2. *pu.* 5. §. 10. *n.* 7. 8. & 9.

II. Sacrilegium locale committitur exercendo in Ecclesia actum profanum, utputa 1. judicium ferendo in causa sanguinis aut pœnæ corporalis, *cap. cum Ecclesia, de immunit. Ecclesiast.* 2. exercendo ibi mercatum, *c. decet. de immunit. Eccl. in sexto.* 3. committendo furtum, sive dein auferatur res sacra de loco sacro, sive res sacra de loco non sacro, sive res non sacra in loco sacro, *c. quisquis* 17. *q.* 4.

III. Committitur violando immunitatem loci sacri; quod fieri censetur 1. Ecclesiam infringendo, aut bonis suis spoliando, *c. Sacrilegium. c. quisquis.* 17. *q.* 4. & *c. conquæsti de sent. excomm.* 2. fieri etiam censetur extrahendo per vim delinquentes, qui ad illam confugerunt, modo non commiserint tale delictum, quod non gaudet immunitate Ecclesiastica, vel potius jure asyli, *c. diffinivit c. miror.* 17. *q.* 4. 3. fieri potest materiam dirutæ Ecclesiæ convertendo ad usus profanos, *c. ligna. de consecrat. d.* 1. Videatur de his Filliuccius *tr.* 24. *c.* 9. *a n.* 235. Felix Potestas *in Exam. Confess. tom.* 1. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 554. & *seqq.*

Quæres octavo, quot modis vel actionibus committi soleat Sacrilegium reale?

368. Ante responsionem rursus advertendum est, nomine rei sacræ inteligi rem ad cultum divinum consecratam vel publica auctoritate deputatam, uti sunt 1. Sacramenta Ecclesiæ, præsertim SS. Eucharistiæ, cujus violatio importat gravissimam speciem Sacrilegii. 2. Sacra vasa ad usum Sacramentorum deputata, item sacri liquores, utputa Chrisma, Oleum infirmorum, aqua benedicta, nec non Cruces Christi & SS. imagines, vel Reliquiæ, nec non nomina Dei, Christi & Sanctorum, item Sacra Scriptura Canonica &c. 3. Omnia,

nia, quæ ad ornatum Altarium & Ministrorum pertinent, uti sunt Pallæ, Corporalia & Paramenta Ecclesiastica, quarto denique rebus sacris aliquo modo, licet remotius & minus proprie accensentur bona mobilia, deputata ad congruam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, templorum fabricam, itemque pia legata, vel alia deposita in Ecclesiis, &c. quæ licet in rigore loquendo non sint res sacræ seu consecratæ, quia tamen publica auctoritate ad cultum divinum præ ceteris deputatæ sunt; hinc eorum violatio seu indigna tractatio in jure passim appellatur sacrilegium. Videatur Suarez *l. 3. cap. 6. a num. 7. h. n.*

569. R. Hoc solet committi quinque modis sequentibus. 1. abutendo Sacramentis, vel ea indigne administrando, puta in statu disgratiæ, vel scienter indigno, &c. vel alia ratione vilipendendo, conculcando, &c. more hæreticorum aut sagarum &c. 2. profanando vasa sacra vel ornamenta, utpote calices sacros, vel vestes consecratas &c. 3. violando seu etiam indigne tractando Imagines Sanctorum. 4. abutendo Sacræ Scripturæ textibus ad errores confirmandos, uti faciunt hæretici. 5. non solvendo decimas, utpote ab Ecclesia consecratas ad cultum divinum. Vide Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 15. pu. 1.* Sporer *tr. 2. in decalog. c. 10. a n. 29.* vel Babenstuber *cit. art. 5. n. 16.*

Quæres denique nono, quale, vel quantum peccatum sit Sacrilegium?

570. R. Sacrilegium est ex suo genere peccatum mortale. Ita *omnes*. Ratio est: quia secundum dicta Sacrilegium adversatur excellentissimæ virtuti morali, simulque unaquæque species habet materiam satis gravem, veluti inductione facile potest ostendi; nam percussio Clerici, vel usus jurisdictionis a sæculari in eum usurpatæ, nec non violatio castitatis &c. (quæ sunt de prima specie) sunt peccata ex se mortalia. Similiter effusio humani sanguinis aut seminis, itemque furtum & violatio immunitatis Ecclesiasticæ (quæ ad secundam classem pertinent) rursus sunt peccata de se gravia. Denique indigna administratio aut receptio Sacramentorum, nec non abusus Sacrorum vasorum vel S. Scripturæ &c graviter repugnant recte rationi, ut de se liquet, consequenter ex suo genere sunt peccata mortalia.

571. Dixi: *ex suo genere &c.* ut per hoc innuerem, Sacrilegium subin committi posse absque peccato mortali, idque duplici ex capite: primo ob levitatem materiæ &c. non enim quævis aut quantumcumque levis percussio Clerici, aut furtum rei Sacræ &c. juxta rectam rationem dici debet mortaliter peccaminosum. Secundo, ob inadvertentiam seu indeliberationem; nam ubi actus de se non est plene libere factus, peccatum mortale non committitur, veluti diximus *in part. 1. Theolog. Decalog. Conferent. 2. n. 32. & 53.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Tentatione DEI, nec non de Sacrilegio.

CASUS PRIMUS.

Titius Zelosus Concionator cum e pulpito sæpius pro fide Catholica egregie dixisset, quin tamen vel unum hæreticum (quorum ingens numerus non raro interfuit concionibus) suis rationibus, vel argumentorum e oquentiæve pondere ad fidem catholicam pertrahere potuisset, tandem (nescio quo spiritu ductus) sese obtulit ad probandam, seu etiam demonstrandam veritatem fidei catholicæ quodam miraculo, modo hæretici adpromitterent, se Religioni Catholicæ accessuros, posteaquam in hujus confirmationem quoddam portentum seu miraculum coram perspexissent. Alii e contra viri prudentes dissuasere Titio similia promissa, eo quod per hæc DEUS potius tentaretur, & Religio Catholica periculo exponeretur &c. at ille respondit, quamplures Sanctos similia miracula a DEO postulasse & impetrasse, prout de S. Antonio Paduano legitur, similiter D. Petrum bina vice per aquas ad Christum properasse, tametsi illud more aliorum Apostolorum potuisset facere navigio: denique & Elisæum ignem a Cœlo avocasse, esto hoc

non

non fuisset necessarium, *hodiedum autem manum Dei non esse abbreviatam &c. Quid de hoc Zelo Titii?*

572. R. Hunc Zelum ab aliis viris prudentibus merito fuisse reprobatum velut indiscretum & immaturum. Cum enim veritas Fidei Catholicæ hodie satis sit probata, nedum rationibus ex antiquitate, unitate, sanctitateque doctrinæ petitis; verum insuper innumeris miraculis, quorum claritas & evidentia ipsorum etiam Adversariorum oculos fugere nunquam posset, modo ipsimet nollent opponere pertinaciæ suæ umbraculum &c. hinc sane minime opus est, ut ad convincendam pertinaciam, vel ad cujuslibet placitum DEUS hodie fidem nostram novis confirmet miraculis. Unde R. P. Illsung *tr.* 5. *disp.* 3. *numer.* 287. narrat, alium quendam Prædicatorem Evangelicum, ut fidem Christianam populo infideli persuaderet, tentasse eo inspectante super aquas sicco pede incedere, sed navigio liberari debuisse, ne undis hauriretur, moxque sapienter resolvit, hunc Prædicatorem Deum graviter tentasse, & hoc ipso (nisi per Zelum non secundum scientiam exercitum excusetur) graviter peccasse: quemadmodum enim magnam irreverentiam Principi inferret, qui Eum a sapienter decretis sine necessitate recedere quodammodo cogeret, aut recusantem contemptui exponeret; ita gravem irreverentiam DEO irrogat, qui Deum vel ab ordine suæ providentiæ dimovere vult ad faciendum miraculum sine necessitate, vel ipsum apud populum infidelem trahere in suspicionem alicujus impotentiæ aut malevolentiæ, quod scilicet Deus vel non posset vel non vellet patrare miraculum ab altero præsumptuose promissum in fidei contestationem.

573. Nec obstat (inquit idem Doctor) quod etiam Sancti viri videantur nonnunquam petivisse a Deo miracula sine necessitate; nam quotiescunque Deus scitur hujusmodi miracula patrasse, inde velut a posteriori certo colligitur, ea ex divino instinctu petita, atque a Deo ad speciales fines ordinata fuisse.

At, inquies, Christus ipse suis Prædicatoribus hanc gratiam miraculorum adpromisisse legitur *Marci* 16. *v.* 17. sequentibus omnino verbis: *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis* &c. quis ergo hodiedum Concionatorem Apostolicum temeritatis aut præsumptionis arguat, eo quod in confirmationem veræ fidei novum a Deo miraculum prætendat?

574. R. Equidem Christum Dominum hanc gratiam miraculorum adpromisisse, at Apostolis seu discipulis ad promulgandum Evangelium primum missis in exordio nascentis Ecclesiæ, quo tempore utique ad persuadendam hominibus hanc novam doctrinam Evangelicam aliunde satis difficilem & nunquam ante hac cognitam necessaria fuere miracula. Ast vero, posteaquam fides Evangelica per Orbem universum jam satis fuit promulgata, & per tot sæcula innumeris miraculis luce meridiana clarioribus confirmata, minime sane necessum est, ut vel ob hæreticorum aut infidelium pertinaciam convincendam, vel ob Zelum non secundum scientiam exercitum (melius præsumptionem diceremus) illico nova patret miracula, veluti more suo sapientissime animadvertit D. Georgius *hom.* 29. *in Evang. post initium*, dicens: *hæc* (signa) *necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda; quia & nos, dum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit* &c. Similia ex aliis refert Cornelius a Lapide in eundem locum.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius diebus festivis Ecclesiam diligenter quidem accedit, non tamen animo honorandi DEUM, sed videndi & conveniendi sponsam suam, cujus in aspectu nedum oculos impudice pascere, morosеque delectari assolet, sed insuper sese secreto polluere in eodem loco sacro: finitis denique divinis certis quibusdam signis eandem invitare & solicitare assuevit ad concubitum,

tum, non quidem in Ecclesia, sed in alio tertio loco complendum, quem & sponsa plerumque acceptat, nisi impossibilitas moralis vel aliæ circumstantiæ id prohibeant. Jam ad nostrum propositum quæritur 1. an Sempronius committat speciale peccatum Sacrilegii ex eo, quod diebus festivis, & quidem in loco sacro soleat oculos pascere, morose delectari, ad concubitum invitare soleat &c. &c. 2. dubitatur singulariter, an non commiserit Sacrilegium, eo quod in Ecclesia sese polluerit, licet non notorie, sed secreto?

575. R. ad prius quæsitum. Sempronius probabiliter non commisit Sacrilegium ex eo, quod diebus festivis Ecclesiam frequentaverit animo non honorandi DEUM, sed oculos pascendi, & in eodem loco invitandi seu etiam sollicitandi suam sponsam. Ratio est: quia tempus sacrum non venit inter res sacras numerandum: esto enim in illo sacra fiant, tempus tamen ipsum non sacratur. Hinc Castropalao *tom.* 1. *tr.* 7. *disp.* 2. *pu.* 2. *n.* 11. cum Suarezio ac Lessio recte infert, omissionem Sacri, vel laborem servilem in die festivo exercitum, aliave peccata mortalia die festivo commissa, ratione temporis non induere malitiam Sacrilegii. Rursus ex eo, quod (seclusо tamen contemptu & voluntate inhonorandi locum sacrum) sponsam suam ad concubitum alibi complendum invitare soleat, probabiliter non committit Sacrilegium, etsi P. Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.* 10. *sect.* 4. *num.* 28. *in fine* haud improbabiliter dicat, similia peccata gravem continere irreverentiam contra loci sanctitatem, merito a timoratis explicandam in confessione, prout revera etiam faciunt juxta dictamen rectæ rationis. Et certum omnino existimat Suarez *de Relig. tom.* 1. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 11. tactus impudicos in partibus verendis, saltem publice factos vel attentatos in loco sacro, contrahere circumstantiam Sacrilegii: *fortasse tamen* (subdit idem Doctor) *non erit idem de turpi aspectu, aut nutu, aut levi verbo, maxime quando in transitu & sine notabili mora & scandalo fiunt; quia non videntur materia ita gravis: de quo non potest ferri certa regula, sed id prudenti judicio relinquendum est.* Ita ille. Censeo proin interrogandum ex tali pænitente, an non apprehenderit specialem malitiam vel irreverentiam, ex eo, quod in loco sacro similia practicaverit, tum vero ex responsis non erit difficile practicum ferre judicium de gravitate peccatorum, aut de circumstantia Sacrilegii.

576. R. jam ad secundum, Sempronium commisisse Sacrilegium locale toties, quoties voluntarie quantumvis secreto sese polluit in Ecclesia. Esto enim per effusionem humani seminis secreto factam locus sacer non polluatur; nihilominus actus ipse ex se indecentissimus est dignitate loci sacri, & summopere contrarius ejusdem sanctitati, atque hoc ipso jure naturali divino (quod dictat sancta esse sancte tractanda) censeri debet graviter prohibitus. Hac de causa Sacri Canones statuere, ut si talis effusio seminis postea publicetur, Ecclesia habeatur pro violata & profanata, quippe cujus sanctitas per talem actum fuit prostituta & contemptui exposita, donec per reconciliationem quasi jure postliminii honorem suum recuperet. Non latet me quidem, a pluribus Doctoribus teneri, hujusmodi actus impudicos non contrahere malitiam Sacrilegii, nisi fiant publice, vel cum periculo publicationis; nihilominus cum D. Michel *cit. appendice l. cit.* 2. §. 10. *num.* 16. probabilius judico, esse sacrilegos, etiamsi occulte fiant in loco sacro; non enim ideo præcise Ecclesiæ sanctitati fit injuria, quia hæc per eos profanatur aut polluitur, sed ex eo potius, quod ex natura sua sint valde turpes, & ob hanc turpitudinem Sacri Canones voluere, ut Ecclesia habeatur violata & profanata.

Sed quid tenendum de illis, dicet forsan nonnemo, qui se accusant, quod in Ecclesia durantibus divinis S. V. Flatus emiserint.

577. R. Eximendum illis esse hunc scrupulum, ne deinceps forsan ex conscientia erronea peccent, atque dicendum, quod hujusmodi emissio aut exoneratio (nisi fortassis ex contemptu vel cum Scandalo audientium fieret) omni culpa vacet, tum quia natura frequentius exigit exoneratio-

nem

nem a flatibus, hanc proin ob causam semper exire, nimis foret onerosum; fortassis etiam officii ratio non semper permitteret: tum etiam, quia flatus nullam specialem turpitudinem relinquunt post se, vi cujus Ecclesia in prudenti hominum existimatione reputari deberet profanata vel prostituta. Secus dicendum foret, si quis in Ecclesia ventrem aut vesicam vellet exonerare aut vertere stomachum, more canum; vel si in eadem præsumeret stabulari equos: cum enim tales actiones ex sua natura sint valde turpes, & permagnam post se relinquant fœditatem, profecto, sana ratio dictat, eas esse inconvenientissimas sanctitati Ecclesiæ, veluti *ex communiori DD.* bene docet R. D. August. Michel *l. cit. n.* 17.

CASUS TERTIUS.

Cajus certæ cujusdam Ecclesiæ custos, dum nuper post prandium insolitum quendam tumultum in eadem sua Ecclesia percepisset, quid rei esset exploraturus, deprehendit duas mulieres de proprietate seu dominio cujusdam libri precarii nedum verbis contendentes, sed & rixantes, ita ut una ab altera percussa copiosum sanguinem e naribus effuderit. Cajus rei novitate nedum obstupefactus, sed & honoris divini zelo inflammatus prob scelus! exclamavit: heri Ecclesia mea latratibus canum, hodie rixis & incondito clamore mulierum molestatur & profanatur: discedite subito malæ bestiæ, & foribus Ecclesiæ exestote, secus mediante nervo bubulo viam vobis monstrabo & januam. Haud paulo post Cajus consuluit quendam Theologum interrogando 1. *an dictæ mulieres non commiserint grave Sacrilegium, & an propter rixas, humanique sanguinis effusionem Ecclesia non sit habenda pro polluta, ita ut indigeat reconciliatione? Secundo, an ipse Cajus non bene fecisset, mediante nervo bubulo dictas mulieres instar canum expellendo, & alteram pariter usque ad effusionem sanguinis e naribus aut dentibus percutiendo? Quid Theologus respondebit sciscitanti?*

578. R. ad primum quæsitum, Mulieres in hoc casu procul dubio commisisse irreverentiam sacrilegam, Ecclesiam tamen propterea non censeri debere pollutam, primo: quia ad hoc non sufficit quæcunque effusio sanguinis, sed debet esse injuriosa, & conjuncta cum peccato mortali: hæc autem effusio sanguinis e naribus ob inflictam ab altera muliere aliunde ad iracundiam concitata alapam, esto injuriosa fuerit, probabiliter tamen non fuit, nisi venialiter peccaminosa. Secundo: quia nares sunt organum nimis promptum ad effundendum sanguinem, & hanc ob causam Felix Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 571. absolute asserit, per effusionem sanguinis humani e naribus vel dentibus factam, Ecclesiam non pollui. Tertio denique in ordine ad hoc, ut Ecclesia censeatur polluta, debet effusio sanguinis (vel seminis humani) esse notoria, nedum *notoreitate facti*, hoc est, ita, ut de eadem notabili parti communitatis constet, sed insuper, *notoreitate juris*, ita scilicet, ut super crimine commisso, & inde inducta pollutione emanaverit declaratoria judicis sententia, juxta receptam *DD.* opinionem, videndam apud Laymann *l.* 5. *moral. tr.* 5. *cap.* 5. *n.* 8. Dianam 6. *part. tr.* 7. *miscellan. resolut.* 27. & *part.* 11. *tract.* 2. *resolut.* 59. Moyam *tract.* 3. *de Sacr. pœnit. disp.* 3. *q.* 4. *cap.* 2. *num.* 6. & alios: atqui hæc omnia non contigere in nostro casu; ergo &c.

579. R. Jam ad alterum quæsitum. Tametsi Cajus nervo bubulo dictas mulieres percussisset etiam usque ad effusionem sanguinis e naribus, probabiliter tamen ob id nec Sacrilegium incurrisset, neque Ecclesia fuisset polluta. Ratio horum facile eruitur ex dictis; quia talis percussio, utpote non malo affectu, sed potius zelo honoris divini facta non fuisset peccaminosa, neque etiam Ecclesiæ injuriosa: at hoc ipso non potuit esse Sacrilega &c. ergo. Profecto Christus ipse legitur *Joan.* 2. *v.* 15. *fecisse quasi flagellum de funiculis, & ejecisse de templo omnes, qui volebant facere e domo Patris sui ceu domo orationis, domum negotiationis*. Ceterum an etiam conveniens fuisset, ut Cajus alteram mulierem pariter percuteret usque ad

 effu-

effusionem sanguinis, aliorum judicio ac discretioni relinquo, minime vero consulo.

Sed quid dicendum, ais, casu, quo quis in Ecclesia alterum lethaliter vulnerat, aut lædit, ita tamen, ut iste non intra, sed extra Ecclesiam effundat sanguinem, vel etiam sine omni sanguinis effusione omnino vi læsionis moriatur?

580. R. In hoc casu adhuc pollui Ecclesiam. Ratio est: quia talis occisio censetur voluntaria & injuriosa, nedum Deo vel homini occiso, sed & Ecclesiæ, utpote in qua data fuit causa mortis, non sine gravi torto sanctitatis loci, esto sanguis humanus neque etiam extra parietes Ecclesiæ fuerit effusus. Similiter si quis extra Ecclesiam positus alium in Ecclesia existentem percutiendo vel gladio aut globo trajiciendo occidat, polluta censetur Ecclesia; etsi enim in tali casu motus fiat extra, occisio tamen moraliter loquendo censetur fieri intra parietes Ecclesiæ, quemadmodum existens in uno territorio, si trajiciat aut occidat hominem in altero territorio existentem, ibidem etiam deliquisse censetur, ita, ut ratione delicti ab illius territorii judice conveniri possit, & puniri. Videatur Laymann *l.* 5. *tr.* 5. *cap.* 5. *n.* 7. Aut Felix Potestas *loc. cit.* *c.* 4. *a n.* 568. ubi hanc materiam fusius tractat.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

581. COlliges ex hactenus dictis primo, tentatoribus Dei adnumerandos esse sequentes. 1. qui quantumvis irreverenter orantes, nihilominus sperant, se impetraturos a Deo idem, quod alii reverenter ac devote orantes impetrare solent; tales enim censentur velle experiri divinam potentiam & bonitatem, an scilicet etiam irreverenter orantibus subvenire possit aut velit, licet in hoc Doctores regulariter non agnoscant nisi culpam venialem. 2. iisdem accensendi sunt, qui non coacti justa causa, sed ex mera desidia negligunt studia Sacrarum Litterarum, & nihilominus prædicare vel cathedram conscendere præsumunt, confidentes temere, Spiritum Sanctum sibi astiturum & inspiraturum omnia; quod Navarrus *cap.* 11. *num.* 80. existimat mortaliter malum. Sanchez tamen *in decalog. l.* 2. *cap.* 34. *num.* 16. cum aliis rectius asserit, non esse nisi veniale peccatum, modo absit scandalum, vel aliud periculum v. g. animarum, quod ex tali negligentia vel incuria natum est pullulare. Tertio, etiam illi censendi sunt tentare Deum, qui paganorum more viventes, christiane tamen & pie morituros se credunt vel exspectant, uti bene advertit Henno *tr. in decalog. disp.* 1. *q.* 5. *art.* 1. *conclus.* 2. *circa fin.*

582. Colliges secundo, a peccato tentationis excusandos non esse illos, qui temere, id est, sine necessitate vel justa utilitate (quales esse possent, si periclitaretur honor Dei, veritas fidei, vel salus propria, aut proximorum, &c.) sese offerunt, vel etiam exponunt periculo martyrii. Ratio est: quia tales imprudenter, & ex præsumptione seu nimia confidentia extraordinarium Dei auxilium in perferendis tormentis sibi promittunt. Insuper infidelibus vel Tyrannis præbent occasionem scandali, peccandi scilicet contra charitatem, dum eos quodammodo provocant ad martyrizandum; unde minime dubitandum, quin propterea graviter peccent nedum peccato tentationis contra virtutem Religionis, sed etiam peccato scandali contra charitatem, tum proximo, tum etiam sibi debitam. Dum vero nonnulli Sanctorum leguntur Tyrannos quodammodo provocasse ad martyrium sibi inferendum, pie credendum est, eos id fecisse vel ex zelo fidei, vel ex speciali instinctu Spiritus Sancti, & hoc ipso non sine justa causa. Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.* 10. *sect.* 2. *n.* 7. Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *c.* 5. *n.* 6. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *art.* 5. *n.* 6.

583. Colliges insuper tertio, ad tentationem Dei pertinere illas purgationes a crimine objecto, quæ olim fieri solebant per ferrum candens, vel per aquam ferventem. Unde consequenter dicendum, nedum eos, qui sponte sese offerunt

ad

ad probandam tali modo innocentiam suam, sed etiam judices, qui hujusmodi probas expetunt, vel contra personam aliquam, quæ noluit, aut non potuit sufferre talem probam, tanquam proditam & convictam de crimine procedunt, sive torturæ eam subjiciendo, sive omnino ad pœnam condemnando, graviter peccare, uti bene docet Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *c.* 5. *n.* 5. Ratio est: quia usus talium purgationum prorsus est temerarius & præsumptuosus: tum etiam, quia judex in processu contra reos indiciis ac probationibus uti debet, quæ humano ac naturali modo deprehendi possunt: at, tales non sunt probæ mox recensitæ; cum Deus nullatenus teneatur personam etiam innocentem conservare illæsam ab ardore ferri candentis, seu etiam aquæ ferventis, neque horum calorem ita attemperare, ut non lædat &c. ergo.

Nec obstat, similes purgationes delictorum sæpe fuisse a Deo variis miraculis confirmatas, veluti constat de Sancta Chunigunda, aliisque ex historiis videndis apud Delrium *disquis. magic. l.* 4. *c.* 4. *q.* 4. *sect.* 3. *& seqq.* id enim accidisse censendum est in casibus, in quibus id fieri licuit ex divino instinctu, vel in quibus Deus singulariter voluit favere innocentiæ putatitii delinquentis, uti post Suarezium *tom.* 1. *de Relig. tr.* 3. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 8. recte advertit Sanchez *in decalog. l.* 2. *c.* 34. *n.* 12.

584. Colliges quarto, eum, qui delinquit contra votum simplex castitatis, committere quidem duplex peccatum mortale in confessione necessario explicandum, unum scilicet luxuriæ contra virtutem continentiæ, alterum infidelitatis contra votum Deo factum, probabiliter tamen non committere peccatum Sacrilegii. Ratio est: quia per votum simplex persona non fit Sacra, nec Deo specialiter consecrata, sicuti fit per votum solemne Religionis, vel susceptionem Ordinis Sacri, vi quorum ex ordinatione Ecclesiæ saltem censetur corpus specialiter DEO consecratum, proptereaque vi talis læsionis committeretur Sacrilegium. Quin immo Filliucius *tr.* 24. *n.* 224. probabiliter tenet, etiam per violationem voti simplicis committi Sacrilegium, eo quod etiam per tale votum castitas fuerit DEO quodammodo dicata & consecrata.

585. Colliges quinto, complicem qui cum persona sive per votum solemne, sive etiam per Ordinem Sacrum Deo consecrata carnaliter peccat, semper committere Sacrilegium, esto complex ipse non sit obstrictus ne simplici quidem voto castitatis. Ita *ex communi* Doctorum Laymann *cit. l.* 4. *tr.* 10. *cap.* 7. *num.* 3. Ratio est: quia talis complex cooperatur saltem ad violandam rem Sacram, corpus scilicet alterius: ergo quemadmodum solutus peccando cum conjugata, committit verum adulterium esto ipse ligatus non sit, ita etiam talis complex committit verum Sacrilegium.

586. Colliges sexto, Novitium qui nec votum emisit, neque etiam Ordinem Sacrum suscepit &c. non committere peccatum Sacrilegii peccando contra castitatem, sive dein secum, sive cum alia persona non sacra peccet; & hoc ipso non teneri ad exprimendam in Confessione circumstantiam Novitiatus. Ratio est: quia in tali casu non violatur persona sacra, velut hactenus dicta consideranti patebit: ubi autem non intervenit violatio rei sacræ, ibi Sacrilegium non committitur: ergo &c. Vid. Tambur. *in Methodo expedit. Confess. l.* 2. *c.* 7. *§.* 5. *n.* 33. aut Filliucius *cit. tr.* 24. *n.* 233. *&* 234.

587. Colliges septimo, Eos, qui in loco sacro vel e loco sacro rem non sacram, neque etiam in custodiam Ecclesiæ specialiter depositam furando surripiunt, utputa succidendo marsupium, aut clependo horologium saccale (uti vocant) probabilius committere verum Sacrilegium. Ita sane *communis* & probabilior sententia, quam sequuntur Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 15. *pu.* 1. Filliuc. *cit. c.* 9. *num.* 234. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 6. *pu. un. num.* 17. Auguft. Michel *ubi supra n.* 20. Pontas *in dictionario Casuum V. Verb. Sacrilegium, Cas. I.* Ratio est: quia hoc modo vera infertur injuria sanctitati loci, dum ita profanatur, ut homines secure non amplius ibi valeant vacare divinis, sed potius cogantur invigilare atque intendere marsupio aut

aut horologio, quam divinis, prout in magnis concursibus, ubi devotioni plurimum vacandum esset, non raro fieri assolet, non sine detrimento honoris divini; quandoquidem multi propter hunc timorem a cultu divino retrahi, aut merito absterreri possint vel soleant. Unde etiam *can. quisquis* 21. *C.* 17. *quæst.* 4. simpliciter dicitur: *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro vel NB. non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.*

588. Colliges denique octavo, peccatum Sacrilegii nedum committendo, sed etiam omittendo posse incurri, tametsi pluries committendo, quam omittendo incurratur. Ratio hujus est: quia etiam per culpabilem omissionem res sacræ possunt violari seu indigne tractari, utputa si fons baptismalis non servetur immunis a sordibus, si vasa sacra vel instrumenta ad Sacrificium necessaria non purgentur aut laventur, vel, quod adhuc pejus, si Ciborium non purgetur, ita ut particulæ vel hostiæ consecratæ permittantur corrodi a vermibus &c. vel ita corrumpi, ut decenter non amplius possint administrari communicaturis &c. De quibus merito dicitur *cap.* 2. *de custod. Eucharistiæ*: *sunt & alii, qui non solum Ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa ministerii, & vestimenta Ministrorum, ac pallas altaris, nec non ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sint horrori.* Videatur Laymann *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 7. *num.* 14. vel Illsung. *tr.* 5. *disp.* 3. *n.* 300.

CONFERENTIA

DECIMA NONA.

De Simonia.

SUMMARIUM.

589. *Simonia est studiosa voluntas emendi aliquid spirituale &c.*

590. *Ad hanc tria necessario debent concurrere.*

591. *Pretium simoniacum (alio nomine* munus *dicitur) est triplex, scilicet* 1. *munus a manu* 2. *a lingua, &* 3. *ab obsequio.*

592. *Simonia triplex est, scilicet.* 1. *mentalis.* 2. *conventionalis, &* 3. *realis.*

593. *Rursus alia dicitur contra jus naturale, & divinum, alia contra jus humanum duntaxat.*

594. *Simonia ex suo genere est mortaliter peccaminosa, nonnunquam per accidens tantum fit veniale peccatum.*

595. *Simoniam committit, quisquis pro bono spirituali dat temporale per modum pretii, vel per modum motivi in ordine ad impetrandum illud.*

596. *Aut per modum gratuitæ compensationis prius in pactum deductæ &c.*

597. *Nunquam fas est pro re spirituali exigere vel acceptare bonum temporale per modum pretii &c. bene tamen per modum stipendii vel sustentationis &c.*

598. *Bonum temporale tripliciter potest esse annexum bono spirituali, scilicet* 1. *antecedenter* 2. *concomitanter, &* 3. *subsequenter.*

599. *Pro re temporali quæ connexa spirituali, nunquam fas est aliquid temporale accipere &c.*

600. *Nihilominus res benedictas v. g. calicem, rosaria &c. mere materialiter sumptas, scilicet pro materia aut forma artificiali licet vendere &c.*

601. *Solvitur quædam instantia contra hanc resolutionem.*

602. & 603. *An vel qualiter liceat Monasterio aliquid exigere vel acceptare a Novitio aut Novitia professura?*

604. *An summus Pontifex, & quinam alii incurrere possint labem Simoniæ?*

605. *Resolvitur Casus I. de quodam Capellano, qui intuitu ulterioris promotionis ad beneficium Ecclesiasticum multis annis extitit a Servitiis cujusdam Comitis.*

606. *Alius quidam pro eodem beneficio supplicans promiserat, se fore gratum illo obtento.*

607. *Alii Comitissæ promiserunt auri pondus pro intercessione.*

608. *Qui propterea probabilius inciderunt crimen Simoniæ.*

609.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Simonia.

QUæres primo, quid sit Simonia, & quotuplex pretium simoniacum?

589. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Simonia a *Simone Mago* (qui oblatis pecuniis voluit ab Apostolis emere potestatem conferendi Spiritum Sanctum *Act.* 8. *c.*) sic dicta, recte describitur, quod sit studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid Spirituale vel Spirituali annexum, pretio temporali. Ita *communiter* DD. Dicitur 1. *studiosa voluntas*; id est, actus deliberatus voluntatis; tum quia Simonia velut grave peccatum deliberationem exigit; tum etiam, quia Simonia in sola voluntate interna præcipue potest consistere, veluti constabit ex proxime dicendis. Dicitur secundo, *emendi vel vendendi*; quæ particulæ juxta S. Thomam 2.2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 5. accipiendæ sunt latius, id est, pro omni contractu & pacto oneroso, quo datur pretium temporale, vel aliquid pretio æstimabile pro Spirituali, sive dein id fiat per veram emptionem aut venditionem, sive per aliquam permutationem vel alium quemvis contractum onerosum. Dicitur tertio, *aliquid Spirituale*; id est, supernaturale, seu ex natura sua ordinatum ad salutem animæ & finem supernaturalem, sive dein sit tale per essentiam, uti sunt gratia Sanctificans, & alia dona Spiritus Sancti; sive sit tale causaliter, uti sunt Sacramenta causantia gratiam, sive denique sit tale per effectum, uti sunt actus Ordinum & officiorum Ecclesiasticorum. Dicitur quarto vel *Spirituali annexum*, sive antecedenter, sive concomitanter, sive etiam consequenter veluti *numer.* 598. amplius declarabitur. Additur tandem quinto, *pretio temporali*; quo nomine hic intelligitur non solum omnis pecunia, sed etiam, omne illud, quod est pecunia æstimabile; simulque innuitur malitia Simoniæ, in eo consistens, quod contra omnem

nem reverentiam & virtutem Religionis res Spiritualis comparetur rei temporali , perinde ,ac si tam vilis esset, ut rei terrenæ pretio æstimari vel æquiparari posset.

590. Ex qua explicatione liquet, ni fallor, ad Simoniam proprie talem tria debere concurrere 1. *materia*, quæ sit res Spiritualis vel Spirituali annexa. 2. *pretium temporale*, vel aliquid pretio æstimabile comparatum vel commensuratum rei spirituali qua tali; ubi enim datur Spirituale pro Spirituali v. g. Calix pro Calice, Reliquiæ pro Reliquiis &c. proprie non committitur Simonia, licet talis commutatio circa beneficia Ecclesiastica sine auctoritate legitima facta vel facienda , jure humano graviter sit prohibita velut obnoxia Simoniæ &c. 3. Necessum est , ut ad veram Simoniam interveniat *pactum* sive explicitum, sive implicitum saltem, seu tale, vi cujus unus intendit alterum sibi reddere obstrictum seu obligatum ad dandum Spirituale pro temporali , aut vicissim.

591. R. Jam secundo ad secundum membrum ejusdem quæsiti. Pretium Simoniacum (quod alio nomine Jure Canonico *cap. sunt nonnulli* 1. *q.* 1. & *can. Salvator* 1. *qu.* 3. vocari solet *munus* , non quidem prout ly munus idem significat, quod donum gratuitum, sed prout importat debitum ex obligatione) pretium , inquam , hoc simoniacum, seu munus triplex est , scilicet 1. *munus a manu.* 2. *munus a lingua* & 3. *munus ab obsequio*. Per munus a manu intelligitur pecunia, & quidquid pretio æstimatur ab hominibus , puta vestis, animalia, artefacta &c. *c. totum.* 1. *q.* 3. Per munus a lingua intelliguntur laudes, intercessiones vel recommendationes v. g. apud Principem vel populum ex pacto interponendæ pro eo , vel amicis ejus , qui beneficium, vel rem spiritualem cuipiam contulit , aut conferre intendit . Denique per munus ab obsequio intelliguntur servitia seu obsequia temporalia cuipiam præstita vel præstanda sub conditione vel cum pacto beneficii Ecclesiastici sibi conferendi , aut vice versa &c. Ita *communnis Doctorum* apud Henno & alios.

Quæres secundo, quotuplex sit Simonia, & quale peccatum sit?

592. R. ad primum membrum hujus quæsiti. Simonia ut sic est triplex: alia dicitur *mentalis*, alia *conventionalis* (ad quam reduci solet confidentialis) alia denique *realis* . *Simonia mentalis* juxta Laymann, Pichler, la Croix & alios, non sumitur hic pro mero actu interno, quo quis intendit committere Simoniam (esto etiam talis voluntas possit suo modo dici Simonia mentalis, sicut voluntas adulterandi dicitur adulterium mentale) sed committitur tunc, dum quis reipsa dat aliquid temporale pro spirituali (vel vicissim) absque eo tamen, quod exterius manifestet , se per hoc velle alterum obligare, licet a parte rei habeat animum alterum obligandi aut permovendi ad conferendum sibi aliquid spirituale : & ab hac intentione in mente retenta datio illa exterior appellari solet Simonia mentalis : ad quam secundum Pichler & alios sufficit pactum inchoatum ex parte unius, nec requiritur completum vel acceptatum ex parte alterius; secus enim Simon Magus dici non posset commisisse Simoniam.

Simonia conventionalis est, quæ fit conventione expressa vel saltem tacita , dandi scilicet spirituale pro temporali, aut vicissim , & hæc quamdiu id, quod promissum fuit, nec ab una, neque etiam ab altera parte fuit præstitum, dicitur Simonia mere & pure conventionalis, si vero ex alterutra parte tantum fuit præstitum, dicitur Simonia conventionalis *mixta*, scilicet ex conventionali & reali; nam *Realis* appellatur, quæ supposita conventione seu pacto per mutuam traditionem, rei scilicet spiritualis pro temporali, fuit consumata. Ultra has tres species communiter a Doctoribus recensetur *Simonia confidentialis*, quæ committitur circa beneficia Ecclesiastica , dum scilicet unus beneficium Ecclesiasticum alteri procurat, sive eligendo, sive præsentando , aut resignando, sed ex *confidentia*, id est, pacto vel expresso, vel saltem tacito, ut alter vicissim illud beneficium procuratori aut tertio cuipiam resignet, vel certam pensionem ex eodem beneficio præstet. Verum hæc species commode reduci potest

ad

ad illas tres mox recensitas; vel enim talis procuratio fit cum solo animo confidentiæ &c. & dici potest Simonia mentalis, vel fit cum pacto, quidem, sed ab una parte duntaxat adimpleto, & dicitur Simonia conventionalis: vel denique facta supponitur cum pacto ex parte utriusque jamjam adimpleto; & dicetur Simonia confidentialis realis, uti bene advertit Henno *tr. in decalog. disp.* 1. *q.* 5. *art.* 3. §. 2. *concl.* 2.

539. Porro Simonia ut sic solet communissime dividi in eam, quæ est *contra jus naturale & divinum*, & in illam, quæ est *contra jus humanum duntaxat*. Prior incurritur, dum res pure spiritualis pretio temporali emitur aut venditur: & hæc velut intrinsece mala nullam prorsus admittit dispensationem, neque ulla consuetudine contraria reddi potest licita.

Posterior committitur, quando non datur quidem temporale pro spirituali, aut vicissim, sed dum res una spiritualis vel huic annexa commutatur sine auctoritate legitima cum alia spirituali, v. g. beneficium cum beneficio: vel res temporalis quidem, specialiter tamen ex motivo & virtute Religionis vendi prohibita ab Ecclesia datur pro temporali, ut si officium Ecclesiasticum extrinsece duntaxat ad res sacras ordinatum, utputa Sacristæ, Thesaurarii, Oeconomi, Advocati Ecclesiæ &c. vendatur pro pecuniis &c. aliæ plures species hujus Simoniæ contra jus humanum possunt videri apud Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *art.* 5. *numer.* 38. Herincx & alios.

594. R. jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Simonia ex suo genere est peccatum mortale, ita ut ob parvitatem materiæ præcise nunquam possit fieri veniale tantum. Ratio prioris (cui Doctores communissime subscribunt) colligitur tum ex illo *Act.* 8. ubi D. Petrus Simoni Mago dixisse fertur: *pecunia tua tecum sit in perditionem*. Unde & Sacri Canones passim graviter invehuntur in hoc vitium, dum illud appellant *execrabile vitium, piaculare flagitium, turpissimum lucrum, simoniacam pestem, hæresin* &c. uti videre licet ex c. *Reperiuntur*. &c. *Quicunque ac seqq.* 1. *q.* 1. item c. *Patet* 1. *q.* 7. & c. *Per tuas de Simonia*, & alibi. Ex quibus verbis quisque prudentum facile colliget gravitatem hujus delicti. Ratio autem posterioris (quam contra nonnullos tenent Sylvius, Henno *cit. q.* 5. *art.* 3. §. 1. *concluf.* 2.) inde deducitur; nam levitas materiæ in hoc vitio peti non potest ex parte pretii, quo enim vilius pretium datur, eo magis vilipenditur res spiritualis, & irreverentiæ culpa aggravatur. Neque etiam peti valet ex parte rei sacræ seu spiritualis; hæc enim, quantumvis modica, supponitur vere spiritualis, & hoc ipso toto genere superior quavis re profana seu temporali; at hoc ipso fit ei gravis injuria, dum pro re temporali distrahitur: ergo &c. atque hinc recte infert Henno *loc. cit. in fin.* eos graviter peccare, qui Agnus Dei, Scapularia, Chordas, panem &c. alia ejusmodi benedicta carius vendunt propter benedictionem.

Quæres tertio, an condemnandus sit Simoniæ, qui dat aliquid temporale ex motivo quidem obtinendi spirituale (aut vice versa) at sine obligatione interveniente?

595. R. Quisquis alteri dat temporale quodcunque, sive per modum motivi, quo scilicet alterum movere vult, ut hujus intuitu sibi retribuat spirituale quid; sive per modum finis, aut pretii, modo detur animo alterum obligandi ad conferendum sibi aliquid spirituale, vere committit Simoniam. Ita hodie *communissime DD.* Henno *loc. cit.* §. 3. *concluf. un.* la Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 73. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *art.* 5. *n.* 33. Pichler *in Compend. Jur. Can. l.* 5. *tit.* 3. *n.* 11. & 12. Cardenas & Viva *ad proposit.* 45. & 46. *ab Innocent. XI. damnatas*; idque liquet ex tenore propositionum, quarum prior *n.* 45. ita sonat: *dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

Posterior *num.* 46. ita habet: *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo*

mo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis. Ratio vero est, quia temporale aliquid dare ut motivum conferendi aut obtinendi spirituale, involvit pactum vel inchoatum, vel virtuale & tacitum, quo alter ad dandum spirituale obligetur. Similiter dare temporale ut finem rei spiritualis, est virtualiter saltem pacisci, & intendere temporale tamquam pretium, æque vel pluris æstimatum, quam spirituale; quod procul dubio culpa turpissimæ Simoniæ, & gravis erga res divinas injuriæ non vacat.

Sed quid, ais, si temporale detur duntaxat per modum gratuitæ compensationis, eritne Simonia?

596. R. Si hæc obligatio dandi temporale deducatur in pactum onerosum sub quocunque demum prætextu v. g. hoc aut simili modo: *si mihi contuleris hoc beneficium, obligo me ad dandos tibi ex gratitudine* 100. *aureos*: aut *dabo tibi liberaliter amicitiæ causa &c. beneficium, si te obliges ad dandos mihi liberaliter vel amicitiæ causa* 100. *aureos*. Vel si quis dicat: *obligo me ad dandos* 100. *dugatos, non velut pretium, sed veluti motivum, ut hanc gratiam mihi recompenses, conferendo beneficium Ecclesiasticum* &c. &c. in his inquam & similibus casibus revera committitur Simonia. Ita Suarez, Laymann, Illsung *tr.* 5. *disp.* 3. *num.* 303. Viva *ubi supra n.* 2. la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 70. Ratio est: quia tametsi hujusmodi contractus dicantur, vel potius simulentur fieri ex sola gratitudine vel liberalitate aut amicitia &c. exercite tamen & in rei veritate vi horum imponitur obligatio nova ad aliquid determinate præstandum, & quidem distincta a debito gratitudinis, utpote quæ ex se nunquam obligat ad aliquid determinatum. Quo fit, ut talis conventio vel donatio non sit mere liberalis vel gratuita, sed potius lusus & abusus terminorum, quo vitium Simoniæ palliatur; quemadmodum si diceret Titio: *dono tibi Equum sub conditione, si mihi vicissim ex gratitudine, amicitiæ causa, vel liberalitate velis donare* 100. *florenos*, revera non donares, sed venderes Equum. Ex quo liquet, quam merito Innocentius XI. damnaverit propositionem illam *n.* 45. proxime recensitam in terminis.

Quæres quarto, an ergo nunquam fas sit pro spirituali aliquid temporale recipere, aut exigere?

597. R. 1. Nunquam fas est aliquid recipere aut exigere per modum pretii, motivi aut debiti pro ipso bono spirituali; bene tamen 2. intuitu cujusdam boni spiritualis præstiti aut præstandi v. g. administrandi Sacramenti &c. licet aliquid recipere aut exigere velut stipendium ad honestam & congruam sustentationem necessarium. Ratio prioris jam constat ex dictis *n.* 595. *&* 596. Ratio autem posterioris desumitur tum ex Scriptura Sacra 1. *Corint.* 9. ubi habetur: *qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant*; tum ex universali praxi Ecclesiæ; tum denique ex ratione: quemadmodum enim nemo tenetur stipendiis suis militare, ita nec stipendiis suis sese sustentare, & totum se quasi impendere in obsequium alterius. Et his rationibus vel hoc titulo Pastores pro administratione Sacramentorum, pro exequiis, celebratione Missarum &c. Item Canonici pro præsentia in Choro, aliisque officiis divinis, nec non Religiosi pro suis orationibus temporalia accipiunt, non velut pretium rei spiritualis, sed velut stipendium sustentationi (quam quivis pro suo labore exigere potest, etsi aliunde habeat, quo se sustentare posset) necessarium. Videantur de hoc Pichler *ubi supra numer.* 4. Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 3. §. 10. *numer.* 186. vel Henno *in decalog. disp.* 1. *q.* 5. *art.* 3. §§. 5. *per totum*.

Quæres quinto, an nunquam liceat aliquid exigere vel recipere pro re temporali, annexa tamen rei spirituali?

598. Ante responsionem notandum hic venit, triplici modo aliquid de se temporale posse annecti rei spirituali. 1. *antecedenter*, 2. *concomitanter*, & 3. *consequenter*. Antecedenter connexa dicitur, quando res temporalis præsupponitur & ordinatur ad aliquid spirituale: hoc modo Ecclesiæ, calices, patenæ, aliaque vasa sacra & paramenta Ecclesiasti-

ca ordinantur ad rem divinam peragendam, item Rosaria ad preces, jus præsentandi vel eligendi &c. ad beneficia & dignitates Ecclesiastica &c. Concomitanter connexæ dicuntur, quæ ex intrinseca exigentia vel necessitate concurrere debent ad rem spiritualem, uti labor corporis, & omnis actio, sine qua functio sacra spiritualis exerceri non valet, veluti est ablutio ad baptismum, consecratio seu oblatio ad SS. Missæ Sacrificium &c. Consequenter tandem connexa appellantur, quando aliquid temporale, velut effectus præsupponit causam spiritualem: hoc modo decimæ & beneficia Ecclesiastica, vel potius jus decimandi & fructus temporale: percipiendi de se sunt aliquid temporale: quia tamen supponunt officium spirituale (nam beneficium & fructus dantur propter officium) hinc dicuntur rei spirituali (officio scilicet) consequenter annexa. His bene perceptis & notatis

599. R. ad quæsitum. Non licet aliquid exigere aut recipere pro re temporali, rei spirituali annexa concomitanter vel consequenter, quamdiu hæc connexio manet: immo vero ne quidem pro re antecedenter connexa licet aliquid accipere, si res temporalis cum spirituali in concreto sumatur, id est, ut connexa cum spirituali. Ita ex *communi* DD. tradit R. P. Pichler *in Compend. Juris Can. l. 5. tit. 3. n. 5.*

Ratio est: quia quæ concomitanter vel consequenter connexa sunt rei spirituali, censentur res spirituales vel spiritualizatæ: immo & antecedenter connexa in concrero & in sensu composito sumpta, pertinent ad ordinem supernaturalem, proptereaque appellari solent *Sacramentalia permanentia*: atqui pro re spirituali nequaquam fas est recipere aliquid temporale per modum pretii æquivalentis: ergo &c. Hac de causa *Can. si quis objecerit 7. caus. 1. q. 3.* dicitur: *quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit* (uti est Ecclesia, vel jus decimandi &c.) *neutrum invenditum relinquit*, moxque subitur: *nullus ergo emat Ecclesiam, vel præbendam, vel aliquid Ecclesiasticum*. Quin etiam Jus Civile *l. Instit. §. 8. & l. 6. §. 2. ff. de Rer. divis.* item *lib. 83. §. 6. ff. de V. O.* Res sacras extra humanum commercium ponit. Dixi tamen, *nefas esse pro re antecedenter connexa in concreto, seu in sensu composito sumpta*, &c. aliquid temporale exigere aut recipere &c. Unde

600. R. jam ad idem quæsitum secundo. Res temporales antecedenter connexæ cuidam rei spirituali, id est, res consecratæ vel benedictæ in abstracto sumptæ, præcise quoad materiam vel formam artificiosam, quam habuerunt ante omnem consecrationem vel benedictionem, licite vendi possunt, modo propter ipsam benedictionem, consecrationem vel ordinem, quem habent ad rem spiritualem, pretium non augeatur. Ita cum S. Thoma 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. Suarezio & *communi Theolog. ac Recent. Canon.* P. Pichler *in Compend. J. C. l. 5. tit. 3. num. 6.* Ratio est: quia antecedenter connexa de se habent valorem intrinsecum pretio æstimabilem quantum ad materiam & formam, quem valorem non amittunt ex eo, quod consecrentur: neque etiam iste valor intrinsecus ita connexus est consecrationi, quin in morali hominum existimatione possit separari, ita, ut pretium non postuletur, neque etiam detur pro consecratione vel benedictione: Unde etiam continua praxi ac consuetudine, a nemine quantum scio improbata, passim videmus, numismata, imagines cereas, & rosaria benedicta vendi, nempe secundum materiam, labore, cura, periculo itineris &c. sine quibus comparari vel asportari non potuissent, in pretium computatis &c. Et certe contrarium nulli persuadebitur pro praxi, eo præsertim, quod hæc praxis ab Ecclesia nunquam legatur reprobata.

Dices: Res temporales spiritualibus consequenter annexæ, uti sunt jus decimandi &c. vendi non possunt sine nota Simoniæ: ergo neque res antecedenter annexæ.

601. R. *Neg. conseq. & paritatem*: res enim *consequenter connexæ* cum spiritualibus, v. g. beneficium Ecclesiasticum seu jus decimandi connexum officio &c. non supponunt aliquid pretio æstimabile, sicuti supponunt eæ, quæ sunt *antece-*

tecedenter connexæ : Rurſus ea, quæ ſpiritualibus conſequenter ſunt annexa, ipſis connectuntur, veluti quid acceſſorium principali, unde etiam auctoritate hominis privati talis connexio tolli non valet : e contra in antecedenter annexis temporale præſupponitur tanquam principale & pretio æſtimabile, cui ſpirituale connectitur, velut quid acceſſorium, & in morali hominum exiſtimatione, quotidiana praxi confirmata, ſeparabile.

Quæres ſexto, an abſque nota Simoniæ poſſit a Novitio vel Candidato aliquid poſtulari pro ingreſſu in Religionem?

602. R. Pro ipſo ingreſſu in Religionem, id eſt, pro admiſſione in novitiatum, aut ad profeſſionem religioſam abſque Simonia nihil poteſt prætendi : nihilominus poteſt Monaſterium quantumvis dives recipere id, quod a Novitio ejuſve Parentibus gratis ſibi offertur : immo quodvis Monaſterium, præſertim inops, abſque Simoniæ nota poteſt aliquid temporale prætendere ab ingreſſuro titulo ſuſtentationis, vel legitimæ, vel titulo dotis reſpectu Novitiæ. Ratio prioris ab omnibus recepti eſt : quia ingreſſus in Novitiatum ordinatur ad aliquid ſupernaturale, ſcilicet ad profeſſionem ipſam, & ad ſervitium Deo exhibendum, &c. atqui pro re ſpirituali & ſupernaturali nil poteſt prætendi abſque nota Simoniæ : ergo &c. Ratio autem poſterioris eſt : quia onus ſuſtentandi perſonam Religioſam, eidemque de omnibus neceſſariis providendi, eſt aliquid temporale, non ſpirituale, quemadmodum onus ſuſtentandi uxorem vel liberos in matrimonio : ergo ſi pro hoc onere de jure poteſt prætendi dos vel legitima, &c. a ſponſa ; poterit pariter prætendi a Monaſterio, præſertim inope vel non adeo divite, ut Novitius aut Novitia, ceu ſponſa Chriſti, eandem conferat, &c. Ita Navarro, Sanchezio, Caſtropalao, & aliis, Babenſtuber *tr.* 5. *diſp.* 2. *art.* 5. *nu.* 34. Salmanticenſes *tom.* 4. *tr.* 19. *c.* 2. *pu.* 4. *n.* 53.

603. Dixi a Monaſterio, *præſertim inope*, prætendi poſſe &c. Communiter enim advertunt Doctores, quod, tametſi in ſimilibus caſibus a Monaſteriis etiam bene fundatis fortaſſis juxta probabiliorem ſententiam evitetur labes Simoniæ ; nihilominus nunnunquam, & fortaſſis ſæpius, quam par eſt, a Monaſteriis bene fundatis contrahatur turpis avaritiæ labes, ſi adeo ſordide inhient temporalibus, & ab ingreſſuris tam ſolicite amplas paciſcantur dotes, magis attendentes ad pecunias, quam ad habilitatem perſonarum, immo pauperes, quantumvis talentis ac moribus bonis ditatos, omnino excludentes, eo quod *dativo* careant, aut non videantur vocati, aut vocatæ ad Religionem Spiritu *Columbæ*, cujus *pennæ deargentatæ*, *& poſteriora dorſi Ejus in pallore auri*. Videatur de hoc D. Bonaventura *in Apologia contra eos, qui Ordini Minorum adverſantur q.* 18.

Quæres ſeptimo, an etiam ſummus Pontifex, & quinam alii incurrere poſſint Simoniæ turpiſſimam labem?

604. R. Summus Pontifex poteſt incurrere labem Simoniæ contra jus naturale, & divinum, non item contra jus humanum. Ratio hujus eſt : quia etiam Summus Pontifex ſubeſt legi naturali ac divinæ : ergo in has poteſt impingere. Juri autem humano ſeu Pontificio ceu Legislator non ſtringitur quoad vim directivam, niſi indirecte, veluti diximus *in tract. prælim.Conf.* 13.*n.* 352. ergo Simoniam juri humano præciſe adverſantem non contrahit, eſto etiam quoad hoc poſſit eſſe ſcandalo, præſertim puſillis. Ceterum alii Prælati Summo Pontifice inferiores, utputa, Cardinales, Patriarchæ, Archi-Epiſcopi & Epiſcopi poſſunt incurrere labem Simoniæ, nedum contra jus naturale & divinum, ſed etiam contra jus humanum, utpote cui pariter ſubſtant obligati ſecundum dicta *loc. cit. n.* 355. Et ratio eſt : quia hi vel maxime poſſunt dare & accipere ſpiritualia : ex altera vero parte non vacant paſſionibus & affectibus ſiniſtris, quibus appeti ſolet pretium Simoniacum, proindeque nedum labem Simoniæ poſſunt incurrere, verum etiam pœnas contra Simoniacos ſtatutas jure humano, uti bene advertit Filliucius *tr.* 45. *c.* 12. *n.* 1. *&* 6.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa Simoniam.

CASUS PRIMUS.

Titius Presbyter cuidam Comiti multis annis exstitit a servitiis sub spe assequendæ quondam promotionis: dum vero nuper vacasset quædam pinguis Parochia, lucrandum sibi existimavit animum Comitissæ prius, quam lucraretur beneficium anhelatum: accessit proin, Eandem allegatis servitiis, meritisque suis jam a longo tempore collectis, humiliter rogando, dignaretur apud Comitem (cui jus præsentandi competiit) intercedere, quatenus se potius (Titium scilicet) quam alium vellet præsentare. Comitissa auri cupida illico respondit: Mi chare domine, jam plures sese insinuarunt apud me, e quibus unus promisit, se fore perpetuo gratum, alter centum taleros, tertius omnino centum dugatos mihi spopondit: talium supplicationes velut magis ponderosæ tam facile sperni non possunt nec debent. Cui Titius: jam video, ajebat, quod sine auri pondere nec supplica quidquam valeat, neque merita: ergo & ego pro intercessione spondeo centum dugatos: procul dubio hi conjuncti meis meritis & obsequiis tanto tempore fideliter præstitis præponderabunt. Jam ad hanc speciem facti dubitare licet 1. an Titius sine nota Simoniæ potuerit servire Comiti, sub spe obtinendi ab eo aliquod beneficium, & in hunc finem postea sua merita allegare? 2. An ille, qui promisit, se perpetuo gratum fore non incurrerit Simoniam? 3. An Titius & reliqui duo promittendo Comitissæ pro intercessione argenti vel auri pondus non inciderint vitium Simoniæ?

605. R. ad primum quæsitum hujus casus. Titius nullam commisit Simoniam ex eo, quod præcise sub spe (ut fertur in casu) serviverit Comiti. Ratio est, quia in hoc nullum intervenit pactum dandi vel obtinendi spirituale pro temporali; nam spes nullum prorsus tribuit jus, immo sæpius, quam forsitan par est, solet tales confundere. Neque etiam ex eo arguendus est alicujus Simoniæ, quod supplicando sua allegaverit merita; conveniens quippe est, ut ad beneficia Ecclesiastica præsententur & promoveantur illi, qui sunt magis digni: atqui merita præsertim spiritualia vel obsequia, quæ Titius tanto tempore Comiti præstitisse dicitur, eundem, ceteris saltem paribus, reddidere magis dignum: ergo hæc potuit juste allegare; id, quod & praxis receptissima confirmat, præsertim in concursibus, in quibus major dignitas non ex sola doctrina, sed & ex aliis etiam meritis in cura animarum collectis, solet attendi. Videatur de hoc Schmalzgrueber *lib. 5. tit. 3. nu. 53. & seqq.* Reiffenstuel eodem *tit. a n. 89. & 105.* vel Pontas *in Dictionario casuum, v. Simonia, casu* 11.

606. R. Ad secundum, illum, qui promisit se perpetuo fore gratum pro intercessione, vel potius pro beneficio, nullam commisisse Simoniam, modo non antecedenter sese obligaverit ad aliquid determinate præstandum v. g. ad certam summam vel pensionem annuatim solvendam. Ratio est: quia ex hac suppositione nullum intervenit pactum, neque ulla intentio dandi temporale pro spirituali, sed solum monstrandi gratitudinem de jure naturæ cuivis benefactori debitam. Fatendum nihilominus est, hujusmodi promissiones esse valde periculosas, eo quod hoc tempore jamjam videatur invaluisse praxis, quod ii, qui beneficia conferunt, per hujusmodi verba soleant concipere ac intelligere aliquam particularem obligationem in ordine ad recipiendum aliquid temporale: hac de causa illi, qui nihil tribuunt, communiter audiunt *ingrati*, &c. Quare non sine fundamento Cardenas *in crisi Theolog. diss. 27. n. 67.* & alii plures Doctores existimant, per hæc verba: *Ego ero gratus*, (scilicet pro beneficio Ecclesiastico) secundum modernam praxin committi veram Simoniam; quod & ego frequentius quidem, non tamen universaliter verificari existimo, & bene ponderandum relinquo illis, quorum interest, utpote e quorum intentione & animo hæc res multum dependet, prout hactenus dicta pensanti patebit facile.

607. R. jam ad tertium quæsitum ejusdem

dem casus. Si Titius & alii duo supplicantes supponantur obtulisse argentum vel aurum pro sola intercessione aut favore Comitissæ impetrando &c. probabiliter excusari possent a vitio Simoniæ. Ita enim tenent multi DD. apud Dianam *part.* 4. *tr.* 4. *Resolut.* 151.

Ratio est: quia favor vel intercessio Comitissæ est quid merum temporale, & quidem pretio æstimabile: atqui, ubi datur temporale quid pro alio temporali præcise, Simonia locum non habet, veluti constat ex dictis supra *num.* 591. Et liquet a pari; nam si Titius ab aliquo Advocato postulasset sibi fieri libellum supplicem Comiti porrigendum, eidemque solvisset mercedem debitam pro labore suscepto, in concipiendo vel etiam describendo libello, profecto propterea nemo condemnaret Titium alicujus Simoniæ: ergo probabiliter nec condemnari potest ex eo, quod (ut supponitur) pro solo favore vel intercessione Comitissæ aurum obtulerit. Dixi: *probabiliter nec potest* &c.

608. Nam practice loquendo longe verosimilius videtur, quod hujusmodi offerentes committant veram Simoniam; enim vero per oblationem auri non ita præcisive & speculative intendunt solum favorem vel solam intercessionem, quin simul, & principaliter quidem, intendant impetrare beneficium, mediante oblatione; quod vel inde haud obscure colligere fas est; quia pro solo favore, vel pro sola intercessione nunquam omnino darent vel dedissent tantam summam. Et certe, si Titius (vel quiscunque alius) Comiti obtulisset centum dugatos, simulque rogando postulasset illud beneficium sibi conferri, incurrisset Simoniam ex *cap. Tua nos* 34. *de Simon.* & *c. Etsi quæstiones* 18. *eod. tit.* idque propterea, quia prudenter præsumeretur, per oblationem hanc, velut motivum quoddam, principaliter intendisse beneficium: ergo idipsum dicendum videtur, si oblato auri pondere supplicavit pro se per Comitissam. Neque dubitandum, quin & ipsa Comitissa velut auri cupida, summam hanc magis intuitu beneficii, quam intercessionis suæ, intenderit. Unde Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 3. §. 7. *num.* 122. & *seqq.* Filliuc. *tr.* 45. *c.* 9. *n.* 17. La Croix *l.* 3. *part.* 1. *nu.* 90. Henno *tr. in decalog. disp.* 1. *q.* 5. *art.* 3. §. 1. Pichler *in Compend. Jur. Can. l.* 5. *tit.* 9. referens S. Thomam 2. 2. *qu.* 10. *art.* 2. *ad* 5. absolute asserunt, in hoc casu committi Simoniam, eo quod per pecuniam paretur via ad obtinendum spirituale &c. &c.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius jam pridem ambierat quendam Canonicatum Ecclesiasticum, at nescio, quo fato ab aliis semper præventus finem suum assequi hactenus nunquam potuerit: novissime vero, dum quædam apertura (uti vocant) sese monstrasset, alium quendam corrivalem, ne rursus ab eodem præveniretur, pecuniis corrupit, quatenus hac vice desisteret a postulatione beneficii una simul adpromittens se in proxima apertura fideliter laboraturum, ut & ille Canonicatum assequeretur: tum vero ad Patronum vel Collatorem sese conferens & jocum simulans eundem allocutus fuit sequentibus verbis: jam a longo tempore Dominationem suam sollicitavi, & insuper Deos, Deasque imploravi pro impetrando Canonicatu, ast nunquam non sine effectu: hodie denuo supplex venio; sed quid valeat? spondeo centum dugatos, me iterum sero venturum, vel potius præteritum iri. Cui Collator: valeat, inquiebat: si hac vice te præteriero, solvam tibi 100: *sin minus, tu mihi totidem præstabis: mox vero altera die Sempronio Canonicatum obtulit, a quo &* 100. *dugatos obtinuit. Quæritur jam* 1. *an Sempronius non commiserit Simoniam ex eo, quod alterum competitorem pecuniis corruperit, ut a prætensione ejusdem beneficii abstineret?* 2. *An non ex eo, quod adpromiserit, se ad proximam vacaturam pro eodem laboraturum? tertio denique, an Simoniæ arguendus non sit ex eo, quod spoponderit, vel spondendo certaverit* 100. *dugatis?*

609. R. Ad primum quæsitum, Sempronium non commisisse Simoniam ex eo, quod competitorem corruperit pecuniis, quatenus is abstineret a prætensione ejusdem beneficii. Ratio est: quia hæc abstinentia, seu etiam dissimulatio a postulatione bene-

neficii non erat quid ſpirituale: ergo pro hac ſine nota Simoniæ potuit offerre aliquid temporale: neque dici valet commiſiſſe Simoniam propterea, quod Sempronius hanc pecuniam expenderit pro beneficio, vel pro hujus collatione; tum quia nec beneficium, neque hujus collatio ullatenus fuit in poteſtate competitoris; tum præſertim, quia ab hoc non poſtulavit, ut poſitive quovis demum modo ſibi cooperetur ad obtinendum illud, ſed ſolum ut negative ſeſe habendo nihil prorſus prætenderet hac vice: atqui hæc diſſimulatio dici nequit aliquid ſpirituale: ergo Sempronius dando pro hac pecuniam non incidit Simoniam.

610. R. ad ſecundum, Sempronium nec condemnandum eſſe Simoniæ ex eo, quod Competitori adpromiſerit, ſe ad proximam vacaturam pro eodem laboraturum. Ratio eſt: quia talis labor non eſt quid ſpirituale, ſed potius temporale, munus ſcilicet a lingua vel ab obſequio; ergo dici non poteſt, quod pro illo labore competitoris obtulerit aliquid ſpirituale.

Secus dicendum foret, ſi Sempronius prævidiſſet, ſe obtento Canonicatu ipſo facto obtenturum jus ſuffragandi, & in compenſationem alteri ſuo corrivali obtuliſſet ſuum ſuffragium in proxima vacatura, quia cum hoc jus ſuffragandi & ipſum ſuffragium in ordine ad Canonicatum ſit aliquid ſpirituale vel certe ſpirituali annexum, illud offerendo pro alio beneficio temporali commiſiſſet Simoniam ſaltem juris humani, juxta communem DD. Vide Reiffenſtuel *lib.* 5. *decret. tit.* 3. §. 8. *n.* 135.

611. R. jam ad tertium, Sempronium vi ſponſionis commiſiſſe Simoniam conventionalem, immo & realem poſt numeratam ſaltem pecuniam. Ita Arſdeckin *tom.* 2. *part.* 2. *tr.* 5. *c.* 12. §. 2. *q.* 1. quem ſequitur La Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 80. Ratio liquet ex dictis: quia per hanc ſponſionem reipſa nil aliud intendit, niſi efficaciter permovere animum Collatoris vel Patroni ad Canonicatum ſibi potius, quam alteri conferendum: vel, ut apertius loquar, nil aliud, quam emere ipſum Canonicatum: atqui certum & exploratum eſſe debet, hoc fieri non poſſe abſque nota Simoniæ, prout conſtare poteſt ex proxime dictis *n.* 608. nec aliunde videtur ulla ratio excuſandi Sempronium ab hac nota: ergo &c.

CASUS TERTIUS.

Quidam Princeps ad preces & inſtantiſſimam recommendationem cujuſdam Domicellæ Cajo contulit Parochiam ſatis pinguem; quod dum alius quidam e Miniſtris Ejuſdem Principis inaudiiſſet, Cajo in faciem exprobravit, quod præſumpſerit aſpirare ad hanc Parochiam, cum non adeo pridem quoddam crimen commiſerit (neglectum ſcilicet cujuſdam animæ) quo ſe vel omni, vel certe tanto beneficio prorſus reddit indignum: addidit inſuper, ſe rem hanc non diſſimulaturum &c. Cajus exprobratione non minus confuſus, quam ſtupefactus, (crediderat enim, nulli mortalium quidpiam conſtare de illo neglectu) rogavit Miniſtrum, nollet de hoc delicto Principi vel ulli alteri quidpiam manifeſtare, ut vero os Ejus penitus obturaret, obtulit Ei notabilem ſummam. Quæritur jam 1. *an Princeps ob recommendationem inſtantiſſimam Domicellæ conferendo Parochiam, non inciderit labem Simoniæ* 2. *An Cajus ad ſe redimendum ab illa vexa abſque nota Simoniæ potuerit obturare os Miniſtri, obtrudendo marſupium?*

612. R. ad primum quæſitum cum diſtinctione. Vel enim Princeps ſupponitur præciſe attendiſſe ad preces & recommandationem Domicellæ, proptereaque Parochiam contuliſſe? vel hanc contuliſſe ob dignitatem Perſonæ, licet ad preces & inſtantiam Domicellæ? ſi illud prius, S. Thomas cenſuit, talem condemnandum eſſe Simoniæ, eo quod præciſe propter favorem humanum contulerit Spirituale beneficium; Si vero hoc poſterius, immunis erit a labe Simoniæ. Ita ſane Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad tertium*, ubi ait: *munus a lingua dicitur vel ipſa laus pertinens ad favorem humanum, qui ſub pretio cadit; vel etiam preces, ex quibus aquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur, & ideo, ſi aliquis ad hoc principaliter intendit, Simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit.*

audit. Unde ipsum factum est Simoniacum. Si autem preces pro digno porriguntur, ipsum factum non est Simoniacum; quin subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid confertur. Tamen potest esse Simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum. Hactenus sanctus Doctor.

Fatendum nihilominus est, quod si Princeps intuitu hujuscemodi intercessionis conferat beneficium Ecclesiasticum, at sine omni pacto vel onere aliquid temporale vel sibi vel suis rependendi &c. labem Simoniæ non incurrat. Et ita hodie tenent Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *n.* 26. Navarrus, Lessius, Victor, Cajetanus, Suarez & alii plures ab eo relati. Ratio est; quia ad Simoniam non sufficit, dare rem spiritualem ex motivo rei temporalis v. g. propter amicitiam, consanguinitatem, preces, obsequia &c. sed opus est, ut detur pro re temporali tanquam pro pretio, id est, in compensationem illius velut ex justitiæ obligatione: ergo si nullum intervenit pactum, Princeps potest excusari a labe Simoniæ, licet potuerit graviter peccare nedum contra justitiam legalem, sed & commutativam cum onere restitutionis, si supponatur hoc beneficium contulisse indigno cum damno Ecclesiæ.

Prius quam ad secundum quæsitum hujus Casus directe respondeam, notandum præmitto cum Filliucio *tr*.4. *c.* 11. Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 3. §. 13 *n.* 308. vexationem aliam esse ac dici justam, aliam injustam, utpote contra jus & æquitatem factam. Rursus aliam fieri posse ab eo, qui ad beneficium spirituale nedum obesse, sed & prodesse potest, utputa eligendo, seu suffragando, præsentando, aut conferendo &c. aliam ab eo, qui quidem obesse potest v. g. denigrando aut injuste diffamando, minime autem prodesse, utpote destitutus omni jure ad illud conferendum. Denique tertio, alia dicitur vera, qua quis molestatur circa jus ad rem, seu circa beneficium spirituale, ad quod solum habet *jus ad rem*, utputa quia electus fuit, sed nondum confirmatus; vel quia præsentatus, sed collationem aut certe investituram nondum assecutus &c. alia dicitur vexa, qua quis molestatur post plenum *jus in re* seu in beneficio per investituram jamjam adeptum. Hoc notato.

614. R. jam ad alterum quæsitum hujus casus. Si Minister Principis supponitur fuisse talis, qui in ordine ad collationem Parochiæ, vel potius ad installationem (nam collatio supponitur jam facta) prodesse nihil potuit, utpote jure destitutus ad hunc effectum, tametsi multum per omnem modum potuisset obesse &c. Cajus absque nota Simoniæ potuit eidem obturare os mediante marsupio. Ratio est: quia in tali casu non datur pecunia pro re spirituali aquirenda, sed eo fine duntaxat, ne alter injuste diffamando Cajum vexet, aut vexam comminatam exequatur: at hoc cuivis licet; cum quilibet habeat jus quæsitum in libertate & fama sua, vi cujus injuriam quoquo modo honesto a se repellere potest: ergo &c. &c. Suarez *de Simon. c.* 50. *n.* 23. Palao *part.* 3. *tr.* 17. *disp.* 3. *pu.* 20. *n.* 4. Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 3. §. 13. *n.* 310.

615. Dixi: Si Minister Principis supponatur fuisse talis, *qui prodesse non potuit, sed tantum obesse*; secus enim dicendum foret, si etiam de jure prodesse potuisset ad illud, velut habens jus eligendi, præsentandi, conferendi, vel confirmandi, &c. &c. a tali enim probabilius non licet redimere vexam injustam. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 2. *ad. quintum*. Pirhing *de simon. n.* 109. Suarez *loc. cit. n.* 18. Reiffenstuel *cit. n.* 314. Ratio est: quia dum quis pecuniam dat alteri, ne sibi in ordine ad beneficium votum, collationem aut confirmationem &c. etiam injuste neget, hoc ipso temporale porrigit, ut spirituale obtineat, vel certe ut obtineat votum &c. in ordine ad beneficium: hoc autem non caret vitio Simoniæ. Et licet Palao *loc. cit. n.* 4. probabile existimet, ne quidem in hoc casu Simoniam committi; eo quod pecunia non detur tanquam pretium electionis aut voti, vel confirmationis &c. sed solum ad satiandum vel extinguendum pravum affectum Electoris &c. Filliucius tamen *tr.* 24. *c.* 11. *n.* 7. probabilius censet, in

in tali casu labem Simoniæ non evitari, ob rationes proxime datas, idque satis clare colligi putat ex *c. Matthæus*, *c. Sicut tuis*, & *c. de hoc de Simonia*.

Dices adhuc: sed quid, si Minister Principis Cajo intentasset vexam post adeptum jam jus plenum per ipsam investituram?

616. R. supposito semel pleno jure in re, seu in beneficio Ecclesiastico, fas est mediante pecunia redimere vexam injustam a quocunque demum intentatam. Ita *communiter DD.* nominatim Navarrus *Manual. c. 23. n.* 102. Abbas *in c. dilectus*, Pirhing. *l. cit. n.* 105. Palao *l. cit. n.* 1.

Ratio est: quia talis non dat pecuniam pro ipso beneficio vel pro jure ad illud, utpote quod supponitur jam plenarie adeptus, sed solum pro redimenda vexa injusta: atqui injustam vexam redimere pecuniis, cuilibet licet; cum hæc sit quid merum temporale; ergo &c. Ex quo Reiffenstuel *l. 5. tit.* 3. §. 13. *n.* 309. sapienter infert, immunem esse a Simonia illum, qui dat, vel præstat temporalem alicui, ne se injuste vexet diffamando, accusando, vel talia proponendo, ob quæ collatio beneficii jam actu pleno jure adepti de jure haberetur nulla, vel eo privari posset.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

617. COlliges ex hactenus dictis primo, in ordine ad discernendum, an quis commiserit Simoniam præsertim mentalem, attendendum esse principaliter (saltem pro foro conscientiæ) quo fine quis dederit temporale bonum v. g. hoc horologium, hanc picturam, vel quodvis aliud honorarium pretio æstimabile?

Nam si fateatur se illud dedisse principaliter eo fine, ut in hujus recompensationem seu pretium vel quasi pretium obtineret aliquid spirituali annexum secundum dicta *n.* 598. quibuscunque demum verbis, vel quovis pallio usus fuerit, utputa gratitudinis, gratuitæ oblationis vel recompensationis &c. condemnandus erit Simoniæ: contra vero, si in foro conscientiæ & coram Deo sese examinando reperiat, se illud temporale ex alio motivo & fine, vel titulo dedisse principaliter, esto minus principaliter, secundario, & quasi per accidens inde speraverit aliquid spirituale; immo etsi spes assequendi spirituale fuerit aliquo modo causa impulsiva & excitativa ad dandum illud temporale, non debet condemnari Simoniæ; quia non dedit temporale bonum pro spirituali velut pretium. Ita Reiffenstuel *loc. cit.* §. 5. *n.* 100. & 101. referens pro eadem opinione Navarrum *manual. c.* 23. *n.* 101.

618. Colliges secundo, Clericos, qui pro competenti salario serviunt Episcopis, Præpositis vel Patronis Beneficiorum Ecclesiasticorum &c. Item 2. Studiosos ac Pedagogos, qui pro competenti salario instruunt juventutem &c. 3. Nec non Religiosos aut Laicos quoscunque, qui principaliter ex charitate &c. quarto demum omnes illos, qui pro nullo vel certe incompetenti salario serviunt eo fine, ut hac occasione suam probitatem, studium vel dexteritatem demonstrent in effectu, & sese probent dignos altiori promotione, ideoque sub spe aliquando obtinendi quoddam beneficium, non esse condemnandos Simoniæ. Ratio est; tum quia non præstant temporale velut mercem rei spiritualis, neque illud spirituale bonum affectant velut pretium quoddam laborum vel obsequiorum suorum; tum etiam, quia minime culpanda est intentio vel conatus, quo quis nititur sese probare dignum promotione aut beneficio, dando specimina suorum talentorum, aut virtutum: quin immo plurimum interest Ecclesiæ nosse, quinam sint vere digni ad talia munia Ecclesiastica: at, quod non est culpandum vel improbandum, pariter non est puniendum pœna in Simoniacos de jure lata: ergo &c. Videatur Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 103. Sporer *tr.* 2. *in decalog. c.* 10. *sect.* 4. *n.* 45.

619. Colliges tertio, non esse condemnandos Simoniæ, qui dant temporale pro spirituali, aut vice versa spirituale pro temporali titulo solius gratitudinis. Ita *ex communi DD.* Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *c.* 45. *n.* 4. Laymann-

mann *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 8. Ratio est: quia, quod praestatur gratuito, non praestatur velut pretium, sed potius opponitur pretio. Insuper honestum ac laudabile est pro accepto beneficio vel obsequio honesto se gratum exhibere. Unde Episcopus vel Patronus conferentes beneficium Clerico in recognitionem obsequiorum &c. culpandi non sunt, neque Simoniae condemnandi. Immo & Capellanum Episcopo gratis & absque stipendio servientem, ut illum sibi reddat obligatum ex titulo gratitudinis, non tamen ex pacto, ad sibi conferendum beneficium Ecclesiasticum, a labe Simoniae absolvendum censet Illsung, *tr.* 5. *disp.* 3. *n.* 303. idque tametsi intentionem & spem suam supponatur Episcopo insinuasse.

620. Colliges quarto, absque vitio Simoniae temporale emolumentum seu pretium recipi, immo & exigi posse a Doctoribus pro doctrina Theologiae Scholasticae vel moralis, item 2. pro responso aut consilio nedum juridico, sed etiam morali. Ita Valentia *tomo* 3. *disp.* 6. *q.* 16. *pu.* 2. Illsung *cit. n.* 307. & 308. Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *c. ult. n.* 30. & 32. Ratio prioris est: quia instructio Theologica, esto de rebus supernaturalibus tractet, non tamen ordinatur ad felicitatem supernaturalem, sed potius ab instructore ordinatur ad illuminandum intellectum.

Nec refert, quod forsan discipulus vel Doctor aliquis ex privato affectu hanc suam doctrinam, aut studium ordinent ad finem altiorem; quia haec particularis ordinatio non extrahit doctrinam ab ordine materiae pretio aestimabilis. Et dato etiam hoc, quod non posset aliquid pro ipsa doctrina exigi per modum pretii: posset tamen a Doctore aliquid exigi per modum stipendii ad congruam sustentationem Ejusdem necessarii: quomadmodum Ministri Ecclesiae ex eodem titulo possunt exigere congruum stipendium pro administratione Sacramentorum, vel Verbi divini. Ratio autem posterioris est: quia ejusmodi responsum nil est aliud, quam quaedam doctrinalis & doctoralis instructio, licet per accidens conducat petentibus ad tranquillitatem conscientiae & affecurationem salutis &c. atqui pro tali instructione petere competens salarium, prorsus non apparet inhonestum aut Simoniacum, praesertim cum sine multo labore hujusmodi responsa saepe dari non possint: ergo &c.

621. Colliges quinto, nedum Clericos saeculares, sed etiam Religiosos tam Superiores, quam subditos (quibus id nullo jure aut statuto particulari fuit interdictum, ut supponi debet) absque labe Simoniae posse pro Missis legendis aliquid exigere, & pacisci de stipendio congruo, haud equidem ut illud detur per modum pretii pro ipso SS. Missae Sacrificio, vel pro fructibus ejusdem, utpote inaestimabilibus, aut pro labore intrinseco, utpote merum Spirituali, secundum dicta superius, sed praecise per modum stipendii vel justae sustentationis sibi debitae, esto hanc aliunde ex propriis mediis sibi procurare possent. Ita *receptissima DD. opinio*, in sacris paginis fundata; *dignus est enim operarius mercede sua Lucae* 10. *v.* 7. & 1. *Cor.* 9. *v.* 7. *quis militat suis stipendiis unquam? quis plantavit vineam, & de fructibus ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Similia habentur *can. Ex his* 22. *caus.* 12. *q.* 1. Et ratio est: quia ea, quae alicui de jure naturae debentur, non solum licite recipiuntur, sed etiam velut de jure debita exiguntur: atqui administrantibus spiritualia de jure naturae debentur temporalia ad congruam sustentationem necessaria, ut patet ex textibus mox allegatis, ergo haec etiam vi pacti possunt exigi ab iis, quibus spiritualia ministrantur. Videatur Laymann *ubi supra.* §. 2. *n.* 15. vel Palao *de Simonia pu.* 4. *n.* 4.

622. Colliges sexto, etiam a Religiosis in electionibus ad beneficia vel officia Ecclesiastica committi posse Simoniam; nam si unus Religiosus promittat alteri, quod velit illum promovere ad prioratum, vel ad aliud quoddam beneficium curatum sub conditione & onere quasi, ut sibi suffragetur in ordine ad obtinendam Praelaturam, Praeposituram, vel aliam dignitatem Ecclesiasticam, & iste propterea suum illi det suffra-

fragium, revera uterque incurrit Simoniam. Ita *ex communi DD.* Henno ubi supra *§. 6. in Respons. ad petes quarto*. Ratio est: quia hoc modo votum non datur gratis, neque gratis obtinetur illud officium Ecclesiasticum: ergo committitur Simonia saltem juris Ecclesiastici: & si talis Prælatus promisisset pecuniam, vel aliud emolumentum temporale, etiam incidisset Simoniam juris naturalis, prout præter alios recte docet R. D. de Nicollis *in sua Praxi Canon. V. Simonia num.* 33. Quod vero hic de Religiosis dictum, idipsum intelligas velim de Canonicis sibimet invicem sub præfato onere suffragantibus. Atque hinc non sine causa Reiffenstuel *lib. 5. decret. tit. 3. §. 8. num.* 137. scribit, revera multas electiones Episcoporum &c. esse ac fuisse nullas; quia plus quam certum est in huiusmodi electionibus intervenisse similes conventiones ac promissiones, quibus vel temporale datur pro spirituali, vel spirituale pro spirituali adpromittitur; atqui in priori committitur Simonia juris naturalis, in posteriori vero Simonia juris Ecclesiastici cum nullitate actus, velut patet ex hactenus dictis: ergo &c. Videatur Pirhing *lib. 5. decret. tit.* 3. *n.* 87. vel la Croix *lib. 3. part. 1. n.* 113.

Sed quid, inquies, si uterque, vel alteruter saltem solum ficte promittat, ita, ut talis Abbas v. g. post suam electionem non promoveat alium, afferens, se non habuisse animum serium promittendi, aut se obligandi ad talem promissionem?

623. R. Probabilius adhuc committi Simoniam. Ita Pontas *in dictionar. Casuum V. Simonia Cas. V.* citans S. Thomam 2. 2. *q.* 100. Idipsum tenet Pichler *in compend. Juris Can. l. 5. tit.* 3. *num.* 13. saltem in casu, quo alteruter serio se obligavit. Ratio est: quia per talem promissionem quantumvis fictam Abbas supponitur procurasse & obtinuisse suam dignitatem Ecclesiasticam, esto ex parte sua promissionem non adimpleat, eo quod dicat, se non habuisse serium animum promittendi, de qua fictione, cum in foro fori nihil prorsus constet, procul dubio in eodem foro haberetur pro Simoniaco. Et certum omnino videtur, quod etiam ficte promittens habuerit animum obtinendi illam dignitatem per promissionem promotionis &c. immo vi huius actu eam obtinuerit: atqui ad incurrendam labem Simoniæ sufficit, per aliquid temporale velut causam ac motivum pertingere ad spirituale, neque opus est, ut opere ipso præstetur illud temporale. Nihilominus arbitror pro foro conscientiæ mitius posse procedi cum tali pœnitente; tum quia multi etiam graves Doctores tenent, per fictam duntaxat promissionem non incurri Simoniam; quemadmodum, per fictam promissionem matrimonii non contrahuntur vera sponsalia; tum etiam, quia in hoc casu Simonia conventionalis mixta quidem supponitur, nondum tamen completa ex altera saltem parte: atqui propter Simoniam conventionalem mixtam, & nondum completam, jura etiam mitius procedunt saltem quoad pœnas, veluti mox dicetur *n.* 627. *& seqq.* ergo pro foro interno saltem mitius procedi potest ac debet.

CONFERENTIA VIGESIMA

De Pœnis Simoniacorum, & de Onere Restitutionis inde contracto.

SUMMARIUM.

624. *Tres duntaxat species Simoniæ a jure perstringuntur pœnis canonicis.*
625. *Referuntur pœnæ ob Simoniacam collationem Ordinum.*
626. *Recensentur pœnæ ob ingressum Religionis simoniace obtentum.*
627. *Et pœnæ ob simoniacam provisionem beneficiorum Ecclesiasticorum.*
628. *Dictæ pœnæ nec ob Simoniam mere mentalem, probabiliter nec ob con-*

ventionalem mixtam incurruntur.

629. *Excepta Simonia confidentiali mixta.*

630. *Per omnem vero Simoniam realem, quantumvis occultam, utrinque saltem ex parte completam, dictæ pœnæ contrahuntur, saltem per se loquendo.*

631. *Potestas a dictis pœnis absolvendi, vel in iis dispensandi, per se loquendo competit soli summo Pontifici.*

632. *An vel quantum restituere teneatur ille, qui simoniace obtinuit quoddam beneficium Ecclesiasticum?*

633. *Pretium temporale simoniace obtentum pariter est restituendum non quidem danti, sed Ecclesiæ &c.*

634. *Huic tamen obligationi probabiliter satisfit ante sententiam Judicis illud restituendo ipsi danti.*

635. *An, vel cuinam restituendum sit pretium simoniace obtentum ob ingressum Religionis, vel Collationem Ordinis?*

636. *Quid si Collator rei spiritualis intuitu talis pretii temporalis simul cessit bono, vel emolumento temporali?*

637. *Quomodo absque Simoniæ nota fieri possit aut debeat Resignatio, vel Commutatio beneficiorum Ecclesiasticorum?*

638. *Quid nomine beneficiorum Ecclesiasticorum hic intelligatur?*

639. *Et quinam veniant nomine Superiorum, quorum auctoritate fieri debet resignatio &c.*

640. *Resolvitur Casus I. cujusdam pœnitentis dubitantis, an beneficium, quod a suo Parente, simoniace sibi impetratum inaudiit, tuta conscientia retinere possit.*

641. *Quid si hoc audiisset ante elapsum triennium?*

642. *Utrum Episcopus cum tali possit dispensare, super inhabilitate, & nullitate provisionis?*

643. *Resolvitur Casus II. cujusdam Simoniaci a S. Pœnitentiaria dispensati, dubitantis, an conditioni (libere dimittendi suum beneficium) satisfecerit, illud dimittendo sub schemate permutationis.*

644. *Item, an non inciderit easdem Censuras, ac pœnas eo quod infra annum (uti debuisset vi Rescripti) fructus non restituerit?*

645. *A quonam talis possit absolvi aut dispensari dato, quod re ipsa in easdem censuras ac pœnas reincidisset?*

646. *Et quos, vel quales fructus teneatur restituere?*

647. *Resolvitur Casus III. cujusdam Parochi Emeriti, qui coram Episcopo simulaverat se gratis resignare beneficium suo ex fratre Nepoti, revera autem ex conventione privata resignavit sub conditione & onere annuæ pensionis.*

648. *Præcluditur quædam instantia contra hanc resolutionem.*

649. *Resignatio hæc fuit invalida.*

650. *Qui simoniace procuravit quoddam beneficium Ecclesiasticum, tenetur in Conscientia ante omnem Judicis sententiam illud dimittere.*

651. *Notabile practicum Simoniacis bene observandum.*

652. *Qui simoniace obtinuit beneficium per alterius procurationem, sed contra suam voluntatem & protestationem &c. potest illud retinere;*

653. *Præsertim si ab illo altero in fraudem beneficiarii fuisset procuratum simoniace.*

654. *Qui non committit culpam Simoniæ, non fit obnoxius pœnis Simoniacorum.*

655. *Hac ratione excusari possunt ac debent illi, qui ex ignorantia invincibili committunt Simoniam.*

656. *Quo non obstante tenentur dimittere beneficium per talem Simoniam procuratum?*

657. *Qui culpam simoniæ committunt cum ignorantia pœnarum, censuras quidem non incurrunt, probabilissime tamen reliquas pœnas in Simoniacos latas.*

658. *Licet non desint e Doctoribus, qui taliter delinquentes etiam a reliquis pœnis absolvunt.*

§. II.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa pœnas Simoniacorum, & onus restituendi inde contrahi solitum.

QUæres primo, quænam pœnæ contra Simoniacos statuantur in Jure?

624. Ante responsionem notandum est, tres duntaxat dari species Simoniæ, quas Jura specialibus pœnis persequuntur. Prima est: quæ committitur in collatione Ordinum: secunda, quæ ob ingressum Religionis; tertia, (quæ ceteris duabus frequentior accidit) est illa, quæ in provisione beneficiorum, seu etiam officiorum Ecclesiasticorum sæpius quam par est committi assolet. Tametsi autem jura contra Simoniam in aliis materiis v. g. circa venditionem Sacrarum Reliquiarum &c. commissam non statuerint speciales pœnas; possunt tamen, immo debent Simoniaci a Judicibus Ecclesiasticis puniri pœnis arbitrariis, qualitati criminum commensuratis; cum revera hoc crimen in quacunque materia sit valde abominabile, & hoc ipso pro viribus eliminandum, veluti Doctores communiter monent. Hoc prænotato.

625. R. Jam ad quæsitum primo. Pœnæ ob Simoniacam collationem Ordinum a jure statutæ sunt sequentes. Primo Excommunicatio Pontifici reservata, quæ tam ab ipso Ordinante, quam ob Ordinato incurritur. Secundo Suspensio, vi cujus Ordinans a collatione omnium Ordinum & exercitio munerum Pontificalium privatur: ordinatus vero a susceptione Ordinum, nec non ab Exercitio susceptorum *c. 37. & 45. de Simon.* & *Extravag. 2. eod. tit.*

626. R. Secundo. Ob ingressum Religionis Simoniace obtentum statuitur 1. Excommunicatio reservata tam in dantem, quam accipientem temporale pro ipso ingressu: si vero accipiens supponatur integra communitas aut Capitulum, incurrit insuper suspensionem, & quidem nisi occulta sit, pariter reservatam Pontifici, ab officio & executione juris capitularis, & administratione Jurisdictionis. 2. Infamia juris, consequenter & irregularitas. 3. Simoniace admissus debet transferri in arctius Monasterium, sed post sententiam Judicis primum. *cap. 19. 25. 40.* item *Extrav. 1. inter comm. de Simonia.*

627. R. tertio. Pœnæ ob Simoniacam provisionem beneficiorum, officiorum, Dignitatum & Prælaturarum Ecclesiasticarum &c. in jure statutæ leguntur sequentes. 1. Nullitas provisionis, sive hæc facta sit per præsentationem, postulationem, electionem, sive per institutionem, admissionem, confirmationem, vel liberam collationem, ita, ut ante omnem sententiam Judicis ne quidem in conscientia beneficium, vel fructus ex eo percepti retineri valeant. 2. Statuitur excommunicatio S. Pontifici reservata in omnes ad talem Simoniam cooperantes. 3. Inhabilitas Provisi ad idem beneficium de novo obtinendum. 4. item ad alia beneficia obtinenda, 5. Privatio beneficiorum prius obtentorum, ac depositio ab altaris ministerio: sed ultimæ duæ non incurruntur ante sententiam condemnatoriam, prout post Navarrum, Suarez, Reiffenstuel & alios advertit P. Pichler *in Compend. Jur. Can. l. 5. tit. 3. num. 21.* Hæc omnia habentur *Extrav. 2. inter Comm. h. t. Can. ult. Caus. I. q. 3. cap. penult. de elect.* item *constit. Pii V. cum primum*. Quocirca specialiter observandum, hanc responsionem etiam extendendam atque intelligendam esse de Simonia juris Ecclesiastici *per cap. 5. & 7. de rerum permut.* quia *Extravag. cit.* loquitur generaliter de Simonia circa provisionem beneficialem, & a Doctoribus intelligitur generaliter. Minime tamen extendi debet ad Simoniam circa beneficia minus stricte sumpta, uti sunt pensiones aut Vicariæ temporales &c. commissam.

Porro Simonia confidentialis vix non iisdem pœnis perstringitur a Jure, cum hoc tamen discrimine. 1. quod si Episcopus, vel Prælatus Episcopo superior, utputa Cardinalis, &c. sit reus, non incurrat excommunicationem, sed interdictum ab ingressu in Ecclesiam. 2. quod

2. quod inhabilitas ad alia beneficia & privatio prius jam habitorum incurrantur ipso facto, licet opus sit sententia declaratoria criminis. 3. quod beneficium per Simoniam conventionalem nulliter resignatum vel collatum reservetur Summo Pontifici soli; item quarto, quod fructus ex tali beneficio male percepti applicari debeant Cameræ Apostolicæ; quæ tamen ultimæ duæ pœnæ in Germania non habent locum propter Germaniæ concordata, videnda apud la Croix *lib.* 4. *n.* 503. Quinto denique illud speciale habet Simonia confidentialis, quod memoratæ pœnæ incurrantur non solum per realem, sed etiam per Simoniam conventionalem mixtam, uti habetur in Bulla Pii V. *Intolerabilis* §. 3. Videantur de his Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 3. *n.* 284. & 285. vel Pichler *in Compend. Juris Can. eod. tit. n.* 21.

Quæres secundo, an præfatæ pœnæ incurrantur ob quamlibet Simoniam, tam mentalem & conventionalem, quam etiam realem?

628. R. primo. Ob Simoniam mentalem duntaxat nulla incurritur pœna Ecclesiastica, neque 2. probabiliter ob conventionalem (ante sententiam judicis) esto etiam hæc supponatur mixta cum reali, nisi sit Simonia confidentialis.

Ratio prioris partis inter DD. communiter recepta est: quia Ecclesia non judicat de internis: atqui Simonia mentalis potissimum dependet a voluntate interna secundum dicta superius: ergo &c. Idipsum satis clare decisum legitur *c.* 33. 34. & *c. fin. de Simon.* Ratio autem secundæ partis, quam contra D. Thom. Valentiam, Palao & alios plures tenent Navarrus *in manuali c.* 23. *n.* 104. Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *dubit.* 27. Suarez *lib.* 4. *de Simon. c.* 56. *n.* 33. Engel *de Simon. n.* 34. Pichler & alii tenent, est, quia nullibi in jure reperitur aliqua pœna clare expressa contra aliquam Simoniam conventionalem mixtam, seu utrinque nondum completam: atqui non est in dubio asserenda pœna: quandoquidem juxta *c. in pœnis* 49. *de R. J. in sexto*: *in pœnis benignior est interpretatio facienda. Et l.* 42. *ff. de pœnis*: *interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam asperandæ.* Profecto etiam stylus curiæ, teste Navarro & aliis, non censet, pœnas has fuisse incursas, nisi Simonia realis utrinque completa fuerit, saltem ex parte: stylus autem curiæ habetur pro jure & lege juxta *communem DD.* ergo &c. Ea vero, quæ contra hæc objici solent, videri possunt soluta apud Reiffenstuel *lib.* 5. *tit.* 3. §. 11. *a n.* 240.

629. Dixi: *nisi sit Simonia confidentialis*; de hac enim speciale quid statuit Pius V. Bulla *Intolerabilis*, mox citata §. 3. ubi declarat: *pœnas in eadem Bulla contentas incurri, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum:* quæ tamen Constitutio, utpote odiosa, extendi non debet ultra casum expressum. Quod si alia aliqua Bulla D. Pii de hac re edita sit, ea non videtur usu recepta, ait Lessius *loc. cit. n.* 149. eumque secutus Reiffenstuel, ubi supra *n.* 241.

630. R. Jam secundo ad idem quæsitum. Ob solam & omnem quantumvis occultam Simoniam realem, utrinque saltem ex parte completam in susceptione Ordinum, in ingressu Religionis, & in provisione beneficiorum Ecclesiasticorum commissam ipso jure & facto incurruntur pœnæ contra Simoniacos statutæ. Ita Pichler ubi supra *num.* 18. & alii Doctores proxime allegati. Ratio est: quia cum jura simoniam perstringant pœnis, illæ vero pœnæ extendi non possint ad Simoniam mere mentalem, neque ad conventionalem mixtam secundum dicta, sequitur evidenter, quod saltem incurrantur propter Simoniam realem. Ceterum quod etiam propter talem Simoniam quantumvis occultam dictæ pœnæ incurrantur, habetur clare decisum *Extrav. cum detestabile de Simonia.*

Quæres tertio, quinam in prædictis pœnis dispensare, vel a censuris absolvere valeat?

631. R. Absolvere a censuris, & dispensare in pœnis Simoniæ per se loquendo solus Summus Pontifex potest, etsi rarissime & non sine certis conditionibus dispensare soleat; Si tamen delictum sit occultum, & ad forum contentiosum non deductum, a censuris potest absol-

vere 1. Episcopus *juxta Trident. ss.* 24. *de Refor. c.* 6. 2. item Religiosi mendicantes pro foro interno duntaxat. Porro Episcopus probabiliter potest dispensare cum eo, qui beneficium simoniace obtentum sponte, & ante sententiam condemnatoriam dimisit, veluti plures Doctores deducunt ex *can.* 2. *caus.* 1. *q.* 3. Item cum eo, qui per alienam Simoniam beneficium se inscio obtentum, vel potius procuratum dimisit, ad idem rursus obtinendum, juxta *cap. penult. de Elect.* Sed de his proxime plura *num.* 642. *&* 645. Videri etiam possunt Pyrrhus. Corradus *in prax. dispens. lib.* 5. *c.* 9. *&* 10. Pichler *cit. n.* 26. Reiffenstuel *lib.* 5. *tit.* 3. *a n.* 341.

Quæres quarto, an vel quid teneatur restituere, qui simoniace beneficium Ecclesiasticum obtinuit?

632. R. Qui qualecunque demum beneficium Ecclesiasticum simoniace obtinuit, tenetur ante omnem judicis sententiam sub gravi culpa restituere, vel potius dimittere nedum ipsum beneficium, sed etiam fructus ex illo perceptos. Ita *unanimiter Doctores*. Ratio est: quia omnis collatio, provisio vel acquisitio beneficii aut officii Ecclesiastici simoniace facta, est ipso jure irrita & nulla, ita, *ut Simoniace provisus nullum acquirat jus, nec faciat fructus suos, sed ad illorum omnium restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus*, prout expresse statuitur *cit. Extravag. cum detestabile de Simon.* Quocirca tamen illud discriminis est observandum, quod si Simonia intervenerit *realis communis*, hæc pœna incurratur duntaxat, posteaquam Simonia utrinque saltem ex parte fuit completa, utputa si is, qui v. g. 100. dugatos promisit, pro spirituali jam obtento, rependit v. g. 30. aut 50. &c. At vero, ubi Simonia fuit *confidentialis*, ne quidem necessum est, ut pretium jam sit solutum, veluti ex dictis *num.* 629. satis colligi potest, & expresse tradit Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 3. §. 12. *n.* 288. aliique plures.

Quæres quinto, An, vel cuinam restitui debeat pretium temporale simoniace obtentum vel acceptum pro spirituali!

633. R. ad hoc quæsitum primo. Qui accepit pretium temporale pro beneficio Ecclesiastico, eo quod ad hujus assecutionem cooperatus fuerit eligendo, vel præsentando, aut recommendando, &c. tenetur ante omnem judicis sententiam sub peccato mortali (si materia accepta supponatur gravis, prout communiter esse solet) pretium illud restituere; idque secundo probabiliter non ipsi danti, sed Ecclesiæ, cujus est beneficium, aut certe pauperibus. Utraque pars est *communiter recepta inter DD.* cui subscribunt S. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. *in corpore*. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dubit.* 30. *n.* 169. Bonacina, Sylvester, Palao, & alii. Et ita quantum ad priorem partem deducitur tum *ex arg. cap. De hoc de Simon.* tum ex eo etiam, quia cum spiritualia hæc distribuenda sint *gratis* vi præcepti divini *Matth.* 10. consequens est; quod aliquid exigens pro illa re spirituali, faciat injuriam contra justitiam respectu illius, a quo exigitur, consequenter nedum ex jure humano, sed etiam naturali ac divino tenetur ad restitutionem simoniace accepti. Nec evadis dicendo, te non exigere illud temporale pro ipso spirituali, sed solum pro emolumento temporali, quod beneficiario obveniet; nam & temporale utpote spirituali *consequenter annexum* absque Simonia vendi non potest, secundum dicta superius *num.* 599. Hinc Alexander VII. volendo præcludere viam hujusmodi effugiis, jure meritissimo damnavit sequentem *num.* 22. propositionem: *Non est contra justitiam, beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* De quo videri potest Viva *in eand. proposit. n.* 2.

Ratio autem posterioris rursus habetur decisa *eod. cap. De hoc* 11. proxime citat. Addidi: *aut certe pauperibus*: enim vero Reiffenstuel *cit. n.* 295. post S. Thomam & Navarrum existimat, hujusmodi pretium Superioris arbitrio posse distribui pauperibus, quin immo consuetudine id jamjam introductum fuisse, asserere non verentur.

634. Dixi insuper, tale pretium *probabiliter non ipsi danti*, *sed Ecclesiæ esse restituendum*, &c. Nam plures magni etiam Nominis Doctores putant, hujusmodi pretium ante sententiam judicis nedum posse, sed etiam debere restitui danti, eo quod ipse offerens nunquam voluerit transferre dominium pretii in alium, quam in illum, a quo spirituale obtinuit: ergo cum iste de jure non sit capax acceptandi idem dominium, omnino rationabiliter asseritur, quod maneat penes ipsum dantem, qui ante judicis sententiam neutiquam illo debet privari. Et ita tenent Sotus, Matthæus de Moya, Bannez & alii quos citat & sequitur Reiffenstuel *ubi supra n.* 296.

635. R. jam secundo ad idem quæsitum. Ante sententiam judicis nulla est obligatio restituendi ea, quæ ob ingressum Religionis simoniace obtenta fuere. 2. Quæ vero fuerunt obtenta pro collatione Ordinum, aliorumve Sacramentorum vel Sacramentalium, vel quarumcunque tandem rerum spiritualium, sine damno aut incommodo seu detrimento ipsius conferentis (uti fieri posset pro dispensatione, absolutione, aut indulgentiis) jure divino ante omnem etiam sententiam judicis debent restitui. Ratio prioris desumitur *ex Extravag. Sane de Simonia*, ubi S. Pontifex concedit, ut hujusmodi bona *contra canonicas Sanctiones recepta*, *ad communem usum Monasteriorum possint retineri & applicari*. Ratio autem posterioris sequitur ex proxime dictis *num.* 633. quia Minister Christi jubetur administrare hujusmodi dona cœlestia *gratis*: ergo dum exigit pretium, facit injuriam solventi, quemadmodum famulus jussus a suo domino eleemosynam gratis dispensare, faceret injuriam illi, a quo intuitu eleemosynæ aliquid prætenderet, teneretur que ad hujus pretii refusionem. Videatur Lessius *l.* 2. *de J. & J. c.* 35. *dubit.* 28. *n.* 162. Laymann *ubi supra* §. 9. *n.* 79. Pirhing *de Simon. n.* 175.

636. Dixi tamen rursus: *quæ obtenta fuerunt sine damno aut incommodo conferentis*, &c. Nam casu quo dans spirituale sese privat commodo vel honore temporali (uti revera resignantes beneficia ordinarie debent facere) nonnulli autumant, obligationem restituendi non oriri ex iure naturali; (siquidem a parte rei nulla fit injuria seu injustitia illi, a quo temporale exigitur) sed ex humano duntaxat. Verum quidquid sit de hoc, nihil prorsus uvat Simoniacum; cum enim ex jure humano, saltem Simoniacus fiat inhabilis nedum ad beneficii, sed etiam ad fructuum inde redundantium possessienem, consequens est, quod jure humano saltem teneatur ad restitutionem talis pretii, quippe quod nec pro fructibus aut commodis beneficii, neque etiam pro ipso beneficio poterat acceptare tuta conscientia, uti bene observat R. P. Reiffenstuel *l.* 5. *tit.* 3. §. 12. *n.* 293. Secus rursus dicendum foret, si dans spirituale sese privaret bono temporali revera pretio temporali æstimabili, prout fieri potest in temporalibus, quæ spiritualibus antecedenter connexa sunt secundum dicta *n.* 600. ut si vendat vel tribuat calicem consecratum &c. quo casu, si plus non accipiat, quam illud temporale valet, nullam prorsus committit Simoniam, neque ad ullam restitutionem obligari potest, ut patet ex *dictis loc. prox. cit.*

Quæres adhuc sexto, quomodo ergo absque nota Simoniæ, vel pœnis inde incurrendis fieri possit vel debeat beneficiorum resignatio vel permutatio?

637. R. Ut talis resignatio vel permutatio beneficiorum fiat sine labe Simoniæ, necessario fieri debet non auctoritate propria, sed auctoritate legitimi Superioris. Ita ex *communi DD.* Pichler *in Compend. J. C. de Sim. n.* 14. *in fine*, & Henno noster *tract. in decal. disp.* 1. *q.* 5. §. 7. *conclus.* 1. Ratio hujus petenda est ex jure Can. *c.* 5. & 7. *de rerum permut.* itemque *c. ult. de pactis*, ubi expresse prohibentur omne pactum privatum, & omnes conventiones propria auctoritate factæ circa beneficia Ecclesiastica: prohibentur, inquam, & quidem velut simoniacæ, & nullius penitus momenti: ergo &c. Quocirca tamen pro meliori intellectu hujus resolutionis

638. Animadvertendum est primo, nomine beneficiorum hic intelligi nedum beneficia Ecclesiastica, sed etiam

officia

officia spiritualia temporalibus annexa, sive sint mobilia, sive immobilia, sive perpetua, sive ad certum tempus: immo vero, teste Henno *tr. in decalog. disp.* 1. *q.* 5. §. 7. *concluf.* 1. veniunt omnes actiones, ad provisiones beneficiorum pertinentes, uti sunt præsentatio, electio, confirmatio, &c. unde Simoniam incurrunt; qui dicunt v. g. *si eligendo dare velis votum Petro, ego illud dabo in proxima electione Paulo tuo cognato: si confirmes Joannem, ego præsentabo hunc tuum amicum &c.* vel, *si cesseris beneficium tenue cognato meo, ego præsentabo vel eligam fratrem tuum ad beneficium pingue &c.* Esto enim in his omnibus non interveniat Simonia juris divini, siquidem spirituale pro spirituali promittitur; Ecclesia tamen hæc omnia justissime prohibuit, propter occasionem & periculum Simoniæ, in quantum de facile adhiberi possunt in ordine ad lucrum temporale. Unde caute legendam existimo sententiam & opinionem illorum, qui asserunt; *Electores absque Simoniæ nota posse tractando convenire in electionem alicujus in Generalem aut Provincialem, ut postea tales eligantur in Diffinitores, Guardianos &c.* Nam si Electores isti supponantur coincidere votando in Generalem, v. g. sub onere quasi & conditione, ut ipsi eligentes vel eorum aliqui determinati vicissim eligantur in Diffinitores, plane non video, qua conscientia a labe Simoniæ excusari valeant: licet in hujusmodi electionibus intervenire possint tractatus mere consultorii, quibus Electores aliud non intendunt, nisi inquisitionem in merita & majorem dignitatem Eligendorum.

639. Animadvertendum porro est secundo, nomine Superioris hic non intelligi solum Summum Pontificem, sed etiam Episcopum, immo & beneficii Collatorem, ubi consuetudo hoc introduxit. Et licet Pius V. *anno* 1567. hanc auctoritatem summæ duntaxat Sedi reservaverit, anno tamen sequenti per motum proprium: *Quantæ Ecclesiæ* &c. videndum *in Bullario Cherub. tom.* 2. *constit.* 58. *dicti Pontificis* idipsum revocavit. Ita in re Henno *loc. cit.* Videantur de hac materia Busenbaum *lib.* 4. *de benefic. Ecclesiast. art.* 5. apud la Croix *eod. lib.* 4. *num.* 884. vel ipse la Croix *lib. cit. a num.* 952. aut Leurenius *part.* 3. *q.* 234.

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici de Simonia.

CASUS PRIMUS.

Titius *beneficium quoddam satis pingue quadriennio & amplius possederat pacifice, quo jamjam elapso Parens (nescio qua de causa) Eidem exprobraverat ingratitudinem suam*, tot, inquiens, debui facere expensas, ut hanc Parochiam adipiscereris: soli Patrono quingentos solvi florenos, ut te potius, quam alium præsentaret: nihil dicam de reliquis Schmirbalibus, quæ præterea debui facere illis, quorum vel suffragio vel ope indiguisti: & tu pro tot ac tantis beneficiis ne gratum quidem erga me animum monstras. *Titius rei novitate obstupefactus illico instanter rogavit Parentem suum, quatenus similia nulli mortalium unquam manifestaret, sancte adpromittens, se quam proxime omnes expensas refusurum. At paulo post multum consternatus venit ad Confessarium, dubitans & quærens, an hanc suam Parochiam a suo Parente inscio se sibi simoniace procuratam tuta conscientia retinere possit, an vero illam una cum fructibus hactenus perceptis teneatur restituere?*

640. R. Titius bono jubeatur esse animo, & manere in sua possessione. Ratio est: quia supponitur hoc suum beneficium jam quadriennio pacifice & bona fide possedisse: at, qui etiam per triennium duntaxat aliquod beneficium cum titulo colorato pacifice possidet bona fide, deinceps non amplius potest desuper molestari, *per Regulam Cancellariæ* 36. *de triennali* &c. uti tenent Lessius *de J. & J. lib.* 2. *c.* 35. *dubitat.* 25. *num.* 140. Palao *de Simon. pu.* 25. *num.* 3. Suarez *lib.* 4. *de Sim. c.* 57. *n.* 9. & alii *DD. communiter*: ergo &c. Nec refert, quod dicta Regula requirat, ut beneficium *absque ingressu Simoniaco* fuerit obtentum; quia cum eadem regula

in

in quantum favorabilis *late*, in quantum vero odiosa *stricte* sit interpretanda *arg. cap. Odia de R. J. in sexto*; hinc prudenter omnino asseritur, dictam clausulam solum esse intelligendam de eo, qui culpabiliter & scienter aliquod beneficium simoniace obtinuit, aut certe ante triennium elapsum inaudiit, per alium idem beneficium simoniace fuisse expracticatum; non vero de illo, qui Simoniæ alterius penitus ignarus, beneficium obtentum bona fide per triennium pacifice jamjam possedit. Videatur Reiffenstuel *lib. 5. decret. tit. 3. §. 11. num.* 278.

Ad, quid, ais, si Titius a suo Parente ante elapsum triennium pacificæ possessionis jam intellexisset, suum beneficium præfato modo simoniace fuisse obtentum?

641. R. Hoc supposito fuisset obligatus post adeptam hujusmodi notitiam beneficium dimittere, fructusque inde perceptos restituere. Ita *unanimis & certa DD. sententia*. Ratio patet ex hactenus dictis; omnis quippe provisio simoniace facta irrita est, & nulla, veluti clare habetur decisum *c. Nobis fuit* 27. & c. *sicut tuis* 33. *de Simonia*, ubi dicitur: *secundum canonum statuta etiam parvuli, qui cupiditate Parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur*: neque aliunde hic supponitur occurrere causa eximens ab hoc onere, sicut respectu Titii nostri intervenit possessio bonæ fidei per triennium continuata: ergo &c.

Dices adhuc: quid igitur Consilii capassendum foret, casu quo talis Beneficiarius ante elapsum triennium certo resciret, in provisione sui ad beneficium fuisse commissam Simoniam?

642. R. Recurrendum necessario foret vel ad summum Pontificem, vel certe ad Episcopum, qui probabiliter dispensare potest cum tali, qui beneficium suum bona fide adiit, esto ad illud pervenerit per simoniacam procurationem tertii v. g. Parentis &c. modo tamen prius renuntiet suo beneficio. Ita Pontas *in dictionar. Casuum V. Simonia Cas.* 38. post Sanctum Thomam 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad septimum*, ubi ait Sanctus Doctor: *dispensare cum eo, qui est beneficiatus simoniace scienter, solus Papa potest: in aliis autem casibus potest etiam Episcopus dispensare; ita tamen, quod prius abrenuntiet, quod Simoniace acquisivit, & tum dispensationem consequatur*. Idipsum satis clare statuitur *cap. si alicujus* 59. *de Elect.* nec non *in Concil. Trident. SS.* 24 *de Reform. cap.* 6. Neque in tali casu abrenuntiatio injungitur in pœnam peccati, sed potius est effectus acquisitionis injustæ, & ex jure irritæ, veluti docet idem S. Doctor *loco cit. ad tertium*.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius quandam Parochiam simoniace sibi procuravit: facti pœnitens totum casum velut occultum Consilio & opera Confessarii sui Romam ad S. Pœnitentiariam transcripsit, humillime supplicans pro absolutione a censuris, & liberatione ab aliis pœnis propterea incursis. Major Pœnitentiarius eidem Confessario rescripsit, ut Oratorem a censuris absolveret, ac in reliquis pœnis cum eodem misericorditer pro foro conscientiæ dispensaret, sed cum onere, ut 1. *intra annum libere dimittat hoc beneficium.* 2. *ut insuper fructus hactenus perceptos ex eodem beneficio intra ejusdem anni lapsum restituat, secus in easdem pœnas ralapsurus, Sempronius ut mandatis Ecclesiæ morem gereret, intra ejusdem anni lapsum Parochiam suam dimiserat, ast, sub schemate permutationis, ne scilicet ullatenus sese suspectum redderet de admisso crimine Simoniæ: fructus tamen beneficii ne quidem intra ejusdem anni lapsum restituit; partim quia præviderat, hanc restitutionem sine nota, vel omnimoda manifestatione commissi criminis vix, aut ne vix quidem sibi fore possibilem: partim insuper, quia pecuniis ex iisdem fructibus collectis opus habuit ad alios sumptus faciendos, licet ceteroquin nunquam non habuerit animum restituendi eosdem fructus, quam primum moraliter potuerit. Jam vero dubitat idem Sempronius* 1. *an satisfecerit primæ conditioni seu oneri sibi injuncto, dimittendo suum beneficium sub schemate permutationis? secundo. An non* rein-

reinciderit in easdem censuras & pœnas, eo quod intra anni lapsum non restituerit fructus? Quid Confessarius sciscitanti respondebit?

634. R. Ad primum quæsitum. Sempronius satisfecit primæ conditioni, esto sub schemate permutationis dimiserit suam Parochiam. Ratio est: quia a S. Pœnitentiaria libere dimittere censetur, qui illud dimittit non compulsus necessitate externa per sententiam scilicet Judicis, licet dimittens jam prius in conscientia fuerit obligatus: sic enim secundum jura jubetur libere dimittere primum beneficium, qui aliud cum priori incompatibile obtinuit, & re vera censetur illud prius libere dimittere, dum illud velut incompatibile cum priori & vacans ipso jure *per c.* 28. *& Extravag. Execrabilis Joan. XXII. de præbend. nec non per Trid. SS.* 7. *c.* 4. *de Reform.* non exspectata jussione vel compulsiva sententia Judicis aut Superioris Ecclesiastici illud dimittit ac cedit alteri: atqui Sempronius supponitur illud prius dimisisse ante omnem sententiam compulsivam Judicis Ecclesiastici: ergo huic conditioni satisfecit, præsertim cum nec a Jure communi, neque etiam a sacra Pœnitentiaria unquam fuerit prohibitus quærere aliud beneficium licito & honesto modo. Neque vero præsumendum est, quod Major Pœnitentiarius voluerit Eum obligare ad dimissionem beneficii absque ullo prorsus schemate vel pallio, quo commissum crimen Simoniæ quodammodo obtegeret, sed potius illud dimittendo se ipsum non sine scandalo ac famæ vel honoris proprii prostitutione diffamaret: non, inquam, hoc præsumendum est de benignitate S. Matris Ecclesiæ, præsertim cum pro foro interno duntaxat fuerit postulatum remedium: in quo utique talia præscribi solent ac debent, e quibus pœnitens publice non confundatur aut prostituatur.

644. R. Jam ad secundum, Sempronium non reincidisse in easdem censuras & pœnas, eo quod intra anni lapsum non restituerit. Ratio est: tum quia in primis dubitari posset, an restitutio fructuum a S. Pœnitentiaria fuerit Sempronio præcepta sub pœna reincidentiæ, si intra annum non restitueret illos: nam supponi posset, quod S. Pœnitentiaria voluerit obligare ad horum restitutionem secundum communem stylum Juris: at, de jure non constat, quod fructus simoniace percepti sint sub pœna reincidentiæ restituendi intra annum. Tum præsertim, quia tametsi supponatur hoc fuisse demandatum a S. Pœnitentiaria, minime tamen intelligendum est, quod in easdem pœnas deberet reincidere ob dilationem restitutionis etiam inculpabilem, aut certe graviter non culpabilem; atqui Sempronius differendo hanc restitutionem non commisit culpam gravem; partim quia rationabiliter timuit periculum diffamationis, ut dicitur; partim etiam quia eadem pecunia necessario indiguit ad alios sumptus, proptereaque non imprudenter credidit, illud mandatum Ecclesiæ non urgere cum tantis difficultatibus. Adde insuper, illam obligationem *restituendi intra annum* velut odiosam, esse stricte interpretandam, ideoque intelligendam non a die commissæ Simoniæ, neque etiam a die datæ, id est, concessæ Facultatis absolvendi in curia Romana, sed potius a die intimatæ hujus obligationis per Confessarium delegatum, nam mandata Ecclesiæ, sicut & leges supponunt necessario intimationem, qua supposita primum incipiunt obligare, juxta communem DD. præsertim in Schola Scotistica: ergo ex hoc etiam titulo Sempronius excusari posset, si supponatur, quod a die intimatæ obligationis & absolutionis nondum fuerit elapsus integer annus.

Dices. Demus igitur, Sempronium, vel alium quemcunque Clericum ob non servatam conditionem in Rescripto S. Pœnitentiariæ contentam denuo reincidisse in easdem censuras, quis illum velut relapsum absolvet, aut liberabit a pœnis?

645. R. A peccato & excommunicatione, quamdiu delictum Simoniæ supponitur occultum, potest absolvi nedum ab Episcopo, verum etiam a quolibet Confessario Mendicantium, utpote præditis potestate absolvendi a casibus summo Pontifici reservatis. Ita *ex communi Doctorum* Suarez *lib.* 4. *de Simon. c.* 61. item Castropalao *de Simon. punct. fin. n.* 2.

n. 2. At vero quantum ad pœnam inhabilitatis in ordine ad obtinendum idem beneficium probabilius non solum a nullo Mendicantium, sed ne quidem ab Episcopo dispensari potest juxta opinionem Palao *de Sim. pu. ult. num.* 3. Pirhing. *de Sim. n.* 173. Lessii *l.* 2. *c.* 35. *dubit.* 25. *n.* 140. & communiorem aliorum: quia Episcopus in lege Superioris per se loquendo dispensare non valet, nisi id Eidem specialiter demandetur, aut concedatur: at, de tali concessione nihil constat, nequidem ex Concilio Trid. quandoquidem hæc inhabilitas ad idem beneficium primum post Concilium Tridentinum fuerit introducta: ergo &c. Oppositum tamen nedum Lessius & Palao *cit. nu.* 4. sed insuper Henriquez, Krimer, & alii censent hodiedum probabile. Illud nihilominus certum mihi videtur, hujusmodi Clericum simoniacum semper manere obligatum ad restituendos fructus ex beneficio perceptos, quippe quos ex dispositione juris nec fecit, nec unquam facere potuit suos. Videatur Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 3. §. 14. *n.* 338. *& seqq.*

At, inquies, quosnam igitur fructus tenetur Sempronius restituere?

646. R. Fructus vi beneficii simoniace obtenti perceptos, id est, illos omnes, ac solos, quos ex beneficio percepit, non autem tenetur restituere fructus illos, quos percepit intuitu laborum aut functionum Parochialium, utputa ratione Concionum, administrationis Sacramentorum, vel exequiarum &c. & quidquid demum intuitu stolæ, uti vocant, obtinuit. Ratio est: quia hujusmodi fructus aut proventus non penduntur Clerico velut fructus aut redditus ipsius beneficii, sed velut stipendia alicujus officii Clericalis, propterea que hujusmodi fructus annumerari solent bonis quasi patrimonialibus Clericorum, ita, ut juxta receptissimam Doctorum sententiam, videndam apud Busenbaum & la Croix *lib.* 4. *nu.* 1355. a Clericis possint libere expendi in profanos usus. Secundo. Neque tenetur restituere fructus ex beneficio perceptos post absolutionem a S. Pœnitentiaria impetratam; cum enim ab hac eidem fuerit indultum aliquod tempus permanentiæ (non enim *immediate*, sed *intra annum* jussus fuit dimittere beneficium simoniace obtentum) pariter censeri debet indultum, ut interea fructus ex eodem beneficio redundantes percipere valeat. Insuper tertio aliqui DD. volunt, quod talis non teneatur restituere fructus illos, quibus necessario indiguit ad suam sustentationem eo tempore, quo simoniace possedit suum beneficium; verum hæc opinio ab aliis merito reputatur non satis probabilis, neque satis tuta, quando quidem Sacri Canones supra *nu.* 627. allegati absolute dicant, quod Simoniacus fructus beneficii *non faciat suos*. Secus dicendum foret de illo, qui beneficium bona fide possedit, proptereaque & bona fide fructus consumpsit, nec inde factus fuit ditior; quia talis possessor non tenetur amplius ad ullam restitutionem juxta *communem Doctorum*, quam tradidimus *de Restitut. Conferent. secunda num.* 31. itemque *a num.* 51.

CASUS TERTIUS.

Cajus Parochus ætate grandævus & plenus meritis, statuit tandem suo ex fratre Nepoti (a quo jam pridem fuerat precibus solicitatus) resignare suum beneficium, sed cum certis conditionibus & oneribus, scilicet primo, ut idem Nepos quoad dies vitæ præberet sibi sustentationem congruam, & 2. *insuper ut annuatim sibi ex beneficio rependeret* 100. *taleros: hoc ubi nepos sancte adpromisit, Cajus in manus Episcopi Parochiam suam libere & gratis (ut asseveraverat vel verius loquendo finxerat) resignavit una tamen simul humillime supplicando, quatenus Episcopus eandem Parochiam suo ex fratre Nepoti, velut homini capacissimo & aliunde bene merito Parochianisque gratissimo conferret; quod Episcopus tum intuitu meritorum a Cajo collectorum, tum etiam intuitu Nepotis velut hominis insigniter talentati præstitit, nihil tamen prorsus sciens, immo ne quidem somnians de pacto, quo Cajus & Nepos prius inter se convenerant. Jam ad hanc facti speciem quæritur primo, an Cajus revera commiserit Simoniam? Secundo. Quid de valore hujus resignationis vel collationis tenendum?*

647. R. Ad primum quæsitum, Cajum

jum commisisse Simoniam, probabilius tamen non contra jus divinum (uti vult Henno) sed contra jus humanum duntaxat. Ratio est: quia jus ad pensionem annuam, seu, quod idem est, ad percipiendos certos fructus ex alieno beneficio (puta præter sustentationem 100. taleros in nostro casu) esto de se sit aliquid temporale, est tamen hodie auctoritate Ecclesiæ aliquid suo modo spiritualizatum, velut *consequenter annexum* spirituali, scilicet beneficio Ecclesiastico: ergo non fuit datum spirituale pro temporali, sed potius spirituale pro spirituali. Et certe, si in hoc casu interveniret Simonia juris divini, ne quidem Summus Pontifex dispensare posset, ut licite fieret hujusmodi resignatio sub conditione seu onere annuæ pensionis: at, hoc est contra omnes: ergo probabilius in hoc casu non intercedit Simonia juris divini: quod autem Simonia juris humani interveniat, nemo inficias ibit, ni fallor: enimvero *cap. ult. de pactis*, & *cap. 5. de Rer. permut.* expresse *velut simoniacæ* interdicuntur omnes conventiones privatæ circa beneficia Ecclesiastica, aut præbendas, &c. Videatur Filliucius *tr.* 42. *c.* 9. *n.* 3. vel Bassæus *v. Pensio n. 9.* aut Reiffenstuel *l.* 5. *decret. tit.* 3. §. 8. *n.* 151.

Nec dici valet, quod in hoc casu nullum interveniat pactum simoniacum, sed quod Cajus duntaxat suum beneficium, e quo annuatim v. g. mille florenos perceperat, resignaverit suo Nepoti, reservato sibi jure ad 100. taleros ex eodem beneficio annuatim percipiendos, &c.

648. Contra enim est, quod jus ad percipiendos fructus sit inseparabile a beneficio in tantum, ut non, nisi auctoritate Summi Pontificis vel Episcopi in certis circumstantiis, minime vero auctoritate privata paciscentium separari valeat ab illo: ergo Cajus volens resignare beneficium, debuit pariter resignare jus ad percipiendos ex eo fructus, ita, ut siquidem aliquid sibi reservet ignorante vel dissentiente Resignatario, dici mereatur fur: sin autem aliquid sibi reservet auctoritate privata ipso etiam consentiente, dici debeat Simoniacus, ob rationes proxime allegatas, uti bene ait Henno *Tract. in decalog. d.* 1. *q.* 1. §. 7. *Conclus.* 4.

649. R. Jam ad alterum quæsitum, hanc resignationem fuisse nullam & invalidam. Ita Filliucius *loc. prox. cit. c.* 9. *n.* 16. Idipsum tenet la Croix *l.* 4. *n.* 958. ubi ait, resignantem propria auctoritate sub præfata conditione pensionis (sicut reipsa Cajus sub hac conditione non auctoritate Episcopi, sed propria resignavit) præter nullitatem resignationis insuper amittere titulum; & pro eadem opinione allegat Rotam, Rebuffium, Garziam & alios. Ratio autem est: quia secundum dicta hæc resignatio fuit simoniaca, & quidem non mere pensionalis, sed & beneficialis, utpote in qua non de solo jure pensionis, sed etiam de beneficio transferendo actum fuit: ergo juxta *communem DD.* videndam apud Bassæum *loc. cit.* & Filliucium *cit. c.* 9. *n.* 7. post se trahit pœnas Simoniacorum: atqui inter reliquas Simoniacorum pœnas etiam numeratur nullitas actus, & inhabilitas ad idem saltem beneficium obtinendum: ergo hæc resignatio nulla fuit. Similiter nulla fuit collatio facta ab Episcopo, utpote facta subjecto de jure incapaci & inhabili, juxta hactenus dicta, præsertim *n.* 627. Profecto neque præsumendum est, quod Episcopus unquam intenderit tali conferre Parochiam tam pinguem.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

650. Colliges ex hactenus dictis primo, Eum, qui beneficium simoniace obtinuit, aut omnino sive per se sive per alium quempiam procuravit, illud retinere non posse tuta conscientia, sed teneri ante omnem sententiam Judicis nedum ipsum beneficium, sed etiam fructus inde perceptos (in sensu jam explicato *num.* 646.) restituere. Ratio liquet ex dictis: quia talis de jure nec in ipsum beneficium, neque etiam in fructus inde redundantes unquam obtinuit jus, quin potius ad illud obtinendum perpetuam inhabilitatem incurrit secundum dicta *n.* 617. Idque verum

rum est, tametsi simonia supponatur occultissime commissa, ita, ut de hac nemini præter quam Deo & soli delinquenti, vel fortassis complici etiam constet. Nihilominus beneficia prius rite obtenta tuta conscientia retinere potest, & insuper alia justo titulo acquirere, fructusque illorum percipere valet, donec simonia nuper commissa publice innotescat; & ad forum contentiosum deducatur, ac proin per sententiam condemnatoriam vel declarativam Judicis aliud statuatur. Ita Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 3. §. 11. *num.* 271. Ex quibus ulterius

651. Colliges secundo, quam sapienter & merito idem R. P. Reiffenstuel §. 12. *num.* 294. scribat sequentia: „videant igitur, suamque conscientiam „examinent illi, qui beneficium aliquod contulerunt vel resignarunt, vel „ad illud præsentarunt, elegerunt, aut „postularunt, recommendarunt &c. An „propterea simoniace exegerint vel receperint temporalia; & si quis reum „se invenit, illico restitutionem facere non omittat: secus enim in continuo statu disgratiæ & æternæ damnationis periculo versabitur, nisi aliquem habeat titulum a restitutione „excusantem, qualis certe non est risus & contemptus hujus tam certæ „doctrinæ, nec crassa vel affectata ignorantia, multo minus stolida pertinacia, qua nonnulli vermem conscientiæ sopire cupientes, vel nolentes intelligere, ut bene agant, mentem & „aures rationibus doctrinæ sibi contrariæ avertunt, ac simpliciter, & sine „ullo fundamento dicunt: *non credo*: „*non teneor credere &c.* Tales, utinam „non in æternum sentire cogerentur, „quod modo credere nolunt. Hactenus vix non in terminis laudatus Doctor.

Dices fortassis: pro meo beneficio mihi impetrando tertius quidam nedum verbo, sed opere etiam, immo auro & argento laboravit, ast, me invito & contradicente: teneorne illud dimittere, an vero fas mihi est illud protinus retinere?

652. R. Si scivisti, illud beneficium stante etiam, & non obstante tua contradictione, tibi fuisse simoniace procuratum, probabilius neque acceptare licuit, neque etiam retinere; hoc quippe modo videreris quodammodo ratihabere, & approbare simoniam commissam. At vero, si simoniacæ procurationi contradicendo te opposuisti & nihilominus te ignorante beneficium simoniace fuit expracticatum, tu velut immunis a culpa, pariter eris immunis ab omni pœna, ita, ut tuto possis illud retinere. Ita *communis Doctorum* sententia, satis declarata *cap. sicut tuis* 33. *de simon.* sequentibus omnino verbis; *quoniam ex eo, quod contra prohibitionem & voluntatem tuam (a qua postmodum minime recessisti) aliquis te penitus ignorante promisit pecuniam & exolvit, nihil tibi debet ad pœnam, vel ad culpam imputari.* Videatur de hoc Lessius *lib.* 2. *de J. & J. c.* 35. *dubit.* 25. *n.* 143.

653. Quod vero mox dictum fuit de contradicente simul & ignorante, suum beneficium reipsa per tertium simoniace sibi fuisse impetratum, id ipsum a fortiori dicendum foret, casu quo alius quidam in fraudem quasi, eo scilicet fine, ut hoc modo te ab assecutione beneficii impediret, dedisset pro eodem beneficio, non aliter, quam simoniace impetrando pecuniam. Nam in hoc casu provisio beneficii valida foret, & provisus licite illud retineret, esto ex post facto resciret, simoniam ab alio fuisse commissam, prout clare statuitur *cap. Nobis fuit* 27. *de simon.* idque omnino sapienter; *quia non est indulgendum malitiis hominum; & non debet aliquis alterius odio prægravari; cap. Non debet* 22. *de R. J. in sexto*. Ita *communis* & certa sententia DD.

654. Colliges tertio, causas & titulos, qui excusant a culpa simoniæ, pariter excusare a pœnis in simoniacos latis de jure. Unde qui temporale dant pro spirituali vel vicissim, sed omnino gratis sine ullo explicito vel implicito pacto &c. vel qui aliquid rependunt præcise ex gratitudine ad satisfaciendum obligationi antidorali &c. a pœnis simoniacorum eximendi sunt. Ratio est: quia ubi nulla præcessit culpa, ibi nulla infligi debet pœna; nam: *sine culpa, nisi causa subsit, non est aliquis puniendus*, ut dicitur *cap. sine culpa* 23.

de

de R. J. in sexto atqui in casibus mox recensitis nulla committitur culpa : ergo &c.

655. Colliges insuper quarto neque illos subjiciendos esse simoniacorum pœnis, qui revera simoniam committunt, sed ex ignorantia invincibili & inculpabili (qualis meo quidem judicio revera frequenter committitur a communi plebe, vel a Simplicioribus circa res spirituales) esto fortassis non ita frequenter a Clericis circa beneficia spiritualia, vel officia Ecclesiastica.

Ratio autem hujus resolutionis est eadem, quæ proxime fuit data; ubi enim intervenit ignorantia invincibilis, ibi culpa locum non habet secundum communissimam Doctorum, insinuatam *de actibus hum. part. 2. Confer. 2. num. 38.* at, ubi culpa locum non habet, ibi nec pœna, secundum proxime dicta : ergo ignorantia inculpabilis, seu invincibilis excusat a pœnis simoniæ.

Bene est, inquies fortassis : Ego simoniace obtinui meum beneficium, procurando illud per pecunias, ast non scivi, in hoc casu Simoniam committi, quin potius persuasum mihi habui, modernam praxin id ferre : ergo possum illud protinus salva conscientia retinere ac possidere.

656. R. *Transmisso antecedente*, cujus suppositum foret pessimum, *neg. conseq.* Enimvero nullitas provisionis & inhabilitas ad idem beneficium non sunt pœnæ, sed statuuntur per SS. Canones in detestationem criminis ad præcludenda majora mala, ne scilicet ad hujusmodi beneficia quæratur aditus etiam ab indignis, quos non capacitas, non merita, nec animarum zelus, sed mammona iniquitas, vel etiam iniquitas Mammonis, id est, divitiarum promoveret. Illud tamen solatii causa tibi insinuaverim, quod si revera ex invincibili ignorantia simoniacæ labis hoc attentaveris, & post agnitum errorem beneficio obtento renuntiaveris, ab Episcopo probabiliter dispensari valeas & habilitari ad idem beneficium, secundum dicta superius *numer. 642.* Num autem Episcopus sit dispensaturus, tu videris.

657. Dixi insuper eos, qui *ex ignorantia invincibili & inculpabili Simoniam* committunt, esse eximendos, pœnis &c. Major quippe controversia movetur inter Doctores, an etiam illi, qui scienter, vel certe cum dubio practico, & hoc ipso culpabiliter Simoniam committunt, & solum ignorant pœnas a jure statutas, an inquam, tales nihilominus incurrant pœnas Simoniacorum?

Quocirca omnes quidem Doctores fatentur, ab iis non incurri censuras, utpote latas in contumaces duntaxat : tales vero contumaces dici nequeunt : ergo &c. At vero reliquas pœnas Simoniacorum etiamnum a talibus incurri communissima sane & probabilissima fert sentia Doctorum, videnda apud Azorium *part. 1. l. 1. c. 15. q. 1. & 2.* Henrincx noster *part. 2. tr. 10. disp. 5. p. 3. n. 28. & 29.* Laymann *lib. 1. tr. 4. c. 20. n. 6.* & alios passim.

Ratio hujus est : quia ignorantia solius pœnæ non excusat a culpa, quæ est causa inductiva pœnæ, immo vero, quisquis scienter aliquam legem prævaricatur, ipso facto sese implicite saltem censetur subjicere pœnis a jure statutis in prævaricatores, proptereaque DEUS, licet misericors & justissimus, nihilominus in inferno affligit diversis pœnarum generibus peccatores, esto peccantes ignoraverint, se hoc vel illud pœnarum genus incursuros : ergo pariter Simoniaci scienter & culpabiliter tales, condebitis & statutis a jure pœnis afficiendi sunt, quantumvis supponantur illas ignorasse.

658. His tamen non obstantibus R. P. Pichler *in compend. J. Can.* jam sæpius *cit. lib. 5. tit. 3. n. 22.* hodiedum probabile existimat, ab iis, qui solas etiam pœnas Simoniæ ignorarunt, eas non incurri; eo quod pœnæ a jure statutæ non incurrantur ab ignorantibus jus, veluti DD. communiter tradunt, nominatim Krimer, & Sanchez, videndi apud eundem Pichler *lib. 4. Compend. tit. 7. num. 4.* Et hanc ob caussam mulier ignorans virum, cum quo peccat, esse conjugatum, non incurrit impedimentum criminis &c. Non ausim huic opinioni suam denegare probabi-

babilitatem, proptereaque insinuandam duxi; quippe quæ fortassis Confessario aliquando posset servire; præsertim in casu, ubi ex parte pœnitentis animadverteret magnam difficultatem, & inde subsecuturum animæ periculum, casu quo ad sectandam priorem opinionem, quam ego nedum tutiorem (ut de se liquet) sed & longe probabiliorem censeo, adigeretur. Et hæc tum in primum Decalogi præceptum, tum etiam de Fide, Spe, & Charitate dicta velim, non tam dogmatizando, quam subjiciendo, ea, qua par est, cum humilitate judicio sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ. Faxit benignissimus DEUS, ut, dum hæc legendo revolvimus, in nobis jugiter augeatur Fides, firmetur Spes, & inflammetur Charitas ad animarum salutem, & majorem gloriam Illius, qui omnium actionum nostrarum esse debet scopus & ultimus finis.



IN-

INDEX ALPHABETICUS

Rerum & Materiarum in ac Secunda Parte contentarum.

NB. Littera C. Conferentiam, n. vero cum cifra numerum marginalem denotat.

A

B


Quid

L

Offen-

Pue-

FINIS.



Optimus Liber

dignus lectu

[illegible]

[illegible]

